Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Polydorus Vergilius
+
Fraulphus Lexoviens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sammelband.

1. Polydori, Verg. Urbin, Angelicae historiae libri 27, 1556 Basel
2. Fregnlphi episcopi Lexoviensis Chronicorum tomi II. 1539, Köln
3. Egesippi Historiographi, Hierosolymitanae urbis excidium in 5 libros. 1525 Köln.

PROPIEDAD BIBL. SUPERIOR SEMINARIO

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLYDO
RI VERGILII VR.
BINATIS ANGLICÆ HISTORIÆ
LIBRI VIGINTISEPTEM.

Ab ipso autore postremùm iam recogniti, adóq; amussim, salua tamen historiæ ueritate, expoliti.

SIMON GRYNÆVS LECTORI.

Anglia Bistonio semper gens inclyta Marte,
Quanta, quibusq; animis nongentos mille per annos
Gesserit, imperium firmans adamante reuincto,
Intulerit quoties uicinis gentibus arma,
Seu procul eiecit populantem finibus hostem,
Seu domuit sæuos immania colla tyrannos,
Maxima magnanimùm POLYDORVS *facta uirorum*
Præclarè latia primus canit omnia bucca.

17241



PROV. GERM. BIBL. SCRIPT. SOC. JESU
BON. COLON

Indices rerum singularum & utiles & copiosos, in operis calce adiectos reperies.

Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

BASILEÆ, APVD MICH. ISINGRINIVM,
ANNO M. D. LVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ELOGIVM ANGLICÆ HISTORIÆ.

PAVCIS antè annis, Polydorus Vergilius Vrbinas edidit historiam suam Anglicam, in qua primū arte conficienda, deinde ordine digerenda, deinde oratione uestienda, quanq; & omniū fermè opinionem expectationemq; & atq; adeò seipsum superauit: attamen cùm ille in suis de rerū inuentoribus libris demonstrauerit, nullam olim artem quæ futura esset excellentior, intra suum stetisse initium, quòd nihil propè sit simul & inuentū & perfectum, ex eo uoluit eam ipsam historiam regustare, polire, locupletare, id quod biēnio pòst, hoc est, anno M.D.XXXVI. primū, deinde etiam LIIII. nauiter fecit, salua tamen ac incolumi illa prisca integritate maiestateq; ueritatis historiæ. Quare optime Lector accipies hoc opus perfectū, quo abhinc sexcētos, ut uetus ille dinumerandi modus usitatus doctis usurpetur, annos, nō aliud in eo scriben di genere, haud forsitan temerè dices, latinius elegantiusq; compositum fuisse: atque istuc est tibi testatum, quò posses meritò gaudere seculum nostrum tandē aliquādo elocutione latina passim purè emendata plenè florere. Quapropter in hac equidem parte uel ipsa Anglia non minus felix censenda est, quòd talem rerum suarum gestarum scriptorem primum habuerit.

AD INVICTISSIMVM ANGLIÆ, FRANCIÆ, HYBERNIÆQVE Regem, fidei defensorem, HENRICVM octauum, POLYDORI Vergilij Vrbinatis in Anglicam historiam suam procœmium.



IAM INDE *ab initio rerum humanarū, cunctis mortalibus,* HENRICE *Rex maxime, gloriam uirtutis, rerumq; gestarum memoriā perpetuandi cōmune studium fuit: hinc sanè urbes conditæ, illisq; conditorum nomina impositа: hinc statuæ repertæ, hinc pyramidū moles, multaq; id genus magnifica opera extructa sunt: hinc item fuere semper, qui non dubitarint patriæ tuendæ causa, etiam immaturam oppetere mortem. Ea tamen omnia cùm temporis curriculo partim corruerent, partim obliuione obscurarentur, deinde homines cœperunt & ipsa opera & facinora celebrare literis, quæ usq; eò sempiterna reddiderunt omnia, ut postea pro se quisq; benefacta pariter imitanda, atq; malefacta multò diligentissimè declinanda curarit: quandò historia ut hominū laudes loquitur & patefacit, sic dedecora non tacet, neq; operit. quæ idcirco ad uitæ institutionē longè utilissima censetur, quòd alios ob immortalem gloriam consequendam, ad uirtutem impellat, alios uerò infamiæ metu à uitijs deterreat. Hæc scilicet una propè res est, quæ ad summam laudem regni tui Angliæ desiderāda uidebatur: quod cùm rebus omnibus beatissimū sit, etus tamen magnitudo in bene multarū gentium ignoratione erat, quòd nulla fermè extaret historia, qua cognoscere liceret, quæ Britanniæ, quæ nunc Anglia est, soli natura, quæ gentis origo, qui Regum mores, quæ populi generatim uita, quibus artibus à principio tantum comparatum atq; auctum imperium, ad eam adspirasset magnitudinem. Quamuis Bedas homo Anglus, ab aduentu Caij Iulij Cæsaris in insulam, usque ad sua tempora, qui floruit circiter annum salutis humanæ* DCC, *res gestas breui admodū opusculo perstrinxerit: & ante eum, Gildas aliquid lucis attulerit Britannorum antiquitati: ac de ea post illos, quidam alta prodiderint, quæ etiam nunc tenebris circunfusa dilucere nequeunt: atq; ad extremum, nonnulli alij negocium suscepe-*
rint de rebus in dies propè singulos gestis scribendi. Ii autem confecerunt an-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nales, in quibus tanta cùm dispositionis, tum orationis omnis ieiunitas inerat, ut meritò uiderentur cibus, sicut aiunt, sine sale: ueruntamen tales erant, qui si cum aliarum gentium, cum quibus rerum aliquid Anglis aliquando fuerit, historijs conferrentur, omni no materiã noui operis fabricandi suppeditare possent. Quare percepta, ego, qui me tampridẽ ad inuestigandas ueterũ res dederã, cœpi illos ipsos Anglorũ ac aliarũ gentium annales accuratius euoluere, legere, haurire, & exscribere, quæ ad confectionem nouæ historiæ pertinerẽt. Et quia haudquaquã facilè duximus latinè scribere, atq; unà scribendi materiã colligere, ea de causa mihi constitui primũ undecũq; argumentũ quamuis rude, nudumq; sumendũ, quod postea cùm tempore minus excluderer, possem scienter ornare, & oratione uestire. Ita nobis ab ouo, uti dicitur, rursus incipiendum fuit, qui hanc tandẽ aliquando historiã negotio equidem haud paruo contexuimus, quam ex eo, Anglicam appellare libuit, quòd tale hodie est maioris partis insulæ nomẽ, & eius imperium longè maximũ. Cæterùm historia ut non exiguo tempore absoluitur, ita iam absoluta atq; diuulgata, non uno item momento fidem, gratiam, autoritatem sibi colligit, apud eum præsertim populum, cuius res gestæ perdiu in occulto fuerint. Nam sic accidit, ut permulta interim de auis audiant nepotes, eaq; à nepotibus diuulgata, licet senum somnia sint, credantur. Ex quo, si quis scribendo illa prætermiserit, bone Deus, quantum populi sermone uapulabit? Verùm cum postea quis legerit (legerit aũt unusquisq;, quem patriæ decus ac honor delectabit) & rerum causas, temporum rationes, facta, declaq; maiorum noũerit, tum uelit nolit adducetur, ut nouam historiam probet, laudet, in cœlum ferat. Ita tempus & ratio uni alteri ue rei autoritatem facit. Tale quid nostræ Anglicæ historiæ usu uenturum non sanè ambigimus: mirabitur enim fortasse Anglus, faciet idem Scotus, atq; Francus, cùm non parum multa in ea uiderint, contrà quã uulgò dicerentur: & alia, quæ eorum scriptores non attigerint, aut aliter prodiderint. sed cum illam regustarint, dubio procul intelligent anules fabulas minimè cum uero consentire, & amorem patriæ suos interdum autores spoliasse iudicio, priuasse intelligentia, orbasse sensibus: id quod in nos cadere non potuit, qui proinde nullius auribus inseruiuimus: & demum cognita ueritate, non poterunt nõ probare historiam sanctè & syncerè confectam. Et istud in primis tu potentissime Rex, unà cum omnibus tuis generatim Anglis, æquabiliter, si pro tua gratia, grauitate, & sapientia facere nõ grauabere (nõ grauaberis autẽ confido) tum mihi profectò tot annorũ, quos in hoc scribendo opere cõsumpsi, laboris fructũ amplissimũ accepisse uidebor. Quapropter minus dubitaui ipsum opus primũ omniũ tuæ subijcere censuræ, cùm præsertim tu rectum omnino gestarũ rerum æquè ut gerendarũ scias iudiciũ facere, quippe qui ad imperiũ & iustitiam natus, magna præditus es prudentia, literis q; pariter diuinis atq; humanis apprimè eruditus, cunctas bonas calles artes. Ac ita tua singulari uirtute non modò eorum Principũ qui hodie sunt, gloriã, uerumetiã omnis antiquitatis memoriã facilè superas. Atqui & in ista historia aliquid erit, quo haud mediocriter delecteris, quandò ex ea cognoscas licebit instituta tuorum, quibus usque ab origine gentis, iuxtà priuatis atq; publicis rebus sit continenter consultum. Vale. Londini, mense Augusto,

M. D. XXXIII.

POLYDORI Vergilii Vrbinatis Anglicæ historiæ lib. I.

BRITANNIA omnis, quæ hodie Anglia & Scotia duplici nomine appellatur, insula in Oceano contra Gallicũ litus posita, diuidit in partes quatuor: quarum unam incolunt Angli, aliã Scoti, tertiã Valli, quartam Cornubienses. Hi omnes uel lingua, uel moribus seu institutis inter se differũt. Anglia ab Anglis, qui eam occupauerãt, ita nuncupata, pars longè maxima, in nouem & triginta diuisa est conuentus, quos uocant comitatus: ex quibus, decem, Cantiũ, Suthsexia, Surra, Suthantonensis, Bercheria, Vuilceria, Dorcestria, Somersetus, Deuonia, & Cornubia, primã insulæ partem continent, quæ ad meridiem uergens, inter Thamesim & mare intercedit. Deinde usq; ad Trentam amnem, qui per mediã labitur Angliam, sexdecim ponuntur comitatus: quorũ sex superiores ad ortũ solis sunt, Essexia, Midelsexia, Hertefordiensis, Suthfolchia, Northfolchia, Cantabrigiensis: decem posteriores magis mediterranei, Bedfordiensis, Huntyngtona, Buchyngamiensis, Oxoniensis (tametsi huius pars citra Thamesim producitur) Northantonensis, Rotelandia, Lecestrensis, Notyngamiẽsis, Varuicensis, & Lincolniensis. Post hos, sunt sex, qui ad Vualliam, occidentemq;

Anglia ut hodie sita descripta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſolem ſpectant, Gloceſtrēſis, Hereſordenſis, Vigornienſis, Salopienſis, Staffordienſis, & Ceſtrenſis. Circa regionis umbilicū ſequitur Darbienſis, inde Eboracenſis, Lancaſtrenſis, & Cumbria, ad læuam in occidentem uerſus, ac Vueſthumbria: at contrà Dunelmenſis, atq; Northumbria, hæc ad aquilonem conuerſa, ad agrum Scoticum pertinet. Hi comitatus in ſeptendecim diuiſi ſunt pontificales iuriſdictiones, quas græcè dicūt diœceſes, quæ ab ijs ita terminantur: Cantuarienſis enim diœceſis unà cum Roffenſi ſiue Roceſtrenſi, complectitur Cantium comitatum in primis. Londinenſis Eſſexiam, Midelſexiam, partemq; Hertefordienſis, Ciceſtrenſis Suthſexiā. Vintonienſis Suthantonenſem, Surrā, & Vectam inſulam. Sarisberienſis Dorceſtriā, Bercheriam atq; Vuilceriam. Exonienſis Deuoniam & Cornubiam. Bathonienſis & Vuellenſis ſimul cōiunctæ, Somerſetū. Vigornienſis Gloceſtrenſem, Vigornienſem, & partem Varuicenſis. Hereſordenſis partē Salopienſis, ac Hereſordenſem. Conuentrenſis & Lichefildenſis unà copulatæ, Ceſtrenſem, Staffordienſem, Derbienſem, atq; reliquam partē Varuicenſis, & Salopienſis, ac Lancaſtrenſis partem, quæ pertinet ad Repillū fluuium. Lincolnienſem omnium maximam octo terminăt comitatus, qui inter Thamesim & Humbrū interiacent, hoc eſt, Lincolnienſis, Northantonenſis, Leceſtrenſis, Rotelandia, Huntyngtona, Bedfordienſis, Buchyngamienſis, Oxonienſis, ac pars reliqua Hertefordienſis. Elyenſem Cantabrigienſis, ipſaq; Elys inſula. Nordouiceenſem Suthfolchia, atq; Northfolchia. Et hæc prouincia Cantuarienſis archiepiſcopi, qui totius Angliæ eſt primas, cum Vuallia, quæ quatuor habet diœceſes, ut infrà dicetur. Item Eboracēſis diœceſis Notyngamienſem, Eboracenſem, & partem Lancaſtrenſis: Dunelmenſis ipſum Dunelmenſem, atq; Northumbriam: Carliolenſis uerò Cumbriam, Vueſthumbriamq; continet. Atq; iſta altera prouincia, Eboracēſis archiepiſcopi, qui & Angliæ primas eſt, ac etiam totius Scotię diutiſsimè fuit, quemadmodum alibi dicemus. At eiuſmodi diœceſes ab urbibus nominantur, in quibus ſedes ipſæ pontificales ſunt locatæ, quarum princeps eſt Londinū, ubi idcirco à principio archiepiſcopi ſedes fuit: ſed de eius translatione ad Cantuariam urbem Cantij, loco perappoſito alibi demonſtrabit: nam Londinū in Midelſexia comitatu ſitum eſt, ad ſeptentrionalem ripam Thameſis. Is fluuius amœniſsimus oritur parum ſupra Vinchelcombiā uicum, paſsimq; fluentis auctus primùm Oxonium, deinde mira lenitate Londinum ipſum alluit, in Oceanumq; Gallicum erumpit, immani exceptus eius maris æſtu, qui bis XXIIII horarum ſpatio, fluit, atq; refluit, amplius LX paſſuum millibus, permagno mortalium commodo, quòd res uenales per eum facilè ad urbem uehuntur. In eo eſt pons Londini lapideus, opus certè mirabile: etenim XX ſtant ex lapide quadrato pilæ, altæ pedes LX, latæ XXX, diſtantq; inter ſe, circiter pedes XX, fornicibus iunctæ. Suprà utrinq; domus ſunt ita poſitæ, ut perpetuus fermè uicus, non pons eſſe uideatur. Hanc autē Angliam primam Britanniæ partem ab ortu & auſtro, Oceanus: ab occaſu ſolis, Vualliæ & Cornubiæ fines: à ſeptentirone, Tueda flumen, quod flumen diſcriminat Anglos à Scotis, terminat. Hîc ad Tuedam, finitur omnis eius longitudo, quæ à litore, quod contra meridiem eſt, incipit, & illuc uſq; producitur, circiter millia paſſuum CCCXX. Iſta præ alijs felix citra Humbrum

brum flumen, nam ultra montoſior eſt: quanquam à longe proſpicientibus admodum plana uidetur, attamen frequentes colles habet, & illos quidem magna ex parte, nullis arboribus ueſtitos, amœniſsimasq; ualles, in quibus homines præſertim nobiles domicilia habent, qui more ſuo peruetuſto, nō urbes, ſed uallium & fluminum propinquitates petunt, uicatimq; habitant, uitandi, opinor, uehementiores uentorum flatus cauſa, quòd inſula ſuapte natura uentoſa ſit. Vnde fit, ut agreſtes ex nobilitatis cōmercio, cùm illa rurì habitet, urbanos paſsim imbibant mores, ac ciuitates minus ſint celebres. Humbrus autem parum cis Eboracum ortus, in auſtrum ſtatim conuerſus, inde in orientē ſolem curſum tenet, in Oceanūq; ſeſe immittit, auctus in primis Duno, & Trenta. Hic haud longè à Staffordia, fontem habet, qui peragrato Derbienſi ac Leceſtrenſi agro, Lichefildiam & Notyngamiā alluens ad dextram fluit, ille uerò ad ſiniſtram. Ita Trenta & Dunus ambo inſulam faciunt, quæ Auxolmea uocatur, ac inde coniuncti citra Kyngeſtonum oppidum, quod Hullum appellant, mercatorum conuentu celebre, influunt in ipſum Humbrum, quò ex Gallia, Germania, Dacia, æquè cōmodus ac tutus eſt acceſſus. Terra uerò frugifera, pecore maximè abundans. Quo fit, ut Angli quaſi plures pecuarij, quàm aratores ſint, quòd magis fermè pabulo q; aruo colendo ſtudeant, ſic ut tertia propemodum terræ pars tantum pecori, aut ceruis, damis, capreolis, nam & ij quoq; in ea parte ſunt, quę ad ſeptentrionē eſt, cuniculisúe nutriendis relicta ſit inculta: quippe paſsim ſunt eiuſmodi ferarum uiuaria, ſeu roboraria, quòd lignis roboreis ſint clauſa: unde multa uenatio, qua ſe nobiles cum primis exercent. Atq; hæc prima Britanniæ pars, ut ne longum faciam, quandò de eius ſitu infrà, & paſsim toto opere plura appoſitè dicemus.

Scotia altera Britanniæ pars (de qua hoc loco fuſius dicendum duxi, quò deinceps nihil eſſet, quòd de eius ſitu mentio fieret) à Grampio olim monte incipiebat, ad extremū limitem in ſeptentrionem producta: ſed poſt deletos Pictos, ad Tuedam flumē, interdū uſq; ad Tinam patebat, ita belli fortuna, ut cuncta alia, uariante. Igitur eius longitudo à Tueda, ad ultimū limitē, exiſtimatur eſſe CCCCLXXX millium paſſuum. Sed quò Scotia longior Anglia, hoc anguſtior, quia in cuneum deſinit. Grampius enim mons informis & aſper, de quo uel Tacitus in Iulij Agricolę uita meminit, per mediam Scotiam, à Germanico litore, id eſt, ab oſtio Deæ fluminis, ad Hybernicū excurrit, uſq; ad lacum, quem uocant Lomundum, qui eam oram, ac montē ipſum interiacet. Secundum Tuedam, qui parum ultra Roxburgū, ex monticulo ortus, Germanico miſcetur Oceano, à meridie, regio ſequit, quam appellāt Merchiam, hoc eſt, Anglorū Scotorumq; regni terminū. Hanc à Northumbria ultima Angliæ regione, quæ ad Oceanum ſpectat Germanicū, Tueda ſeparat, cuius princeps oppidū eſt Beruicū, quod memoria noſtra Anglus tenet. Hoc quondam Ordolucārū oppidum fuiſſe dixerim. Ab occidente uerò Scotiæ limes aliquando Cumbria fuit, quā ab Annandia ualle diſcriminat Solueus amnis. Inter has duas regiones, mōs Cheuiota interius eminet. Finitima Merchiæ eſt Pictlandia, hoc eſt, Pictorū terra, nūc Laudonia nuncupata, quę ad orientē ſolem uergit, admodū mōtoſa, nulliſq; fermè arboribus ueſtita. Oppida in ea celeberrima Doumbar, Hadintona, Letha, Norh

Scotiæ deſcriptio particularis

Universidad de Deusto
Biblioteca

berticum,& Edinburgum regia ſedes, ibi Puellarũ caſtellum arx multò firmiſsima. Hanc irrigat Forthea flumẽ, quod dum in Germanicũ fertur oceanũ, ingẽtia efficit æſtuaria, mare Scoticũ uulgò dicta: in quibus præter alias, inſula eſt diuo Columbę ſacra, nomine Aemonia. Id rurſus flumen diuidit à Laudonia, regionem proximã rerum omniũ fertilem, Fifam uulgus nominat, in qua permulta ſunt oppida, Doufermilis, Cuprum: ſed illud egregium Fanum Andreæ, gymnaſio celebri, ac ſede archiepiſcopi totius Scotiæ primatis, nobile. Contrà ad Hybernicã oram, ſeptentrionem uerſus, Nidiſdalia, à flumine quo alluitur ita appellata, ubi oppida in primis munita Douglaſſum,& Doufreium. Ad meridiem adhæret Gallouidia, pabulo pecoris quàm tritico melior: ibi Candidacaſa, templumq́ peruetuſtum diuo Niniano ſacrum, ac epiſcopali ſede ornatũ. In eo tractu propter Victonã oppidũ, eſt lacus miræ naturæ, quòd altera pars hyeme gelu cogatur, altera nõ item. Inde Caricta, clara quondã Carictonio oppido, unde fortaſſe nomẽ habet. Supra Carictam, Elgouia (ita Ptolemęus uocat) ad occidentẽ, Oceanũ attingit: in ea lacus Lomundus admodũ amplus, quippe qui plures in ſe cõtinet inſulas, ad radices Grampij mõtis ſitus: à quo haud plus octo milliarijs, abeſt Doumbritonũ caſtellũ, ubi loci Bodotria flumẽ, quod Leuinus nunc dicitur, intrat in Glotã amnẽ: de quo poſtea plura. At longo ſpatio citra Grampiũ, Taus flumẽ totius Scotiæ maximũ ex lacu cui idem eſt nomẽ, oriẽ, quod per Atholiã & Calydoniã labens, multa alluit loca,& cum primis Perthũ oppidũ, quod aliò translatũ, nũc Fanum Ioannis nominat: ac poſtremò prope Deidonũ, olim Alectum dictũ, in mare Germanicũ erumpit, ad oſtiumq́ efficit æſtuaria longè maxima, de quibus Tacitus mentionẽ facit. Contra Taũ Anguſia eſt, à quo irrigatur regio lęta, ac à Fifa dirimitur. Huic ad aquilonẽ uicina Atholia, cùm aquis, tum ubertate terræ nõ infeliciſsima. Ex altera parte Argatelia ſeſe oſtendit, quæ lacubus plena, magis pabuli quàm frugũ copiam ſuppeditat, cuius ora extrema uſq́ eò ad Hyberniã porrigitur, ut uix millia paſſuũ XVI ab ea diſtet: ubi promontoriũ, quod Terræcaput uocãt. Hanc olim maritimã oram Silures latè tenuiſſe, teſtat Plinius libro quarto, cùm de Hybernia loquitur, ita ſcribens: Super eam hęc ſita abeſt breuiſsimo tranſitu à Silurum gente XX millia paſſuũ. Inter hanc & Elgouiam, ad occaſum ſolis, iacet Sterlyngius ager, ab oppido eo loci ſito ita nuncupatus. Hîc Calydonia ſylua ex latere occidentis incipiebat, quæ latè longeq́ introrſus diffundebat. Gignit ea ſylua boues candidos, inſtar leonũ iubatos, qui adeò feri ſunt, ut domari nõ poſsint: ſed quia caro grata palato humano eſt, ferũt omne penè eorum genus extinctum. Item ibi Calydoniũ caſtrũ, ad Taum ſitum, quod Doucheldinum dicitur. Ex monticulo eius ſyluæ oritur Glota, qui in Hybernicũ Oceanũ lato illabit aluco: nam radicibus montis Grampij quaſi repulſus, ac in auſtrũ uerſus immani excipitur maris æſtu, ſic, ut (teſte Tacito) Romanis uiſa ſit ultrà, alia eſſe inſula. Ab eo amne Glotæuallis nomen inuenit, quã ille perfluit, in qua eſt urbs nomine Glaſguẽſis, academia nobilis. Rurſus ad orientẽ ſolẽ iungit Anguſiæ regio & ipſa maritima Mernia, in qua Fordunũ oppidũ ſitu ualde cõmunito, celebre diui Palladij Scotorum apoſtoli reliquijs. Ex eodem latere Marria eſt inſignis urbe Aberdonia, inter duos ſita fluuios, Donam,& Deam, quæ uel gymnaſio illuſtratur.

Deinde

Deinde Morouia ſequitur, quã duo ſepiunt inclyta flumina, Neſſa & Spea. Ad huius oſtium, ſitum eſt Elgis oppidum: circa uerò illius ripas, immenſæ ſunt ſyluæ omnis ferarum generis plenæ. Item lacus quem Spinam dicunt, olorum copia refertus. Intus uerò mediterraneã partẽ latè continet Roſsia, ad extremum angulum protenſa, quippe quæ utrunq́ attingit Oceanum,& quo magis ad orientẽ pertinet, hoc cultior eſt. In ea ſinus eſt maris, ſic interdum nauigantibus peropportunus, ut Salutis portus uulgò uocitetur. oppidum, Thana. Terminus autem inſulæ perbreuis eſt, nam in cuneum deſinens uix XXX paſſuum millibus patet, qui tribus munitus promontorijs quaſi arcibus, magnos ab ſe Oceani impetus cõtinenter arcet,& duobus cinctus ſinibus, quos ipſa includunt promontoria, aditus habet, in quos placidas recipit undas. Hodie eam terræ anguſtiam Cathaneſiã uocant, ad Deucalidonicum mare conuerſam. Hæc particulatim.

At terra Scotia paſsim portus habet tutos, & aditus marinis aquis peruios, item lacus, paludes, fluuios, fontes longè pleniſsimos piſcibus, necnon montes,& in ſummo montium æquatam agri planitiem, pecoris pabulũ uberrimè ſuppeditantem, ſyluasq́ feris plurimum abundantes. Quorum illa locorum cõmoditatibus etiam ſuſtẽtata, minus unquã deuinci potuit, cùm ad ſyluas & paludes præſtò ubiq́ gentium ſit profugium,& ad famem tolerandam, ferinæ carnis atq́ piſciũ paſtus. Circum Scotiã, in Hybernico mari ſunt amplius quadraginta inſulæ, à Plinio Britanniæ dictæ, quas alij Meuanias, alij Hebrides appellant. Harum plures in longitudinem, minimum patent millia paſſuum XXX. in latitudinẽ uerò haud plus XII. In ijs Iona eſt, ueterum Scotorum regum ſepulchris clara. Incolæ autem omnes Hybernicè loquuntur, id quod declarat eos ab Hybernis originem ducere. Vltra Scotiam, ſeptentrionẽ uerſus, Orchades inſulæ ſunt numero, autore Ptolemęo, XXX. partim in Deucalidonico, partim in Germanico ſitæ Oceano: quarũ caput uocant Pamoniã, quòd in ea locata ſit epiſcopalis ſedes: quæ ſub Scoti regis imperio ſunt. Inſulani lingua utunt Gothica, quod arguit eos à Germanis oriundos. Statura ſunt procera, ſemper ſano fermè corpore pariter atq́ mente, quò fit, ut multò longiſsimã degant ætatem, etſi piſcibus ut plurimum uictitant: nam terra cõtinuo propemodum frigore obſita. multis in locis uix frumentum fert, arborem uerò penè nullam. Poſt Orchades Thule eſt, quam nunc Ilam dicunt. Ab ea unius diei nauigatione, ut ait Plinius, mare concretum, in quo Islandia eſt, ad quam etiam nunc mercatores noſtri piſces emendi piſcandiq́ cauſa, in ſingulos annos, æſtate commeant. & quia in Arcton uerſus ultima eſt, idcirco ſunt, qui eam Thulen eſſe arbitrentur. Et hæc dicere habui de Scotiæ ſitu: nunc de natura & moribus gentis.

Scoti qui auſtralem incolunt partem multò meliorem, benè morati ſunt, & ut humaniores lingua utuntur Anglica: & cùm raræ hîc ſyluæ, ignem faciunt ex lapide nigro, quem ex terra effodiunt. Alterã aquilonarẽ ac montoſam tenet genus hominum longè duriſsimũ ac aſperũ, qui Sylueſtres dicuntur: hi ſago & interiore tunica Hybernico more, tincta croco amiciuntur, nudiſq́ genu tenus tibijs, incedunt. Arma ſunt arcus & ſagittæ, cum enſe admodum lato,& pugione una tantum ex parte acuto. Omnes Hybernicè loquuntur: quorũ uictus in piſcibus, lacte, caſeo, & carne cõſiſtit, quapropter

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnum pecoris numerũ habent. Differunt ab Anglis Scoti legibus, & institutis, quia isti ciuile ius usurpant, uti cæteræ fermè gentes: illi uerò, quemadmodum infrà demonstrabitur, municipale tantum habent. Quędam alia non dissimilia sunt: lingua, sicut dictũ est, eadẽ: idem habitus corporũ, eadẽ in bello ferocia, ac nobilitati idem à pueris uenandi studium. Domicilia ruri angusta, stramẽtis aut palustri arundine tecta, in quibus ipsi pariter ac pecora ueluti in stabulis manent. Oppida, extra Fanum Ioannis, nullis cincta muris, sic, ut illud animorũ magnitudini assignandũ censere posses, quòd omne uitæ præsidiũ in sola corporis uirtute ponãt. Valent itẽ ingenio, id quod doctrina declarat: nam ad quancunq; se applicant artem, in ea facilè proficiunt. At quibus socordia, pigritia, inertia cordi est, ij apprimè laboris fugientes, etiam in summa egestate, nobilitatẽ iactitant, perinde quasi ingenuo homini honestius sit egere, quàm sese in arte aliqua unde uictum quærat, exercere. Cæterum Scoti pij religionis cultores generatim habentur.

Vallię descriptio

Vuallia tertia pars insulæ iuxta umbilicum Angliæ, ad læuam iacet, quæ instar sinus, quasi peninsula intra Oceanum, excurrit, à quo circunquaq; cingitur, prætercq; ab ortu, ubi Sabrina flumine terminatur, quod Vuallos ab Anglis separat. Quamuis nõnulli recentiores sint scriptores, qui ponãt Herefordiam urbem terminũ, uti suprà diximus, inter Vualliam & Angliam, uelintq; Vualliam initium capere apud oppidũ, quod Chepstolliũ uocant, ubi loci amnis nomine Veius, Luggo fluuio auctus, ac Herefordiã pręterlabens in mare influit. Is in parte Vualliæ mediterranea, ex eodẽ monte, haud scio an ex eodem etiam fonte, atq; Sabrina oritur, quem Corn. Tacitus, sicut alibi ostendemus, Antonam appellat. Nam illuc usq; pertinet ingens maris brachium, quod ab occidente terram intrans, ad dextram Cornubiã, ad læuam Vualliam abluit. Quam quidem topographiam etsi recentiorẽ, sequi non piget. Igitur Vuallia à Chepstollio oppido, ubi initiũ sumit, recta ferè linea, parum supra Salopiam, usq; Cestriam oppidũ, septentrionẽ uersus extenditur. In hanc Britannos illos, qui post amissam patriã ex cædibus superfuerant, se ad extremũ recepisse memoriæ proditũ est, illicq; partim montiũ, partim sylуestriũ locorũ ac paludũ, è quibus ea regio maximè constat, perfugio, tutas sedes sibi locasse, quas etiam nunc tenent. Hanc terrã deinde Angli Vualliã, & ipsos Britannos eius incolas homines Vuallos dixerunt: nam apud Germanos Vuallsman, significatur peregrinus, incola, hospes, aduena homo, hoc est, qui aliam à Germanis habeat linguã: Vuall enim eorum lingua uocatur externus, qualis est Italus, uel Gallus, qui lingua differũt à Germanis: Man uerò, homo nuncupatur. Angli igitur Germanię populi Britannia potiti, Britannos qui ex eo patriæ excidio euaserant, patrio more appellarunt Vuallos, quòd aliam ac ipsi haberent linguã: & ipsam terrã quam habitabant, Vualliam: quod nomẽ deinde tam genti cq; terræ remansit. Ita Britanni cum regno, nomen amiserunt. Hæc est uera Vuallici nominis ratio & origo, quam ante me, quod sciã, nemo homo cõperit. Qui uerò illud nomen à rege, siue illorũ regina ita appellata, sumptũ tradũt, haud dubiè hallucinantur. Regio agrum habet oræ maritimæ & aliorũ locorũ ubi planicies est, fertilissimũ, qui cùm pecori herbę tum hominibus frugũ permagnã suppeditat copiã, at alibi magna ex parte sterilẽ, ac minus fructuosum, propterea quòd cultione

cultione caret: unde fit, ut agrestes uitam duriter degant, qui panem auenaceum edunt, atq; lac aquæ admistum serumq; bibũt. Sunt oppida plura, cum arcibus munitissimis: & diœceses episcopales numero quatuor, si Herefordensis in Anglia, ut ostensum est, secundum descriptionem recentium, ponatur. Primus episcopatus est Meneuensis, à Meneua dictus. Hanc hodie uocant Fanum Dauid: urbs quidem antiqua est, & in litore sita, quod cõtra Hyberniam insulam ad occidentem spectat. Alter Landauensis, tertius Bangoriensis, & quartus Assauẽsis: qui omnes Cantuariensi archiepiscopo subsunt. Vualli linguã habent diuersam ab Anglis, quam ipsi qui ad Troianã stirpem sui generis seriem referunt, partim Troianam, partim & Græcam sapere uetustatem aiunt: uerùm qualiscunq; sit, non æquè suauiter molliterq; Vualli, atq; Angli linguam suam pronuntiant, eò quòd illi, credo, magis prope gutturloquantur, contrà isti Latinos rectè imitantes, parum intra labia uocem exprimant, quæ audientibus suauem reddit sonum. De Vuallia tertia Britanniæ parte hæc pauca habui dicere.

Cornubię descriptio

Sequitur quarta & ultima pars, quam Cornubiam appellant. Hæc ab eo latere insulæ incipit, quod uergit ad Hispaniam, atque occidentem solem, & in orientem uersus patet millia passuum xc. parumq; ultra Fanum Germani extenditur, qui quidem pagus est ad dexteram in litore ualde celebris, ubi loci eius maxima latitudo est x x. millium passuum. Nam hæc particula terræ ad dexteram litore Oceani, ad læuam, illo brachio maris, quod, ut diximus terram intrat, usq; Chepstollium, distringitur, & formam cornu accipiens primò angusta, deinde latior excurrit, parum ultra ipsum Germani Fanum. Ab oriente finitima est Angliæ, ab occasu austro, & septentrione Oceanum circunfluum habet. Terra admodum sterilis, fructum magis ex cultorum industria, quàm ex sua bonitate præbet: sed fert uberius plumbum nigrum & album, hoc est, stannum, in quo effodiendo maximè consistit uita incolarum. In sola hac insulæ parte, etiam ad hoc tempus perdurat natio Britannorum, quæ à principio ex Gallijs aduecta insulam occuparat, si illis credimus, qui, ut infrà ostendetur, memoriæ prodiderunt, ex Armoricis ciuitatibus primos Britanniæ habitatores esse oriundos. Huius rei argumentũ est, quòd qui Cornubiam incolunt, eandem habent linguam, atq; utuntur etiam nunc in Gallijs illi, inter Britannos, quos Britones Britonantes uocitant. Facit etiam fidem antiquissimus annalium codex, in quo inueni scriptum, non Cornubia, sed Cornugallia, ut inde compositum sit nomẽ, à cornu, cuius, uti demonstrauimus, hæc regio formam habet, & à Gallia, à qua primos accepisset incolas: cuius quidem nominis ratio neutiquam displicet. Lingua autem ipsa longè diuersa est ab Anglica, cum Vuallica uerò nonnihil affinitatis habet: quoniam multa sunt rerum uocabula in utraque lingua communia. Illud tamen interest, quòd loquente Vallo, Cornubiensis homo magis multa uerba, quàm totam eius sermonis elocutionem percipit. Quo manifestum fit, hos tres populos perinde inter se non intelligere, ac Scotos meridianos à septentrionalibus lingua differre, suprà ostendimus: id porrò, quod admiratione dignum censeri potest, ut in una atque eadem insula, tanta sit linguarum uarietas. Cornubia, siue Cornugallia Exoniensis est diœceseos, quæ olim digna fuit, ut in quarta insulæ parte haberetur, cùm propter dissimilitu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinem linguæ, tum quòd primos eius habitatores accepisset, ut dictum est. Postea Normani, qui regnū de integro constituerunt, Cornubiam in comitatibus esse uoluere. Hæc particulatim de diuisione Britanniæ, prius proponere placuit, ut eius corpus per membra iam penè cognitum quale esset, facilius deinde demonstraremus: quod huiusmodi est.

Britanniæ descriptio.

Formam totius Britanniæ triquetram, hoc est, triangularē esse liquidò liquet, quippe quę tres habet angulos, triaq; latera. Quorum laterum duo, alterum, id est, quod ad ortum, alterū quod ad occasum spectat, in septentrionē utrinq; procurrentia longissima sunt. Tertiū latus quod ad meridiem uergit, longè illis breuius est, quia insula multò magis longa est, quàm lata: & ut illa eius longitudinē, sic hoc latitudinē, uti infrà ostendetur, sequitur, ubi loci ipsa insula lata incipit, & aquilonem uersus angusta desinit: cuius primus & dexter angulus cōtrà orientē solem est in Cantio, ad Douerū, & Sanduicū portum, unde est transmissus XXX millium passuū, in Galliam, ad Caletum, aut Bononiā, oppida litoris Gallici, inter se milliaria uiginti distantia, quò naues ferè omnes accedunt. Hīc ad Caletum oppidum, siue ad Bononiam, uti uulgi opinio fert, Icius est portus, cui hodie idem fermè atq; oppido nomen manet: nam Calicius portus dicitur, ut nomē ex oppido Caleto, cui adiacet, auctum uideatur. Vbi etiā haud uno uel altero procul ab oppido, olim fuerat Gessoriacus pagus, teste Plin. lib. iiij. cap. xvij. ad quem Claudius Cæsar, uti Tranquillus ait, ex Massilia contendit, ut inde in Britanniam transmitteret: quod fidem facit, ex eo pago perinde transitū in insulam id temporis fuisse, ut nunc quoq; est è Bononia oppido non uticq; peruetusto. Sed ad rem. Ab hoc angulo latus insulæ, quod cōtra Galliam est, excurrit ad tertiū angulum in septentrionem uersus, qui in Scotia est, & ad Germaniam spectat, cui parti nulla est obiecta terra, ubi loci insula uelut in cuneum attenuatur, in istiusmodi angulum. Litus aūt huius lateris admodum importuosum, cuius longitudo est circiter millia passuum DCC. Rursus ab isto primo angulo Cantiano, alterum & contiguū latus quod ad meridiem uergit, contra occidentē protenditur, usq; ad alterum angulum, qui in læua parte insulæ situs, extremo Cornubiæ litore terminatur. Hoc latus est quasi frons & facies totius insulæ, quæ per hunc tractum, passis ad utrunque angulum brachijs, latum pectus ostentat, nanque hīc latissima est, quippe quod à Douero, usq; ad Fani Michaëlis promontorium, quod in ultimo Cornubiæ litore imminet, esse in longitudinem millia passuum CCC arbitrantur: quo in latere frequentes ac celeberrimi sunt portus, tutissimæq; nauium stationes. Postremò ab hoc læuo & altero angulo, tertium latus incipit, quod ad Hispaniam, occidentemq; solem uergit, qua ex parte Hybernia est, inter Britanniam & Hispaniam sita, atque per curuum reflexumq; litus, propter Vualliam, quæ interest, extenditur ad ipsum tertium angulum, in aquilonem uersus, spatio DCCC millium passuum, ubi loci finitur insula: ultra perpetuus est Oceanus. In eiusmodi latere portus tutissimi sunt, & inde transitus in Hyberniam, ad unius diei nauigationem: sed breuior ex Vuallia, ad Vatfordiam oppidum Hyberniæ maritimum, est, pari spatio, atq; ex Douero, Caletum, uel eo paulò plus: sed multò breuissimus ex Scotia, uti suprà ostendimus. Ab hoc angulo ultimo usq; Antonum, quod est oppidum maritimum cum portu eodem nomine nuncupato, contra

trà meridiem, & idcirco Suthantonum uocant, nam Suth meridies Anglicè dicitur, inter Cantianum & Cornubiensem angulos, omnem insulæ longitudinem recta linea metiuntur, dicuntq; esse DCCC milliariorum, sicut latitudo ex Meneua siue Fano Dauid, usq; ad pagum, quem Hyermuthum uocant, qui est in extrema parte insulæ, quæ ad orientem solem spectat. confici tur spatio millium passuum CC. nam insula, ut demonstratum est, lata ac patens est in latere australi, quod posuimus pro eius fronte, hoc est, initio, & desinit in angustum. Ita circuitus omnis insulæ constat non amplius octies decies centenis millibus passuum, atq; sic minus ducentis milliarijs, quàm Cæsar supputarat.

Dimensio Insulæ Vecti et Monæ.

Sunt circa Britanniam complures paruæ insulæ, uti suprà dictum est, & in ijs duæ quàm celebres, tenui freto ab ea distinctæ, inter se ferè magnitudine pares: una appellat Vectis siue Vecta, contra meridianū Britanniæ litus, à quo minimum distat circiter quatuor, alibi uerò septem, alibi XII passuum milliū interuallo. Formam eius scriptores antiquissimi quo similē tradunt: nam ab ortu, occasum uersus, oblongior est, spatio XXX millium passuum: latitudine uerò ab austro, in aquilonem uersus, uix duodecim cōplet. Habitatores habet Anglos, & illos quidē frequentes, ac Vintonienſis est diœcesis. Hanc olim Vespasianus missus in Britanniā à Claudio Imperatore, primus in ditionem Romanā redegit. Altera est Mona insula nominatissima, quam mutatione unius literæ, Manam uocāt, quæ ab aquilone Scotiam, ab ortu æstiuo Angliam, ab occasu mare Hybernicum habet propinquū. Hæc olim mari diſiūcta angusto, quoties decrescebat Oceanus, cuius magni fiūt omni tempore æstus, adeò prope terram erat, ut sine nauigijs adiri posset. Quod à Romanis aliquando factum, Cornelius Tacitus autor est, qui libro suarum historiarū xiiij. & in uita Iulij Agricolæ, tradit, primò Paulinū Suetonium, deinde ipsum Iulium Agricolam, Britanniæ legatos, Monam insulam incolis ualidā, & receptaculum perfugarū, armis domuisse: sed eam aggredi uolentes, depositis omnibus sarcinis, præmisisse lectissimos auxiliario rum quibus nota uada, & patrius nandi usus esset, & illos reliquū exercitum altiores inter undas adnantē secutum transmisisse, ac ita repentè stupefactos insulanos, qui classem, qui naues, qui mare expectabant, pacem ab Agricola petijsse. Sed, ut idem ait, haud tam paruo negocio Paulinus rem gesit, qui ubi superato freto ad insulā peruenit, subitò apparuit pro litore, diuersa insularū acies densa armis, uirisq;, intercursantibus fœminis, more furiarum, ueste ferali, crinibus deiectis, quæ faces præferebāt, ac Druides eorum sacerdotes interim circùm preces diras sublatis ad cœlum manibus fundebant. Hæc nouitas aspectus ita Romanos milites perculit, ut quasi hęrentib. membris, immobile corpus uulneribus præberent: uerum ad ultimum, cohortationibus Paulini ducis, & se ipsi stimulantes ne muliebre ac fanaticū agmen paueſcerent, intulerunt signa, commissoq; prælio, obuios strauerunt. Ita deuictis insulanis, Paulinus præsidium imposuit, eiusq; iussu excisi sunt luci sæuis superstitionibus sacri, in quibus insulani cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris cōsulere deos fas habebant. Iam satis cōmodè diuertimus. Hanc insulam ab initio Scoti tenuerunt, ad quos est breuior traiectus milliū passuum XXVI. memoria nostra, Angli pariter ac Hyberni habitant, qui-

Vide Iul. Agricola & Paulinum Monam oppugnant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus utraq; lingua cõmunis. Sed Derbiensis comes homo Anglus habet sua Sodorensi episcopali sede nobilem. Cæterũ uide, quid possit uetustas: insula nunc ab omni terra abest amplius XXV millibus, quæ quondam uix mille passus, procul erat: ex quo sunt, qui audeant affirmare, Monam esse eam, quam Angliseam appellant, quæ Vualliæ adiacet, estq; Bangoriensis diœcesis, cuius loci natura talis est etiamnum, qualem ex Tacito docuimus habuisse illud litus, quod inter Monam & continentem intererat. Attamen tale quid per angustiam loci, qui in circuitu uix est millia passuum XL. per sterilitatem terræ, per inopiam arborum frugumq; omnium, nõ tam hominibus licet somniare, quàm pecoribus, à quibus insula penè deserta & inculta continenter depascitur.

Sed ad Britanniã reuertamur, quam Angliam appellamus, ut qualis præsertim nostra tempestate sit, tandem explicemus. Cœlum crassum, in quo facilè nubes, imbres, uentiq; coguntur, atq; eo minus frigoris æstusq;, propter ipsius cœli crassitudinẽ. Noctes claræ, & in extrema aquilonari parte insulæ ita breues, ut finis atq; initiũ lucis exiguo discrimine internoscat. Dies æstate longiores: cuius rei ratio est, quòd insula propè sub ipso septentrionis uertice iaceat, circa quam sol æstate longè sub terris ad oriẽtem per plagas aquilonares rediens, diutius immoratur, sicut hyeme longè abest, cùm propius meridiem excurrit ad ortum. Ego obseruaui Londini, quæ urbs in australi insulæ parte posita est, noctem circiter solstitium æstiuum uix quinq; esse horarum. Regio ipsa quocunq; anni tempore, temperatissima, atq; cœli nulla grauitas, adeò ut rari sint morbi, & inde minor medicinæ usus quàm alibi: quapropter plures passim homines centum & decem uiuunt annos, nõnulli etiam centum & uiginti. Terræmotus hîc ferè nunquam, fulmina admodũ rara. Solum uerò fœcundum frugiferumq;, utpote quod absq; frumentis & leguminibus, cuiusq; generis materiam producit, præter abietem, & ut ait Cæsar, fagum: nunc tamen est passim fagus quoq;: item alias arbores, præter oleam, & cæteras id genus calidioribus terris oriri solitas. Vites in hortis magis umbræ, quàm fructus causa, passim crescunt, atq; uuam ferunt, quæ tamẽ nisi sequatur calida æstas, rarò maturescit. Seritur suo tempore triticũ, siligo, ordeum, auena: frumenta alia nõ habent: atq; leguminũ sola faba, & pisum. Fruges citò proueniunt, sed tardè maturescunt. causa utriusq; rei est, multus humor terrarum cœliq; simul. Frumẽta & legumina matura cum spicis ac siliquis, deferuntur in horrea, atq; usq; eò seruantur, dum ad usum excutere oporteat. Vinum, uti ostendimus, tellus non gignit: pro uino, ceruisia, quã ex ordeo cõficiunt, in usu est: potus certè assuetis tum utilis, tum iucũdus. Sunt uina ex Gallijs, Hispania, & Creta insula apportata. Nemora pomifera, etiã glandium amœnissima. Flumina quoq; pulcherrima, quæ agrum irrigant. Mirum dictu, sed uerissimum est, Thamesim, Humbrum, & nõnulla alia flumina non facilè augeri imbribus: quod ideo fit, quia terra suapte natura sabulosa multũ bibit aquæ. Colles passim multi, nullis arboribus consiti, nullisq; aquarum fontibus irrigui, qui herbam tenuissimam, atq; breuissimam producunt, quę tamen abunde ouibus pabulum suppeditat: per eos ouium greges candidissimi uaganẽ, quę siue cœli, seu bonitate terræ, mollia, & longè omniũ aliarũ tenuissima ferunt uellera: sed terræ sterilitati id cum primis, teste

teste Vergilio, assignandum est, qui libro Georg. iij. de ea re sic docet:

Si tibi lanicium curæ, primùm aspera sylua,
Lappæq; tribuliq; absint, fuge pabula læta.

Atqui cùm nunc Anglicana lana, ut diximus, multò sit pretiosissima, ueteres tamen scriptores de ea nihil meminerunt: nam Vergilius Milesiam ut optimam celebrat, in iiij. Georg.

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum Milesia uellera nymphæ
Carpebant. Est enim Miletus ciuitas Asiæ. Et deinde Columella, qui Claudio principe, circiter annum salutis LIII floruit, libro de re rustica vij. de ouibus pretiosis ita loquitur: Generis eximij Milesias, Calabras, Appulasq; nostri existimabant, earumq; optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretiosiores habentur, earumq; præcipuè Altinates. Item quæ circa Parmã, & Murinam, macris stabulantur campis. Hæc ille. Et postremò Plinius libro octauo de pecorum & lanarũ natura, eadem ferè tradit. Hinc igitur cognosci licet, nullam olim apud ueteres Britannos, Anglosue, lanigeri pecoris curam fuisse, sed illos post ætatem Plinij, uel omnino tardissimè eam suscepisse, ac lanam per Francos mercatores, ut uiciniores, ad alias gentes delatam. Quo factum est, ut Itali etiam nunc Anglicã lanam uocent Franciscam, perinde quasi eam Francia ferat. Ac sic homines paulatim effecti sunt magis industrij. Idem postea lanarũ studiũ Scotis esse cœpit, quãuis uellus rudius sit. Ad prima redeo. Illud nempe admiratione dignũ: oues enim istę præter rorem cœlestem, nullum bibunt potum, adeò ut etiam à pastoribus de industria, à fontibus arceãtur: quandò experientia cognitũ, dare bibere, illis esse exitiale. Hoc uellus uerè aureũ est, in quo potissimũ insulanorũ diuitiæ consistunt: nam magna auri atq; argenti copia à negotiatoribus eiusmodi in primis coemendæ mercis gratia, in insulam quotannis undiq; apportatur, ibiq; perpetuò manet, quia aliò terrarũ referri omnibus lege uetitũ est: unde fit, ut opes maiores nusquã gentium sint. Sanè absq; immani pecunia, quę ultrò citroq; per manus mentium, uendentiumq; ubiq; funditur, atq; uasis sacris, quę præ magnitudine pretij æstimari non possunt, nullus fermè adeo tenuis homo est, quin ad usum quotidianæ mensę, habeat salinum, scyphos, uel cochlearia argentea, & quisq; pro fortunis, cõplura, ac uaria uasa. Abundat Anglia omni pecudum genere, præter asinos, mulos, camelos, & elephantos: at nullum gignit uenenatum animal, aut rapax, præter uulpem, & olim lupos, sicuti alibi memorabimus: quare uagum pecus, & nullo ferè custode tutum est: uidere enim licet armenta boum & equorũ ac ouiũ greges interdiu noctuq; passim errare, per montes & ualles, per agros compascuos ad pascendum cõmuniter relictos, aut per fundos, quos post collectos fructus, cõsuetudine quadã peruetusta, uicinus quisq; cõmunes habet, ad alendũ pecus. Idcirco equis testiculi amputãtur, ut cantherij facti, sub dio maiori compendio pascantur. Equorũ bona pars non succussat, sed graditur: neq; tamẽ succussarij gradarijue ualẽtissimi sunt, ut animalia mitia, minusq; ferocia. Eadẽ est natura bobus, quapropter plures simul ad unum aratrũ atq; currum coniugantur: nam similiter bobus ac equis aratur terra, plaustraq; trahunt, quorum ad onera ferenda, maximus est usus. At bos & ueruex animalia sunt, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

primis propter conuiuia nata, quorũ caro non alibi fermè iucundioris sapo
ris. sed bubula præcipui est, cùm præsertim sale condîtˇ, in aliquot dies. Nec
id admodũ mirum: nam illud animal ab omni labore uacuum, ad cõmunem
cibum nutritur. Sanè Anglorũ uictus maxima pars in carne consistit. Boues
quoq; qui post longos labores, iam uetuli occiduntur, nõ carent sua gratia,
tametsi caro durior est. Auium domesticarũ syluestriũq; numerus infinitus.
Maximę sunt gallinæ Cantianæ. Anseres iuniores antequã primam mutent
plumam, loco lautarum epularum habentur: cùm creuerint, non item. Sylue
strium delicatissimæ perdices, phasianæ, coturnices, merulæ, turdi, alaudæ.
Hæc auicula hyberno tempore, quod minimè sæuũ est, mirificè fit pinguis,
tumq; innumerabilis capitur numerus, ac maximè omnium mẽsas exornat.
Sunt cygni, qui in lacubus & fluuijs nõ tam minima uoluptate omni tẽpore
natantes spectãtur, quàm maxima animi molestia, multo mane in dies singu
los, audiuntur corui cum cornicibus crocitantes. Nusquam gentium maior
cornicum multitudo, genus equidem auium maleficum: hęc enim terra auis
eò conseruaˇ, quòd edit lumbricos, aliosq; uermiculos, quibus terra hoc ma
gis abũdat, quò est humidior: ueruntamẽ ex altera parte, multò plus nocet,
quippe nõ modò maturas fruges deuorat, sed cùm nascuntur, rostro euellit
semen, sic, ut agricolæ necesse habeant per idẽ tempus, locare pueros per ar-
ua, cum arcubus, quandò uoce humana non deterrentur, qui eas abigant: &
quia ardea solet in earũ nidis postea nidulari, idcirco eiusmodi infelices aues
circa uillas nobilium, qui ardearum aucupatu delectãtur, in summis arbori-
bus, quibus uillæ ipsæ uentorũ flatus uehementiores uitandi causa, circum-
septæ sunt, impunè nidos faciunt: atq; ita genus durat, cum magno agricola
rum damno. Quare memoria nostra, in principum concilio sancitum est, ut
eiusmodi cornices modis omnibus funditus extinguerentur, cõstituto etiã
pretio illis, qui eas necarint. Piscium item omnis generis copia redundat: ue
rum multorũ nomina non eadẽ, atq; latina sunt. Capo uocatur gornardus, a-
sellus uuytyngus, mugiles siue cephali muletti, rhombus turbottus, pagri
seu phagri bremmæ, scombri macharelli, ob quandã illis innatam siccitatem
omnino ignobiles: alosæ siue clupeę, schaddę, nullius neq; gustatus, neq; pre
tij: silurus, sturio: lucius quem appellant Itali, pike. Is piscis quemadmodum
olim uilior, sic nunc apud Anglos multò est pretiosior, qui ex palustri aqua
in uiuaria translatus, ac nidore illo olido purgato, anguillis minutisq; pisci-
culis pastus, mirandum in modũ pinguis fit: mox in piscario foro uiuus cùm
uendi debet, si opus sit, ei uẽter cultro aperitur, ut illud pingue quod habet
ostendatur: at si minus uendatur, eo tamen uulnere affectus (mira res dictu)
haud moritur: quippe plaga filo insuitur, ac statim pòst in uiuario tincarum
glutinoso contactu sanatur. Sed ostrea non alibi delicatiora, nec plura. Fert
item aurum, argentum, plumbum album, id est, stannum, plumbum nigrũ,
cuprum. Nascitur etiam in maritimis regionibus ferrum, sed eius exigua est
copia. Insunt & margaritæ, & gagates lapis. Hæc de bonitate cœli, ac terræ,
summatim. Nunc de habitu hominum dicere licet.

Sunt Angli procera statura, uenusta & candida facie, cæsijs ut plurimum
oculis, & ut sono linguæ Italis persimiles, ita corporũ habitu ac moribus ab
illis penè nihil discrepãt: belle morati, cõsilia cunctando capiunt, ut qui sciũt
nil esse

nil esse tam inimicum consilijs, quàm celeritatem: mites, & suapte natura ad
omne humanitatis officium propensi, & cum primis nobiles, uel erga pere-
grinos, sed plebs præsertim urbica non item. Amicos domum suam inuitãt,
hospitioq; benignè, & in prandijs ac cœnis hilarè, nitidè, lepidè, atq; ampliter
accipiunt: idq; officium humanitatem uocant: etsi, ut Tacitus ait, pars est ser-
uitutis non modica, alieno tantum cum tædio, indulgere palato. Cęterũ bel
lo intrepidi, optimi sagittarij, ac in militia moræ haud multum patientes, &
idcirco ubi ad arma uentum est, statim de omnibus fortunis alterius partis
dimicatur, quia omnia uictorẽ sequunt. Sed neq; arces ædificant, quin olim
cõditas uetustateq; ruentes minus sarciendas curant. At extra patriã, si cum
hoste res sit, militarem disciplinam per omnia seruãt. Reliqui, qui ad studia
literarũ incumbunt, facilè proficiunt, quorum hodie ingens floret numerus.
Vestimento nõ multum absimili Gallico utuntur. Fœminæ niueo candore,
insigniq; forma, quam longè decentissimo uestitu honestãt. Vrbes habent,
atq; oppida egregia, frequẽtesq; pagos, & uillas passim magnificas. Sed quia
in animo est, alibi tam de locorum situ, quàm de hominũ moribus, locis per
appositis memorare, ideo in præsentia hoc supersedere labore libuit. Igit de
religione gentis aliquid duntaxat subijciamus. Britãnia statim ab initio orti
euangelij, teste Gilda, Christianam pietatem complexa est, quam mordicus
semper retinuit, etiam inter sæuas Romanorum Imperatorum persecutio-
nes. Id quidem temporis Britanni, tametsi non publicè, Christum colebant,
quòd Romanorum Anglorumq; armis uicti, diijs sacrificare cogerentur: pri
uatim tamen multi ab officio non discedebãt, ita, ut Christiana religio, sicut
alius infrà docebit locus, in insula semper extiterit, donec postremò, autore
diuo Gregorio, ab interitu uindicata est, quæ adeò deinceps creuit, ut nulla
sit hodie (credo) natio, quæ omnia, quæ ad diuinum cultum pertineant, san-
ctius, diligentiusq; obseruet. Ita esse attestantur tot templa ornatissima, quæ
uicatim habent: tot ad ipsa templa frequentes hominũ conuentus, qui faciũ-
dis sacris continenter intersunt: tot deniq; diuorũ pretiosa mausolea, id est,
sepulchra. Quocirca Angli ob id in primis collaudandi sunt, q̃ multò chri-
stianissimi, religiosissimiq; sint. Hęc in prima operis mei parte proposita uc-
lui, priusquam bella scriberem, quò legentes statim à principio scirent, cuius
ac quanti populi res gestas, cuiusue patriæ mores in reliqua parte essent de-
inde accepturi. Sed Deus faciat, ut inceptum opus rectè absoluamus.

Britanniam qui mortales ab initio coluerint, indigenæ, an aduenę, parum
compertũ: quo factum est, ut iam inde usq; ab antiquis temporibus, de ea re
autores inter se minimè consenserint: super qua, ut ne aliquid affirmando, te
merè fidem meam obstringã, uel aliquid refellendo, inuidiam mihi parẽ, hîc
commodùm illorum sententias ordine repetam, ob oculosq; legentium po-
nam, quò aliorum iudicio, sicuti in eiusmodi quę incerta sunt, fieri decet, om
nia subijciantur: quia historia rerum gestarum narratio est, non item diuina
tio. Caius itaq; Iulius Cæsar antiquissimus rerum scriptor, libro suorũ Com
mentariorũ quinto, de bello Gallico, tradit Britannię partem interiorem ab
ijs incoli, quos natos in insula memorię proditũ esset: & maritimam partem
ab ijs, qui prædæ ac belli inferẽdi causa, ex Belgio, in insulã transissent, ac eos
ubi illuc peruenerunt, bello illato, ibi permansisse, atq; agros colere cœpisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huic opinioni Cornel. Tacitus, in uita Iulij Agricolę, qui Domitiano prin-
cipe, Britanniam obtinuit, penè assentitur: qui insulam à principio à uicinita
tibus habitatam sentiens, & id per argumenta affirmare cupiens, ita inquit:
Magni artus Germanicam originem asseuerant, Silurum colorati uultus, &
torti plerunq; crines, & posita contra Hispaniam, Iberos ueteres traiecisse,
easq; sedes occupasse fidem faciũt. Proximi Gallis & similes sunt, &c. Bedas
uerò homo Anglus, quo nihil castius, nihil melius, nihil uerius, qui circiter
annũ salutis humanæ DCC floruit, longè aliter de origine gẽtis sentiens, scri
bit libro Ecclesiasticæ historiæ primo, Britannos continentis qui sunt inter
Gallos & Hispanos, accolæ Oceani, ex tractu Armoricarũ ciuitatum adue-
ctos, insulam primùm occupasse, illiq; nomen dedisse: quippe quæ antea, ut
infrà dicemus, nõ Britannia, sed Albion appellata est. Cui opinioni, id est de
nomine insulæ indito, Pomponius quoq; Lætus recentiũ autorum grauissi
mus fauet, sicuti etiã consentit cum Cæsare, de indigenis, qui nati in insula eã
primi tenuerint. Sed ante Bedam, Gildas homo Britannus, de quo suprà in
procœmio meminimus, cui nihil remotius est, cq; mẽtiri, nihil propius, quàm
ueritate inniti, aliquid lucis huic origini affert: siquidẽ in descriptione Britã-
niq, ait: Hæc erecta ceruice, & mente, ex quo inhabitata est, nunc Deo, inter-
dum ciuibus, nonnunq; etiam transmarinis regibus ingrata consurgit, &c.
Hîc Gildas innuit primos insulæ habitatores cognitionẽ habuisse Dei, qua-
les fuerunt qui post diluuium, id est, inundationem illam aquarum, quę inci
dit tempore Noe, terram multitudine opplerant, atq; ita eam ab initio non
caruisse incolis, uti infrà fusius dicetur. Item demonstrat ciues quãdoq; rem
administrasse, & aliquando Romanos, quos non uno loco uocat transmari
nos reges: & Britanniam ingratam appellat, q; sæpius fidem similiter Deo
patri, ac suis principibus debitam, fefellisset. Is uir sanctissimus epistolam in-
star libelli scripsit, in qua primùm insulæ situm posuit, deinde historiam sui
temporis breuiter tetigit, postremò suorum Britannorum ac temporũ mala
deplorauit, adductis in medium multis sacræ scripturę testimoniis, quibus
eos & à malè faciendo deterreret, & ad bonam frugẽ, ut aiunt, reduceret. Et
quia paulò obscurius scripsit, idcirco eius libellus rarior est. Ego duos tantũ
codices inueni, unde omnino pauca, cęterùm syncera, hausi. Extat item alter
libellus (ut tempestiuè lectorẽ nefariæ fraudis admoneamus) qui falsissimè
inscribitur Gildæ cõmentarium, haud dubiè à quopiam pessimo circulato-
re compositum, ad corroborandum cuiusdam noui hominis commentum.
Sanè is nebulo longè post homines natos impudẽtissimus, summatim illud
ex eiusmodi noui autoris farina dealbauit, crebrò facta Bruti mentione, id
quod Gildas nunquam somniauit: & ut callidius legentes falleret, quędã ex
suo addidit, quò uel duos fuisse Gildas, uel hunc libellum Gildę prioris opu
sculi epitomen crederes. Quorum tamen utrunq; tantum abest, ut à doctis
recipiatur, ut etiã unusquisq; mediocriter eruditus, id doli facilè deprendat,
ac pro fallacia habeat. Sed ut nemo homo in istiusmodi errore in posterum
tempus uersaretur, nos nuper ipsius Gildæ opus diuulgandum curauimus.
Iam redeat unde aberrauit oratio. Atq; istæ sunt, quas habui in medium ad-
ducere, sententiæ ueterum scriptorũ, de principio Britannici populi, quod
iam satis planum factum esse arbitramur.

Britannorum antiquitas

Atqui

Atqui nõnulli alij autores, qui apud uulgus maioris sunt nominis, quàm
eorum cura aut fides in scribendo mereat, aliam genti originem inuenerũt.
Quæ sanè res quanti à principio momenti esse cœperit, Gulielmus Neubur
gus homo Anglus, & eorum aurorum æqualis, qui circiter annum salutis hu
manæ MCXCV cũ Ricardo primo Anglorũ rege uixit, testatur. Is in procœ-
mio historiæ sui temporis, cùm de Gildæ autoritate loquitur, ita scribit: Inte
gritatis tamen eius non leue documentum est, quia in ueritate promenda,
proprię genti non parcit: & cùm admodũ parcè bona de suis loquatur, mul-
ta in eis mala deplorat: nec ueretur, ~~ut uerum nõ~~ taceat, Brito de Britonibus
scribere, eos ~~nec in bello fortes fuisse, nec in pace fideles~~. At contrà quidam
nostris temporibus, pro expiandis istis Britonum maculis, scriptor emersit,
ridicula de eisdem figmenta contexens, eosq; longè supra uirtutem Macedo
num, & Romanorũ, impudenti uanitate attollens: Gaufredus hic est dictus,
cognomine Arthurus, pro eo, quòd multa de Arthuro ex priscis Britonum
pigmentis sumpta, & ab se aucta, per superductum latini sermonis colorem,
honesto historiæ nomine obtexit. Quinetiam maiore ausu, cuiusdam Merli
ni diuinationes falsissimas, quibus utiq; de suo plurimum addidit, dum eas
in latinum transferret, tanquam approbatas & immobili ueritate subnixas
prophetias uulgauit. Hæc ille, & ante illum Gildas: at nõ ego, qui quod scri-
ptum est scribo, propterea non est quisquam omnium, qui iure possit nobis
succensere, & istud in Britannos dictum uulgò olim iactatum, Nec in bello
fortes, &c. Sed neq; Sallustius malè à suis Romanis audiuit, quòd literis mã
dasset illud turpe probrum ciuitati Romanæ à Iugurtha rege, non mehercu
le iniuria, illatum, cùm dixerit, Vrbem uenalem & maturè perituram, si em-
ptorẽ inuenerit. Et id, quia lex iubet, ut scriptor ne quid falsi dicere audeat,
ne quid ueri non audeat. Est itaq; in eo libro, cuiuscunq; sit, Brutum filium
Syluij, quem Ascanio Aeneæ filio natum constat, post Græciam peragratã,
deuictamq; Aquitaniam, monitis Dianæ, Britãniam cursu petisse, & primo
accessu, gigantibus qui id temporis eam tenerent insulam, atq; ad arcendam
uim aduenarum armati undiq; eueștigiò concurrissent, interfectis, eam occu
passe, ex seq; Britanniam appellasse: & sic demum Brutum generis Britan-
nici atque imperij autorem extitisse, filios genuisse, ac illos deinde & gen-
tem suam & regnum mirum in modum propagasse. Cæterùm Liuius, Dio-
nysius Halicarnaseus, ac plerique alij, qui diligenter de antiquitatibus Ro-
manorum scripserunt, nunquam huius Bruti meminere. Neque illud ex
Britannorum annalibus prodi potuerat, cùm iampridem illi omnia libro-
rum monimenta amiserint, id quod Gildas testificatur, qui circiter annum
salutis DLXXX claruit. Is enim in principio suæ epistolæ de ea re ita tradit:
Illa tantum proferre conabor in medium, quæ temporibus Romanorũ im-
peratorum, Britannia & passa est, & alijs intulit ciuibus, & longe positis ma
la: quantum tamen potero, non tam ex scriptis patriæ, scriptorumúe mo-
nimentis, quippe quæ uel, si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut ci-
uium exilio classe longè deportata non compârent, quàm trãsmarina rela-
tione, quæ crebris interrupta intercapedinibus etiam non satis claret. & re-
liqua. Sed ea uenia olim antiquitati data est, uti plerique populi ausi sint ori-
gines suas etiam ad deos, sicuti in primis fecere Romani, referre autores,

Gildæ de Anglis sententia.

Gaufredus Arthurus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quò primordia gentis & urbiũ auguſtiora feliciora q̃ eſſent: & illa quamuis ex poeticis magis fabulis, q̃ ex incorruptis rerũ geſtarum monimentis conſtarẽt, pro ueris tamen habita ſunt: idcirco & ea quę poſtremò de antiquitatibus Britannorũ memoriæ prodita fuerunt, ita facilè uulgò credita ſunt, ut poſteritas Bruto principiũ generis aſsignarit: ac ne illa ipſa ulla unquã temporis iniuria in obliuionẽ irent, uelut longè ueriſsima, duo egregij hiſtorici literis perpetuanda curarint Henricus Huntyngtonius archidiaconus, & alter, qui hiſtoriã ſuam Polychronicon appellauit. Et hęc ſunt, quæ à recentioribus de Britannorũ origine tradita ad poſteros manarũt. Ego uerò quanquã pollicitus ſum, me neq̃ de unius, neq̃ de alterius ſententia, de eiuſmodi tam ueteri origine gentis quicquã pro certo affirmaturum, aut pro falſo reprobaturũ, ſed omnia prout hactenus fecimus, iudicio legentiũ ſubiecturũ: dicam tamen hoc loco, poſtquam res in cõiectura poſita eſt, id quod minus à uero abhorrere uidetur, ut in tanta ueterũ autorum uarietate, nos aliquid certi de iſtis primis terrę huiuſce incolis, aliqua ſaltem ueriſimili ratione tradamus, probemus q̃, quod ex ſcriptorũ teſtimonio parũ, uti uideo, liquet: quia rem per ſe ſatis claram, perinde quaſi incomprehenſam, in medio taciam relinquere, omnino honoris non eſſe ducimus. Ita q̃ cùm inſula ex Gallico litore, claris præſertim diebus, facilè cernat̃, & propter albas rupes, quę circa litus ſunt, unde Albion quandoq̃ dicta eſt, nauigantibus procul appareat, haud ullo unquam tempore ipſius continentis populo incognita eſſe potuit. Quare incredibile eſt, eam aliquãdo habitatoribus caruiſſe, quæ eodem tempore, ac cæteræ acceperunt terrę, eos accipere potuit, & non expectare aut ab Hiſpania, Germania, Gallia, uel Latio, uti recentiores ſcriptores ferunt, incolam exulem aut profugũ, ac ſæpe nocẽtem. Hinc proinde credere licet, ab ipſo propè orbis initio, inſulam habitatam fuiſſe, & eandem poſt diluuium Noe, unà cum alijs terris, ſuos habitatores accepiſſe, quos Cæſar indigenas uocat: qua in re uel Gildas iuxtà mecum ſentit, uti ſuprà oſtendimus. Nec tamen inficior, quin deinde Germani, Galli, & Hiſpani populi finitimi illis indigenis admiſti eã incoluerint, ſicut hodie faciunt, & in ijs Britanni cõtinentis, à quibus ut primis aduenis, frequentioribusúe, Bedas perhiber nomen inſulæ immutatum. Plinius autẽ libro quarto, cùm de Britannia meminit, uidetur innuere inſulam nomẽ inueniſſe ex illis paruulis inſulis, quæ inter hanc, & Hyberniã iacent: qui inquit: Albion ipſi nomen fuit, cum Britanniæ uocarentur omnes, de quibus mox paulò dicemus. Hæc igitur origo uera, quæ laudẽ & gloriam Britannorũ gentis nõ minuit, non debilitat, nõ obſcurat, ſed maximè auget, cõfirmat, nobilitat. Si enim uelimus diuturnitate temporis, ut de alijs felicitatis dotibus taceamus, ipſam uti nũc moris eſt, nobilitatẽ metiri, ecquid antiquius, glorioſiusúe eſt, q̃ iam inde ab initio, honeſto naſci loco, & ibidẽ propagare in annos fermè perpetuos, familiam, genus, & imperiũ? Hinc in primis indigenæ ueteris Latij ſummo ſibi duxerunt ſemper honori, quòd in ea terra geniti diu regnarint. Hęc eadem domeſticæ laudis amplitudo Britannorum Aboriginũ, ac monimentum gloriæ æternum eſt. Cæterùm pro neceſsitudine negotij, nos ſatis proceſsiſſe rati, tandem aliquando ad rem ipſam ueniamus.

Sed ecquò progrediemur, cùm omnia proſpiciã plena tenebrarũ? Equidem

dem nihil occultius, nihil incertius, nihil ignoratius rebus Britannorũ à principio geſtis: partim q̃ annales, ſi qui fuerant, ſicut ſuprà oſtendimus Gildam teſtificari, funditus perierant, unde poſtea qui hiſtorias ſcripſerũt, nihil haurire potuere: partim uerò, quòd ea gens ut longè poſita, tardiſsimè cùm Græcis tum Romanis cognita eſt. Iſtud ergo ſilentium rerum fuit, quamobrem boni autores minus multa de huius populi primordio memoriæ prodiderint, ac nonnulli auſi ſint nimis multa garrire, nouam q̃ condere hiſtoriã, per quam imperiti uulgi, cui ſemper pluris eſt nouitas, quàm ueritas, admiratione, in cœlo eſſe uidẽtur, ubi eos haud inuiti nos relinquemus, quòd in diſceptationẽ de his cõmentitijs rebus minimè uocandos ducimus. Verùm quia conſilium eſt, locis perappoſitis, cùm id præſertim tempus poposcerit, ea noſtræ hiſtoriæ coagmentare, quæ Cæſar, quæ Tacitus, quę Gildas carptim de rebus in Britannia geſtis ſcripſerint, idcirco percurremus uitas regũ, quos iſta noua hiſtoria repentè, & uno quaſi partu genuit, in lucem q̃ edidit. Et illud, quamuis non ſine ſtomacho, faciemus, tum rationis temporis habendę, tum maleuolentiæ deprecandę cauſa: ſimul q̃ errata, quæ in ea ſunt (ſunt autem infinita) euellere nitemur, quò ne legentes offendant, néue in ea irruant. Atq̃ hoc noſtrũ eſt inſtitutũ, quo uſq̃ eò utemur, dum ſcribendo, ad initiũ imperij Romanorũ Anglorum q̃ peruenerimus: tũc enim paratiores erunt duces, quos certos deinde ſequamur. Sed agè, iam demus nos in uiam, ut citius aſpiremus, quò cõtendimus. Ille igitur Brutus ſeu Brito (ſic enim nominandus erat, ut ex eius nomine, Britannia aliquo pacto dicta uideretur) fertur à principio inſulæ potitus imperio, ac Britannorum gentis autor fuiſſe, nec diu deinde uiſus in terris. Dein tres eius filij, Locrinus, Camber, & Albanactus, regnum inter ſe diuiſiſſe dicuntur. Sed nõ multò pòſt extinctis mortę fratribus, Locrinus totius inſulæ imperium conſecutus eſt, quem Guinde lona uxor, filia Coronei, unius ex ſocijs Britonis, interfecit, quòd ille ob pellicis amorem diuortium ſecum feciſſet. Succeſsit patri Madan: is Mempricium & Manlium creat. Inter hos, poſt mortem patris, de regno ſtatim fœdo certamine orto, Manlius occiditur. Mempricius nihil in uita geſsit, quãobrem in morte honoris quicquam ei habendum eſſet: quippe cum inter uenandum, à ſuis longe abiſſet, à lupis, quibus id temporis inſula abundabat, dilaniatus eſt. Regnat deinde Ebrancus eius filius. Hunc ferunt Eboracũ urbem celeberrimã ad ſeptentrionem, condidiſſe inter Vſcam & Foſſam fluuina, quæ ipſam urbem præterlabuntur, ac inde ſimul iuncta in Humbrũ fluunt: poſuiſſeq̃ ad extremam Britanniæ partem, quam hodie Scotiam dicimus, oppidum Puellarum: nunc, uti ſuprà docuimus, Edinburgi arx eſt. Ebrancum Brito cognomento Viride Scutum filius ſequitur, qui neq̃ domi nec foris ſatis clarus fuit. Huic Leylus filius ſuccedit, qui Carliolum oppidũ in læua parte inſulæ, quæ ad Scotiam pertinet, prope Edenam fluuium, conſtruxiſſe fertur. Carliolũ hodie ciuitas eſt epiſcopali ſede nobilis. De hac urbe Rogerius Houedemus poſt Bedam, annalium ſcriptor ita ſcribit: Britannicè Carleil, latinè Lucubalia uocatur. Poſt Leylum Rudubras regnum obtinet. Iſtum ferunt duas ædificaſſe urbes, Cantuariam in Cantio, quam Angli quandoq̃ Dorouerniam dixerunt, quę abeſt à mari millia paſſuũ duodecim: & Vintoniam, ac oppidum nomine Septoniam, ad auſtralem plagam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod incolæ nostro tempore Shaftesburiam uocitant. Vintonia autē urbs est in ora maritima, quæ ad austrum spectat, inter duos colles posita ualde celebris. In Rudubrę demortui locum surrogatur Badudus, quem Bathoni am oppidum ædificasse tradunt, ornatum hodie communi sua & Vuellensi episcopali sede: eoq; loci, ut fama est, balneas tepidis fluentes aquis struxisse, quod opus quidam falso Iulio Cæsari assignant, cùm satis liqueat Cæsarem usque ad hunc locum non peruenisse. Extant etiam nunc ipsæ balneæ, ubi loci tepidę scaturiunt ebulliuntq; aquæ, quibus in primis lauantur pueri uo luptatis causa. Ego uidi ipsos pueros in eo lacu natantes, è fundo mordicus argenteos numos referre, iactatos per lusum à circumstantibus in balneas ipsas. Is demum Badudus magica arte, quam passim docuit, fretus, præstigijsq; dæmonum actus, eò insaniæ uenit, ut sibi alas uolandi gratia aptauerit, quibus munitus cùm in altum tolli cœpisset, repentè cecidit, quo casu collisus excesit è uita, ad inferosq; descendit. Ita mala ars, malo illi fuit. Insecutus est Leyrus eius filius, qui non minus egregiè, quàm prudenter annos multos regnauit. Is condidit Lecestriam oppidum in interiore parte insulæ. Huic tres tantum filiæ erant, quas iam senio confectissimus quibusdam suis heroibus locandas, ac opes æqua lance diuidendas statuit, quas tamen duabus natu maioribus quæ prius nupserant, assignauit, eò quòd illæ plus amoris in ipsum habere uiderentur, quas postea unà cum uiris contrà atque putarat, ingratas, crudeles, impiasq; inuenit. Minima autem natu nomine Cordilla, moribus tantum ac pulchritudine dotata, cuidam regulo Gallorum in matrimonium data est. Hæc, cui natura præcox ingenium dederat, interrogata, an parentem multum diligeret: respondit, se patrem ferre in oculis, semperq; laturam, licet deinde contingeret, ut quempiam alium (de marito intelligebat) ardentius amaret. Quo responso, tametsi sapientiæ pleno, Leyrus indignatus, indotatam, ut dictum est, regulo Gallo puellę forma capto collocauit. Sed haud multò pòst à generis, eius mortem longum expectare censentibus, regno spoliatus, ad Cordillam cōfugere coactus est, à qua in regnum restituitur, interfectisq; generis, triennium regnat. Per id autem tempus, Cordilla amisso uiro, in Britanniam redijt, regnumq; paternum iussu populi obtinuit. Morganus interea & Conedagius sororum filij grauatissimè parebant fœminę, pudebatq; diutius tam uile seruitutis iugum tolerare: itaque facta militum manu, omnia cædibus, incendijs, rapinis uastare cœperunt, quò mulierem ad certamen traherent: quam haud ita multò pòst cum paruo exercitu, obuiam factam ceperunt, in carceremq; coniecerunt. Hîc egregia mulier, cui ad superandam superiorum regum gloriam, uirilis tantum defuit sexus, amissi regni dolore perculsa, post annum quintum, quàm regnare cœperat, sibi mortem consciuit. Victores inter se insulam partiti sunt: sed breui tempore interuenit regni cupiditas immensa, ita, ut Morgano è medio sublato, Conedagius solus sit rerum potitus. Deinde regnum obtinuere Riuallo, Gurgustius, seu Gorguntius, Silius, Iagus, Chinemarcus, Gorbodio. Post Gorbodionem, Ferrex & Porrex eius filij inter se de regno dimicare cœperunt, in quo certamine, Ferrex interfectus est: cuius cædes tantum matri, quæ eum uehementer amabat, doloris inusit, ut subito furore percita, alterū filium nacta dormiētem adiuuantibus ancillis, crudeliter

crudeliter obtrucidarit: res profectò post hominū memoriam, longè rarissima auditu. Secundum hæc, secuta est etiam ętas atrox pręlijs, discors seditionibus, ipsa quoq; pace sæua. Cùm enim fortissimus quisq; sibi regnum acquirere affectaret, eatenus inter illos bellatū est, quoad omnis imperij potestas ad quinq; regulos peruenerit.

Ex Polydoro Mantuano.

Oportet hoc loco paulisper à proposito me diuertere, & monere eos, qui legerint de errato, quod non parum nitorem, si quis sit, nouæ historię corrumpit. Post illos enim quinq; regulos, seu tyrannos, qui non habentur numero regum, ponitur Dunuallo Molmicius rex, pater Bellini & Brenni: ac legimus illo mortuo, filios regnū inter se diuisisse, atq; post sedatas ex ea regni diuisione ortas discordias, simul iunctis armis primū Gallos, deinde Romanos superasse, urbemq; Romam cepisse, ac incendisse, & Brennū in Italia post adeptam uictoriam remansisse. Hîc ex ratione temporis, quod interfuit inter Bruti aduentum in insulam, & captam urbem Romā à Brenno, nō quadrat, ut statim post illos quinq; tyrannos, ponatur in ordine regum Dunuallo Molmicius pater ipsius Brenni. Siquidem Brutus, siue Brito, fertur anno circiter decimo, post interitū Syluij patris, insulæ imperio potitus esse, cùm ageretur annus ab initio mundi centesimus super quater millesimū: at post DCCX annum, quàm Brito uenisse dicitur in insulā, urbs Roma, prout tam ex epitome temporum Eusebij, quàm ex Latinorum Græcorumq; historijs constat, Brenni ductu, à Gallis Senonibus capta est. Is autem Brennus, si nouæ historię credimus, ab eaq; numerum annorū colligimus, quorum ratio minus rectè initur, circiter CCCC annum post aduentū Bruti in insulam, militari arte floruit. Quapropter liquidò constat Brennū hunc, à quo historia captam esse Vrbem testatur, ante CCCX annos fuisse, quàm illud bellum susceptum sit. Ne igitur hunc manifestissimum errorem error sequatur, necessariò ordinem cōmutabimus, & reliquos ponemus reges, donec ad ea tempora uenerimus, quibus de Bellino & Brenno ratio ipsa iubebit nos mentionem facere. Sed rursus reuertamus eôdem.

Correctio erroris.

Quinq; igitur tyrāni regnādi libidine agitati, statim mutuis inter se odijs in bellum ruunt: ingens simul seditionis furor per ciues peruadit, premitq; acriter. Verū ita usu uenit, ut tyrannis breui pòst tempore suo muerone cōfectis atq; deletis, Respublica sibi reddita, eiusq; forma ad unius imperiū reducta sit. Itaq; Gintolinus populi iussu rex dicitur, uir consilio bonus, cui uxor erat nomine Martia, mulier præter cæteras pulchra & sapiens. Dei nutu factū credunt, ut Gintolinus ad regnū ciuilibus dissensionibus quassatū perueneret, quò illud in pristinū statū restitueret: quod nauiter fecit: ubi enim eo est potitus, Rempub. Britannicā ab alijs regibus ferè informatā, iure, legibus, ac moribus uelut de integro condere, atq; ornare maximè studuit: sed ante omnia, ciuiles discordias, quæ adhuc tanquam reliquię factionum durabant, penitus sedauit, sustulit, quem talia agentem, mors cita extinxit. Genuit ex Martia uxore, unicum filium Siciliū: qui cùm nondum imperio maturus esset, Martia multarū rerum perita, regni interim curam suscepit. Hæc id quod è Republica esset, in primis sibi faciendū rata, leges tulit, quas Martianas posteri appellarunt. Post Sicilium, qui haud diu superstes fuit, regnauit Chimarius, Danius, & Moruidius, Is animo strenuus, sed crudelitate

Polyerchia 5. Regularum

Gintolinus Rex creatur. qui Regnum instaurauit

Martia cuius uxor & Siciliū filium

Chimarius Danius Moruidius

Universidad de Deusto
Biblioteca

insignis, cum sæuitia praui ingenij per cruciatos hominum, quos identidem tormentis afficiebat, suaq; manu percutiebat, satiari nō posset, ad extremum cum feris temerè congressus turpiter interijt, atq; eius fortitudo in neruum, ut dicitur, per hunc modum erupit. Corbonianus filius in regnum successit, patris ualde dissimilis, homo frugi bonæ, cui semper pax quàm bellū longè magis cordi fuit. Archigallo deinde Corboniani frater rex creatur. Iste statim nobilibus infestus, principibus necem parat, quorū potentia ei formido losa esset, cōtrà ignobilissimos quosq; in honore habet: quare breui ab ipsis nobilibus tantam crudelitatem nō tolerantibus, regno deijcitur. In cuius locū Eliodorus uir iustus eius frater substituitur, qui ueritus ne sibi fraudi foret, si pro sua parte non curasset in primis, quæ putaret fratri conducere, incredibile dictu est, quanto studio apud principes egerit, ut Archigallo in regnū restitueret: quod ad ultimū animis optimatū per eius preces mitigatis consecutū est: rarum porrò pietatis exemplū, si quis uoluerit mente reuolue re, quāta sit libido inter mortales regnandi. Eliodoro postea cognomē Pio, ex hac erga fratrē pietate fuit. Is Archigallo cùm suo periculo satis didicisset, nō posse se regnū retinere, nisi mores mutaret, aliquā ætatē ab omni uitio ua cuam uixit, qui post receptū imperiū, decem regnauit annos. Ac tantū inter dum abest, ut calamitas noceat, ut etiā sit illustris ad laudem. Eliodorus Pius fit iterū rex, quem Vigenius & Perydorus iuniores fratres Londini dolo capiunt, atq; in carcerem detrudunt, in eum locum, cui Turris nomen est, quæ etiam nunc extat. Hanc equidē arcem satis munitam, & multis turribus, unde nomen habet, extructā, falso uulgus prædicat à Iulio Cæsare conditā, qui de Londino nō meminit, quippe qui eò non peruenerat. Vigenius & Perydorus inter se cōfestim regnum partiunt, quibus paulo pòst morbo absumptis, Eliodorus iam satis fortunę mortales animos semper ludificantis casib. iactatus, rursus rex efficitur, uir certè clarissimus, qui quo minus regnū sibi appetebat, hoc magis ad id ob uirtutē, qua ornatus erat, uocabatur: regnauit deinde annos quatuor. Secutū est postea tēpus militaris gloriæ, nō item aliarum uirtutū prorsus sterile, quo reges fuerunt Reginus, Morganus, Ennanus, Iduuallo, Rynio, Geruntius, Catellus, Coyllus, Porrex secūdus, Cherinus, Fulgentius, Eldalus, Androgeus, Vrianus, & Eliud. Istū secutus Dun uallo Molmicius (hîc enim eius est locus, si rerū gestarum seriem seruare, ac temporis rationem habere uolumus) quem suprà ostendimus, extra suū ordinem, per incuriam, positum. Is ea quę utilia fore, & è republica esse arbitratus est, à principio studere cœpit: itaq; militarem artem penè extinctā in pristinum usum reuocauit: ius atq; leges nouas, & illas quidem salutares dedit, quas deinceps Molmicinas leges appellarūt: templa deorū immortaliū loco asyli, omnibus ad ea cōfugientibus esse cōstituit: primus aurea corona usus est: uiros ad bonas artes incūbentes, opibus & fauore iuuit, ut suo exemplo & principes regni idem facerent, atq; iuuētus ad uirtutes capessendas magis incitaretur: item pondera ac mēsuras rebus uendendis emendisq; posuit, fures & noxium omne genus hominum seueriſsimè puniuit, fecit quamplures uias, decreuitq; in quam latitudinem fieri deberent, ac lege sanxit ius earum ad principē duntaxat pertinere, eiusq; iuris uiolatoribus pariter atq; ijs qui in illis maleficium aliquod facerent, horrendas cōstituit pœnas. Præterea ut

ne terra

ne terra uacaret, néue populus rei frumentariæ inopia frequenter premeretur, aut minueretur, si pecora sola occuparent agros, qui ab hominibus coli deberent, cōstituit quot quisq; comitatus aratra haberet, statuitq; pœnam illis, per quos numerus diminueretur, ac uetuit iumenta quæ aratro seruirent, à magistratibus abduci, uel assignari creditoribus, pro debitione pecuniæ, si debitoris bona alia supererent. Ita prouisum est, ne compendij causa, pecuarij, agros à cultura aratorum incultos redderent. Quę sanè lex non sine magno totius plebis incommodo, in dies magis magisq; memoria nostra obsolescit. At, ad rem ut redeam, demum Dunuallo reliquit regnum Bellino & Brenno liberis cōmune. Ii statim de dominatu & potestate inter se certare cœperunt, sed hortantibus ad pacem amicis, ad extremū in gratiam reconciliati, regnum inter se partiuntur. Pars regni deterior Brenno, ut minori natu euenit: qui cùm elatū ab ingenti suarum uirtutū fiducia, animū gereret, haud patienter ferens fratrē Bellinum potiorem regni partem assecutum esse, idq; fraude factum ratus, armis uindicandā iniuriam statuit. Itaq; facto tam ex Britannis, quàm ex transmarinis exercitu, in fratrem bellum mouet. Bellinus nihilo segnius sumptis armis, obuiam fit fratri: iamiamq; ad manus uentum erat, cùm ecce tibi, interuentu matris, uterq; ab armis discedere subitò coacti sunt, quippe qui maternis precibus uicti, tam fœdum certamen ambo abhorruere. Brennus deinde cùm nihil domi haberet, in quo acquiesceret, cōpositis domesticis rebus, ut ne sordido otio torpesceret, in Gallias traiecit, illic inter pugnacem gentem stipendia facturus: qui inde apud Senones Gallos, prout rectius reperio, cū apud Allobroges, in magno honore habitus est.

Per idem tempus Galli Senones, siue prægrauante turba, patriam exonerare cupientes, siue ab Italis ad bellum gerendum accersiti, duce Brenno, cum magna hominū multitudine transcendunt in Italiam, qui post superatas Alpes, in Tusciam profecti, ac subitò Clusium oppidū bello adorti, latè agrum populantur. Clusini periculo rei perculsi, Romam legatos ad auxilia contra nouam hanc gentem petenda mittunt. Romani tametsi nullam etiam tum cū Clusinis societatem habebant, tamen cùm aliquid sibi periculi inde imminere posse, si Clusini superarent, animaduerterent, primo quoq; tempore tres misere legatos, Marci Fabij Ambusti filios. Ii Senatus & populi Romani nomine, cum Gallis egerunt, ne socios & amicos Romanorū oppugnarent. Brennus ad ea respondit, se pacem non aspernari, si parte agri, quem latius Clusini possiderent quàm colerent, egentibus Gallis cederent, alioqui pacem impetrari non posse. Ibi contrà Romani legati eiusmodi uerbis offensi, quærūt, ecquidnam rei in Hetruria sit Gallis. Inter hæc, & plura ferociter dicta, accensis utrinq; animis, ad arma discurrunt. Legati, ut & ipsi quid Romana uirtus ualeret in armis ostenderent, contra ius gentium, in Gallos arma capiunt. Galli in Romanos iusta flagrantes ira, subitò totis castris conclamant, soluta obsidione, Romam infestis armis eundum. Brennus tamen uoluit, ut Romam prius mitterentur legati, qui uiolatores iuris ad supplicium poscerent: idq; factum est. Verùm cùm postea renuntiatum esset, tres Fabios iniuriæ autores non modò non punitos, sed in sequentem annum tribunos esse creatos, tum omnes ira impendiò magis accensi, uidentes nihil esse, quod à uoluntario hoste expectarent, nisi bellum, nisi iniurias, nisi insidias, in Romanos omnem

Universidad de Deusto
Biblioteca

uim belli auertunt, Romamq; nihil non latè prosternẽtes, petunt. Tanta fuit hostium celeritas, ut uix ad undecimũ lapidem, obuiam iri potuerit. Huc tribuni cum tumultuario exercitu, qui ad quadraginta armatorum millia fuisse dicuntur, profecti, hostem circa Alliam flumen offendunt. Is fluuius ex Crustuminijs montibus labitur, nec multò infra uiam, miscetur Tyberi. Ibi Romani commisso prelio, momento superantur. Brẽnus uix credere poterat, se tam citò uicisse, stabat itaque uelut pauore defixus: uerùm ubi tuta omnia uidit, collectis cæsorum spolijs, Romam uersus ire iter constitutum contendit. At uerò Romæ ad primum aduersæ pugnæ nuntium, clamor & metus ingens continuò cunctos inuasit. Et quia in tanta animorum consternatione, spes nõ fuit ulla retinendæ Vrbis, Senatus cum iuuentute militari, Capitolium & arcem occupauit, frumento & armis eò collatis, ut inde Romanum nomen tueretur: consulares uerò senes cum imbelli turba, in Vrbe remanserunt, uelut cum patria interituri, si patria caderet. Galli interim ad Vrbem perueniunt, qui per Collinam portam ingressi, recta uia in forum tendunt, multùm mirantes clausis plebeiorum domibus, nobilium tantum atria patêre: quamobrem suspicantes ne qua fraude opprimantur, cautius incedunt: sed deinde patres id ætatis in sellis sedentes conspicati, ut deorum simulacra contemplantur. Interea Marcus Papyrius Galli cuiusdam barbam sibi demulcentis baculo caput percusit. Qua ille iniuria irritatus, sedentem senem ferro oppressit: tum ab uno cæde orta, cæteri triumphales uiri sunt in suis sellis trucidati. Inde sine discrimine ferro absumptis qui in Vrbe erant, domus passim diripiuntur, flammaq; tectis iniecta est. Atq; sic Roma duce Brenno, à Gallis capta est, anno eiusdem Vrbis cõditæ tricentesimo sexagesimoquinto. Deinde Capitolium clàm & noctu inuasere, adeò, ut nihil propius esset factum, quàm ut caperent: cùm ecce tibi, subito anserum clangore proditi, à summo rupis ad ima deijciuntur. Romani pro extremo remedio, Camillum qui id temporis Ardeæ exulabat, Dictatorem dicunt, ac maiorem in modum rogant, ut sibi & in gratæ patriæ subuenire uelit. Camillus immemor acceptæ iniuriæ, memor officij, ac uicem patriæ dolens, sine mora ad bellum copias parat. Interea qui in Capitolio erant, fame penè suffocati, cum Brenno paciscũtur, ut mille pondo auri se populus Romanus redimat, & ille Vrbe & Romano agro decedat, cum exercitu. Verùm forte quadam factum est, ut Romanum genus non sit ea aspersum ignominia. Sanè Galli non cõtenti postea iusto pondere auri, gladium etiam ponderi addunt: contrà Romani aurũ iniquis ponderibus appẽdere negant. Dum per altercationem tempus extrahitur, priusquam aurũ sit appensum, Camillus adfuit: tum auro eius iussu de medio sublato, ait, nullum Dictatoris iniussu fœdus aut pactionem à minore magistratu fieri potuisse: atq; edicit, ut Galli ad ultimũ se certamen accingant. Ita commissa pugna, Galli qui non pugnam, sed aurum expectabant, puncto temporis, nullo ferè negotio, uicti sunt. Vrbe inde egressi, Gabina uia, ad octauum lapidem, atrocio re sunt clade afflicti, castra capta, cædes adeò omnia occupauit, ut, si Liuio credimus, ne nuntius quidem tantæ plagæ acceptæ superfuerit. Polybius uerò ait, Gallos ab obsidione Vrbis domestico bello auersos, fœdere cum Romanis percusso, restitutaq; Vrbi libertate, domum abijsse. Sed utcunq; res peracta sit, satis constat Brennum longè post homines natos fortissimum ducem, cuius

Truculentior patrio
Tota urbs ferro & flamma vastata
Capitolia anserum clangore seruantur
Camillus Romanos profligat
Galli à Camillo cæduntur

cuius causa à proposito diuertimus, nũquam amplius redisse in Britanniam, qui uel in ea clade ad Gabinam uiam à Gallis accepta, mortẽ occubuit, uel inde in Gallijs uitam uixit: cui mehercle post tot prẽclara facinora, ubiuis gentium glorioſum fuit mori. Fuit deinde centesimo decimo anno pòst, alter Brennus natione Gallus, cuius ductu altera pars Gallorũ in Grẽciam peruenit. Hîc cõmodùm de altero Brenno Gallorum duce commemorare uolui, ut ne similitudo nominis efficeret, quò ueterum historiarum ignari crederent eundem fuisse Brennum, qui urbem Romam cepisset, incendisset, spoliasset, ac qui Gallorum alterã manum (in duas enim diuisi partes Galli in Asiam se effuderunt) primũ in Grẽciã, deinde in Macedoniã duxisset. Sed ad Bellinũ reuertamur.

Alter Brennus

Bellino post cõpositam pacem cum Brenno fratre, nihil potius fuit, quàm nouis operibus ornare regnũ: quippe qui condidit in Vuallia oppidũ, quod nunc appellamus Caerleonum, ædificiorum ac situ loci amœnissimo celebre, cuius hodie uestigia extant, quæ postea quia Romanæ legiones ibidem frequenter hybernabant, Vrbs est Legionum dicta. Est & oppidum Legionũ in altero cornu Vallici sinus ad septentrionem cõditum. ita nuncupatũ, quòd eo quoq; loci legiones multùm ualde essent, quam Cestriam uocãt, alluiturq; Dea flumine, quod procul ab ea circiter passuum millia sex, in Oceanum se emittit. Item Londini extruxit portam, ad ripam Thamesis, quam ex eius nomine, Bellini portam posteri dixere, & etiamnum retinet nomen. Addidit & porticulum, in quem parua nauigia, quibus per flumen apportantur ea, quæ ciuitati usui sunt, se recipiunt. Is demũ pace belloq; uir inclytus, & in omni fortuna Brenno fratri nequaq; impar, uita priuatus ac rogo impositus, Britannorum regũ primus crematus est. Successit deinde Gurguntius secundus, ipsius Bellini filius, Merianus, Blandanus, Capenus, Ouinus, Silius, Bledgabredus, Archemalus, Eldolus, Rodianus, Redargius, Samulius, Penissellus, Pyrrhus, Caporus, Dinellus, Helius, & Lud. De ijs regibus, prẽter Lud, quia præ socordia atq; desidia, nullas bonas coluere artes, nihil scriptu dignum memorię proditũ est. Lud ubi rex creatus est, statũ Reipub. continuò recognouit: nam leges quasdã retractauit, abusus nõnullos sustulit, & quædã alia pessimi exempli simul abiecit: exin ad ornandum urbem Londinum conuersus, muros uetustate collabentes instaurauit, turribusq; frequentibus firmauit: quam ob rem, deinde Lundonias appellarunt. Item portam in occidentali parte ciuitatis opere magnifico extruxit, quæ hodie Lud porta uocatur. De hac urbe nihil antiquius apud graues autores, quàm apud Tacitum legimus, qui Londinium nuncupat, cuius testimonio constat olim fuisse oppidum minus omnino clarum, cum ita scribit: Londinium cognomento Colonię nõ insigne, sed copia negotiatorum & commeatu maximè celebre. Ea fortasse de causa, Cæsar non meminit. At memoria nostra, urbs est maritima omniũ nobilissima, caput gentis, regia sedes, opumq; diues. Partem uerò urbis, quę ad meridiem spectat, Thamesis flumen alluit, in quo est pons, ut suprà diximus, in Cãtium uersus XIX extructus arcubus, ac utrinq; longo domorum ordine magnificus. Ad Ludredeo. Reliquit moriens duos superstites filios, Androgeum, & Theomantiũ: qui cum essent ætate pueri, Cassiuellaunus eius frater regnum obtinuit. Is ne pulsi ab se nepotes uiderentur, Androgeo urbem Londinum, & Cantium, Theomantio Cornubiam assignauit. Et hæc ex noua historia.

Bellinus primus Londinum muro cingit
Bellinus moritur & primus inter Britt. crematur
Gurguntius &c. ortus
Lud à quo Londinum appellatum
Pons Londinensis
Cassibellaunus frater Ludi
Androgeo & Theomanto filijs Ludi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regnatum est ab istis regibus, usque ad Cassiuellaunum, annos MXL. si sequimur Eusebij rationem temporis putatam non indiligenter, ex qua ab interitu Syluij Latinorum regis secundi, quem patrem dant Bruto siue Britoni, usq; ad id tempus, quo Iulius Cæsar bellum Britānis fecit, & Cassiuellaunum uicit, ML anni colliguntur: ita ut ex eo numero deductis annis decem (nam illud temporis spatium dari potest Britoni, & ad Britanniam adeundam, post obitum patris, & eius possessionem acquirendam) MXL anni ab aduentu Britonis in insulam, usq; ad hunc Cassiuellaunum, rectè putari possint. Cæterùm an illi quos hactenus cōmemorauimus, fuerint reges, uel potius Reipub. principes, tyranniúe, quod ex sententia Gildæ, quam suprà posui, magis credidérim, haud palàm est: siquidem tam de ijs ueterum scriptorum quisquam non meminit, imò ex Cæsare cognoscere licet, nonnullas ciuitates suo usas esse imperio, ut infrà fusius dicetur, quàm etiam nec nomina ponit oppidorum, quæ ab illis regulis noua historia condita tradit. Hìc certè dilucet scriptorum incuria, qui præteriti temporis nullam habentes rationem, uoluerunt insulse ea nomina, quæ postea Angli, Daci, Normani locis imposuere, ab antiquis regibus indita esse. Ecquis enim legit apud Cæsarem, Tacitum, Strabonem, Ptolemæum, & Plinium, Cantuariam, Bathoniam, Carliolum, Lecestriam, & id genus oppidorum nomina: quæ utiq; si talia id temporis fuissent, dubio procul eis non latuissent. Quare illi de ijs potissimum meminerunt, quæ tunc extabant, quæ deinde sic in obliuionem ierunt, ut nunc minus certum sciamus, qui olim Brigantes, qui Trinobantes, qui Iceni, qui Silures fuerint, quæúe loca tenuerint.

Atq; isthæc habui hactenus scribere de Britannorum origine, eorumq; imperio, ac rerum statu. Sed antequam cętera prosequamur, haud ab re alienum puto, aliquid tradere de forma corporū, de moribus priscis & institutis eius ipsius populi, ut planè constet, qualis ille fuerit, ante Romanorum in insulam aduentū, qui ut uictores solent, postea immutauerunt omnia, meliorāq; nonnulla fecere, quandò per eos Britanni multò cultiores effecti sunt, ut infrà suis dicetur locis. Britannorum itaque uarios fuisse corporum habitus, Tacitus perhibet, cùm alij Germanorum, alij Gallorum, alij uerò Hispanorum à quibus olim orti essent, statura æquè ut oris forma similes existerent: Etenim capillo oblongo erant, & plerunque intorto, facie austera, sed non inhonesta, quam glasto inficiebant, ut pugnando horribiliores aspectu forent. Glastum herba est similis plantagini, quæ cœruleum efficit colorem, quam existimant quidā eam esse, quæ ab Italis Guadum, uulgò ab Anglis Vuodde appellatur, qua panni lanei in primis inficiuntur. Hac etiam herba Britannorum coniuges nurusq; oblinebantur, in quibusdamq; sacris ita incedebant. autor Plinius lib. xxij. cap. primo. Item uiri radebant omnem corporis partem, præter caput, & labrum superius. Corpore erant ualenti & robusto, animo uerò forti, omnis doli ac fraudis experto. Qui loca syluestria tenebant, pellibus uestiebantur, lacte & carne uiuentes, quòd frumentum non multum fererent. Qui oram maritimam incolebant, ij opulentiores erant, humanioresq;. at alij non item, quoniam ad eos nemo homo externus, neque mercator quisquam adibat, erat enim lege uetitum, ut ne loca interiora illis nota fierent. Artem militarem apprimè callebant, uario genere pugnæ utentes. qua re Cæsar ait suos milites

milites perterritos, quòd ad id minus apti forent. Arma habebāt gladium, tela, fustes, arcus, galeam & loricam lineam multis inuolucris insutam. Diuitiæ magna ex parte consistebant in pecoribus, quorum magnū habebant numerum. Leporem, gallinam & anserem uoluptatis gratia nutriebant, quia degustare nefas putabant. Vtebantur numo æreo, aut annulis ferreis ad certū pondus loco pecuniæ: postea Claudij principis tempore, aurum & argentum effigie Cæsaris cœptum est signari. autor Gildas. Aedificia Gallicis similia, & uestitus ferè idem erat. Literas discebant Grecas. Religionem atque sacerdotes Druides cum Gallis communes habebant, ab illisq; uarijs disciplinis eruditebantur, quę tamen literis non mandabantur, quò ne in uulgus efferrentur, & qui discebant, diligentius memoria retinerent. Tradebant autem Druides iuuentuti animas nō interire, sed ab alijs post mortē, transire ad alios, ut sic eam metu mortis neglecto, ad uirtutem excitarent: Item simul docebant de sideribus, eorumq; motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerū natura, deorumq; potestate. Quas sanè disciplinas in Britannia inuentas, Druides ad Gallos primum importasse dicuntur. autor Cæsar lib. de bello Gallico sexto.

His temporibus, C. Iulius Cęsar post omnem deuictam ferè Galliā, Britanniam etiam tum Romanis incognitam, armis sibi petendam constituit. Causa petendi erat, quòd Gallicis bellis multa inde auxilia hostibus suis administrata intellexisset. Tametsi tempus anni ad bellum gerendum deficere, parum enim æstatis supererat, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modò insulam adiuisset, & genus hominū perspexisset, loca, portus, aditus cognouisset. Itaque conuocatis undique ad se negotiatoribus, & diligenter scisciatus, nihil quicquam quod quæreret, reperire potuit. Ad omnia igitur quæ ad desti nati belli usum pertinerent, cognoscenda, priusquam periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusenum cum naui longa præmittit: cui mandat, ut exploratis omnibus rebus, quamprimum ad se reuertatur. Ipse cum omnibus copijs, in Morinos populos litoris Gallici, quod cōtra Britanniam est, proficiscitur, quòd inde est breuissimus in Britanniā traiectus. Fuit olim hoc loco Icius portus multarum nauium capax, nunc uerò multò angustior, in quem & nulla nauigia, nisi crescente mari, ingredi possunt: quod dedita opera factum uidetur, ut oppidū Caletum seu Bononia, quia de re ipsa, uti suprà ostendi, in uulgus ambigitur, ibidem situm, quod firmo præsidio tenetur, minus per hoc, hostium iniurijs patêret. Huc Cęsar naues undiq; ex finitimis regionibus, & quam superiore anno ad Venetum bellum (sunt ij Veneti Galliæ populi, hoc est, Britannię continentis, qui Oceanum accolunt) ædificarat classem, conuenire iubet. Interim Morini legatos ad eum miserunt, seq; ea quæ imperasset, facturos polliciti sunt: quos ille libenter in fidem recepit, ualde gauisus, quòd post tergum hostem relinquere nō cogeretur: cùm interea consilio eius cognito, & per mercatores ad Britannos perlato, raptim omnes qui arma induere per ętatem poterant, ad arcendam uim hostiū ad mare conCurrunt. At Cæsar ait, à pluribus insulæ ciuitatibus ad se legatos uenisse, & illos postquam hortatus est, ut in ea sententia permanerent, domum remisisse. qui Cassiuellauni non meminit, nisi in secūdo bello, quod Britannis fecit, cui summam imperij administrandi, belliq; gerendi, communi consilio Britanniciq; populi traditam scribit, regem tamen eum non appellat. Contrà in recenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

historia legimus, Cæsarem petijsse per literas à Cassiuellauno rege uectigal: & illum respondisse Cæsari, se non didicisse hactenus seruire, sed tueri libertatem etiam armis, si opus foret, id quod ille sentiret, si auaritia cęcus Britannos turbare auderet. Ita hîc perinde ut alibi omnia uariè tradunt. Quare nobis, ut ab initio professi sumus, noua & uetera particulatim proferenda iudicamus, ut quo nos plus laboris insumemus, hoc legentes plus uoluptatis hauriant, cùm legendo, alia fide, alia gratia, alia ioco digna notarint. Ad rem redeo. Interea C. Volusenus post quintum diem, quàm à Cæsare discesserat, in Galliam reuersus, ordine exposuit, quæ fuissent à se loca explorata. Tum uerò Cæsar nil amplius moratus, ex multitudine nauium, quæ in unum conuenerant, delegit, quot ad duas legiones transuehendas satis essent. postea idoneā ad trajiciendum tempestatem nactus, secunda noctis uigilia soluit: qui non aduerso usus uento, quarta diei sequentis circiter hora, Britanniam attigit. Insederant insulani denso armatorum agmine littus, obseruantes hostiū accessum: quos cùm supra caput esse uidissent, tum se ad resistendum cōfestim pararūt. Quod Cæsar conspicatus, usq; eò in anchoris steterit, dum equites qui onerarijs aduehebantur nauibus, adfuissent. mutato inde consilio, ne in primo egressu, prius cum hostibus confligere cogeretur, quàm miles in sicco esset, illinc circiter millia passuum octo progressus, naues in plano litore constituit. Nec Britannus interim in otio fuit, sed equitibus & essedarijs ad occurrendum præmissis, cætera multitudo subsecuta est, ubi naues constiterant. Est itaq; eo loci diu certatū, Romanis egredientibus, cōtrà prohibētibus insulanis, atq; ad naues usque occursantibus. Romani tamen, quia aquila à signifero in litus exposita erat, pudore magis quàm quod id tutò fieret, nauibus egressi, hostem paululum submouerunt. Fuit aliquandiu dubium certamen, quoad alijs super alios Romanis in litus euadentibus, Britanni pulsi sunt: qui ubi sese ex fuga in tutū receperunt, continuò ad Cæsarem de pace legatos miserunt. Cæsar ueniā petentibus dedit, obsidesq; imperauit: quorū pars cōtinuò data est, reliqui propediem uenturi erant, cùm subitò tēpestate coorta, omnis Cæsaris classis maximè afflictata est, & in primis onerariæ naues, quæ in anchoris stabant, ita ut plures inuicem collisæ, aliæ armamentis nudatæ, nullū sui usum amplius pręstare potuerint. Id incommodum magnam Cæsarianis attulit perturbationē: nam neq; materia reficiendarum nauium aderat, neq; commeatus ad hyemandum antea prouisus. Britannorum principes ea difficultate animaduersa, arbitrantes fore, ut Romanus Imperator cum ea hominum paucitate, in discrimē adduceretur, occultè inter se coniurant. Cæsar ex ea nauium clade, & quia Britanni obsides dare destiterant, id quod erat suspicatus, nihil nō maturè prouidet, commeatum parat, naues refici iubet. Nec insulani multum quieuere, qui legionem septimam, quæ frumentatū fuerat egressa, subitò inuaserunt: quam insigni clade affecissent, nisi Cæsar puluere ex castris conspecto, actutum suis auxilio uenisset. Ita legio à Britānis circumuenta, turbatisq; ab essedariorum incursu ordinibus, cùm undiq; premeretur, sui ducis aduentu, temporis puncto seruata est. Vtebantur Britanni essedis, id est, uehiculis, in prælio, quæ equorum rotarumq; strepitu ad primum congressum, aciem hostiū ualde turbabant, terrebantq;: inde curribus relictis, pedestrem faciebant pugnam. Secutæ sunt deinde fœdæ tempestates, quę plures dies Romanos à pręlio retraxerunt,

xerunt. Interim Britanni auctis copijs, in unum cōueniunt, Romanosq; quos facilè delere sperabant, armis repetunt. Iterum itaq; dimicatum, tum demum fusi fugatiq; Britanni, de pace ad Cęsarem mittunt, qui duplo maiore accepto obsidum numero, pacem pro tempore ipsis insulanis dedit, atq; ita uictor bellі in Gallias reuertit, paulò ante hyemem, quæ iam appropinquante die æquinoctij, instabat. Hæc uetera sunt, iam noua dicamus. Tradūt Cæsarem primo congressu à Britannis profligatum, in Galliam se fuga recepisse, & Cassiuellaunum ob uictoriam lætitia exultantem, dijs patrijs multa cærimonia sacrificasse. Ad propositum redeo.

At Cæsar cupidus redigendi insulā in potestatē populi Romani, anno qui secutus est, classe omnibus rebus paratissima, statim post initiū æstatis, in Britāniam traiecit, positisq; loco idoneo castris, insulanos bello premere cœpit. Cassiuellaunus, quem Britanni aduentu hostiū, uti Cæsar tradit, permoti, totius belli negotio imperioq; præfecerāt, nā ante id tēpus, cæteris insulanis infensus erat, sub hostiū accessum, litus occuparat: sed ratus utilius, hostē lōgius à mari prius trahere, cū eo manus consereret, ne ab illis qui in nauibus erāt, auxiliū ferri posset, paululum pedē retulit, positisq; in propinquo castris, suos in armis eo die tenuit. Postridie utrinq; in certamē itur, iamq; ad manus propè uentū erat, cùm illo tēporis momento Cæsari nuntiatū est, totā classem fœdè circa litus disiectā esse: quapropter iussis legionib. cōsistere, equitibusq; ad signa reuocatis, ad naues reuertit. Ibi subductis nauibus, quæ superfuerāt, magnā opificū manum adhibuit, qui naues reficerent, scripsitq; in Galliam, ut plures primo quoq; tempore ad se mitterentur: atq; his rebus ita prouisis, ad hostes reuertit. Conuenerant interim maiores Britannorū copiæ, quæ cum Romanis pugnā cōmittere ardentissimè cupiebāt. Nō multo pòst, cum equitatu Cæsaris appropinquante, in itinere prælіari acriter incipiunt, à quo paululū repulsi, agmine occultè circumacto, in castra hostiū impetū faciunt. Pugnatū est pro uallo acriter, fuitq; id certamē anceps, & Romanis laboriosum, in quo multi interfecti sunt, castra tamen defensa. Postero die procul à castris, Britanni in collibus taciti consistunt, inde Romanos populatum egressos conspicati cum clamore adoriunt. Ii à legionarijs & equitatu qui suis subsidio adfuerūt, ad ultimū fugati sunt. Ex hac fuga discedentes Britanni, decreuerūt nunq; deinceps cum tot copijs cum hoste cōgredi: quare Thamesim flumē transgressi, nouas circa ripā copias instruunt, eamq; acuadum, acutis sudibus præfigunt, quò hostes transitu prohibeant. Cęsar cognito à captiuis eorū consilio, ad flumen progressus, eo loci constitit, quo flumen pedibus atq; ægrè transiri poterat. Hic locus, ut Cæsar ait, abest à mari circiter millia passuū LXXX. adeò, ut propè certo eius interualli argumento cōiectura augurari possimus, illud fluminis uadum fuisse parum ultra Vindesoram pagum, qui à Londino passuū millia XX distat, spectatq; ad occidentē. At Cęsar statim atq; eò peruenit, licet ad alterā fluminis ripā uidisset esse magnas hominū copias, quas Cassiuellaunus instruxerat, ubi loci eius principatus erat, sicut ipse Cæsar testat, & cognouisset ripam cum alueo, acutis sudibus munitā, nihilominus suos flumen transire iussit: qui amnē ferociter ingressi, etsi uix capite ex aqua extabant, tāto impetu ad alterā ripam peruenerūt, ut hostes subitò in fugam cōiecerint. Quo factū est, ut Romani liberius prędandi, uastandiq; causa, in agros se ciecerint:

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quos Cassiuellaunus, qui cum manu electa suorum, hostis itinera obseruabat, armatos passim emittebat, afficiebatq; incõmodo. Interim Trinobantes, quia Mandubratius adolescens fuga mortem uitans, Cæsaris fidem secutus, ad eum in Galliam ierat, cuius pater Imanuentius in eorum ciuitate regnum obtinuerat, & à Cassiuellauno interfectus fuerat, legatos ad Cęsarem mittũt, pollicenturq; sese ei dedituros, & imperata facturos, ac petunt, ut Mandubratium ab iniuria Cassiuellauni defendat, atq; in ciuitatem mittat, qui pręsit, imperiumq; obtineat. His Cęsar obsides imperat, Mandubratiumq; ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt. Postea Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, & Cassi Trinobantes secuti, in fidem Cæsaris uenere. Secundũ hæc, Cæsar oppidum Cassiuellauni, quod non longè ex eo loco, quem suprà memorauimus, aberat, syluis paludibusq; munitum, quò satis magnus hominũ pecorisq; conuenerat numerus, expugnat. Erat hæc sylua fossa & uallo munita, quam Britanni oppidum uocabant. Cassiuellaunus interea ad Cantianos, quibus quatuor reguli præerant, Cingetorix, Caruilius, Taximagulus, & Segonax, nuntios mittit, atq; ijs imperat, ut castra Cęsaris naualia de improuiso adoriantur: qui quod iussi erant sedulò facientes, parum feliciter pugnarunt: fusi enim ac cæsi sunt. Tum Cassiuellaunus tot detrimentis affectus, datis demum obsidibus, pactus est, ut Britannia populo Romano uectigalis esset. Cęsar uerò magno captiuorum numero in naues impositio, circa æquinoctium autumnale in Galliam redijt uictor, & incolumis. Hic fuit belli exitus, quo C. Iulius Cæsar Britanniam ad Romanum adiunxit imperium, id est, eius proximam partem in deditionẽ Romani populi redegit. Quare non est quòd quispiam suspicetur, quicquam rerum fuisse Cęsari, cum Septentrionalibus Britannis, cùm uix primam ipsius Britannię partem uiderit, uicerit q;. Atqui cùm illam sæpius posthac parêre recusantem, Imperatores Romani maximè laborassent armis coercere, ipse Cæsar uideri potest Britanniam non tradidisse posteris, sed ostendisse. Cæterùm de eiusmodi Britannici belli euentu, Gildas grauissimus autor cum Cęsare fermè consentit, à quo nos bene magna ex parte accepimus, quæ suprà posuimus. Is enim suorum Britannorum ignauiam accusans, de ea re sic scribit. Etenim reges Romanorum cum orbis imperium obtinuissent, subiugatis finitimis quibusq; regionibus, uel insulis, Orientem uersus, prima Parthorum Indorum confinium parta pace, qua peracta, in omni penè terra cessauere bella, & potioris famæ uiribus firmassent, non acies flammę quodammodo rigidi terroris ad occidentem, cęruleo Oceani torrente potuit uel cohiberi, uel extingui, sed transfretans insulę parendi leges aduexit, imbellemq; populum non tam ferro, igne, machinis, ut alias gentes, quàm solis minis, uel iudiciorum cõcussionibus, in superficie tantum uultus, presso in altum cordis dolore, suam obedientiam proferentẽ edictis subiugauit. Hactenus Gildas. Deuicta est Britannia à Cæsare, anno ante aduentum Christi, circiter sexagesimo. Cassiuellaunus post annum deinde septimum, quàm uictus est, sine liberis, naturæ concessit. quem Theomantius nepos secutus est. Huic successit filius nomine Cinbellinus, quem ferunt sub Augusto Cęsare stipendia fecisse. De utroque nihil habeo memoria dignum dicere, nisi quòd tum demũ lux uera illuxit terris, quando Cinbellino regnante, IESVS CHRISTVS Maria uirgine ortus est.

Cassiuellaunus Regis Theomantius nepos secundus Cinbellinus filius regis qui Rex Regum CHRISTVS IESVS natus est

Pro-

PROOEMIVM LIBRI SECVNDI.

IAM percucurrimus, id quod ab initio pollicitus eram, uitas sexagintaocto regum (tot enim fuisse aiunt, eo ordine, quo eos noua tulit historia) unà cum uita Cassiuellauni: ac præterea breuiter memini de Theomantio & Cinbellino, qui Cassiuellauno succedere in rerum administrationẽ. Isto Cassiuellauno principe, Britãnia Romano imperio, sicut demonstrauimus, uectigalis facta est, fuitq; deinceps paulò minus quingentis & tribus annis, cùm Britanni id temporis destituti auxilio ab Aetio, qui in Gallijs copiarũ præfectus Theodosij iunioris fuit, à Pictis Scotisq; fœdere coniunctis cœperint sic bello premi, ut postquam eorum rapinas & impetus aliquandiu fortiter tulerunt, ad ultimum suis iam diffisi uiribus, coacti sint Anglos Saxones Germaniæ populos pugnaces atq; feroces, ad opem ferendam accersere. Sed secus euenit, atq; putarant: Angli enim insulæ partem quam illi tenebant, in suam potestatem redegerũt. Atq; ita quantum mille & amplius annos, Britannicus populus creuerat gloria, tantum calamitosa hæc temporũ intercapedo eum grauiter afflixit, quæ à Cassiuellauno, usq; ad Anglos, intercesserat: qui, ut dictum est, imperium in insula postremò obtinuerunt. Cæterum cùm ista omnia plana facere scribendo constituamus, ecce, scriptorum partim uarietas, partim incuria, atq;, ut ita dicam, temeritas adeò animum turbat, ut nesciã, quid pro certo aut falso sim affirmaturus, cùm de multis, tum præsertim de ordine regum, qui à Cassiuellauno, ad Anglos, secuti sunt. Romani enim scriptores, & in primis Tacitus, dicunt Britannos olim paruisse regibus, & pòst uectigales factos, per principes factionũ ita diuersis studijs tractos esse, ut ad propulsandum cõmune periculum uix duę tresúe ciuitates conuenirent, simulq; arma caperent: sicq; dum singuli pugnarent, uniuersos esse uictos. Atq; hoc demum pacto aiunt Britanniam à Romanis in formã prouinciæ redactam, ac ab illis ad eam gubernandam missos esse præpositos, qui eam obtinerent. Veruntamen ijdem autores de quibusdam regibus, sicut infrà dicetur, meminerunt, qui dum rerum orbis Cæsares potiebantur, in Britannia regnarint. Illud idem attestatur & Gildas cùm inquit: Reges habet Britannia, sed, &c. Cęsar uerò tradit tempore suo, in Cantio quatuor fuisse reges, qui illis regionibus præerant. Tacitus meminit Prasutagi, & Cogiduni regũ: Iuuenalis Aruiragi: recentiores omnes Lucij. Hinc igitur apparet, siue unum, siue plures, sub Romanis Imperatoribus reges fuisse in insula, cum imperio. Contrà uulgus prædicat summam imperij penes Britannos semper fuisse, & Romanum senatũ in singulos annos, uectigali accepto, ex officio, ad coercendos sæpe nouos seditionũ motus, hostiumúe incursus arcendos, misisse Imperatores suos in insulam. Ac ita uult Britannos tantũ suis regibus paruisse semper, donec ad extremũ imperio ab Anglis deiecti fuerint. Sed cùm in ipsa uulgari historia, regũ series seruanda foret, quoties accidit, ut non essent qui subijcerentur reges, loco illorũ perbellè positi sunt modò Romani Imperatores, modò eorũ præfecti, dictiq; sunt reges à Britannis creati, perinde quasi Imperatores Romani regibus inferiores fuissent, & prefecti arbitratu suo, nõ ad se natus, aut Imperatorũ præscriptũ prouinciã administrassent. Sed hæc ut uulgatiora, quàm ut hîc putẽ esse repetenda, iam missa faciamus, quãdò nos infrà perappositè legentes admonebimus eas ipsas res, quæ ad fidem scriptæ sint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec illud omiserim, formam administrãdæ reipublicæ Britannicę ante aduẽtum Romanorum, uariam fuisse. Sanè Cęsar scribit, Cassiuellaunum habuisse in insula principatum, cuius fines Thamesis flumen à maritimis ciuitatibus diuideret, & ei propter suum aduentum, summam imperij belliq; administrandi permissam, ac eidem ante id tempus, cum reliquis ciuitatibus, continua bella intercessisse. Itẽ in Cantio quatuor fuisse reges, hoc est, principes, cuiusmodi hodie nos uocamus comites, siue duces: & Cenimagnos, Segontiacos, Ancalites, Bibrocos, ac Cassos populos missis legationibus, sese dedisse sibi. Et ibidem inquit: Principes undiq; conuenire, & se ciuitatesq; suas Cæsari commendare cœperunt, &c. Hinc igitur colligere licet, talem per id temporis fuisse Britanniæ rei gubernandæ formam, qualis in præsentia est Italiæ, Germaniæq;, ubi alię ciuitates ab uno principe, aliæ à nobilitate, alię à populo reguntur: & eos quos reges uocant, fuisse potentiores inter alios, qualis fuit Cassiuellaunus, qui ob id, rex dictus est. Hęc ob oculos legentium posuimus, quò historiam multò facillimam intellectu redderemus. Cæterùm iam institutum opus prosequamur, ut tandem de Britannici regni fine, & Anglici initio simul dicamus.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER SECVNDVS.

PAX ubiq; gentiũ Augusto principe, mortalibus diuinitus data, adhuc in Britannia integra manebat, cùm eius leges Guinderius rex ex Cymbelino genitus, fregit. Is enim uir fortis, homoq; audax, cui ea audacia temeritatẽ attulit, Romanis tributum soluere negauit, populũq; ad nouos tumultus excitauit, qui utcũq; ad id prouocatus, apertè, quemadmodum Gildas tradit, defectionem fecit. Quamobrem Claudius Cæsar bellum Britannis inferendũ statuit. At Suetonius Tranq. ait, Claudiũ causa orti tumultus, ob nõ redditos quosdam transfugas, in Britannos arma mouisse. Igitur Claudius in insulam Romanorũ Imperatorũ primus, postq; eam dictator Cęsar armis superarat, profectus est: qui prouincia statim sine ullo prælio pacata, post sextum mẽsem, q; ex urbe recesserat, in Italiam redijt. Quod uerissimũ esse testatur idẽ Gildas, ita de ea subita alienatione populi scribens: Quibus ita gestis, cùm talia Senatui nuntiarentur, & propero exercitu ulcisci festinaret, non militaris in mari classis parata fortiter dimicare pro patria, nec quadratũ agmen, neq; dextrum cornu, alijúe belli apparatus in litore conspiciuntur, sed terga pro scuto, fugãtibus dantur, & colla gladijs, gelido per ossa tremore currente, manusq; uinciendę muliebriter protendũtur, ita, ut in prouerbiũ & derisum longè lateq; efferretur, Britanni non sunt in bello fortes, nec in pace fideles. Itaq; Romani multis rebellium cæsis, nonnullis ad seruitutẽ, ne terra penitus in solitudinẽ redigeret, mancipatis, ex patria uini oleiq; experte, Italiã petunt, suorũ quosdam relinquentes præpositos, non tam militari manu, quàm flagris miseram gentẽ maceraturos, & si res sic postulauisset, ensem, ut dicitur, uagina uacuũ lateri eius accõmodaturos, ita, ut nõ Britannia, sed Roma censeretur: & quicquid haberi potuisset æris, argenti, uel auri, imagine Cæsaris notaretur. Hæc ille. In historia uerò noua leges, pugnatũ fuisse inter Claudiũ & Guinderium, & ipso

Guinderius

Claudius Cæsar cur Britanni bellum intulit

& ipso Guinderio fraude interempto, Aruiragum eius fratrem redintegrasse bellum, & postremò nõ prius ab armis cessatum, quàm Cæsar filiam nomine Gennissam seu Gemissam Aruirago, qui in locũ fratris surrogatus rex fuerat, collocasset. Qui quidem Claudius cùm, teste Suetonio, ex tribus uxoribus Claudiam, Antoniam, & Octauiã filias suscepisset, & Claudiã ex se nõ conceptam ad Herculanillæ matris, cum qua diuortiũ fecerat, ianuã iussisset abijci, Antoniã Cn. Pompeio magno, deinde Fausto Syllæ nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo locasset, re ipsa apparet, tam absurdum esse, tradere, quàm credere, Gennissam filiam ipsius Claudij fuisse, & Aruiragoab eo in matrimoniũ datam. Cæterũ Claudius siue armis, siue æquo fœdere compositis rebus, postq; Orchades in Oceano ultra Britanniam insulas domuit, Romã reuersus triumphauit maximo apparatu, ob eiusq; rei memoriã, filium ex Messalina susceptũ, quem primò Germanicum dixerat, Britannicũ cognominauit. Interea in Britannia nouos belli motus fieri renuntiatũ est: quò Cæsar Vespasianũ, quod illi initium uenturæ mox fortunæ fuit, legatũ misit, qui uno cõmisso prælio tumultus omnes compescuit, Vectemq; insulam Britanniæ proximã in ditionẽ Romani imperij redegit. Aruiragus deinceps ne spes excutiendi iugum Romanũ toties uana euaderet, ingrauescente iam senio, pacem cum hoste fecisse dicitur. Verùm Cornelius Tacitus autor est, Romanos principes consueuisse præpositos, hoc est, legatos & procuratores in Britannia habere, quò insulanos in officio facilius continerent: quod uel Gildas, uti suprà ostendimus, affirmat. Quare post Vespasianũ, principe Claudio, cùm iam Britannis inciperet redire in præcordia uirtus, consulariũ primus Aulus Plautius legatus fuit, ac deinde Ostorius Scapula. Hunc turbidę res uenientem exceperunt. nam Iceni gens ualida, unà cum finitimis arma capientes, locum castris ad offendendũ idoneũ deligũt, ac passim Romanos infectant. At ille gnarus primis euentibus belli metum aut fiduciã gigni, it properè obuiã, & quos palantes offendit, passim cędit: deinde Antonã & Sabrinã fluuios castris cingere parat, quod ne fieret, ipsi Iceni impedimẽto fuere. Ita spe deiectus ad hostiũ castra pergit, aditaq; pugna, fortiter uincit, & uictoria usus in Cangos exercitũ ducit, multa parta ubiq; præda: Atq; per hunc modum in hostes properando, haud procul mari peruenerat, quod ad Hyberniã spectat. Hinc satis liquet, id bellũ in intima occidentis parte esse gestum, & Icenos populos partim orę maritimę, partim Sabrinæ & Antonæ accolas fuisse, quales hodie sunt Sarisberienses, Vuellenses, Exonienses, Vigornienses, Salopienses, ac Herefordenses: & Antonam flumen id esse, quem Veium dicunt, qui pręterfluit Herefordiam, ac ipsi Sabrinę non longè ab ostio iungitur: Sicut Cangos interiorem Vuallię partem ad Occidentẽ pertinentẽ coluisse perspicuũ est. Dum ista Romanus dux gerit, ecce, ortis subitò apud Brigantes discordijs, retrahitur: quas primo accessu sedauit, cæsis eius motus autoribus. Item ex hoc loco cõiectura fert, Brigantes in ea insulæ parte fuisse, ad quam nunc in septentrionem uersus, Eboracensis, & ad Occidentẽ, Carliolensis diœcesis pertinet, ad oramq; maritimã, ubi Lancastrũ ac Candalia est: id quod planũ facit Tacitus, qui alibi ait eorũ ciuitatẽ numerosissimam fuisse, quemadmodũ semper Eboracũ cęteris ciuitatib. hominũ multitudine præstitit, ut ex eius situ cõstat. Interea Silurũ gẽs ferocissima ex delectu copias cõparat, freta uirtute Carataci,

Claudius triumphum Britannia Romam refert

Germanici nomẽ in Britannia mutatur

Vespasianus a Claudio in Britanniam mittitur

Aruiragus Rex Britannorum

Caratacus strenuissimus Regulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiri bellicæ artis peritiſsimi, ac inter alios longè principis, qui Ordolucarum regulus fuiſſe dicitur, quorum ac aliorum uicinorū furoris compeſcendi cauſa, recens ueteranorum colonia Camulodunum deducta erat. Hinc parum ac commodùm diuertamus licet.

PutoCamulodunū (quandò de ea re ambigit) eo loci olim ſitum, ubi nunc eſt Dancaſtrum, quia uel caſtrorum memoria uidetur retinere nomen loci ad belli præſidium electi: aut Pontifractum, quod paulò propius, & etiam citra Eboracū eſt, circiter millia paſſuum XVIII, loco magis amœno, quàm natura munito. Extat caſtellum, & in eo aliqua ueſtigia templi, quod ibidem Claudio Cæſari dicatū conſtat, in quo duo erant ſimulacra, unum deæ Victoriæ, alterum ipſius Claudij, & deinde eò colonia deducta, quæ præſtò eſſet, quaquauerſum ferre auxilium ſuis Romanis. Hæc ex Tacito, qui ita lib. xiiij. ſcribit: Ad hæc templum diuo Claudio conſtitutū, quaſi ara æternę dominationis. Nec arduū uidebatur excidere coloniā nullis munimentis ſeptam, quod ducibus noſtris parum prouiſum erat, dum amœnitati prius, ęſ uſui conſulitur. Hæc ille. Erat præterea locus iſte peropportunus Romanæ prouinciæ tuendæ, quæ id temporis admodū parua, nondum pertinebat ad Tinam flumen, quod poſtea flumen eius limes fuit, id quod teſtatur idem Tacitus, cùm ponit præpoſitos Romanos, quí poſt Veſpaſianum in inſulam miſsi fuerant, ſic in uita Agricolæ ſcribens: Diuus Claudius autor operis, tranſuectis legionibus, auxilijsq́, & aſſumpto in partem rerum Veſpaſiano, quod initium uenturæ mox fortunæ fuit. Domitæ gentes, capti reges, & monſtratus fatis Veſpaſianus. Conſularīū primus Aulus Plautius præpoſitus, ac ſubinde Oſtorius Scapula, uterque bello egregius, redactaq́ paulatim in formam prouinciæ, proxima pars Britanniæ, addita inſuper colonia, &c. Non fuit igitur per id tempus admodum lata Romana prouincia, cùm prima tantum inſulę pars, qualis memoria noſtra eſt ferè Anglia, ſub Romanū imperium redacta eſſet. Non fuit etiam Camulodunū extra prouinciam, cùm ibidē ad eam defenden dam, ueteranorum preſidium collocatum foret. Quid, quòd uel Ptolemæus ponit illud oppidum haud procul ab Eboraco, eodē fermè loci, quo nos manifeſtis argumentis fuiſſe iam probauimus? Quid, quòd uel illud teſtimonio eſt, Camulodunū in prima inſulę parte fuiſſe, quòd cùm Iulius Agricola Trāſtuedanos Britannos quinq́ cōtinuis annis bello perſecutus fuerit, tandemq́ domuerit, & eas res geſtas Tacitus diligenter ſcripſerit, nulla de Camulodu no fit mentio; ad quē quidem locū, ſi ea in parte ponamus, dubio procul Romanarum legionum aliquando itus, reditus, aut manſio fuiſſet. Iam ad rem.

Ita Caratacus homo ualens apud Ordolucas, loco ad prelium ſumpto, ubi ardui montes cuncta hoſtibus difficiliora redderent, ſuos hortabatur, affirmans illum diem, illam aciem, aut recuperandæ libertatis, aut æternæ initium ſeruitutis fore, uocabatq́ ſpeciatim nomina maiorum, qui Iulio Cæſari ſeſe oppoſuiſſent: ita multa cōmentatus, certam uictoriæ ſpem ſuis faciebat. Nec Oſtorius interim ſilebat, quieſcebatúe, qui ſuos itidem hortatus uadit in hoſtem, bellicumq́ canit. Hîc cōſerta manu, miſsilibus primum certatur, deinde facta impreſsione, res gladijs geritur. Pugnatum eſt aliquandiu dubio Marte, donec Britanni in iuga montium decedere ſunt coacti: ſed eò quoq́ ferentarij ſecuti, magnam fecerunt cædem. Capta uxor, filiaq́ Caratacī, fratresq́ in

in deditionem accepti. Ipſe uerò Carthumanduæ Brigantum reginæ fidem petens uinctus, ac uictoribus traditus eſt. Sic Caratacus, cuius nominis fama iam per omnem Italiam peruaſerat, quòd nouem annos bellaſſet cōtinenter cum Romanis, ducitur cum alijs captiuis Romam. Is ubi coràm fuit, præſenti admodum animo, ita Claudium Cæſarem allocutus fertur: Si optime Cæſar res ſecundæ aliquando uel meæ uoluntati, aut fortunæ reſpondiſſent, dubio procul hanc urbem liber uidiſſem: uidiſſem autem libens, quandò iſtuc in parte felicitatis habebam. Ita tātum aberat, ut pacem aſpernarer, ut etiam datam ultrò eſſem accepturus: ſiquidem ſecundùm patriæ libertatē, nil mihi unquā fuit optatius æqua Romanorum amicitia. Sed nunc ita caſus tulit, ut in tuam caderem poteſtatem, quò, opinor, ego qui multis rebus beatus me aliàs in cœlo eſſe putaram, rectè intelligerem, quantū ſpei in rebus humanis ponendum foret, & tu belli uictor plus gloriæ conſequerere, quòd uicisti, & pepercisti: ſic enim te pro tua clementia facturum confido. His uerbis Cæſar lenitus, & Carataco & uxori & fratribus uitam cōceſsit. Ac ita fortem, ut eſt in prouerbio, fortuna iuuat. Silures poſt hæc præfectum caſtrorū cum legionarijs cohortibus præſidio relictum inuadunt, quem cepiſſent, niſi maturè ſubuentum fuiſſet: multi tamen Romanorū in eo tumultu periere. Porrò ij præ alijs, multò infeſtiores Romano nomini erant, accenſi dira uoce Imperatoris Romani iam paſsim peruulgata, quæ eiuſmodi erat: Vt quondā Sicambri exciſi, ut in Gallias traiecti forent, ita Silurū nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes, præfectorū auaritia incautius populantes, interceperunt, ſpoliaq́ ac captiuos largiendo, cæteras nationes ad defectionem trahebant, cùm tædio curarum Oſtorius occidit. At Claudius Cæſar cognita morte legati, ne prouincia ſine rectore eſſet, Aulum Didium ſubſtituit. Is properè profectus res etiam turbatas inuenit, profligata paulo antè legione, cui Manlius Valēs præerat: Sed breui Siluribus ad ſanitatem reuocatis, & defenſa Carthumandua regina ab iniuria Venuſij, qui eam in matrimonium duxerat, & ob ortum diſsidiū, pellere regno conabatur, omnia pacata reddidit. Sunt per idem temporis aliquot oppida Cogiduno regi donata, qui uſque ad tempora Domitiani fidiſsimus manſit.

Deinde Auitus legatus prouinciam principe Nerone obtinuit, & tum gra uis quoq́ clades accepta. Hunc inſecutus eſt Verannius, qui parta tantum retinuit, intra annum extinctus. Secundum hæc, Suetonius Paulinus uir omnibus fortunæ & uirtutis bonis ornatus, Britanniam obtinuit, qui Monam inſulam receptaculum perfugarum aggreſſus, in poteſtatem primo acceſſu, uti in principio operis, in deſcriptione eius inſulæ, diximus, redegit. At Britanni interea Paulini abſentiam nacti, agitare inter ſe mala ſeruitutis, conferre iniurias, nihil patientia proficere, niſi ut peiora deinde tolerarent, cùm legatus in dies ſingulos in ſanguinē, & procurator in bona ſæuitiā adhiberet, animos ſimul ad bellandū incendere: Item multis inſuper Romanorū militū ſceleribus in ſe editis ſtimulabant. quippe rex Igenorum Praſutagus Cæſarem hęredem duasq́ filias fecerat, ratus tali obſequio regnum ac domum ſuam procul ab iniuria fore. Quod contrà ac confiderat, euenit: regnū enim à centurionibus uaſtatum, uxor nomine Voadicia à ueteranis pulſata, filiæ ſtupro pollutæ, principes Igenorum bonis exuti, amici regis inter mancipia habiti. Item ueterani

Universidad de Deusto
Biblioteca

paulò antè in coloniam Camulodunum deducti multos passim domibus pellebant, ex agris exturbabant, & cunctos ueluti captiuos appellabant seruos. Ad hæc, templũ diuo Claudio constitutũ, ubi sacerdotes nomine religionis, fortunas omnium diripiebant, spoliabant, deuorabant. Dira præterea prodigia, quæ id temporis oculis omnium obuersata sunt, nõnihil incitabant: nam simulacrum Victoriæ Camuloduni retrò conuersum, quasi cederet hostibus: Oceanus cruento aspectu fluxit, & humanorum corporum effigies litoribus relictæ sunt. Fœminæ quoq; furore turbatæ, adesse exitium canebãt, adeò, ut insulani ad spem, & ueterani ad metum traherentur. Atqui ista eiusmodi, siue hominum dæmonúmue fraude, siue rerum natura momenta fiant, quæ uulgus loco prodigiorum, interdum superstitiose notat, ipse facilè silentio prætereirem, ut ne uideremur facere contra religionem, quæ cuncta Dei prouidentia agi docens, uanas euentorum prædictiones respuit, si id historiæ ratio pateretur, quæ facta omnia scripta uult. Igitur nihil nobis qui hoc loco, aut alibi talia memorabimus, sed atq; adeò uanitati mortaliũ, qui hisce præsensionibus intelligentiam rerum futurarũ habere, aniliter conati sunt, uitio detur. Et hæc eò pertinẽt, ut nemo homo debeat in istiusmodi obseruationes longè sutilissimas incumbere. Quapropter à principio de ea re præfari placuit, quia lectorẽ ab omni errore uacuum peruolumus. Ad rem redeo.

Sed Voadicia cum primis animos incendebat, questa iniurias, quas à Romanis accepisset: & quia ipsa ante alios, acerrimo erat in hostes odio, igitur ea duce (non enim in imperijs sexum discernebant) factum est, ut magna populi pars, cõmotis etiam ad alienationem officij, Trinobantibus, repentè à Romanis defecerit, armaq; in eos præcipitanter sumpserit. Primo itaq; insulanorum motu ueterani perculsi, templum quoddam occuparũt, ubi omnes ad unum interfecti sunt: inde legio noua, quæ Peti Cerealis legati ductu ijs subsidio uenerat, fusa cæsaq; est. Catus Decianus Britãniæ procurator, media trepidatione delapsus in Galliam transijt. Peruagatus inde est furor Britannorũ usq; Verulamium municipium, per Romanorum ciuium ac sociorum capita: occisaq; dicuntur ex multitudine imbelli, ad septuaginta hominum millia. Nec multo pòst Paulinus adfuit, Londinũq; perrexit, ambiguus an illam sedem bello deligeret: qui tamen inde digressus locum cœpit arctis faucibus, & à tergo sylua clausum ita, ut sine insidiarum metu esset, certò sciens non posse nisi à fronte inuadi, qui secum circiter armatorum millia decem habebat, quibus fretus cũ multitudine hostium immensa conflixit. Britanni longè maiore bellatorum numero præstabant, qui idcirco tam certa spe uictoriæ, pugnam pugnare cœperunt, ut mulieres curribus stantes sint spectaculo admotæ. Certatum est loco angusto, & ob id Romanorum paucitati perutili: fuitq; pugna ab initio atrox: postremò Britanni qui sese præliando impediebant, propter loci angustiam, imperũ hostium minimè sustinentes, fusi, ac multa cæde passim disiecti sunt: triginta ferè Britannorũ millia interfecta sunt. Voadicia dux belli ne in hostiũ potestatẽ ueniret, uitã ueneno sibi ademit. Fuit iã ab illo tẽpore insulæ pacatior, quẽ Petronius Turpilianus, qui Suetoniũ est secutus, atq; inde Trebellius Maximus, non irritatis Britãnis, comitate quadã fouerũt, seruarũtq;. Illud appositè hoc loco monebo, Igenos mutatione unius literæ alios ab Icenis populos fuisse, ut apud Tacitũ obseruare licet: & partẽ insulæ aquilonarẽ tenuisse,

tenuisse, quam memoria nostra Northumbri habent: Nec Londinum Trinobantũ fuisse urbẽ, ueluti multi suspicantẽ, quod hîc ex eiusdẽ Taciti testimonio perspicuè apparet: nã Suetonius domita Mona insula, transuersis tramitibus, Londinum, ut ad tutiorem locum aduolauit: quod non feciſſet, si id oppidũ Trinobantũ patria fuisset, quippe qui cum alijs defecerant. Hinc insuper constat Trinobantes ipsos non habuisse sedes suas ad occidentẽ uersus, citra Verulamium municipiũ, quod olim situm erat èregione illius pagi, quod Fanum Albani appellant, procul à Londino millibus passuum xx, nam illuc usque furor aduersariorum peruasit. Necitem Suetonio Paulino Londinum festinanti iter tutum fuisset, si Trinobantes eam insulæ partẽ tenuissent, quam uocamus Essexiã, quæ fines habet attingentes territorium Londinense, quemadmodum Ptolemæus tradit, qui ponit Trinobantes ad æstuaria Thamesis fluminis, eorumq; oppidũ peruetustũ nominat Camudolam, quæ hodie dicitur Colcestria. Quare sunt, qui dicunt Trinobantũ urbem fuisse, quã hodie Northantonũ appellamus, id quod corrupta nominis oppidi uox ex primis duabus literis indicat: nam agrestes uernaculo sermone oppidum uocant Tranton, propter quod labitur Nyna flumen, quod flumen nunc cõmune cum oppido nomen habet. Atqui coniecturæ ex diuersis opinionibus captæ sæpe solent rem minimè dubiam argumentando dubiam facere, quod accidit hoc in loco, de Trinobantũ sedibus quærendis. Nanq; postremò inciderunt in manus nostras annales antiquissimi, in quibus ita scriptũ erat: Trinobantes etiã audito terribili rumore, de aduentu Romanorũ, celeriter muniunt suam ciuitatẽ, & armant nauigia plura, causa defendendi partẽ maritimã suæ patriæ, circa ostium Thamesis. Verba hæc faciunt cũ Ptolemæo, & cũ utrisq; cõsentiendum esse dilucidant: ex his enim testimonijs iam certũ est, Londinum non fuisse unquam Trinobantum oppidũ, sed illos incoluisse oram orientis maritimam, cuius princeps oppidum est Colcestria. Iam reditus ad propositum. Sicuti in umbilico insulæ fuisse suspicor Cenimagnos, Segontiacos, Ancalites, Cassos, & Bibrocos, quorũ Cæsar meminit: quæ nunc loca colunt Cõuentrenses, Leceſtrenses, Northyngamienses, Derbienses. ita diuinamus, si modò diuinamus. Vna tantũ, præter Londinum, urbs Ordouicũ nomẽ uetus retinet, tametsi nos addita n litera in principio, Nordouicum uocamus. Adeò posteritas, hoc est, Picti, Scoti, Angli, Daci, & Normãni in insula rerũ potiti cuncta immutarũt, protrophæis habẽtes noua locis ab se deuictis imponere nomina.

Erat id temporis Aruiragus, uti suprà memorauimus, princeps rex in Britannia, Nerone principe, autor Iuuenalis satyra quarta, ubi adulatur Neroni (ad Domitianũ enim referri non potest, qui longè pòst imperium obtinuit) de capto rhombo blandiens:

Omen habes, inquit, magni clariq; triumphi,
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno,
Excidet Aruiragus.

Cùm Ioseph ille qui, teste Matthæo Euangelista, ab Arimathæa ciuitate oriundus, Christi corpus sepeliuerat, siue casu, siue consilio, ita uolente Deo, cum nõ paruo comitatu, in Britanniã uenit, ubi tam ipse, q̃ eius socij, cùm de euangelio prædicarent, atq; dogma Christi sedulò docerent, multi per hæc ad ueram pietatẽ traducti, salutiferaq; fruge imbuti, baptizati sunt. Isti uiri certè diuino spiritu afflati, cũ à rege parũ terrę ad inhabitandũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

proxime Vuelliam oppidū, circiter millia passuū quatuor dono accepissent, ibi nouæ religionis prima iecerunt fundamenta, ubi hodie est templū magnificum, cœnobiūq; monasticæ familiæ diui Benedicti ordinis nobile. Loco nomen est Glasconia. Hæc omnino Christianæ pietatis in Britannia extitere primordia, quam deinde Lucius rex, sicut paulò pòst dicemus, propè extinctam baptismi fonte sublatus mirabiliter accendit, pieq; adauxit: nam Gildas testis est, Britannos iam inde ab initio orti euangelij, Christianam recepisse religionē. Marius deinde ex Aruirago genitus, anno salutis humanæ LXXII regnū obtinet, cuí statim bellum ingens cum Pictis fuit. Ii Scythiæ populi sunt, maximè moribus & patria Gothis affines, gens truculenta, & in primis bellicosa. Pictos autem appellatos tradunt à colore cæruleo, quo pingi solebant, aut quia crinibus cæruleis erant: uel à stigmatibus, quibus quanto quis cæteros honore anteibat, profundioribus, quanto humilior habebatur, leuiorib. afficiebatur. Quídam hos Agathyrsos esse suspicantur, Pictosq; uocitatos, quòd sic ora artusq; pingerent, ut ablui nequirent. sed Pictos undecunq; dictos, satis constat populos Scythię fuisse. Itaq; ij duce Rodorico, multis nauibus prędabundi Oceanū ingressi, in Hyberniā insulam peruenere, ubi nouas sedes à Scotis sibi petiuerunt: nā Scoti, qui à Scythis etiā originem traxerant, quanq; aliam ipsi, ut infrà ostendetur, inuentam uolūt, tum eam insulā tenebant: qui cùm è re sua haud fore ducerent, gentē bellicosam & inopē in insulā admittere, charitatē simulantes, lociq; angustiā excusantes, docuerunt, non abesse procul Britanniā insulam magnā simulq; opulentissimam, atq; incolis ferè carentem: hortatiq; sunt, ut illam peterent. quibus pariter operā suā pollicíti. Picti, quos magis prædę, q; imperij cupiditas solicitabat, nihil contantes, insulā uersus nauigant: in quam primū delati, aquilonalem eius partē occupant, ubi deinde raros cōspicientes incolas, prædā capere, incursiones facere, longius uagari incipiunt. Quod confestim Britannorū principes animaduertētes, arma to milite obuiā ierunt, ac Pictos, ut fit, sine metu in agris palātes raptim adorti, eorum duce interfecto, primo prælio uicerunt. Picti qui ex ea clade euasērē, sese in extremam insulæ partē, quam tempestate nostra Cathanesiā dicunt, receperunt: quos longo post tempore, tradunt tenuisse quicquid terrarum à muro, opere Romanorū præclaro, de quo alibi dicemus, usq; ad Grampium montem, ad ortum magis uergens, pertinebat. Atq; Picti per hunc modū, in ea parte insulæ rerum potiti sunt. Et hæc gens ex aduenis, altera est, quæ post Romanos, Britanniā adiuerit, in eaq; regnū obtinuerit, qui fuit annus salutis LXXXVII. Picti ex infelici suorū exitu, lætam fortunā cōsecuti gaudebant, q; in Britannia demū terra sedes firmassent: sed facilè prospiciebant futurum, ut genus suum penuria mulierum (semper enim deest aliquid ad propagādam rebus humanis felicitatem) non ultra hominis ætatem duraret: quippe quib. nec domi spes prolis, nec cum finitimis adhuc connubia essent: tum ex cōmuni consilio, legatos ad Britannos mittunt, societatem connubiumq; nouo populo petitū. Legatio grauissimè audita est, adeò simul omnes spernebant, simul negabant sanguinem ac genus cum externis miscere. Id etsi Picti ægrè tulerunt, iniuriā tamen aliàs ulciscendam iudicantes, ad Scotos in Hyberniā mittunt. Illi mulieres in matrimoniū ea conditione dederunt, ut quoties de creando rege, deficiente genere, discrimē oriretur, tum ex prosapia fœminei sexus, regem

regem dicerent: id quod apud Pictos semper deinceps seruatum constat. Sed iam Romanorum res in insula gestas subijciamus.

Post Trebellium Maximū, qui ob tumultū ex turpi otio in exercitu ortū, non sine infamia abijt, Vectius Volanus Britanniæ præfuit. Deinde Petilius Cerealis aliquot populos, minus dicto audientes, bello domuit. Postea Iulius Frontinus prouinciā rexit, in qua quosdā quoq; populos reluctantes parêre subegit. Postremò Vespasiano principe, Iulius Agricola, uir cuius uirtute arma Romana multò insulanis terribiliora extiterūt, Britanniā etiā tū fluctuantē obtinuit, ubi milites uelut omissa rerū cura, otio propè torpētes, & prouinciā iam iā ad defectionē faciundā properantē offendit: nā Ordouices cùm paulò ante eius aduentū, alam unā militū in finib. suis agentē ferè uniuersam obtriuissent, ob eam rem prouincia omnis erecta erat ad spem propè certā recuperandæ libertatis. Quod Agricola animaduertens, ire obuiā futuro periculo maturat, ac sumptis repentè armis, paruaq; armatorū manu contracta, quia in æquū certamen descendere Ordouices non audebant, hostē inuadit, ac bonā eius gentis partem ferro delet. nec hîc quiescendū ratus, ut nō ignarus instandum esse fortunæ fauēti, Monā deinde insulam, quam Paulinus expugnarat, & post eum reuocatū defecerat, eodē momento recipit. Quibus rebus confectis, causas bellorū prudentia & consilio excídere cupiens, militē suū interim uir artis militaris scientissimus, nihilo secius in armis exercebat, uigilijs defatigabat, ne uirtus per otium languesceret animorū. Item Britannos generatim ut rudes, bonis pariter moribus ac institutis honestandos curabat, hortando, ut templa, fora, ędes sibi extruerent, laudando promptos, castigando segnes, quo honoris æmulatione excitarent ad ciuiles mores: quia ubi uirtutis honos publicè non est, haud ibi uirtutis uel gloriæ cupiditas esse potest: at speciatim filios principū bonis artibus erudiendos monebat, præferendo eorū ingenia Gallis, q; Romanæ eloquentiæ pro uiribus studerent, dedit uel illis leges, Romanaq; instituta quædā utenda introduxit. Quo factū est, ut Britanni breui tēpore optimos imbiberint mores, & apud eos esse cœperit multò honestior cultus, ac delicatius uitæ genus, sic, ut iam tum prandiorū, cœnarumq; lautitia peruaserit per cunctas honestas domos, idq; uocari uerbo, humanitas, apud uulgū, cùm, ut ait Tacitus, reapse pars seruitutis esset. Istiusmodi conuiuiorū elegantiā inde ad nostros Anglos manasse dixerim. Et hoc Agricolæ studiū per hyemē, factaq; memoratu digna primi biennij eius legationis. Postea cre bris ac prosperis prælijs, nonnullis ignotis etiam gentibus domitis, eam partem Britanniæ quā hodie Scotiā dicimus, quæ Hyberniā aspicit, quò ingens perfugarū multitudo identidē confugiebat, copijs instructis, classeq; parata, petendā statuit, ut simul mari, simul terra, bellū gereret. Itaq; iter ingressus, flumen quod Fortheā uocamus, ponte ibidē facto, transmittit, ad arcesq; nōnullas expugnandas aggrediť. Quo cognito, Britanni iam antea collecta undiq; armatorū manu ad flumen concurrunt, ut fracto ponte, hostem inter Fortheā & Taum intercludant. In eos Agricola conuersus nullo negotio fudit, fugientesq; insecutus est, usq; ad Tai æstuaria. Et hęc anni tertij gesta. Postea Agricola statuens sibi tandem aliquando extremū insulę terminū inueuiendū, primo quoq; tempore ad Glotā flumen cōtendit, eoq; loci castra facit, ubi Bodotria, qui nunc Leuinus dicitur, in Glotā influit. Britanni interea frequentes circun

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtabant, in quos facto impetu, ita diſsipauit, ut extra flumen expulerit, uelut in aliam inſulā, quemadmodū putabat, quod flumen circa oſtiū, maximè profundum ac latum eſſet. Atq; eiuſmodi annus quartus res geſtas habuit. Proxima deinde æſtate, Agricola accerſita claſſe, quæ præſtò ac ſtatim adfuit, Glotā naue trāſgreditur, ignotosq; populos ad deditionē cōpellit, locaq; maritima ad Hyberniā uergentia præſidijs firmat, ibiq; hyemat. Ita annus legationis quintus cōſumptus. Deinde Agricola cùm in partē inſulæ interiorē pedem modis omnibus inferre deliberarit, nonnihil terrebat montiū paludūq; difficultatibus, quas tamen ad extremum miles fortiter ſuperauit, qui uelut laboris tanti præmiū, illis in locis nō utiq; mediocrē fecit prædā. Nam eò agreſtes ſeſe cum bonis, ac pecora contulerant, ut ad ultimū perfugiū: Et quia per exploratores intelligebat hoſtes pluribus agminibus inſediſſe uias, eſſeq; irrupturos, idcirco exercitū tripartitò ducebat. Dū iſta gerebant, claſsis Romana iuſſa obire inſulā, portus omnes explorabat. Quare ita uſu ſepe ueniebat, ut terreſtres copiæ ac maritimæ nō ſine ſumma animorū uoluptate, unū in locū cōuenirent, ibiq; pro ſe quiſq; ſua inclyta facta iactaret, & alteri alteros ad cœlū ferrent, uti fit in rebus fecundis, quarū etiā ignauiſsimus quiſq; eſſe uult particeps, at aduerſarū non itē. Britanni interim qui procul erant, ut cognouerunt claſſem uiſam, magnū acceperunt dolorem, q; tanquā aperto ſui maris ſecreto, tutus uictis receptus clauderet: qui nihil eſſe iudicātes quod amplius paterent, ut tanta ubiq; mali labes fieret, ad arma cōuerſi, legionē nouā ut minus ualidā noctu repentè inuadunt. Hīc utrinq; dimicatū uſq; eò acriter, dum Agricola laborā tibus iam ſuis ex caſtris opem tulit. Tum Britanni iterum fuſi fugatiq; ſunt: tamen non uirtute, ſed occaſione, ac arte ducis hoſtes ea pugna ſuperiores fuiſſe ſibi perſuadentes, nihil ex animo remittebāt. Sed cùm iam æſtas præcipitaret, ortis paulo pòſt fœdiſsimis tempeſtatibus, ab armis parū ceſſatū eſt. Ac ita ſextus legationis annus aliquid attulit quietis. Cæterū uere iam inito, Agricola in Calydoniā penetrat, ad Taumq; caſtra ponit, quod flumē, uti ſuprà docuimus, in Oceanū Germanicū ſeſe immittit, exceptū æſtu maris amplius duob. millibus paſſuū lato. Tum Britanni extremū impendêre periculū cernentes, aut ſibi honeſtè moriendū, libertatis cauſa, aut uincendū ſtatuūt: itaq; primū ſacrificijs ac iureiurando conſpirationē omniū ciuitatū ſanciūt, cōfirmant, corroborant, deinde cōiuges & liberos ad Grampiū montē ducūt, locoq; caſtris idoneo capto, iuuentutē armant, & ne multitudine ducū, diſcordia, quæ unica ſemper eſt rei bellicæ bene gerendæ peſtis, oriat, ſummā imperij Calgaco uiro conſilij magni, & uirtutis, permittunt, ſpemq; bonā etiam concipiunt, ex eo, q; eodem penè temporis puncto, Vſipiorū manus ad litus delata à Romanis defeciſſet. Ii enim Germaniæ populi Rheni accolæ, cùm auxilio Romanis mitterent, perfidioſe interfecto cēturione, nouas ſedes quæritabāt: qui poſtremò fame ſuffocati, omnes fermè malè perierūt. At ubi Agricola hoſtiū ſtudiū nouit, ilicò traiecto Tao, quāproximè potuit, ad radices Grampij, loco plano, caſtra poſuit. Atq; ita irritatis utrinq; animis, haud multo pòſt ad manus uentū eſt. Sed Calgacus prius longa oratione ſuos hortatus eſt, demōſtrans quāti ab omnibus æſtimanda eſſet libertas, ut qua ſecundū deos nihil quicq; mortalibus eſſe deberet charius: multaq; ob auaritiam, atq; ſuperbiam, in Romanos maledicta cōtulit, eos raptores orbis uocitando. Cōtrà & Agricola ſuos quoq;

quoq; milites multis uerbis hortatus, ad iſtum ultimū anni octaui laborē uelut bellorū omniū finem perferendū, animo forti, unde plena manu, uictoriarum fructū caperent. Sic acie utrinq; inſtructa, præliū incipit, in quo pro uita pugnat. quod cùm ad ueſperū extraheret, nihil Britanno potius uiſum, q; hoſtem à tergo circūuenire: qui oppoſitis ab Agricola ueniētibus quatuor equitum alis, demū diſiectus, in fugamq; coniectus profligatur. Cęſa ex Britannis, amplius decē millia hominū, ex Romanis bene magnus quoq; numerus. Tū Agricola acceptis obſidibus, claſſem redire iuſsit, reliquū exercitum in hybernis locauit. Hæc Domitiano principe geſta ſunt, quę apud eum hominē uirtutis minimè amicū, inuidiam cōmouerunt in Agricolam, qui paulo pòſt reuocatur, ut quaſi Syriam Attilij Rufi morte uacantem obtineret. Huic ſucceſsit Cneus Trebellius, quē Domitianus Britanniæ præfecerat. Ac in tali ſtatu res Britannicæ erant, rege Mario. Cornelius Tacitus de Mario non meminit.

Is Marius relicto ex ſe Coyllo filio, annos XLVIII. regnauit. Coyllus Romæ diu fuit, omnemq; iuuentutē ſuam in ſtipendijs faciendis, bonisq; cæteris artibus exercuit, qui poſt mortē patris rex creatus, XLV annis quibus regnauit, Romanis ſemper chariſsimus fuit, ac pace ubique parta, ſe à bellis prorſus abſtinuit. Sed illud cùm primis memorabile generi ſuo præſtitit, quamobrē à cunctis in perpetuum bene audire ſit meritus, quòd Lucium filium ereaſſet, qui Britannorum regum primus Chriſtianus factus eſt. Iſte enim anno ſalutis quidem humanæ CLXXXII, regni uerò XIII, ueræ religionis amore ductus, cum Eleutherio pontifice Romano per literas egit, ut ſe ac ſuos ad Chriſtianorum numerum cœleſti fonte perfuſos adiungeret. Miſsi ſunt eò Fugatius & Damianus uiri pietate ſingulari. Ii regem cum tota domo, populoq; uniuerſo baptizarunt, ſublatoq; malorum dæmonum cultu, modum apud gentem ueræ pietatis colendæ docuere. Erant tunc in Britannia flamines octo & uiginti, & archiflamines tres, hoc eſt, tres principes flaminū, in quorū locum epiſcopi totidem, ac tres archiepiſcopi ſubſtituti ſunt: quorum unus poſtea Londini, alter Eboraci, tertius in Vrbe Legionum ſedem habuit, ubi templa & ornatu, & opere magnifica condita ſunt. Ita Britannia partim opera Ioſeph Arimathiēſis, de quo paulo antè meminimus, partim Fugatij & Damiani ſanctiſsimis monitis, omnium prouinciarum prima publicè euangelium recepit. Quam ſanè pietatem Britāni quoad erupiſſet furor Diocletiani Imperatoris, qui maximè omnium, poſt Neronem, Chriſtianos propè ad internitionē perſecutus eſt, eatenus integram ſeruarunt: nam deinde, teſte Gilda, ob immanitatem perſecutionis, religio ita refrixerat, ut ſit penè extincta. Sunt qui Lucio regi aſsignent templum diuo Petro poſitum, extra urbem Londinū, quamuis pleriq; alij Siberto Orientalium Saxonum regi illud ipſum attribuant, uti infrà docebimus, ac ſimul dicemus, unde iſti Saxones cognomen Orientaliū, & alij Meridianorū, Occidentaliūq; habuerint. Hic locus in primis regū ſepultu
ris nobiliſsimus, uulgò Vueſtmonaſteriū uocat, q; ad Occidentē ſpectet, qui Vueſt Anglis dicitur: quem præterea uicus, & proximæ regiæ ædes, ac monachorū familię diui Benedicti cœnobium, unde monaſteriū eſt dictus, itē ędes ornatiſsima diuo Stephano dedicata, & aſylum noxiorum perfugium, atq; forum ad ius dicendum, cauſasq; agendas, decorant, longeq; celeberrimum reddunt. Inuenio in codice antiquiſsimo, quanquā ſine nomine autoris, hunc lo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum fuisse olim aquis circundatũ,& Spinarũ insulã appellatũ. Quod equidẽ nomẽ memoria nostra,tametsi locus sentibus uacat,bellissimè quadrat,ꝙ ibi frequens noxiorũ ad asylum confugientiũ turba & reorũ multitudo, dũ quęstiones habentur,passim spinis,id est,uitiorũ stimulis pungat. At Lucius immortaliter gauisus,ꝙ suos ad ueri dei cognitionẽ traxisset,ne amplius dęmonum præstigijs fallerentur,omnes prophanos repentè deorũ cultus sustulit, missosꝙ fieri iussit:item templa quæ dijs gentiũ statuta erant, Christo dedicauit,ac permultis donarijs ornauit,& denicꝙ omnia sua officia ad religionẽ augendam,præ qua iam cætera omnia,quæ mortales mirãtur,facilè negligebat, tam libentissimè,ꝙs diligentissimè contulit. Igitur Lucius perpetuæ lucis,in qua ipse in primis acquiescebat,apud suos autor, regnum à maioribus acceptũ,non humanis cædibus ob inanem gloriã cõparandam,pollutũ, non opibus undecunꝙ congestis locupletatũ,at certè primùm quiete placida quasi inchoatum,deinde optimis institutis prouectũ,demum diuina religione auctum,sanctissimoꝙ Christi dogmate imbutũ posteris reliquit:qui sine ulla cõtrouersia,quanto diuina humanis potiora sunt& habentur,tanto superioribus regibus præstitit. Regnauit annos alterũ & xx, & sine liberis moriẽs principes rogauit,ut reipublicæ curã susciperẽt,populiꝙ utilitatẽ officio metirentur.

Post Iulij Agricolæ discessum, Britanni præsertim Transtuedani partim uiribus debilitati,partim suorum obsidum fide obstricti, aliquot per annos quieuere. Interea Cn. Trebellius legatus,tametsi satis prouidebat, milites tamen Romani à laboribus uacui inter se dissidere cœperunt paulatim,legatiꝙ dicto minus audientes insulanis infestissimi erant. Quocirca Britanni uidentes se seruitute premi,& in dies magis malũ crescere,in spem summã ingrediũtur,& recuperandæ libertatis,& patriæ modis omnibus defendendæ:Itaque animose contra Romanos arma sumunt,fortiter inuadunt. sed illud considerate faciunt, ut semper ad loca syluestria & ardua, more patrio, sese cùm usus foret,raptim recipere queant. Sunt igitur bene multæ utrinque factæ occisiones,iamꝙ tota prouincia erectior erat ad defectionem, cùm Hadrianus Imperator factus à Trebellio eiusmodi motus certior, primo quoꝙ tempore cum exercitu in Britanniam transmisit, qui omnem insulanorum furorem compescuit,ususꝙ humanitate in eos,prouinciam pacatam reddidit: quam, si Spartiano credimus,primus omnium limitauit:nanꝙ neglecta Transtuedana regione,quam nos Scotiam dicimus,seu quòd sterilior esset, uel ob locorũ naturam putaret non facilè conseruari posse,eam Tina flumine terminatam uoluit:idcirco ab eius ostio, murum ad alterum amnem, qui Esca appellatur, usque ad Hybernicum Oceanum duxit: nam Tina in Oceanum Germanicũ erumpit. Cæterũ alij eam prouinciæ assignationẽ Seuero tribuunt. Sub hæc, Britanni ardentes odio pariter in milites Romanos,ac dolore seruitutis,iterũ ad libertatẽ nituntur. Qua re cognita,Pius Antoninus id temporis Imperator, Lollium Vrbicũ legatũ in Britanniam misit,qui factis aliquot prælijs, insulanos in officio manere coegit. Nec tamen Lollius ita bellũ extinxit, quin mox Britanni aut rem suam in libertatẽ,aut in discrimen adducere tentarint. Quapropter M. Antoninus,qui Pio successit,post Lolliũ in Britanniam Calphurnium Agricolã legatũ misit. Is,ut Iulius Capitolinus tradit,facilè hostes uicit, subegitꝙ. Postea Pertinax à Commodo in insulã mittit,qui potius sapientia, quàm

quàm armis,cunctas sedauit seditiones. Ita prouincia quieta erat,cũ Pertinax Romam reuocatus,extincto Commodo Imperator est factus. Tum Clodius Albinus datus est Britannici exercitus rector, quemadmodũ Capitolinus in eius uita testatur: cui,si eidem credimus,Iunius Seuerus missus à Cõmodo, successit. Sed multò secus Herodianus,qui docet Clodiũ Albinũ post interitum Cõmodi,diu fuisse in insula,cùm scribit Seuerũ Imperatorẽ mortẽ Albino intentãdi cupidũ,transisse in Galliã,& Albinũ delecto omni Britãnici exercitus robore,ex Britannia iuisse obuiã,ac apud Lugdunũ,prælio decertatũ,Britannorũꝙ militũ uirtute factũ,ut nihil propius fuerit,quàm ut Seuerus uincereꝰ tur:uerũ Albinũ cecidisse. Tum Heraclitus legatus Britanniã obtinere cœpit quẽ Spartianus dicit iam antea à Seuero eò missum,ut prouinciã obtineret.

Ac talis erat rei Romanæ status in Britannia,anno circiter salutis humanæ CXCV. cum mortuo Lucio rege,principes priuato statim cõmodo seruiẽtes, dum pro se quisꝙ sibi summũ imperiũ obtinendũ curat,seditionẽ inter se facere incipiunt. Quod ubi Seuerus Imperator iam senio confectissimus accepit, haud sanè grauiter tulit:quippe homo suapte natura gloriæ appetentior,post uictorias ad Orientem,septentrionemꝙ partas, Britannici quoꝙ cognominis cupidus erat. Ad hoc accedebat etiam discordia Bassiani Antonini & Getæ filiorũ,qua cùm senex maximè solicitus foret,nullaꝙ arte alterũ alteri reconciliare posset,tanto inter se iuuenes odio flagrabãt,eos secum adducere ex Vrbe in Britanniã constituit,ut partim iuuenes procul à munditijs urbanis,in castris bellando hęrerent,partim ut nullis adulatorum illecebris,quas ipse falso dissidij causam arbitrabatur,irretiti,in gratiã redirent. Itaꝙ homo id ętatis,& morbo articulari laborãs,insulam cum filijs petit:quò ubi peruenit, collectis militibus,ac maximis conflatis uiribus,bellũ comparat. Cæterùm Britanni repentino principis aduentu perculsi,tantisꝙ contra se copijs paratis territi,legatos de pace,ac seipsos expurgatũ ad Seuerũ mittunt. At ille moras de industria interponẽs,gloriamꝙ appetens,bellum ꝙs pacem maluit. Quocirca multa prælia cum insulanis cõmittebantur, & ea quidem Romanis multo quàm illis difficiliora:quippe qui locis assueti,facilè cum opus foret,pugnam eludebant,& ita bellũ extrahebat,cùm Seuerus morbo mœroreꝙ,quo ob filiorum discordiã angebatur,pariter ac ętate cõsumptus,post annos duo deuigínti,ꝙ imperare cœperat,è uita migrauit,corporeꝙ ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in uasculũ alabastri coniectũ,filij Romam deportarunt. Verũ haud me pœnitet eorũ sententiæ esse,qui scribũt Seuerũ pacata primo aduentu ea insulæ parte,quę Romanis uectigal pendebat,bellũ gessisse aduersus Pictos,de quibus paulò antè meminimus,qui latronũ more,quotidie excursionibus prouinciã infestã reddebant. Herodianus perspicuè demõstrat hos fuisse Pictos,cũ quibus Seuerus sæpius cõflixisset,dũ de eorũ moribus in extremo tertio libro tradit,ita scribens: Necꝙ enim uestis usum cognorũt, sed uentrẽ atꝙ ceruicẽ ferro incingunt,ornamentũ id esse,ac diuitiarũ argumentum existimantes,perinde ut aurũ cæteri barbari: quin ipsa norant corpora picturis uaria,& omnifariã formis animaliũ. Hęc ille. At Seuerus ut ne hostes longè profligati ex Transtuedana regione,alios Britannos ritu prædatorũ diuexarent,fertur terminasse Romanã prouinciã,murũꝙ instar ualli fecisse, ad id loci,ubi ex Spartiano suprà docuimus Hadrianũ posuisse eundẽ. Ita scriptores

Universidad de Deusto
Biblioteca

dissentiunt. Quidã tradunt illum fuisse murũ ex lapide solido confectũ, cuius uestigia ad hanc quoq; ætatẽ nostrã extant. Sed Gildas dicit principio nõ tam ex lapidibus, q̃ ex cæspitibus factũ, ac propterea parũ ualuisse aduersus barbarorũ incursus, sed postea refectũ, & lapidibus tantũ extructum, qui etiã nunc, etsi nõ integer, turribus æquis spatijs interpositis munitus uisitur. Fuit opus omnino egregiũ, quo non Pictorũ modò, uerumetiam Scotorũ impetus aliquandiu repressus est. Cæterũ, si eidẽ autori credimus, prout haud dubiè credendum censeo, non id temporis, neq; à Seuero murus ille factus est, sed amplius ducentis annis pòst, principe Theodosio Arcadij filio, & Valentiniano tertio Occidentis imperiũ obtinente, cùm Aetius dux copiarũ Burgundionibus bellũ faceret, extructũ liquidò liquet, sicut alibi edocebimus. In qua re omnes penè recẽtiores scriptores errore lapsi sunt, opus istud, quãuis falso, modis omnibus Seuero attribuentes. Nunc ad Seuerum, eiusq; filios reuertor.

Seuerus Imperator in Britãnia anno salutis humanæ CCXIII decessit. Post obitum patris, Bassianus Antoninus Caracalla cognomento pacem Britannis reddidit, obsidesq; ab eis acceptos, Romã conseruandæ quietis gratia, ad Senatum misit, id quod causa fuit, cur postea Britãni ab officio minus discesserint. Deinde cum fratre Geta, Romam concesit, qui interfecto Geta, imperio solus potitus est. Insulæ status inde sex & septuaginta circiter annos, multò pacatissimus fuit, cùm Carausius, Diocletiano principe, anno salutis humanæ CCXC eam occupauit, de quo infrà dicemus. Nunc autem illis cõmodùm respõdendum est, qui non minus ineptè, quàm insulse somniarunt, Bassianũ Antoninum Britannis imperasse annos XXX, cùm ille annos natus tres & quadraginta, tantum sex regnasset, ac eundem prælio dimicasse in Britannia cum Carausio, ab eoq; interfectum. Qui error errorem ita secutus effecit, ut multi una in re hallucinati sint. Antoninus enim, autor Herodianus, & Aelius Spartianus, dũ Carris ageret, quæ est Mesopotamiæ urbs, Deæ Lunę templum inuisit, quod in ea regione distans aliquantulum ab urbe, præcipuo honore ab incolis colebatur, eò secum paucos equitũ adduxit, itaq; medio itinere, uno tantum comitatus famulo ad requisita naturæ discesit, quò Martialis centurio cùm Macrini præfecti promissis adductus, tum proprio odio incitatus, eius enim fratrem Imperator occîderat, ut nutu principis uocatus accurrit ilicò, Antoninumq; sibi subligacula deducentem pugione traiecit. Sed ad Carausium redeamus. Is homo obscurè natus, cæterùm militari gloria clarus, cùm Diocletianus eum iussisset oram Oceani circa Belgicam, præsidio tueri, aduersus Saxones latrocinijs mare infestũ reddentes, putabatur de industria, non prius hostibus occurrere, q̃ illos præda onustos sensisset, ut ea Saxonib. adempta potiret: nec enim res ita receptæ prouincialibus restituebantur: itaque flagitij conscius, cum cõperisset indicio, Maximianum Herculeum quem Diocletianus imperij consortẽ adsciuerat, qui tunc in Gallia erat, quædam de nece sua, cuidam mandasse, subita defectione Britanniam occupauit: quẽ Britanni sensim tyrannum effectum, excusso Romanorum iugo, regem sibi crearunt. Cum eo deinde est uariè belligeratum, sed cùm uinci non potuisset, facilè pacem impetrauit, septemq; deinceps annos insulã tenuit. Hunc Alectus sociorũ unus per insidias petijt, occîditq;. Ac ita, ut uulgò dicitur, Ab impio egressa est impietas. Is itidem tyrannũ se constituit, quem simul insulani regem consalu-

consalutarunt. Idem triennio pòst ab Asclepiodoto præfecto prætorij nõ tantum præsenti dominatu, sed uita quoq; expulsus est. Atq; sic post decimũ annum quàm à tyrannis teneri cœperat Britãnia, à Romanis recepta est, qui fuit annus salutis humanæ CCC. Per idem tempus Britãnia quoq; sensit sæuitiam Diocletiani atrocissimè Christianos affligentis: nam templa euersa, permultiq; pietatis cultores uarijs supplicijs excruciati, martyrij palmã adepti sunt. In ijs debacchãte impij principis per annos uiginti, quibus imperauit, iniquitate, Albanus uir sanctus ad municipiũ suum Verulamiũ, morte affectus est, è regione eius loci: hodie pagus martyrio sanctissimi uiri nobilis, Fanum Albani nuncupatur, à fano, quod ipsi diuo dedicatum est, cum monachorũ cœnobio ordinis diui Benedicti multò celeberrimo. Ea autem labes, teste Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Christianam religionẽ exinaniuit, ut illa admodum in paucis integra remanserit. Ad propositum reuertor.

Haud ita multo pòst, cùm res Britãnica in magno motu esse inciperet, insulanis grauatè Romanorũ imperium ferentibus, Cõstantius Claudij principis ex filia nepos, quem Diocletianus unà cum Galerio Maximiano, Cæsarẽ declarauerat, in Britanniam uenit, eamq; confestim pacatam reddidit, ac Helenã Coylli cuiusdam reguli filiam miræ pulchritudinis puellam in matrimonium duxit. Haud ijs assentiendum duco, qui Helenam Constantij concubinam fuisse tradunt, ex qua Constantinum susceperit, cui nihil prius fuit, quàm Christianis fauere, ac religionem maximè omniũ augere. Postea Diocletiano & Maximiano Herculeo uitam priuatam sponte agentibus, Constantius & Galerius imperium tenuerunt. hic Diocletiani filiam, ille cum Helena diuortium facere coactus, Theodoram Herculei priuignam in matrimonium duxit, ex qua sex uirilis stirpis filios Constantini fratres creauit. Ii molem imperij inter se partiti, Galerius Orientem sortitus est, Constantius Italiam, cum tota Africa, Hispania, & Gallia: cæterum homo frugi, minimeq; ambitiosus, Gallię duntaxat, Hispaniæq; imperio contentus uixit, qui demũ post annos XIII, quàm imperare cœperat, morbo aliquandiu tentatus in Britannia, Eboraci mortem obijt, atque inter diuos relatus est. In eo fuit grauitas, moderatio, integritas, liberalitas: quippe qui beneficijs & munificentia magnus, aduersus diuitias animum inuictum semper gesit: quin proprij commodi immemor dicere solebat, lõgè melius esse, publicas opes à priuatis hominibus haberi, quàm à principe in arca seruari, utpote quæ nulli usui forent. Ex qua boni principis popularitate, prouinciæ quas obtinebat, otio honestissimo cum primis florebant. Fuit præterea prudentissimus in omnibus gerendis negotijs, & ob artis militaris peritiam, Romano imperio apprimè utilis. Quamobrem eius memoria militibus iucundissima fuit, qui magno simul omnium fauore, Cõstantinum filium ex Helena genitum Imperatorem statim in Britannia consalutarunt. Romæ interea Maxentius Herculei filius, à prætorianis militibus subito tumultu, Augustus salutatus est. Hîc altius repetendum est, ut omnia de Constantino exequamur, de quo silere omnino melius puto, quàm parum dicere. Is enim Britannica matre genitus, in Britannia natus, in Britannia Imperator creatus, haud dubiè magnitudinis suæ gloriæ natalem terram participem effecit. Herculeus Maximianus qui cum Diocletiano imperiũ deposuerat, & tum in Lucania priuatus uiuebat, cùm audiuisset Maxentium filium

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse Imperatorem salutatum, primo quoq; tempore Romam aduolauit imperium recepturus, inuitauitq; Diocletianum per literas, ad dignitatem pristinam fruendam: quod Diocletianus omnino prudens abnuit, repudiauit, horruit, ut rem homini pestiferam. Is cum filio pro concione disceptare, & milites ambire cœpit, ut Maxentio deturbato, sibi imperium restituerent: quod tantum abfuit, ut impetrauerit, ut etiam sit affectus conuitijs: id quod artificio factum uidetur, quò scilicet ne qua fraudis, quam Constantino faciebat, suspicio foret. Itaq; Herculeus dolo quouis modo iuuenis tollendi composito, ad Cõstantinum generum (collocauerat enim ei Faustam filiam) se contulit, qui relictis præfectis, qui Britanniam regerent, tum in Gallia agebat. Constantinus comiter Herculeum accepit, at senex anxius consilio festinandæ cędis, fretus pietate filiæ Faustæ erga se, quid animo moliretur, occultè cum eadem cõmunicauit, quæ partim, si taceret, ne sibi fraudi foret, partim coniugali amore deuicta, id uiro confestim aperuit. Dũ Constantinus ulcisci ardet, Herculeus fugam molitus, Massiliæ, unde ad filium in Italiam nauigare parabat, principis iussu occisus est. Galerius haud multo pòst è uita decessit, qui paulò antè Licinium à Dacia oriundũ Cæsarem appellarat. Et ita uno tempore Cõstantinus Galliam, & omnem oram ad occidentem, Maxentius Italiam, Africam & Aegyptum, Maximianus qui iampridem à Galerio Cæsar creatus erat, Orientem, Licinius Illyrium tenebat. At Constantinus totius orbis imperium affectans in Italiam transgreditur, ubi post annum quintum, quàm rerum potitus est, Maxẽtio bellum fecit. Quod facilè edocuit, nullam regni societatem diu esse patientem consortis. Post aliquot prẹlia, Maxentius fugatus, demum ante finem sexti anni, quàm imperare cœperat, ad Miluiũ pontem, propè urbem Romam, in Tyberim cum multis suorum præcipitatus, ac absorptus est. Sed ut fortuna Constantini optatis responderet, peropportunè usu uenit, ut non multo pòst quàm ille Italia est potitus, Maximianus iunior Licinio bellũ intulerit, qui Licinius cum Constantiã Constantini sororẽ in matrimonio haberet, ob eam affinitatem apud Maximianum in suspicionem cecidit. Hunc itaq; bellum parantem Tharsi subitò mors sustulit. Constantinus Maximiano mortuo, statim Licinio bellum intulit, quamuis necessitudo ipsi & affinitas cum eo esset: quẽ multis prælijs oppressum omni imperio exuit, ac ita priuatum contrà quàm ipse promiserat, Thessalonicæ interficiendũ curauit. Imperauit Licinius Cæsaris nomine, annos quindecim, qui fuit annus salutis humanæ CCCXXVII.

Constantinus hoc pacto iam longè lateq; rerũ potitus, filios Cæsares creauit. Cæsarum autem, ut hoc appositè demonstremus, declaratio erat, non imperij dignitas, sed quæ gradum ad imperium faceret, ut uelut per manus, ab eo qui Augustus & Imperator fuisset, Cæsares imperij regimen acciperent. Is, prout diximus, Maxentio deuicto, Italiam adeptus Romam uenit: ad quem Syluester pontifex sanctitate insigni, iam sua sponte bene cogitantem adiuit, facileq; pertraxit ad bene de Christiana pietate merendum. Porrò ille priusquam Romam cõcederet, ita fuerat institutus ab Helena matre, quemadmodum credibile est, ut ad bellum iturus, loco præsidij signo crucis uteretẽ. Sunt qui scribant, eo ipso die, quo cum Maxentio prosperè conflixit, sereno cœlo crucem ab eo uisam, quam ueneratus est, auditamq; supernè uocem, Constantine,

tine, in hoc signo uinces. Nec defuit oraculo euẽtus: quare pius princeps ubiq; terrarũ religionem maximopere augere, tueriq; magno studio cœpit. Romæ enim in Equitij hortis, templum statuit, idemq; donarijs amplissimis ornauit. obtulit & aureum diadema gemmis distinctũ, quo Syluester & omnis pontificum posteritas uteretur: sed uir modestus & frugi id insigne nõ recepit, uelut parũ religioni idonenm, phrygia mitra candida cõtentus. Item ædẽ Constantianam, quam hodie Lateranensem uocant, in Cœlio monte ædificauit. Fecit & sacri baptismatis fontem ex porphyrite lapide, ędi proximũ. iuxtà & Petro apostolorum principi in Vaticano templum extruxit, atq; diuo Paulo in Ostiensi uia, nihilo minore apparatu. fanum quoq; sanctæ Crucis in Hierusalem (ita enim appellatur) condidit in theatro Sessoriano: huc partem dominicæ crucis intulit Hierosolymis deportatam. Helena enim Cõstantini mater, mulier singulari pietate prædita, Hierosolyma petijt, dominicæ crucis inuestigandæ causa. Difficile id quidem erat: nam ut omne dominicæ passionis quam theologi nostri uocant, monimentũ aboleretur, Veneris simulacrũ eo loci, quo crux latebat, constitutũ ab impijs Christiani nominis hostibus erat: cæterũ loco ruderibus purgato, tres confuso ordine cruces repertæ: una Christi fuit, aliæ duæ, unde duo pependerãt latrones, sed ut illa Christi ab alijs internosceretur, triplex titulus, hoc est, Iesus Nazarenus rex Iudęorũ, uetustate propemodum abolitus, indicio fuit. Maius simul signum continuò secutum est: crux admota mulieri mortuæ uitã restituit. His Cõstantinus princeps motus, uetuit eo quenquam deinceps supplicio affectum iri, quò rei quæ antea mortalibus probro fuerat, honor haberi inciperet. Helena confestim ut crucem reperit, condito templo, abiens clauos quibus corpus Christi cruci affixum fuerat, secum ad filium deportauit, quorum uno Constantinus pro cono galeæ usus, altero bellatorẽ equum cõmuniuisse dicitur, & tertium in mare deiecisse, ad sedandos fluctus, & cõmutandam malam tempestatẽ. partem uerò crucis, quam secum Helena ex Syria attulit, in Sessoriana æde gemmis & auro distinctã collocauit. Istam etiam ædem Constantinus accumulauit muneribus. ædificauit Agnetis templum, cum baptismatis fonte, ubi eius filia, soroq; baptizata est: huic quoq; ædi dona sunt data. Diuo Laurentio dein Tyburtina uia, & Marcellino Lauicana, inter duas lauros, templum extruxit, ubi matri mausoleum posuit, quam sepulchro porphyritico inclusit: huic templo perinde ac cæteris omnibus donaria pretiosissima collata sunt. Quæ autem, qualiáue fuerint illa donaria in eiusmodi sacris locis ab Imperatore posita, cõsultò minus exponendum duximus, ut ne inuidiam in malos gẽdium sacrarum æduituos concitaremus, cum abhinc sexcẽtos annos, ea de templis sublata fuerint. Extra Vrbem, idem princeps plura condidit templa, id est, duobus apostolis Ostiæ unum, in Albano alterum Ioanni Baptistæ, Capuæ communi atum, & sextum. Constantinus absque ijs quæ commemorauimus, pietatis operibus, Arrio Alexandrino presbytero, per conciliũ Niceæ habitum damnato, quòd Christiana dogmata nefarijs commentis metiri est impiè conatus, cum sex alijs maleficæ superstitionis autoribus, indixit exilium. Omnia idolorum templa cum Delphicis tripodibus, eiusdem principis edicto, sunt euersa. Deniq; nullus est locus ab ipso religioni assignatus, cui non certa do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na,non certum uectigal attribuerit. Atq; hæc sunt,etsi carptim attigimus, Cõ
stantini maximi principis, & Helenæ matris, quos nobilis parens Britannia
tulit,opera pietatis eximiæ,& planè memoria omnia digna,ac omnia superio
rum Imperatorum facta facilè exuperãtia. Isti enim per sanguinem, atq; cædẽ,
apud mortales gloriam sibi compararunt:at illi per pietatem, per ueram reli-
gionem,per summam liberalitatem,per iustitiam,apud Deum,uitam,uti cre-
dere fas est,æternam,in terris autem decus immortale assecuti sunt. Constan-
tinus,teste diuo Hieronymo,iam senio confectus,aut non multò antè, quàm
uita excederet,ab Eusebio Nicomediæ episcopo est ad sacri baptismatis fon-
tem admotus:& usq; ad id tempus baptisma distulisse dicit, ut Christi exem-
plum imitatus,in Iordane fluuio baptizaretur. Cæterùm baptisterium quod
Romæ tam insigni extruxit apparatu,facit, ut non temerè quis aliter de ea re
suspicari possit,atq; Hieronymus scribit,cùm omnino permirũ sit, hominem
id ætatis,& de Christiana religione tam bene meritum, noluisse primo quoq;
tempore,Christianæ pietatis ianuam ingredi,hoc est,baptizari:cùm uel illud
Christi oraculum omnibus notum sit,Qui crediderit,& baptizatus fuerit,sal
uus erit,&c. Sed in his,quandò tam uariè traduntur, haud multùm immora-
bor. Fuit Constantinus homo factus ad unguem,ut aiũt, quippe in quo post
hominum memoriam,maximę animi corporisq; uirtutes extiterunt,militaris
artis cum primis sciens,in bello felix,iustitiæ amator,& denicq; ad laudem na
tus. Leges ex Reipublicæ usu,nonnullas tulit, alias antiquauit: urbem Con-
stantinopolim in ora Thraciæ, ubi Byzantium fuit, Romæ æmulam statuit:
Drepanam in Bithynia instaurauit,quam à nomine matris,Helenopolim ap-
pellauit. Sunt,quod ad eius exitum attinet,qui tradant illum Byzantio ad ca-
lidas aquas ualetudinis causa egressum,excesisse uita, unde fortasse uisus est
elephantiasi,quam dicunt lepram,laborasse. Plures tamen,& in ijs diuus Hie
ronymus,autores sunt,eum Persis bellum illaturum,siue,ut Eutropio placet,
Parthis,quòd Mesopotamiam incursassent, apud Nicomediam, in Acirone
uilla publica de uita exisse,anno salutis humanæ CCCXL. Mortuus est sex an
nos & sexaginta natus:imperauit annos alterum & triginta. Sed uide, ita sæ-
pe accidit,ut longa uita homini malo sit:Equidẽ Constantinus bene de Chri-
stiana religione meritus,postremò,teste Hieronymo, Arrianum dogma non
declinauit. Apparuit sub idem tempus,quo tantus princeps mortem o-
bijt,cometes inusitatæ magnitudinis. Hæc hactenus. Sed
iam ad ea explicanda reuertamur,quæ ad Britan-
niæ statum attinent.

Obiit Constantinus

Cometa

Polydori

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER TERTIVS.

Præfecti in Britan.

CONSTANTINVS princeps cùm è Britannia in Galliam pro-
ficisceretur,uti superiore libro dictum est,reliquit præfectos,& in ijs Maximum, uirum fortem,qui insulæ præessent: duxit se-
cum bonam Britannicæ pubis partem,duxit principes, in quo
rum uirtute,fide,constantia,spes suas plurimum sitas habebat,
utpote quibus stipatus in Gallias traiecit,Italiam petijt, aduersariosq; ubique
gentium uicit. Interea Britannia tandem aliquando uisa sibi libertatem conse
cuta,quòd Constantinum hominem Britannum regem haberet totius orbis
principẽ,honore,dignitate,autoritate longè beatissima erat,in eoq; statu nõ
inuita acquiescebat, & si quo in Romanos olim odio flagrauerit, iam illud cõ
mutarat,quòd Dei pari nutu, atque tanti regis beneficio, pace frueretur,&
initium summi honoris factum esset,qui ad posteros manaret. quanquam po
stea haud perdiu in Constantini domo imperium mansit: ita citò humanę o-
pes cadunt: tamen decus ipsius imperij non potuit cadere, cùm etiam nunc
reges Angliæ more maiorum,diademate imperiali utantur, ut munere ab Im
peratore Constantino in suos posteros collato. Ita Britannia quiescebat,quẽ-
admodum Eutropius testatur,cùm Constantinus moriens tres reliquit filios
in imperium successores,Constantium,Constantem,& Constantinum. Huic
sorte euenit Britannia, cum Gallia,Hispania, & Orchadibus: sed non multo
pòst orta discordia, cum Constantio, in Italia,apud Aquileiam, manus con-
seruit,interfectusq; est. Tum res Britannica cum reliquis prouincijs,in Con-
stantij potestatem uenit, quam ille qui ultimus fratrum è uita migrauit, am-
plius annos XX pro suo iure gubernauit. Postea prouincia paulò minus an-
nis XXIIII ab officio non discesit. qui fuit annus quintus, cùm imperare cœ-
perunt Gratianus & Valentinianus fratres, qui fuit salutis humanæ CCCL-
XXXVII. Per idem tempus Maximus, de quo suprà meminimus,in Britan-
nia imperator militari fauore,licet quidam id in Hispania factum tradãt, crea-
tus est. Is imperij augendi cupiditate ductus, continuò iuuenum,quibus ad
bellum gerendum satis roboris inesse cernebat, delectum habuit,cõscriptoq;
bene magno militum numero, in Gallias transijt. Ad hunc motum compri-
mendum,Gratianus imperator ex Vrbe occursurus, cùm exercitum duceret
in Galliam,præferretq; Halanorum(hi Scythiæ populi origine erant)manũ,
quam ad se auro pellexerat, ueterano militi,adeò acerbam ex ea re in offensio
nem eius cecidit,ut non multo pòst sit ab exercitu destitutus,Romano milite
ad Maximum deficiente. Gratianus subita suorum alienatione exterritus,
cùm in Italiam transire conaretur, dolis circumuentus Lugduni interficitur.
Valentinianus Gratiani frater hostili metu profugus, Byzantium ad Theo-
dosium,qui Orientis imperium à Gratiano tuendum acceperat, se contulit.
Is Theodosius,uelut diuus testatur Hieronymus,filius erat Theodosij,qui in
Africa,Valentis iussu,interfectus est, quem Gratianus ex Hispania accersitũ,
cùm res imperij undique turbarentur,consortem fecit. Theodosius igitur be
neficiorũ haud immemor,Valentinianum paterna pietate accepit, negotiũq;
ulciscendæ cædis Gratiani rebus omnibus anteuertendum statuens, bellum

Maximus

Diadema uel Angli gerunt

Varij sequentium Imp. casus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maximo intulit, qui tum in Italia erat. Verùm tam celeriter res gesta est, ut pe
nè prius quàm Theodosius Byzantio se mouisse diceretur, Alpes superarit.
At Maximus nesciens tum maximè aduersam esse fortunam formidandam,
cùm se nobis secundam maximè præbet, tunc Aquileia incautus se tenebat, u-
bi derepentè obsessus, captusq; capite mulctatur. Ita ad pūctum temporis res
mortalium stant, atque cadunt. Sunt, qui scribant Maximum ad tertium inde
lapidem à Theodosio & Valentiniano superatum, uiuum uenisse in hostium
potestatem, ibiq; à uictoribus ultimo supplicio affectum, anno post Gratiani
interitum uix finito. Martinus Turonensis episcopus uir sanctitatis eximiæ,
Maximo prædixisse fertur, cùm in Britannia adhuc esset, infelicissimum eius
uitæ exitum. Item Victor Maximi filius in Gallia interficitur. Sic omnes Ma-
ximi conatus malè ceciderūt. Deinde insulæ status in dies peiore loco esse cœ
pit: nam breui tempore, ut alibi explicabimus, Britanni libertatem cum impe
rio amiserunt. Præterea fertur Maximus, cùm Gratianum fugientem perse-
queretur, dum in Celtica esset, Conanum hominem Britannum summum du
cem maritimis ciuitatibus ad Oceanum pertinentibus, quæ Armoricæ dicun
tur, præfecisse. Conanus autem postquam cum suorum Britannorum ingen-
ti manu, in ea terra moratus regnū obtinuerat, ut suum genus perpetuò pro-
pagaret, eiectis ubique Gallis, Britannos duntaxat locorum incolas passim
locauit: quinetiam Gallorum aspernatus connubia, uxores ex Britannia suis
petiuit. Quo factum tradunt, ut frequens uirginum numerus ex insula illuc
migrarit, atque undecim millia utriusque sexus uno tempore partim naufra-
gio, partim supplicio, nam barbari ad litus captos iugulabant, interierint: &
in ijs fuisse dicitur diua Vrsula filia Dionoti Cornubiæ reguli, quæ Conano
desponsa esset. Cognito in Britannia Maximi interitu, Gratianus homo in in
sula natus, tyrannidem momento occupat. Hoc breui sublato, Romani mili-
tes, qui præsidij causa in insula adhuc erant, Constantinum surrogant, homi-
nem nullo numero habitum, non genere, non militia clarum, & in quo nihil
præter nomen, secuti uisi sint. Transmisit Constantinus ex insula in Galliam,
cum exercitu, moratusq; est apud Venetos, & Cenomanos, aliosq; Oceani ac
colas, & conatus est Galliam pacatā reddere, inducias, si pacem coagmentare
nō posset, à Vandalis, Sueuis, ac Halanis paciscendi cupidus. Sed neutrū obti
nuit, id quod Rempublicā maximè læsit. Verùm haud multo pòst, Constan-
tius uir cōsilij magni & uirtutis, missus ab Honorio cum exercitu in Gallias,
ut imperij maiestatē restitueret, ac tueretur, ipsum Constantinū tyrannū cir-
ca Arelatē, obsidione fatigatū atq; in potestatē redactū occîdit. At Constans
quem Constantinus pater ex monacho Cæsarem dixerat, cùm aduersus Din
dimum & Seuerianum, qui Constantinum, & eos barbaros qui illum seque-
bantur, ab ingressu Hispaniarum arcere nitebantur, arma mouisset, nulloq; fe
rè negotio peremisset, breui pòst Viennam perrexit, ubi loci à Gerontio suo
comite occisus est. Ita Constantinus pater, & Constans filius per idē tempus
periere, & Honorius cura ac diligentia Constantij inclyti belli ducis, insulam
unà cum Britannico exercitu recepit. Autor Paulus Diaconus, & Beda, qui
in primis res istas æquè bene ut accuratè scripsit. Eo ipso anno, quo Cōstanti
nus à Romanis militibus renuntiatus est Imperator, Arcadio Constantino-
poli mortuo, Romani imperij maiestas apertè inclinata est. Inde Constanti-
ni inte-

ni interitum statim filij cædes, ut diximus, secuta est. Tum Honorius Britanni
co exercitu recepto, cōfestim insulam multis cladibus per tyrannos labefacta-
tam ad imperium retraxit. At pauci deinde interceßere anni, cùm post Hono
rium mortuum, & à Theodosio Arcadij filio Valentinianum amitæ suæ Pla-
cidiæ filium Cæsarem dictum, atq; Augustum appellatum, ingens barbarorū
multitudo Romanum imperium afflictare cœpit, cum qua duces Romani sæ
penumero hostiliter dimicarunt.

Britannia interea omni militū robore partim tyrannorū sæuitia cæso, par-
tim ab illis frequenter aliò terrarū ad noua bella gerenda, ex patria ducto, con
tinuò uicinis exposita ad prædandum uisa est: semper enim ex incōmodo, in-
commodū oriri solet. Quo cognito, Scoti, siue spe prædæ ducti, siue nouarū
rerum percupidi, ex Hybernia, uti Gildas perhibet, quam primū in insulā ad-
uolarunt: qui, haud mora, cum Pictis fœdus faciūt, ac collectis undiq; perditis
hominibus, insulanorū res latrocinio rapere, hominū pecudūq; prædas face-
re, ac insulā ipsam occupare acriter adnituntur. Augebatur in dies singulos id
malū, ac ultrà q̄ tutū esset in posterū tempus resistere, duarū gētium audacia
crescebat, sic, ut nemo non suspicaretē breui totam insulā perditum iri, nisi eius-
modi conatibus maturè iretur obuiam, opponeretē præsidiū, remediū adhibe
retur. Erat tum, sicuti ostendimus, Britānia sine præsidio: id imbellis atq; iner
mis multitudo uerita, quippe quæ longè infirmior erat, quàm ut eam labem
auertere posset, legatos misit, qui auxiliū peterent ab Aetio, quem iam antea
Honorius Constantij loco, uirū patritij generis ex Dorostana Mœsiæ oriun-
dum, copiarū imperio præfecerat. Aetius fatigatus cōmotusq; precibus Bri-
tannorū qui adhuc in fide erant, legionem unam illis ex Gallia auxilio misit.
Sunt Picti & Scoti uarijs inde cladibus ab Aetianis affecti, resq; Britānica per
bono cœpit esse loco. Et ne deinceps ea quies ab hostibus turbaretē, uisum est
ducibus legionarijs peropportunū, ut murus, de quo superiore libro mentio
nem fecimus, construeretur inter Romanam prouinciam, & Pictorū fines: id
quod, teste Gilda, factum est: uerū cùm cæspitibus magis q̄ lapidibus esset æ-
dificatus, haud satis firmus postea ab hostiū impetu fuit. Atq; tum ille demū
murus confectus est ab Aetianis ducibus, non ab Hadriano, neque à Seuero
Imperatore, sicut nonnulli falso memoriæ prodiderunt, si Gildæ autori Britā
no credimus. Quiescebat Britannia unius legionis præsidio, cùm Burgundio
nibus Galliam uexātibus, Aetius suos ex insula necessariò reuocauit, ac legio-
ne una Parisijs & Aurelianensibus præsidio relicta, & Taraconensibus in hy-
bernis altera, cum cætero copiarum robore in ipsos Burgundiones conten-
dit. Scoti pòst legionariorum militum discessum, cum Pictis confestim in res
Britannicas inuadunt, greges armentorum, ac reliqui pecoris abducūt, agros
ferro & igne populantur. Exarsisset per hoc nouum bellum in insulanos, ni-
si Valentiniani iussu, qui bello nihil præuertendum duxit, legio quæ in Pa-
risijs erat, insulanis auxilium rogantibus, præstò adfuisset. Rursus id tempo
ris murus munitur, fitq; ex lapidibus, quò ualidior sit, ad arcendam uim ho-
stium, sic, ut minus nocere iam tum cœperint Scotorum, Pictorumq; latroci-
nia. Verùm illi paulo pòst, iam Romani imperij uiribus passim fractis, pro-
peq; repentè cadentibus (tales enim sunt nostræ opes, ut non tam facilè cre-
scant, quàm à suo statu discedant) insulam multò ferocius, quàm unquā antea

Universidad de Deusto
Biblioteca

inuaserũt. Tum Aetius nulla misit insulanis præsidia, Romani imperij opem pariter atq; fidem implorantibus. Dubium est, an noluerit, quia parum amico esset erga Valentinianum animo, an maioribus belli curis uexatus non potuerit. Sed quicquid fuerit, illud certè Romano imperio similiter ac Britãniæ magnum inusit malum, tametsi apud eum Britanni casum suum miserabiliter lamentati sunt, quippe qui, teste Gilda, sic scripserunt: Gemitus Britannorum Aetio ter consuli: Auxilium tuum Romanæ prouinciæ, patriæ, liberis, coniugibus oramus, hoc temporis puncto, quo in extremo uersamur periculo. Pellunt enim nos barbari ad mare, repellit mare ad barbaros: inter hæc oriuntur duo genera funerũ, aut iugulamur, aut mergimur: nec aduersus eiusmodi mala, quicquam præsidij aut subsidij nobis est. Tu igitur pro tua animi clementia opem tuis feras, omnibus rogamus precibus. Hinc nimirum scire licet, Britannos non nisi inuitos à Romanis postremò desciuisse: quippe qui iam sueti imperio, illos obseruabant, à quibus, quemadmodum Cornelius Tacitus testatur, iampridem ingenuos imbiberant mores: siquidem principũ filij generatim liberalibus artibus erudiebantur, ingenia simul florebant, quę tam Romanam linguam non abhorrebant, quàm eloquentiam concupiscebant. Inde etiã Romani uestitus honor, & frequens toga esse cœpit. Ad hæc, uel militarem artem, ut tradit Gildas, ab ipsis didicere Romanis. Atq; ita Britannia à Romanis amissa est, post quingentos fermè annos, quàm à C. Iulio Cæsare adita est, quæ sic momento propè eodem, libertatem adepta, ac in bellum longè crudelissimum ingressa est, per quod, & nomen & imperium amisit, sicut infrà demonstrabitur. Fuit is annus decimussextus, cùm Theodosius princeps cum Valentiniano Augusto amitæ suæ filio, imperare cœpit, salutis uerò humanæ CCCCXLIII.

Interea dum Britanni per legatos auxilia quærendo, tempus terunt, Scoti extremã occupant insulæ partem, quæ à Grampio monte, ad septentrionem spectat, q̃ hodie habent, ac ex se Scotiã nominant. Et hæc est tertia gens, quæ secundũ Pictos, primùm ex Scythia, uti suprà diximus, in Hyberniã, deinde ex Hybernia in Britanniam profecta, sedes in insula collocarit. Huius autem Scotorũ manus dux, uelut autor est Bedas, fuit Reuda. At Scotici annales tradunt multò ante Reudam, Fergusium in Britanniam uenisse, dedisseq; agmini signa rubrum leonem, quibus nunc reges utũtur, & ob res feliciter gestas, primum omniũ à sua gente regem esse dictum, ac illi postea Reutherem nepotem, quem Bedas Reudam uocat, successisse, regniq; fines latè propagasse. Cęterùm fortasse aliquando erunt, qui ista stomachabunt: nuper enim Gauinus Douglas Doucheldensis episcopus, homo Scotus, uirq; summa nobilitate & uirtute, nescio ob quam causam, in Angliã profectus, ubi audiuit dedisse me iampridẽ ad historiã scribendã, nos conuenit: amicitiam fecimus: postea summè rogauit, ut ne historiã paulo antè à quodam suo Scoto diuulgatam seque rer, in rebus Scoticis explicandis, pollicitusq; est, se intra paucos dies missurũ cõmentariolũ de his neutiquã negligendũ, id quod & fecit. Primũ in eo erat origo gentis peruetusta eiusmodi: Gathelus Neoli Athenienſium regis filius durum patris imperiũ fugiens, in Aegyptum se cõtulit, auxilioq; fuit Pharaoni illi regi aduersus Aethiopes, ad quem Moses à Deo legatus fuerat. Quo beneficio motus Aegyptius rex, Gathelo filiam nomine Scotam in matrimonium

nium dedit. Ille mox nouas quærens sedes in Hispaniã peruenit, eamq; oram tenuit, quæ postea ab eo Portugallia dicta est, quasi Gatheli portus, ac suos iam tum ex nomine uxoris Scotæ nobilis fœminæ, Scotos appellauit. Ita propagato genere, trecentis pòst annis, Scoti rege Simone Brecho, in Hyberniã delati, noui regni initium fecerunt, ac ad extremũ ante Christi aduentũ, in Albionẽ se receperunt. Deinde erat, Pictos haud multo pòst, in Albion ẽ quoq; accessisse ex Scythia profectos, hasceq; duas gentes externas in ea insulæ parte, quę nũc Scotia est, propagasse genus, & regnũ, ac iam inde à principio, bellasse cum Britãnis, cum Romanis, & in primis cum Iulio Cæsare, & Scotos ut inuictos nunquam de gradu suo deiectos. Postremò erat, solum interea Reutherẽ Scotorũ regem re malè domi gesta cum Britannis, cessisse semel patria, in Hyberniamq; confugisse, & eundem paulo pòst Hybernorum uiribus auctum, ad pristinas sedes reuertisse, ac in ea re Bedã minus animaduertisse, qui hunc Scotorum in Albionem reditum appellasset aduentum. Ac omnia hæc ante Christi aduentum gesta. Ego statim ut ista legi, uisus sum uidere urſam parientem, quemadmodum in prouerbio est. Post hæc, ut solebamus, cùm animi gratia unà essemus, Gauinus sententiam meam rogauit. Respondi, me de origine nihil contendere, quandò plericq; omnes populi solerẽt, aut à dijs, aut ab heroibus origines petere, ut qui deinde uellent tanquam minus credu li eas requirere, cùm difficile fuerit certi aliquid inuestigare, cogerent potius credere, quàm amplius frustra laborare. sed ad summã, unum illud nullo pacto quadrare, ut Scoti & Picti duo potentissimi populi iampridem in insula regnarint, tot bella gesserint, toties cùm Britannos tum Romanos presserint, uexarint, acieq; uicerint, & tamen non esse quempiam ueterem, grauemúe autorem, qui de illis meminerit, cùm præsertim Cæsar, Tacitus, Ptolemæus, & Plinius, ut de cæteris taceamus, passim in suis historijs, aliorum Britanniæ populorum, id est, Trinobantium, Cenimagnorum, Segontiacorum, Bibrocorum, Brigantum, Silurum, Icenorum, Ordolucarum, Vicomagorum, Elgouarum, & reliquorum mentionem fecerint: at Scotorum Pictorumúe non item, quòd scilicet ea nomina nondum in Britannia nata forent, & propterea utriusque gentis etiam recentiores scriptores tardissimè meminisse. Quare æquè amicè, ac uerè dixi, mihi de Scotis seu Pictis ante eorum in Britanniam aduentum, quem Bedas & suo tempore, & rectè posuerat, scribere non licere, per legem historico datam, quæ talis est: Ne quid falsi dicere audeat, ne quid ueri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis. Ab hac sententia Gauinus uir sanè honestus tam minimè abhorruit, quàm ratio ipsa ei uisa est cum ueritate maximè consentire, adeò facilè uera à fictis semper internoscuntur. Verùm non licuit diu uti, frui amico, qui eo ipso anno, qui fuit salutis humanæ MDXXI, Londini pestilentia absumptus est. Secuti sunt reges apud Scotos, Eugenius primus, & Fergusius secundus. Eugenius commisso cum Pictis, qui id temporis in Romanorum fide erant, prælio, interficitur. Quare Scoti desperata iam salute, aliquò terrarum concessuri, protinus alij aliò ex insula fugerunt. Post annos tris & quadraginta, Scoti exules à Pictis, quibus Romana potentia iam formidolosa erat, partim ex Hybernia, partim ex Noruegia, ad pristinas sedes euocati, duce Fergusio rediere. Fergusio succesit Eugenius filius. Is facto cum Pictis fœdere, ita Britannos

Universidad de Deusto
Biblioteca

premere cœpit, ut illi coacti sint primo quoq; tempore, sicut suprà docuimus, à Romanis opem implorare. Sed Eugenius non diu fuit superstes, quẽ Dongardus frater secutus est. Nunc ad rem redeo.

Scoti re bene gesta elati, licentiosius in insulanos excurrunt, populandi magis, quàm iusti more belli, contumelioseq; hostem ad pugnam prouocant, lacessunt. Britanni ab Aetio destituti, etsi omnia tutiora fore ducebant, cẽq; prælio dimicare, memores tamen pristinæ uirtutis, ac probè scientes in tanto rerũ fluctu, dandum, aut hauriendum esse sanguinem, animo se non dimittunt, sed uelut classico excitati, furoréue acti uadunt in hostem lasciuius solito uagantem, quasi pro certo habentem nihil esse, quod pertimescendum foret: pellunt loco primos obuiam factos, deinde in medium agmen prorumpunt, cędemq; passim faciunt. Fuit res Britannica superior eo prælio, uicerunt; egregiè, qui uinci consueuerant. Cæterùm hostes nihilo segnius fortunam tentantes, impetus rursum facere, prædari, sese modò in unum, modò in alterum locum recipere, agros uastare, incendere, obuios sine alicuius ætatis discrimine interficere, atque id genus iniurias facere, perinde quasi nihil infirmi. Ea formidine multi mortales perculsi, ultrò quæ usui hostibus essent, affatim præbebant. Quæ res tanti momenti uisa est, ut multò magis, quàm prælium terreret. Britanni his malis adacti, ex necessitate, quod optimum ad arcendum hostem uidebatur, consilium capiunt, ac instaurant, quàm celerrimè possunt, murum, quem antea Aetianos milites diximus extruxisse, illumq; spatio amplificant. Compressit aliquandiu hoc opus Scotorum rabiem, quæ deinde collecto sensim maiore furore erupit: nam illi non multo pòst murum oppugnatum ueniunt, quibus dum ægrè Britannus ac minus prudenter resistit, murum ipsum complanant, hostem partim in fugã coniiciunt, partim ferro cædunt. Sed nec Scotis incruenta uictoria fuit, Dongardus enim eorum rex in ea pugna cecidit, cui Constantinus successit. Ad hoc malum repentè cùm agri omnes, propter cõtinua bella diu antè uacassent, magna frumenti inopia accessit, ex quo multi mortales fame suffocati sunt. Quę res causa fuit, cur pòst mutuas clades, breui refrixerit utrinq; bellandi cupiditas, & inde cultis diligentius aruis, ingens frugum secuta sit copia. Hoc diuinũ munus Britãnis damno fuit, quemadmodum Gildas scribit, quòd illi statim exultare, & pro abstinentia, pro pudore, uoluptates & uitia exercere cœperunt. Quo factum est, ut ne diutius à metu atq; periculis gens, quæ peccaret continenter, uacaret, nutu iusti iudicis Dei, pestilentia ingens orta sit, qua incredibilem hominum multitudinẽ abstumptam idẽ tradit. Cui morbo alius paulo pòst comes fuit: subitò enim barbarorum impetu miseri Britanni rursus opprimuntur, atq; eò calamitatis adducti, ut urgente fato, coacti sint ad perniciem suam accersere in insulam Saxones Anglos, homines quidem maximè omnium ualentes, cæterùm parum fideles, id quod illi postea malo suo magno experti sunt.

Porrò Britanni principes, cum uiderent tantam tempestatẽ à Scotis æquè ut à Pictis hostibus multò ferociss imis, crudelissimisq; impendêre, ueriti ne dum foris bellum esset, domi de potentia contentio oriretur, cum omnibus propè mortalibus etiam infimis quibusq; natura sit innatum, sitire honores, & principatus, statuerunt sibi aliquem unum regem optandum. Itaq; habito confestim concilio, plures iudicabant id decus deferendum Vortigerio, quòd

quòd esset uir inter uiros, autoritate, nobilitate, uirtute summus. Hæc à reliquis probata sententia, Vortigerius rex creatur: cui nõ ignaro quid esset, quã obrem ad regnũ tempore longè difficilimo, uocatus fuisset, nihil potius fuit, quàm de Republica cogitationẽ, & curam suscipere, ac prouidere, prospicere curare, quomodo fatum patriæ, quod iam penè uenerat, auerteret. Sed ut ne sibi tantum assumere uideretur, noluit quicquam nisi de consilij sententia deliberare: itaq; primo quoq; die, quid facto opus sit, suum domesticum senatum, suos generatim principes consulit, cum eis suas pariter ac hostium uires metitur: pro temporis cõditione, quid remedij adhibendum sit, diligenter agitat, tractat, exquirit. Ad extremum, bonæ principum parti suis opibus diffisæ in mentem uenit, & regi cum primis, Saxones Anglos fama rei militaris illustres arcessere. Atq; ita missi sunt in Germaniam quamprimum, qui illos ad opem ferendam, pecunijs, donis, promissis tentarent, hortarentur, allicerent, ac demum auxilio uenire non negantes, in Britanniã protinus ducerent. Saxones post acceptum nuntium, ut qui stipendij faciundi auidi erant, delecta fortissimorum iuuenum manu, in naues; impositа, Hengisto & Horso, ij fratres erant, ducibus, insulam confestim cursu petiuerunt. Fuit is annus salutis humanæ CCCCXLIX. Hos rex benignè accepit, sedesq; in Cantio ad habitandum assignauit, ac statim inde in Pictos & Scotos agrum latè uastantes duxit. Dimicatur utrinq; acriter aliquandiu, at Anglis ubi in memoriam redijt, eum esse diem, qui sibi apud Britannos, aut nomen uirtutis æternum, aut ignominiã cum repulsa páreret, tanta ui pugnam cœptam pugnare cœperunt, ut hostes impetum minimè tolerantes fusi, passimq; cæsi sint. Rex uictoria potitus, nouam gentem cuius uirtute inimicos superasset, digno præmio remuneratur. Sunt qui scribant Saxones non accitos à rege, sed fortuitò in insulam peruenisse, causamq; transeundi eiusmodi fuisse. Sanè apud Anglos Saxones regionis Germaniæ gentem bellicosissimã, mos erat, ut cùm multitudo hominum eousq; creuisset, ut non facilè eam patria alere posset, iussu principũ, optimos quosq; ad bellũ gerendum iuuenes sorte eligerent, qui nouas sedes quærendi militandiq; causa, finibus educerentur. Sic igitur contigit, ut in Britanniã uenerint, seq; stipendia sub rege facturos promiserint.

Hengistus uir summo ingenio, summaq; prudentia, cognita regis mente, qui iam totus in Anglorũ uirtute acquiescebat, ac patriæ ubertate perspecta, protinus secum cogitare cœpit, quibus dolis, aut artibus regnũ sibi atq; suis in insula sensim pararet: itaq; primo locum genti suæ ad habitandum datum munire furtim, eius fines dilatare, præsidio uincire studet: deinde nititur regi persuadere, maiorẽ militum manum ex Germania esse ducendam, ut eo præsidio insula munita hosti terrorem, suis quietem præbeat. Rex futuræ sortis nescius, insidiosum nequaquam aspernatur consilium. Igitur continuò ingens hominum multitudo in Britanniam commigrauit, simulq;, prout tradunt, adducta est filia Hengisti, nomine Ronix, forma eleganti, ad pertentandum Vortigerij animum, quia quo ille uitio laboraret, satis Anglus iam odorobatur. Bedas autor est, Saxones, Vitas, & Anglos, tris Germaniæ populos ferociss imos unà uenisse, & ex Vitis ortos Cantuarienses, atq; eos, qui hodie Vectem insulam incolunt, ac contra ipsam sunt: at ex Saxonibus, eos Saxones profectos, qui Orientales, Meridiani, & Occidentales nuncupãtur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab Anglis uerò, à loco, uel ab eorũ regina ita nominatis, originẽ traxisse Anglos Orientales, Mediterraneos, & qui Northumbriã colunt, & horum Hengistum & Horsum fratres fuisse duces. Meminit Anglorũ cum primis Cornelius Tacitus in eo libello, quẽ de situ Germaniæ scripsit, quos tamen Anglios appellat, ut uox sit trisyllaba, & i penultima. Sed ad prima reuertamur. Hengistus cùm suos cerneret iam regi esse acceptos, cœpit arte tractare principẽ, ut corruptũ illius animũ amore incenderet. Hæc in primis res est, quæ obcæcat, infatuat, ac aliquoties perdit homines, sed ita lenibus uenenis, ut sine dolore intereant. Hengistus in cœna regem accepit opiparè, iucũdè, apparatè. Factũ est, ut cùm iã uino cuncti iuxtà calerent, filia Hengisti præstò adfuerit, ac Vortigerio amantis similis, quàm decentissimè potuit, more patrio, bibere, dederit. Rex ut puellæ oculos adiecit, subitò amore capitur, delectatus tum forma, tum spectata uirtute Ronicis, adeò, ut recta minus sapiens, facto diuortio nõ multo pòst cum priore uxore, eam exemplo post homines natos pessimo, in matrimoniũ duxerit. Eiusmodi regis facinus maximè principes offendit, patriæq; exitium maturauit: nam Saxones cognita cum rege sui generis affinita te, facto agmine, tot certatim in insulam aduolarunt, ut incredibile dictu sit, quàm breui tempore coaluerint, qui cùm propter multitudinem, tum propter bellicam uirtutem, ipsis indigenis, qui eos à principio aduocauerant, formidini facilè esse cœperunt.

Eò nunc, ut sæpe aliàs, scribendo perueni, ubi nõnulla in dubio ab autoribus tum Italicis, tum Britannicis relicta reperio. Quare ne errantibus similes incerta sequamur, particulatim cuiusq; scriptoris, quem duxerimus non longè à uero abesse, sententiam in medium adductam relinquemus, quo historicam fidem utcũq; incolumem hoc pacto seruemus. Gildas de Saxonum euocatione, ita scribit. Tum omnes consiliarij unà cum superbo tyranno, cæcantur, adinuenientes tale præsidium, imò exitium patriæ, ut ferocissimi illi & nefandi nominis Saxones, Deo hominibusq; inuisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes, intromitterentur: quo utiq; nihil ei unquam perniciosius nihilq; amarius factũ est. Atq; deinde ait, illos perinde quasi pro patria pugnaturos, sed certius impugnaturos uenisse, quippe qui rupto societatis fœdere, in ipsos Britannos arma uerterint. Sed hæc ferè eadẽ Bedas susius prodit, qui autor est Saxones, posteaquam sese aliis terrori esse animaduertissent, subitò ad tempus icto fœdere cum Pictis, quibus cum etiã tum bellũ erat, in Britannos hospites suos arma uertisse, eisq; manus iam iam intentantes, superbissimè imperasse frumentũ, quo illa importuna barbarorũ multitudo uiuere in insula posset: quod cum Britanni minus præstitissent, tũ per agros certatim effusos, omnis sexus & ætatis obuios, sine discrimine, obtruncasse, tecta passim inflammasse, in sacerdotes, ut gentem idolorũ cultricẽ truculenter sæuitiam adhibuisse, ac ita demum Britannos partim metu consternatos, partim uitandæ cædis studio, alios aliò amentiũ similes discurrisse, in deuia loca sese abdidisse, aut seruitutis iugũ subijsse. Sed haud multo pòst, tam Gilda quàm Beda ac Paulo diacono testibus, Aurelius siue Aurelianus, utrunq; enim scriptum reperio, Ambrosius, qui solus fortè ex Romano genere, reliquus fuerat, sumpta purpura, & imperator appellatus, cum Saxonibus bellare cœpit. Hîc animaduertere licet, nihil à nonnullis longius abesse, quàm

quàm uerum dicere, qui affirmant Aurelium Ambrosium, hominem Britannum fuisse, cùm iam liquidò liqueat, illum Romano sanguine ortum. Verùm domum repetemus. Postquam affinitas Saxonibus Anglis cum rege intercesserat, Ronix eius uxor suos in summa gratia apud uirum ponere, illis in primis honores deferendos curare, Britannos principes ex domestico senatu excludere, enixè studebat. Quapropter Vortigerius iam ab omnibus malè audiebat, cadebatq; in summã uituperationẽ apud uicinas gentes, quòd à principio unius mali uitandi studio, Anglos Saxones gentem ferocem, crudelem, irritabilem, in insulam accersisset, euocasset, duxisset, & nunc alterius multò maioris causa foret, cùm omnino aleret homines contra se, quibus postea autoritate, nomine, opibus auctis, resistere serò conaretur.

At Vortigerius beneficij memor, futuri periculi immemor, nõ poterat nõ amare Anglos, quorum uirtute, Scotorum iuxtà ac Pictorum furorem restinxisset, per quos antea ei non licuerat in pace esse, qui ita pro iure suo, aliquot annos deinde uixit. Vulgus etiam nunc prædicat, Vortigeriũ in suis intimis habuisse quendam hominẽ fatidicum nomine Merlinũ, & eum in rebus agendis, ut uatem cõsuluisse, eò quòd ille scisset futura. Successit Vortigerio filius Vortimerius, iuuenis natus ad laudẽ, si lõgior uita data fuisset. Mortuo Vortigerio, Angli quorum bene magnus in insula numerus erat, nam formicarũ ritu, cõtinuo cursu eò cõmeabant, gens inops & uehemens, ac nõ modò Cantium, sed bonam insulæ partem, quæ ad Scotiam pertinet, ad occidentemq; solem spectat, iam occuparât, rati tempus esse, cùm tentanda esset belli fortuna, primùm cum Scotis & Pictis fœdus faciunt, deinde ad unum penè temporis punctũ, in Britannos perfidiosè arma uertunt, perindeq; iniurijs uexant, ac si maleficium, nõ utiq; beneficium ab eis accepissent. Britãni tametsi inimico antea imbecillo resistendũ putarant, tamen tanta mole belli uno tempore pressi non potuere non terreri, q̃ cum Hengisto magnitudine animi summa duce, cum Scotis, cum Pictis, depugnandum esset, aut seruiendũ. Sed metus seruitutis postremò uirtutẽ excitauit: nam sese subitò collegerunt, animoq; confidentes ubiq; resistere cœperunt: qui ut omnino infirmi, fusi, cæsi, profligatiq; sunt, & in præsentia omni desperata armorũ ope, uelut pecudes dispersæ, alij alios duces secuti, se in loca deuia, in syluas, in paludes abdiderunt. Quid, quòd & urbes & oppida minus munita, uti Gildas ait, simul reliquerunt: Tum Saxones perinde quasi rerum iam potiti, speciatim in principes debacchantur, ut illis domitis, perditisq;, facilius in totius insulæ possessionem uenirent, quod solum auebant. Cæterùm miseris Britannis non defuit diuinus fauor: ecce enim tibi, Aurelius Ambrosius adfuit, sicut suprà demonstrauimus, qui ubi bellicum cani tuba iussit, pro se quisq; ad eum conuenit, orat, rogat, ut se tuea tur, uelitq; secum in hostes primo quoq; die mouere arma. Ita facto exercitu, Ambrosius in eos uadit, fortiter adoritur. ter paucis diebus magno utrinque irarum, uiriumq; certamine, dimicatum est, postremò Saxones fugauit, Horso Hengisti fratre cum magna suorum parte interfecto. Veruntamen tantum abfuit, ut rabies hostium refrixerit, ut paucis pòst diebus, accepta noua suorum manu ex Germania, multa spe in Britannũ eruperint. Aurelius Ambrosius ut intellexit hostem cum exercitu satis firmo contrà uenire, nihil cũctatus se in uiam dat, iturus Eboracum, unde illa procella impendebat: sed in itinere

Universidad de Deusto
Biblioteca

certior factus Hengistum ad XXVII milliarium ab Eboraco consediſſe, ad ripam fluminis, quod flumen Dunum hodie uocant, ubi est Dancastrum, de recta uia eò cõtendit, ac postridie hostem adoritur, atq; uincit, Hengisto primo impetu occiso, cum ingenti Germanorum numero. Fama eius uictoriæ etiam nunc in memoria eius loci incolarũ est, quæ Saxonũ uires mirandum in modum debilitauit, adeò ut iam inciperent sibi magis turpe pace, quàm miserè bello utendũ existimare. Hengistus duos reliquit filios, Oscam & Otham: ij, utpote quibus ea plaga nuper accepta magnũ fecerat dolorem, paratis paucis copijs, in eam insulæ partem quæ in occidentẽ spectat, se cõmouent, q̃ id præstare iudicarant, cẽp; redire in Cantium, ubi presidium erat, quod ad resistendũ non uidebatur infirmum. Hîc agros uastant, uicos urunt, à nullo crudelitatis genere manus abstinent. Quibus rebus cognitis, Ambrosius ut ne inimici in ea parte etiã ualerent, eò contendit, cõmisso; prælio, rursus fudit: sed ipse uulnus accepit, quo interijt paucis pòst diebus. Angli secundum hæc, non inuiti quieuere, sexcentis intra paucos menses affecti incõmodis, Britanno præsertim nihil moliente, & ob mortem sui ducis, minus in malis parato, qui interea duci suo Ambrosio de Republica bene merito magnificũ posuit sepulchrum, factũ ad formam coronæ, ex magnis quadratis lapidibus, eo loci, ubi pugnando ecciderat, ut tanti ducis uirtus ne obliuione eorum, qui tunc erant, aut recentia posterorum insepulta esset. extat etiam nunc id monimentũ in diœcesi Sarisberiensi prope pagum, quam Amisberiam uocãt. Decessit interea Vortimerius, cui successit Vtherius cognomento Pendraco, qui nihil potius sibi statim à principio faciundum statuit, quàm patriam à barbarorum metu uacuam reddere, quod ei per ciuium discordias minimè facere licuit.

Per idem tempus, omnes ferè continentis ciuitates uicẽ miseræ Britanniæ dolebant, quòd & domesticis & externis laboraret hostibus. Sed ante alios, ea calamitas pupugit Gallos episcopos, qui ad cumulum miseriarum accedere audierant, quòd in dies singulos nõ mediocris fieret religionis labes apud insulanos. Siquidem anno XVII ante Anglorum Saxonum aduentum, Pelagiana hæresis, dira sanè pestis, per insulam peruaserat, quæ Romanorũ Imperatorum sæuitia in Christianos corroborata, impiè Christianum dogma iam labefactarat. Pelagius enim homo Britannus, natus in Britãnia citeriore, persuasum habuit hominem per se salutem consequi, suaq; sponte ad iustitiam cõtendere, ac sine originali pc̃ato nasci, & propterea nihil esse, quòd baptizaretur. Atq; homo nefarius tam bellè baptisma tollere conabatur. Igitur Britanni episcopi armis & hostibus septi, cùm omnia obire non possent, & odorarentur uicinos sacerdotes paratos esse ad iuuandum, Gallos antistites per literas & certos nuntios rogarunt, ut in tempore rei Christianæ difficilimo, sibi opem ferrent. Illi maturè acto episcoporum conuentu, Germanum Altisiodorensem, & Lupum Tracasenum episcopos summa integritate, doctrina, innocentia, in Britanniam de consilij sententia miserunt, qui operam darent, ut insulani in officio continerentur. Ii traiecto statim Oceano, partim sanctitate uitæ, partim miraculis, facilè errantes in uiam rectam reduxerunt. Iuuit istud negotium pro sua parte & Cælestinus Romanus pontifex, qui paulò antè miserat in Scotiam iam dogma Christianum rectè amplectentem, Palladium episcopum: qui ad extremũ in ea sacerdotalem ordinem ritè instituit, fecitq; Seruanum

uanum uirum singulari bonitate ac modestia præditum episcopũ, quem postea in Orchades misit, qui insulanos Christianæ religionis cultum doceret, quod ille studiosè fecit. At Palladius homo bonus, gratus, pius, & plenus offi cij, dum apud Scotos erat, omnibus precibus dehortatus est Constantinum regem, ut ne uellet Anglos Saxones gentem impiam armis iuuare, contra Britannos homines Christianos, quandò posset certò scire eorũ calamitatẽ, cum Constantinus Scotor. à S. Palladio abhibitor. insania. sit exitio.
sua aliquando fore coniunctam, cùm satis constaret illos non Scotorum, non Pictorũ amicitiã, sed totius insulæ imperiũ quærere, néue alienorũ nomine, se atque suos toties opponere periculo belli, cuius exitu nihil incertius esset. Ea admonitio ita Constantinũ mouit, ut iam tum pollicitus sit, se nunq; amplius cum Anglis staturũ, quod & fecit: nam nõnulla postea auxilia Britannis subministrauit. Quæ res plurimũ uires Britannicas sustentauit ad tempus, ut ne repentè cõciderent: Interea Angli Saxones renouato fœdere cum Pictis, iam enim exaudierãt Scotos ab se disiunctos esse, maiores copias cõtrahunt, in fortunas Britannorũ rursus imminent, in loca mediterranea se eijciunt, Cantijq; petendi causa, Londinum uersus iter conferunt, qui ubi ad Trentam flumen, prout coniectura auguramur, peruenerunt, ad alteram ripam locum castris legunt, quaquauersum equites dimittunt speculatũ, si ulla uspiam hostium manus in agris sit. Britanni interim cognito hostiũ motu, milites ueteranos conuocant, de obuiam itione agitãt. Non deficiebat uolũtas, sed spes bene rei gerendæ, quòd nullus exercitus, nullus delectus antea confectus, habitusq; foret: attamen ne sibi desint, nomina dant, exercitũ magis collectitium quàm ueteranum faciunt. Instabat pascha, quod omnibus cordi fuit, prius solenni cærimonia celebrare, quàm iretur in hostẽ, etsi iam supra caput esse uidebatur, perinde quasi plus auxilio diuino, quàm suis confiderent opibus. Atqui bonis mentibus non defuit consiliũ: dum enim rebus sacris uacant, ecce Germanus episcopus uir longè sanctissimus, non armis, sed fide, pietate, innocentia munitus, sese agminis ducem profitetur. Mirum dictu, quantũ Britannus eo nuntio creuerit cùm animo, tũ uiribus. Itaq; peracto die festo, in Saxones contendit, castraq; quam proximè ponit: postridie Germanus dux exercitus rem diuinam multo mane facit, poscit à Deo uictoriã: idem etiam cunctis orantibus, mox signum pugnæ dat, ter magna uoce Alleluia canens: eandem uocem toties exercitus repetit, tantumq; clamoris edit, ut hostes ubi uident in se iri, repentè metu corruant, abiectisq; armis, in pedes se perinde dent, ac si longo certamine uicti desperata iam salute, aliud nõ sit remediũ fuga opportunius. Ita diuina ope parta uictoria, nulla cædes, nullus captiuus. Hostiũ tamen nõnulli, teste Beda, in transeundo flumine desiderati sunt, qui eo miraculo territi sponte aliquantũ quieuere. Idem Britanni fecerunt, adeò ut quasi inducijs pactis manentibus, sit utrinq; ab armis cessatum, cùm apud Britannos ciuilis orta est discordia, quæ causa fuit, cur tandem libertate priuarentur. At Saxones ad spoliandos modis omnibus Britannos possessione insulæ partis, quam tenebant, excitati, cùm urbes & oppida deserta, uti Gildas testificatur, pro derelicto haberent, non multo pòst montem quendam editissimum in ea insulæ ora, quæ contra Germaniam est, occupant, quem id temporis Badonicum appellabant, quemadmodum idem Gildas ait. Hunc ego putarim esse, qui uulgò uocatur Blachemora, & pertinet ad Athesim flumen, quod Eboracensem

Paschæ festum ante pugnam celebrant.
Germani Epũ pr. D. sentiunt Britannia.
Miracolosa uictoria.
Saxones mentiũ Badonicum appellant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agrum à Dunelmensi diuidit, & ostium habet, quò cõmodùm ex Germania uenientes suas naues appellunt, id quod Saxones Angli in dies singulos expectabant, nam quotidie auxilia ex patria arcessebant. Hęcubi Britannis nuntiata sunt, eò concurrunt, montem circunsident, loca maritima presidijs uinciũt, ut aditus uenientibus ne pateat, ad descendendum in terram. Saxones per aliquot dies, se illis arduis locis tenuerant, sed deinde cõmeatus inopia urgente, necessariò cum instructis copijs, in proximam planitiem descenderũt, factaq; pugnandi potestate, ad manus uenerunt. A mane ad multum diem dimicatũ, tanta facta cæde, ut passim terra cruore manaret: sed longè maiorem plagam Saxones acceperunt, amissis ducibus Osca & Otha, ita ut à Britannorum cer uicibus depulsi uiderentur. Cæterùm omen auerti nõ potuit, ut infrà demonstrabitur. Huius singularis pugnæ Gildas cum primis meminit, qui eo illo anno, ut ipse affirmat, natus est, qui fuit ab aduentu Anglorum XLIIII, & salutis humanæ CCCCXCII.

Vtherius per idem tempus è uita migrauit, cui succesit filius Arthurus, uir profectò talis, qui si diutius uixisset, rem propè perditam suis omnino Britannis tandem aliquando restituisset. De hoc, propter ingentes pariter corporis uires, atq; animi uirtutes, posteritas ea fermè prædicauit, quæ de Rolando Caroli Magni ex sorore nepote, memoria nostra apud Italos decantant, tametsi ille in flore iuuentutis perijt. Quippe etiam nunc uulgus mirandis fert ad cœlum laudibus Arthurum, quòd tres bello superasset Saxonum duces, quòd Scotiam cum uicinis insulis in suam potestatem redegisset, quòd Romanos in agro Parisiorum, cum quodam Lucio eorũ duce, deleuisset, Galliamq; deuastasset, ac demum gigantes homines ualentes pugnando occidisset. Hic ad extremum tot bellorum uictor, fertur, dum uellet urbem Romam bello petere, domesticis seditionibus ab incœpto itinere reuocatus, Mordredum nepotem, qui regnum per tyrannidem, in eius absentia, occupauerat, interfeciſſe, & in eo certamine, ipse uulneratus cecidisse. Abhinc item paucos annos, positũ fuit Arthuro in Glasconiensi cœnobio, sepulchrum opere magnificũ, quò posteri intelligerent, illum omnibus ornamentis dignum fuisse, quandò Arthuri tempore cœnobium illud nondum erat conditum.

Post Arthurum, regnat Constantinus homo dissolutus, quem Gildas uir sanctissimus, qui per idẽ temporis floruit, perfecto odio oderat, hoc est, eius impuros mores non potuit non improbare, ut qui hominem diligeret: quare tam amantissimè eum de salute admonuit, quàm acerrimè in uitijs reprehendit. Constantinus enim qui uel uxorem contrà, atq; lex iubebat, turpiter ab se reiecerat, palamq; peierauerat, sexcẽta in dies singulos scelera edebat, quibus suos Britannos maximè omnium deprauabat. Illud Gildas reprehendebat, illud accusabat, illud periniquo animo ferebat, qui idcirco ex thesauro sacrarũ literarum, multis erutis testimonijs, quibus doceret Deum reddere unicuiq; iuxta illius facta, illos ad bonam frugem nunc hortando, nunc minitando more soliciti patris, auocare conatus est. Constantinum secutus est Aurelius Conanus, Vortiporius, Maglocunus, Carentius, Caduanus, & Cadouallo. Ii aliquot per annos, quibus regnarunt, satis habuerunt, imminentẽ patriæ casum sæpe armis, cum Saxonibus pugnando, bene agendo, consulendoq;, retardare: quod à Cadouallone in primis est factum. Is enim ubi sensit fatum urgere, in

in Vrbem Legionum, quæ ad Occidentis oram posita est, se recepit: unde in hostes crebrò deinde impetus faciens, res Anglicas ita attriuit, ut uideret eas breui tempore esse deleturus, nisi interim ab Osualdo Northumbrorum rege, uti infrà explicabitur, prælio uictus cecidisset. Secundum hos reges, Cadoualladrus Cadouallonis filius regnum passim incendijs, ac cędibus uastatum obtinet. Hic initio sui principatus, bonis artibus, consilio, atq; armis patriam in casum iam pronam, ab hostium iniuria aliquandiu defendit, tutatusq; est: uerùm haud multo pòst (quod enim ad nihilum casurum est, cadat tandem aliquando necesse est) incidit in aduersam ualetudinem: qua cùm grauiter urgeret, principes Britanni de eius salute desperantes, inter se de principatu cõtendere cœperunt: quod gentis interitus causa fuit: nam gliscente discordia, omnis ferè ager, ita ut fit pace expulsa, uacare cœpit, multitudine hominum temerè ad arma, ac seditiones intenta. Quo factũ est, ut breui ingens fames peruaserit: cui incõmodo inde aliud perniciosius accesit, pestilẽtia enim semper cognata famis, quàm uehementissima secuta est, sic, ut uiui mortuos sepelire nequirent. Quapropter corpora passim mortuorũ iacebant in conspectu hominum, similem quoq; mortem quotidie expectantiũ, adeò ut mortui ægros, ægri integros tum metu, tum tabe inficerent. Igitur rex Cadoualladrus posteaquã se confirmauerat, eiusmodi difficultatibus pressus, cum bene magno suorum numero, in Britanniam continentis traiecit, ubi statim pòst conflato non mediocri exercitu, ac certior factus pestilentiam de insula iam abijsse, ad reditum se parabat, cùm ecce tibi, imago quædam præ se ferens uultum præter mortalẽ, per quietem ita ei fata esse dicitur: Tibi dico rex, desine arma mouere, quippe quibus ne quidem potes fato resistere: Casura est prorsus patria in hostis potestatem, quam tua longo pòst tempore progenies recuperabit. Mirum est, quantum fidei ijs uocibus Cadoualladrus habuerit, qui uidens iã argentum, ut aiunt, uersum esse in scoriam, abiectis confestim armis, iusit Britannos quos in Gallias duxerat, domum redire, ipse autem Romã profectus est, ubi sanctissimè uiuendi finem habuit. Fuit ille annus cùm Cadoualladrus regnare cœperat XII, salutis uerò humanę DC. Tum demum Angli Saxones totius insulę, præter Scotiam, & loca quę Picti habebant, imperio potiti, eam inter se, sicut infrà ostendetur, partiti sunt: & illud quidem non communi consilio, aut certa ratione factum est, sed prout fortissimus quisq; sibi partem aliquam terræ uindicare potuerat, in ea suum principatũ instituit. Britannis uerò qui ex patriæ excidio euaserant, portio insulæ data est, quæ ad occidentem solem spectat. Hanc deinde Angli Vualliam, & Britannos eius incolas Vallos dixerunt, quia Germani, quemadmodum in primo huius operis uolumine exposuimus, omnes externos, qui aliam habeãt linguam, sermone patrio, uocant Vuallsmen, id est, peregrinos homines, pro quibus insulæ dominatũ iam adepti habebant eos Britannos, qui suæ superfuissent progeniei. Sed nec illud tacitum relinquam, Dauid Menecuensem episcopum paulo ante eiusmodi Britannici regni occasum, ob sanctitatem uitæ, tam uiuum quàm mortuũ miraculis claruisse, atq; etiamnum continenter clarere. Id temporis Constantinus Scotorum rex, quem suprà ostendimus rem Britannicam postremò iuuisse, sine liberis decesit, cui Congallus ex fratre nepos succesit. Secuti sunt reges Goranus uir fortis, Eugenius tertius, Conuallus, Anitillus, Aidanus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chennethus, Eugenius quartus, Ferquartus, Donualdus, Malduinus, Eugenius quintus, Eugenius sextus, & Ambercletus. Iis nihil potius fuit, q̄ Pictis cōtinenter bellum facere, & illud cùm primis Ambercletus studuit, qui in eo demum bello interijt. Credo illos prospexisse animo, aliquando futurum, ut alteri alteros delerent, uti demum accidit.

PROOEMIVM LIBRI QVARTI.

EXplicauimus suprà res Britannorū gestas, usq; ad Cæsaris aduentum in insulā, utcunq; ad fidem scriptas: reliqua uerò summo studio indagata hactenus quamuerisimè prodidi, utpote quę de bonis autoribus acceperim. Atq; ita scribendo, perueni ad occasum regni Britannorum, quod ab exiguis inchoatum principijs, postquam ad rerum fastigium euectum, ac armis, legibus, religione, cōsilio stabilitum fuerat, ad ultimum pariter cecidit, atq; Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum, & Romanorum olim ingentia regna interiere. Adeò iuxtà homines ac quæ hominum sunt, morti debentur. Veruntamē rerum naturæ uis, ut ne infesta nimis uideatur, talis est, quæ quantum mortalibus uno loco adimit, tantum ijs alibi soleat nonnunquam referre, pariaq; paribus respondere, ac sæpe amplius accumulare. Excidit enim Troia, postea Troiani profugi condidere Albam: ex Alba, Roma est. Sic uictis Britannis, ne insula libertate & imperio careret, Anglorū principatus quasi recentior naturæ partus in ea esse cœpit, creuitq; sensim summis opibus. Sed Anglorum principes insulam inter se ab initio partiti, ac paulo pòst suis finibus non contenti, dum pro se quisq; latè regnare curaret, in ciuile bellum inciderūt, id quod nomini Anglico nihil certè malo, sed maximo (mirum dictu) bono fuit, adeò ut facilè crederes ipsos principes tot mutuis inter se cladibus diu dimicantes, nil aliud prorsus tentasse, nisi ut Rempublicam suam certatim ex minima, tantam facerent, cuiusmodi postremò facta est: nam ad unum deniq; summa imperij delata est, qui regnum Anglicum longè amplissimū reddidit: reliquitq; posteris opibus multò munitissimum. De his potissimū rebus nunc nobis scribendum est, quod quàm uerissimè poterimus, nauiter faciemus, si prius tamē exposuero particulatim de ipsa insulę inter principes Anglos diuisione, deq; septem regulis (tot enim quandoq; fuerunt uno tempore) sibijpsis repugnantibus, quò legentes in re antiquissima, primùm omnium intelligant, quos fines illorum regulorum regna aliquando habuerint, quamuis nunquā ex certis spatijs, aut limitibus cōstiterint: quòd uaria bellorum euenta, prout infrà appositè demonstrabitur, modò eos longissimè produxerint, modò angustissimè contraxerint.

Polydori

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER QVARTVS.

PRIMVM regnum Cantianum est. Hengistus enim, uti suprà exposuimus, Cantium tenuit, eiusq; terræ se regem dixit. Habuit id regnum ab oriente sole, & meridie, Oceanum: à septentrione, Thamesim flumen: ab occidente uerò terminabatur finibus regni australium Saxonum, ac denique toto eo terræ spatio continebatur, ex quo hodie Cantuariensis & Rocestrensis, quam Roffensem appellant, diœceses constant. Hengistum secuti sunt reguli Osca & Otha eius filij, item Himericus & Ethelbertus quintus ab Hengisto, uir pari innocentia, atq; animo egregius, bellicæq; rei studiosissimus: quippe qui post partum foris otium, quietis minimè patiens, primus omnium ciuile bellum aduersus suæ nationis regulos gesit, quo fines regni usq; ad Humbrum amnē, propagasse fertur. Neq; enim illud contrà, quàm ius belli uellet, Ethelbertus fecisse uisus est: quia regnum Britannis ereptum etiam tum occupantibus patêret, & quam quisq; partem sibi acquireret, eam ipsam tam bono iure possidere iudicaretur, quàm qui optimo. Huic bono sanè principi, cuius ea ætas paucos pares tulit, tātùm ueræ religionis cognitio deerat, ut in eo summa gloria foret. Quare Dei nutu accidit, ut primùm habuerit uxorem genere Francam, nomine Bertham, & illam quidem Christianissimam, ueneritq; cum ea, inter alios, Lethardus episcopus uir sanctus, qui postea ambo cū in regia suæ religionis ritum quotidie seruarent, haud dubiè principis animum in alta caligine hærentem, sensim cœlestis lucis radijs illustrare cœperunt, duxeruntq; ad euangelicam disciplinam, quam ille libens demum recepit. deinde diuus Gregorius per id tempus, miserit in Britanniam Augustinū & Miletum monachos integerrimæ uitæ, cum nonnullis alijs, qui in Cantium delati ab ipso Ethelberto, iam tum uxoris & Lethardi sanctis monitis ita bene instituto, ut à Christiano nomine nequaquam abhorreret, perbenignè accepti sunt, quorum prędicatione & hortatu, ille omnium primus, ac deinceps reliqui Angli, sicut deinde locis perappositis dicetur, religionis nostræ dogmata integrè receperunt. Fuit hic annus à natali Christi DCIII. Appulsus autem est Augusti nus ad insulam Cantij, quæ Tanetos nominatur. Hæc ad ortū spectat, paterq; in longitudinem uix milliaria nouem, ac in latitudinem paulò minus: at paucis ab hinc annis excluso paruulo aquæ meatu, quo à cōtinente diuidebatur, nunc bona ex parte, terræ coniuncta est. Altera præterea insula ad ostiū Thamesis sita est, non multò maior, quam Heppiam uocitant. Quòd autem Angli opera in primis Gregorij Romani pontificis, Christiani sunt facti, causam fuisse tradunt, quòd ita usu uenit, ut mancipia aliqua Anglica egregiæ formæ Romam ducta publicè uenderētur, quæ Gregorius qui tum erat tantùm Romanus sacerdos, conspicatus, fertur ualde demiratus esse indolem, uenustatemq;, quam præ se ferebant: acuir pietatis plenus uehementer illorum uicem doluisse, quòd tam præclarum hominum genus ueri Dei esset ignorans: quo circa ei posthac pontificatum adepto nihil antiquius fuit, quàm ut Angli omninò in Reipublicæ Christianæ societatem uenirent. Ad hūc modum religio Christiana postremò in insula redintegrata est, quæ posteaquàm Lucius rex

Universidad de Deusto
Biblioteca

eam à principio receperat, partim à Romanis, partim ab Anglis penè extincta atq; euersa, adhuc inter Britãnos, hoc est, Vuallos perdurabat, tametsi nõ nisi priuatim, & ob metum tyrannorũ, occultè colebatur. Ita Augustinus de religione bene meritus, utpote qui omnia pericula ac incõmoda prę salute hominum, leuia ducebat, archiepiscopus creatur, qui apud Gregoriũ ita egit, ut sedes archiepiscopi, quæ iam inde ab initio pietatis Christianæ, Lucio rege, receptæ, Londini fuerat, Dorouerniam, hæc hodie Cantuaria est, translata sit. Londinensis diœcesis post archiepiscopalem sedem inde aliò delatam, Miletus Augustini socius episcopus est factus. At Augustinus confestim ut Doroueruiæ sedem posuit, templũ quod ibidem magnificum erat, à Romanis, ut fama est, olim suis dijs conditum, Christo dedicauit, in eoq; metropolis pontificis cathedram locauit. Augustinus item postquam inter Cantianos, Christianæ religionis fundamentum iecerat, Gregorium de constituendis legibus cõsuluit. Ille uerò ita decreuit, ut quæ darentur in rem familiarem, eorũ una pars impartiretur episcopo, unde domum haberet hospitalem: altera cæteris sacerdotibus, tertia pauperibus, quarta ad sarta ædium sacrarũ tecta tuenda: ut sacra fierent eo ritu, qui esset quamoptimus: ut sacrilegus ita puniretur, quò culpam agnosceret, ac si fieri posset, restitueret, quæ abstulisset: ut in cõtrahendis matrimonijs, liceret Anglis fœminas sibi quarto, siue quinto, nam id certius traditur, cognationis gradu coniunctas, uxores ducere: ut episcopi ab Augustino facti, à tribus quatuorúe episcopis consecrarentur. Insuper ut ipse Augustinus nullum ius in episcopos Gallicanos haberet. Et demũ mulier prægnãs quæ non esset Christiana, baptizaretur, & enixa more ueteri, post xxxiij. aut xlvi. dies, quàm peperisset, purgaretur, sed si uellet, antea in templũ intraret. Post hæc, Gregorius scripsit literas multò humanissimas ad Ethelbertum regem, quibus eius pietatem maximè collaudauit, q; Christianum dogma recepisset, hortatusq; est, ut in eo longè sanctissimo uitæ instituto permaneret, quò meritò posset à Deo præmium expectare. Ad prima redeo.

Præterea eiusdem Augustini rogatu, rex Ethelbertus ædem diuis apostolis Petro & Paulo posuit, donisq; ornauit amplissimis, deinde ipsius Augustini ac regum Cantianorum sepulchris insignem: Postea apostolo Paulo speciatim templum Londini (eam urbem ipse in suam ditionem paulo antè redegerat) extruxit, & diuo Andreæ alterum Rocestriæ, ac utrunq; donarijs ditauit. Absq; ijs, alia id genus quotidie pietatis opera ab eo fiebant, cùm Augustinus qui ad rem diuinam domi foriscq; augendam iampridem animum adiecerat, prospiciens ita breui tempore futurum, ut uita dissolueretur, & ueritus ne oues quas diuina ope in gregem Christi duxisset, pastore carentes, errando in letifera pascua non collaberentur, Laurentium socium uirum doctrina & moribus clarum sibi successorem delegit, eiq; ipsas oues commendauit, sic ferè locutus: Laurenti, cunctis posthabitis rebus, quæso, ut orando, & cõcionando, sicut bonum decet episcopum, saluti hominum tibi consulendum constituas. Haud multo pòst uir sanctissimus mortem obijt, post annũ quàm sedere cœperat, quintumdecimum. Sedere, ut lib. iiij. cap. vi. de rerum inuentoribus demonstratum est, usu uenit ut non ineptè nec sine ratione, ponatur pro præesse interesseq; rebus sacris, & administrare ecclesiam Dei, cùm de pontifice sit sermo. Hoc admoneo, ut ne uideamur barbarè loqui. Corpus in æde apostolorum

lorum Petri & Pauli, etsi nondum perfecta, sepulturæ datum est: anima uerò laborum suorum mercedem in cœlo habitura, ad Deum patrem nostrum læta redijt, id quod satis omnibus re ipsa constare potest, quandò per Augustinum Anglorum apostolum (sic enim Angli uocant) in dies singulos, plura miracula extant. Ethelbertus uerò anno pòst, quàm factus est Christianus, altero & uigesimo, & cùm regnare cœpit, LVI. de uita decessit, uir profectò ab omnibus, & præsertim ab optimo quoq; omni tempore laudandus, cùm ob receptam Christianam religionem, & genti suæ quasi per manus traditam, tum q; totus ex pietate pendebat: quippe solùm de Christiana Republica quouis pacto bene mereri, usq; ad extremum uitæ diem semper studuit, à qua post mortem, non uticq; immeritò, inter diuos relatus est. Corpus ad ædem apostolorum delatum, ibidem humatur, quod hodie multis enitet miraculis. Postquã Ethelbertus maturam oppetiuit mortẽ, Edbaldus eius filius ab Hengisto sextus rex creatur, admodũ puer: qui idcirco ubi pro suo iure uiuere cœpit, patris salutaria oblitus præcepta, se dat ad exercendum in cunctis uitijs, ac primũ omnium nouercam in matrimonium ducit, deinde Christianam religionem ab se spretam repudiat, insectatur, ac tanquam pestem abhorret. Quo fiebat, ut multi partim metu regio, partim suapte insania optimum uitæ institutum mutarent: quamuis Laurentius archiepiscopus non desisteret populum hortari, ut in eo permaneret, cui ob id rex uehementer succensebat. At bonus antistes diu patienter iniurias tulit, sed ad extremum, cùm animaduerteret, odio tyranni in dies singulos in Christianos crescente, se tantum concionando, neq; monendo, operam ludere, statuit abire, & sequi in Gallias Miletum & Iustum episcopos, quos alibi demonstrabimus à filijs Siberti regis Oriẽtalium Saxonum expulsos eò traiecisse. Verùm illum ad iter se expedientem diuus Petrus per quietem reprehẽdisse, flagellisq; affecisse dicitur, quòd immemor mandati Augustini, uellet ob metum supplicij, relinquere suum gregem lupis rapacibus iugulandum: qua re territus, consilio repentè mutato, ab incœpto destitit. Quod ubi Edbaldus resciuit, re diuina permotus, ueniam à Laurentio petijt, repudiatoq; protinus turpi connubio, ad sanitatem redijt, baptizatusq; est, Miletum & Iustum reuocauit, & denicq; ita uitam correxit, ut iuuẽtutis uitia illi bono fuisse, perspectum sit. At Londinenses, qui adhuc idolis seruiebant, Miletum recipere noluerunt. Qua de causa, ille in Cantio permansit, qui haud multo pòst mortuo Laurentio, archiepiscopus est creatus ab Augustino tertius Cantuariensis antistes. Is cùm bene multa edidisset miracula, post quartum deinde annum, quàm sedere cœperat, è uita in cœlum migrauit. Miletum Iustus uerè iustus secutus est. In Londinensem episcopatum Mileto successit Ceddas, diui Ceddæ frater: Ceddæ Vuinas, Vuinæ Erchenualdus pater sanctissimus. Is ut tandem sua bona ac fortunas omnes in religionis communionem conferret, duo ędificauit cœnobia, alterum Benedictinorum monachorum, ad Chertesseium pagum, Surræ comitatus: alterum monacharum Barchyngij, in pago ad ripam Thamesis sito, qui est ad orientẽ solem, distatq; à Londino passuũ millia circiter septem. Ad rem redeo. Interim Edbaldus cùm iam bene agendo, haud longè parente esset religione inferior, moritq; post annum quàm regnare cœperat, quintũ & uigesimũ, quem nempe unusquisque ad cœlum laudibus ferre iure potest, ac debet: quò enim euange-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium tardius nouit, hoc ſtudioſius fouit, ita ut non facilè iudices, utrum pater qui prior dogma Chriſtianū receperat, an iſte qui illud iam ubiq; repudiatū inſtaurarat, plus de religione noſtra bene meritus ſit. Regnat deinde filius nomine Ercombertus, uir tum pietate in patriam, tum religione erga Deū, neutiquam patri longè impar: ſiquidem auum atq; patrem inſigniter æmulatus, deorum ſacella quæ adhuc extabant, confeſtim complanauit, ut uana ſuperſtitio penitus tolleretur. Nam quandiu fana deorū falſis numinibus dicata extabant, haud facilè hominum mentes atq; ſtudia à cultu idolorum auerti poterant. His pietatis officijs factum eſt, ut annos quinq; & uiginti regnum ſuum, quod legibus bene inſtituerat, pacatiſsimè adminiſtrauerit.

Per idem tempus, Iuſtus Cantuarienſis antiſtes diſceſsit à uita, poſt multa paſsim opera, ad amplificandam religionē ab eo facta: qui paulo antè crearat Paulinum Eboracenſem epiſcopū, qui eius ſocius cum Mileto miſſus à Gregorio, diu antea in inſulam uenerat, deditq; illi negotium docendi euangelij inter Northumbros, quod uti alibi dicetur, diligēter beneq; geſsit. Sanè creā dorum epiſcoporū poteſtatē Boniſacius Romanus pontifex, uti Bedas teſtatur, Iuſto paulo antè dederat. Et poſtea Honorius Romanus pontifex, mittēs pallium Honorio Cantuarienſi antiſtiti, illud ipſum confirmauit, conceſsitq;, ut quoties archiepiſcopus Cantuarienſis ſeu Eboracenſis mortuus eſſet, & ſedes alterutra quouis modo uacaret, alter ſuperſtes alterū in demortui locum ſurrogatum conſecraret, ne, ſi id muneris à Romano pontifice, aut à Gallicanis archiepiſcopis peteret, religio in Anglis recēs nata interea damnū faceret. Succeſsit Iuſto Honorius, Honorio Theodatus, & Theodato Theodorus ab Auguſtino ſeptimus. Is ſuo fungens officio, primo quoq; tempore conuentū epiſcoporum aliorumq; ſacerdotum celebrauit, in quo permulta decreta conſtitutaq; ſunt, quæ cuiuſq; ordinis hominibus ad bene beateq; uiuendum cōducerent. Capita actarum rerū eiuſmodi Bedas lib. iiij. cap. v. ſuæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ ponit: ex quo non eſt, cp ipſe deſcribam. Ercomberto demortuo, Egbertus eius filius ſucceſsit. Hunc breuitas tēporis quo regnū obtinuit, nulla re memorabili nobilitauit. Sunt, qui ſcribāt, operatione Egberti, morte affectos fuiſſe Ethelbertū & Ethelbrittum eius patrueles uiros ſanctiſsimos, quorū corpora iacent in cœnobio Ramiſiēſi: & tanti facinoris quanq; Egbertum pœnituiſſe tradunt, attamen Lotharij eius filiū pœnas dediſſe, iuxta oraculū illud, quod in Exodo eſt, cap. 34. Viſitans iniquitatē patrū in filios, in tertiā & quartā generationē. Is malè regni adminiſtrandi facto initio, ſtatim autore Edrico Ethelbritti filio, qui ad uindicandā patris necē ardebat, incidit in domeſticū bellū, in quo Cantianis in eū uno momēto arma ſumētibus, grauiter uulneratus, breui inde intercurationē occidit. Lothario regnante, Theodorus archiepiſcopus alterū conuentū multorū epiſcoporū egit, in quo ſtatus religionis & ordinis ſacerdotalis quaſi de integro fundatus, ac collocatus eſt: ſiquidē tū primū Anglicana eccleſia illa quatuor ſacroſancta cōcilia apud Græcos olim habita recepit, quibus multijuges hæreſes ex agro Chriſtiano auulſę ſunt. Poſt Lotharij, Edricus rex creatur filius Ethelbritti, qui ciuili ſeditione, cuius ipſe autor fuerat, oppreſſus, uix biennio peracto, & imperio & uita à ſuis ciuibus ſpoliat. Quare cognita, Cedoualla rex occidentalis, qui ſemper Cātianis multò infeſtiſsimus fuerat, ſubitò unà cū Molone fratre in agrū Cantianū in-

uadit, nullo q; reſiſtente, magnam facit prædam, nihil nō obuium corrumpit, incendit in cunctos mortales crudeliter incitatus. Cantiani tanto repentè incōmodo affecti, ex neceſsitate, omnis periculi terrore omiſſo, in hoſtē coacto agmine incurrunt. Nō ſuſtinuere Occidentales impetū, qui magna parte prædæ dimiſſa, fugati Molonem inter hoſtes reliquerūt. Molo à ſuis deſtitutus, in proximū gurguſtium fugiens ſe abdidit, quem hoſtes inſecuti iniecto in illud igne necarūt. Cantiani preſenti periculo liberati, pro tempore, pro re, nullum capientes conſilium, inter ſe de rege creando contendunt. Dum multi regnum affectabant, ſeptimo deinde anno Vithredus alter Egberti filius, cùm apud ſuos inuidiam preſsiſſet induſtria, ac finitimos hoſtes pecunia ſibi recōciliaſſet, magna ſpe ciuiū rex factus eſt, ordine regum ab Hēgiſto undecimus. Sub idem tempus, Theodorus archiepiſcopus è uita exceſsit: in cuius locum Brithoualdus ex Anglorum gente primus, antea omnes Itali fuerant, ſurrogatur, ordine antiſtitū octauus. Vithredus uir ſpectatiſsimus, ac pacis amantiſsimus, cùm ab Ina Occidentalium rege conflari in ſe bellum accepiſſet, hominē ſtatim grandi pecunia ſibi reconciliandum curauit. ita confecta pace, deinde ad pietatem animum adijciens, religionem ſanctiſsimè coluit, regnum ſalutaribus decretis inſtituit: qui demum, ut nihil ad felicitatem deeſſet, quam mortales & magnā eſſe ducunt, & plurimi faciunt, tris ſui non diſsimiles ſuſcepit filios, Edbertū, Ethelbertū, & Alricū, qui ſecundū eum, fauſtiſsimè deinceps regnarunt. Poſt hos reges, qui ſecuti ſunt, ita à maioribus ſuis degenerarunt, eisq; ſocordia & impudentia cordi fuit, ut illud tantū memorabile dicere habeamus, illorum inertia Cantianos in Occidentaliū poteſtatem ueniſſe. Is fuerunt Edbertus, ſiue Edelbertus: qui maiora uiribus temerè in Mercios auſus, ab illis in uincula ductus, ac non multo pòſt miſſus factus, à ſuis non eſt receptus, adeò nullo apud eos erat numero: dubium eſt, quem poſtea uitę exitum habuerit. bienniū regnauit. Cuthredus, Baldredus, & Etheluolphus. Hic ordine regum decimus octauus & ultimus, ab Egberto occidentali rege captus, uictori poſſeſsione magni regni ceſsit. Sunt tamen, qui ſcribant eum fuga euaſiſſe, priuatamq; deinde uitam uixiſſe. Atq; ita Cantianum regnum Occidentalī adiunctum. Regnatum eſt in Cantio ab Hengiſto, uſq; ad amiſſam libertatem, annos circiter DCCLXIII.

ALTERVM regnum Auſtraliū Saxonū, & id anno trigeſimo altero aduentus Anglorū in inſulam, initiū ab Ella Saxone ſumpſit. Is enim dum Britanni uario bellorū motu defatigabantur, paulatim auſtralē inſulæ partem occupauit, in eaq; regnū obtinuit, quod ſuis poſsidendū reliquit, qui inde cognomē traxerunt, ut Auſtrales dicerent, ex eo, quòd uentus auſter flat à meridie, quò eorū patria terra uergebat. Sed pauci admodū reguli ibi regnarūt: nam ęs ciuiſsimè dominatio cœpit, tam nō diutiſsimè durauit, cū reguli iſti ciuili bello ſuperati, omniū primi in ditionē nomenq; Occidentaliū Saxonū cōceſſerint. Fines regni eos fuiſſe non nemo ſuſpicatur, quibus noſtro tempore continentur Vintonienſis & Ciceſtrenſis diœceſes. Poſt Ellā quatuor duntaxat reges fuerunt, Siſca, Ethelualchius, Berutius, & Aldinius. Hunc Inas rex Occidentalium Saxonum uita pariter atq; regno expulit, prout infrà planius fiet.

Tertiū regnū Oriētaliū Anglorū, cp illi eā inſulę partē occupaſsēt, quę ad orientē ſolē ſpectat, unde ſibi cognomē illud inuenerūt. Quod terrę ſpatiū hodie

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicœceſes Nordouicenſis & Elyenſis complectunt, in tris diuiſum comitatus, Suthfolchiam, Northfolchiam, & Cantabrigienſem: ſic uocant conuentus, ut in primo docuimus libro. Huius primus regulus fuit Vffa: quem ſtatim pòſt ſecuti ſunt Titullus & Redoualdus. Iſte uir bello ſtrenuus cum Ethelfredo Northumbriæ rege feliciter ſingulare prælium fecit, ut alibi in uita ipſius Ethelfredi memorabitur: reſtituitq; regnum illud Eduino iuueni optimæ indolis, & pòſt gloriam militari arte partam, religionem Chriſtianam recepit, ut Deo ſimiliter atq; hominibus charior haberetur. Verùm haud diu in bono inſtituto permanſit: uxoris enim importunæ iuxtà atque impiæ mulieris conſilio corruptus, ipſam religionem repudiauit, atque non multo pòſt ad inferos deſcendit. Succeſſit impio patri filius Carpualdus ſuapte natura bene inſtitutus, qui à primo baptiſmi ad fontem admotus, uitam ſanctam degere incipiebat, cùm ſubitò hominum dolis necatus eſt. Obtinuit regnum Sigibertus Carpualdi ex matre frater ab Vffa quintus. Is Chriſtianum dogma quamprimum complexus eſt, illudq; in regno ſuo mirè amplificauit. Item princeps ſapientiſsimus ſciens nihil æquè eſſe hominibus ornamento, ac literas, & eas quidem per id tempus in inſula admodum raras, hortante Felice epiſcopo, natione Burgundione, uiro doctiſsimo, ſcholas paſsim in ſuo regno poſuit, & in primis Cantabrigiæ, ut pueri ab ineunte ſtatim ætate erudirentur: qua re breui multi mortales doctiſsimi euaſerunt, floruitq; deinde Cantabrigiæ gymnaſium bonarū omnium diſciplinarum perpetuò. Quamobrem Anglia quòd poſtea claros ſemper doctrina uiros tulerit, haud dubiè Sigiberto cum primis acceptum referre debet, utpote qui in ea literarum fundamentum primus iecerit. Fuit is annus ſalutis DCXXX. Sigibertus cùm iam ſenecta eſſet ætate, ſe cumq; continenter meditaretur, quàm difficile eſſet, quemadmodum bonum regem decet, rectè Rempublicam regere, ſtatuit in uita priuata ſibi in poſterū acquieſcendum. Itaq; tradita regni adminiſtratione Egrico cognato, in cœnobium ſe abdidit. Verùm cùm non multo pòſt Penda Merciorū tyrannus ſæuiſsimus Egricum bello grauiter premeret, Sigibertus cauſa iuuandi ſuos, de cœnobio egredi eſt cōpulſus: qui ut ne religionis ac inſtitutæ uitæ immemor haberet, uirgam loco ſceptri gerens, & gladio duntaxat armatus in prælium deſcendit, in quo unà cum Egrico, ac toto ferè exercitu, interijt. Ita uir nempe optimus aduerſus inimicū Dei pugnans, quaſi per martyrium uitā profudit. Succeſſit in regnum Annas rex ab Vffa ſeptimus, quem Penda itidem ferro interemit. Hunc ſecutus eſt Ethelherius, deinde Ethelualdus, Aldulphus, Eluoldus, Beornas, Ethelredus, & Ethelbertus, ordine regum ab Vffa quartus decimus. Iſte ab ineūte ætate, ita ab Ethelredo patre inſtitutus educatusq; fuit, ut deinceps uitiorum omniū fugiens, tantūmodo in exercendo bonis in artibus ingenio hæſerit. Argumento ſunt permulta, quæ ab illo dicta factaq; fuerunt, principem extitiſſe talē, ut nihil eo officioſius, nihil gratius, nihil humanius, populariuſúe eſſet, qui in ore ſæpiſsime habuerit, Decere mortales quò maiores ſunt, hoc ſummiſsiores ſe gerere, quia dominus detrahit potentes de ſede, & extollit humiles. Itē ſapientiæ ſtudiū nō uerbis, ſed gratitate morū ui tæq; cōtinentia exercebat. His uirtutibus breui factū eſt, ut amorē & beneuolentiam omniū ſibi cōciliarit: & quoniā iam frenos animo impoſuerat, cōſtitutum etiā ei erat, nō labefactare corpus mulierū cōſuetudine, idcirco coniugiū ualde

ualde horrebat. Contrà conſiliarij maiorē in modum hortabantur, ut poſteritati cōſuleret, uxoremq; duceret. Ad ultimū re ad conſiliū delata, unus à multis de ſententia deducitur, ſic, ut ei Alfreda Offæ Merciorum regis filia pacta fuerit: Poſt hæc longè humaniſsimus princeps, cui cū primis charitas erat grata erga omnes, cupidus maioris gratiæ à ſocero ineundæ, ille ipſe ad puellā deducendā proficiſci uoluit, quem ita euntem prodigia multa terruiſſe ferūt, quippe quę infelicē illi uitæ exitum portenderēt. porrò cum primùm in equū aſcēderet, terra ei uiſa eſt tremere ſub pedibus. exin in itinere de medio die nebula de repentè circundatus aliquandiu nihil uidit, & nouiſsimè uiſus eſt ſibi in ſomnis uidere faſtigiū regiæ ſuæ ſubitò corruere. Iis portentis etſi terrebat, terrebatur autem uehementer, attamē nihil fraudis ſuſpicatus, ut qui ſuis, aliorum metiebatur mores, ire perrexit. Accepit Offa adoleſcentem uenientē humaniter: at eius uxor nomine Quendreda, mulier prudens, cęterū impia, non amore mouetur, ſed magnū auſa nefas, uiro perſuadere conatur, ut Ethelbertо interempto, regnum Orientalium Anglorū quamprimū occupet. Rex primùm à tanto ſcelere abhorret, increpatq; uxorem grauiter, deinde tamen mulieris importunitate ac proteruitate flexus, in id facinoris conſpirat. Negotiū maturandæ cædis mandatū eſt cuidam prompti atq; audacis animi, qui tempus & locum peragendę rei caperet. Ille cum nonnullis aliis ad ſcelus edendū adiunctis, perinde quaſi ab Offa miſſus ad Ethelbertum arceſſendum noctu acceſsit, atq; inopinantē iugulauit. Offa extincto iuuene, eius regnum ſtatim armis inuaſit, occupauitq;. At Alfreda uirgo cognita morte ſponſi, parentes omnibus precibus deteſtata, ſubitò diuino inſtinctu concitata prædixit fore, ut mater ſceleris tanti pœnas daret meritas: id quod breui pòſt tempore contigit. Ipſa uerò uirginitate Deo dicata, ad locum cui nomen eſt Crolandia, ſe contulit, ibiq; ſanctiſsimè uitam egit. Is locus admodū paluſtris inter Elymin fulam, & Nynam flumen, olim circiter annum ſalutis DCXCV cœpit eſſe celebris, ob memoriam diui Guthlaci monachi, ubi ille diu habitauit, & ſepultus eſt. Quare poſtea mortales miraculis eodem loci uiſis adducti, cœnobiū monachorum ordinis diui Benedicti ad ipſum Nynam poſuerunt, quod uel hodie religione floret. Corpus Ethelberti martyris Herefordiæ poſtremò ſepultum eſt, ubi multis fulget miraculis.

Regnum deinde Orientaliū Anglorū modò à Mercijs, modò ab Occidentalibus, aliquoties à Cantianis regulis poſſeſſum eſt, donec illud Edmundus uir ſanctus ex gente Anglorū ultimus tenuit. Is regnū adeptus, dum ſuos pace fouet, pietatē ac liberalitatē in omnes exercet, barbarorū inſidijs oppreſſus martyrio coronatur. Cuius rei cauſam eiuſmodi fuiſſe tradunt. Lothebricus quidā natione Dacus, pater Agneri & Hubonis (de his alibi ſæpius fiet mentio) cùm aucupio plurimū delectaretur, fertur hyberno tempore, aſcenſa parua nauicula, dum ſtudio inſectandi aquatiles aues, circa litus uagaretur, ſubita uentorum ui, in altum raptus, duas noctes atque huc atq; illuc agitatus fuiſſe, ac tertio tandem die, ad Orientaliū Anglorum litus perueniſſe, & ob ſcientiam aucupandi, ab Edmundo in familiam receptus. Non interceſſerant multi dies, cùm hunc quidam ſeruus accipitrū domitor, inuidia motus, quòd ille in ea aucupandi arte peritior eſſet, per inſidias interemit: propter quod fa cinus, cùm à rege uenia negaret, in Daciam aufugit, ibiq; Edmundo infenſus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd impunitatem non conceſsiſſet, tale comminiſcitur ſcelus: Indicat enim Agnero & Huboni ob patris caſum ualde anxijs, de Lothebrico, narratq; Edmundi iuſſu, illum necatum eſſe apud Orientales Anglos. Agnerus cognita patris morte, ira & furore accenſus dicitur, ſumptis repentè armis, cum bene magna armatorum manu in inſulam properaſſe, ad ulciſcendam iniuriam: & ut ad Orientales Anglos peruenit, unum ex ſuis exploratum miſiſſe, ubi terrarum Edmūdus rex ſe teneret, mandaſſeq; ut nomine ſuo regi tanquam iam uicto imperaret pecuniam, ac cætera uſui neceſſaria, atque ediceret illum non amplius regnaturum, niſi ſeſe maturè Dacis dederet. Interea ipſe exploratorem hoſtilem in modum ſequebatur, omnia cæde & igne complens. Edmundus audito nuntio magnopere admiratus barbaricam temeritatem, nonnihil timore afficitur, & aliquantum cunctando ſecum cogitat, ecquid factu optimum ſit, in re tam ſubita. Tandem uir innocentiſsimus memor documenti Chriſti, Qui perdiderit animam ſuam, inueniet eam: omni metu prorſus depoſito, in hunc ferè modum nuntio reſpondit: Dicito duci tuo, Edmundum regem Chriſtianum nequaquã uelle ſe ſeruiliter ſubijcere populo Daco, pietatem Chriſtianam abhorrenti, niſi illam prius complectatur. Vix ea fatus erat, cùm Agnerus repentè adfuit, regiamq; ingreſſus, multis mortalibus trucidatis, Edmundum cepit. Sunt qui ſcribant regem aufugiſſe, & perſequentibus Dacis ſponte occurriſſe, atque interrogatum an ſciret ubi loci rex eſſet, reſpondiſſe ſic: Dum ego in regia fui, ibi etiam Edmundus quem quæritis, fuit: ubi abiui, ille quoque abijt: qui utrum manus ueſtras fugiturus ſit nec ne, ſolus Deus noſcit. & Dacos ubi per interpretem audiuiſſent Deum nominari, probè intelligentes illum eſſe regem, ilicò cepiſſe, ac primò fuſtibus ferè ad necem cæſum ſagittis transfixiſſe, deinde Chriſtum inuocantem obtruncaſſe. Sic pius rex martyrij palmam tulit. At barbari in demortuum adhuc graſſantes eius caput inter denſiſsimas uepres abdiderunt, ne Chriſtiani illud debitis colerent cærimonijs. Sed uana fuit aduerſus diuinam pietatem, humana impietas: dum enim reperto corpore, Chriſtiani ſanctiſsimi uiri caput quæritabant, ecce, uox ſubitò audita eſt in parte ſyluæ, quò cuncti confeſtim concurrentes, caput integrum inuenerunt. Aderat ibi lupus, qui caput mirabiliter cuſtodiebat, & animal tam uorax ne ſanguinem quidem, qui adhuc iugiter manabat, deguſtauit. Atque hoc in miraculis diui Edmundi apud mortales celebre haberi cœpit. Cæterùm contrà non nemo tradit acre prælium commiſſum fuiſſe inter Edmundum, & Dacos, multa utrinque cæde facta, priuſquam in poteſtatem hoſtium uir ſanctus ueniſſet. Fuit hic annus ſalutis humanæ DCCCLXXI. Vixit Edmundus annos trigintanouem, regnauit ſexdecim. Corpus hodie iacet in cœnobio monachorum familiæ diui Benedicti, ab Alſuino eius regionis longè ſanctiſsimo epiſcopo condito, eiq; dedicato, in oppido Suthfolchiæ comitatus, quam uocant Buriam. Hæc ſunt, quæ de cauſa martyrij Edmundi quidam autores prodiderunt, quorum opinionem ueram eſſe non planè affirmauerim, quandò ſatis conſtat Dacos non ueniſſe id temporis ex Dacia, cauſa uindicandæ mortis patris Agneri & Hubonis, ſed eos perdiu antea in inſula fuiſſe, ac demum deuictis apud Eboracum Northumbris, uti in uita Aluredi regis Occidentalium explanabitur, inuaſiſſe Orientales Anglos, & interfecto Edmundo, illis poſtea per annos aliquot

Scribitur illuſtre martyrium Edmundi Regis Orientalium Anglorum

aliquot imperaſſe. Quod uerum eſſe atteſtatur cum primis Saxo Grammaticus Dacicarũ rerum ſcriptor. Sanè is ſcribit à principio Frothonem primùm, ac dein Amlethum reges ſubegiſſe Britannos, & Scotos, atq; demũ Anglos, qui ipſos Britãnos deleuerãt, à Frothone tertio, & Regnero ac luaro ſæpe deuictos, eisq; ad extremũ datum fuiſſe præfectum Agnerũ hominem ualẽtem, & cum gentem infidã ſibi magnopere afflixiſſe. Hunc ſcriptores Anglici perinde Inguarem ineptè uocitant, atq; apud Saxonem, nomina regum Anglorũ neutiquam rectè ponũtur, errore, ut puto, librariorũ. Cæterùm ad rem redeamus. Daci Orientalibus Anglis ſuperatis, unum ex ſuis ducibus, nomine Guthormum præficiunt, regemq; appellant. Is homo ferox crudeliter dominabatur, nomenq; ac genus Anglicum delere conabatur, ſed morte præuentus incœptum opus crudelitatis plenum perficere nequiuit. Hũc ſecutus eſt Ericus natione quoq; Dacus, quem ſtatim ab initio regni, Guthormi ueſtigijs inhærentem ac inſolenter dominantem, Angli ad ſummam ferè rerum omniũ deſperationem adducti interfecerũt. Sed nec illis ea res magno uſui fuit: eatenus enim poſtea tum ab ipſis Dacis ulciſcendi cædem Erici cupidis, tum ab Occidentalibus regibus imperium amplificare affectantibus, uexati fuere, quoad poſtremò coacti ſunt ſeſe, uelut alibi dicetur, Eduardo cognomento Seniori ipſorum Occidentaliũ regi dedere. Sic Orientales Angli & regnũ, quod diutius quãm ullum aliud ſtetit, & nomen ad ultimum amiſerunt.

QVARTVM ſequitur Orientalium Saxonum regnum, ſi Bedæ credimus, qui tradit alios eſſe Saxones, atq; Anglos. Hi igitur ſibi regnũ conſtituerunt, quod ab Erchenuino regulo ortum habuit. Eius regni caput fuit Londinum, qua urbe poſtea Ethelbertus Cantianus rex, uti ſuprà oſtẽdimus, potitus eſt: claudebatur ijſdem finibus, ac memoria noſtra, Londinenſis diœceſis. Cæterùm ſcriptores alij, quibus & nos aſſentimus, autumant Orientalium Anglorum & Saxonum idem regnum fuiſſe, & à duobus regulis interdum adminiſtratum, quandoquidem coniuncta erant: ac ſatis conſtat Londinum utriuſque gentis caput, & regiam ſedem fuiſſe. Reges ab ipſo regni initio, Erchenuino ſucceſſerunt, Sladda, & Sibertus. Hunc Miletus Londinenſis epiſcopus baptiſmi unda ſalutari perfudit, cui aſsignant cœnobium, quod Vueſtmonaſterium uocant, quamuis autores aliquot, quibus facilè aſſentior, Lucij regis opus eſſe malint. Genuit Sibertus tris filios, Serrediũ, Seuardum, & Sigibertum, in quibus nihil ſancti, nullus Dei metus, nulla religio erat, abhorrentibus in primis à nomine Chriſtiano: nam eò inſaniæ uenerunt, ut euchariſtiam contemptui habentes, illotis, ut dicitur, manibus capere uellent: quam cum Miletus epiſcopus negaret ſe poſſe illis dare, qui prius non eſſent ſacro baptiſmate abluti, eum ex regno exire iuſſerunt. Miletus ita expulſus, Cantuariam ad Laurentium archiepiſcopum approperat. Hîc cùm aliquandiu boni antiſtites, ut ignari quod agerent, inter ſe cogitaſſent, quo pacto religionem paſſim cadentem ſubleuarent, ad extremũ deliberarunt, effrenatæ potius tyrannorum impietati cedere, quàm fruſtra tot incõmoda capiundo, nihil præſtare, quod è Republica Chriſtiana eſſet. Itaque Miletus cum Iuſto Roceſtrenſi epiſcopo, in Gallias quamprimùm (autor eſt Bedas) tranſiuit. Interea Serredius cum Occidentalibus Saxonibus congreſſus, unà cum fratribus interfici tur. Ita Deo placuit, ut ſæui tyranni meritas impietatis ſuæ pœnas luerent.

Duo regna Orientalia Anglor. occupant

Guthormus Danus rex conſtituitur Orientalium Anglorum

Deinde Ericus, quo tranſ. ab Occidentalib. R. ſubacti ſunt

Regnum Orientalium Saxonum

1 Rex Erchenuinus

2 Sladda

3 Sibertus

1 Serredius cum fratribus

Euchariſtiæ ſacramentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sigiberhit Paruus Seuardi filius

Serredio succesſit Sigibertus cognomẽto Paruus, Seuardi filius, qui aliter atque pater de Deo ſentiens, religionem Chriſtianam libens amplexatus eſt. at, que pater de Deo ſentiens, religionem Chriſtianam libens amplexatus eſt. at, quoniam nuſquam tuta fides, nõ multo pòſt à ſuis domi clàm necatur, ex eo, quòd clemens iuuenis hoſtibus quandoq; pepercisſet, ſecutus Chriſti præceptum: Benefacite iis, qui uos oderunt. Deinde Suthelinus, Sigerius, & Sigehardus regnant, quorum, excepto quòd baptizati ſunt, nullum habeo ſcribere facinus memorabile. His breui uita priuatis ſucceſsit Offa Sigerij filius ab Erchenuino ordine regũ nonus, adoleſcens miræ indolis, qui pietate motus Romam petiuit ueniæ cauſa, ubi animam Deo reddidit. Is hæredem fecit Colredum. Poſt hunc Sutthredus undecimus & ultimus Orientalium Saxonũ, de quo plura infrà dicemus, cùm de Egberto Occidentalium Saxonum rege meminerimus, qui unà cum iſto Orientalium Saxonum principatu, Cantianorum quoq; & Northumbrorum regna ad ſuam ditionem adiunxit.

Sigeredus
Sigehardus
Offa
Colredus
Suthredus

Regnum Merciorũ Saxonũ mediterraneorum Regis Crida

QVINTVM regnum Merciorũ, id eſt, mediterraneorũ Saxonum à Crida Saxone inchoatũ, quod longè ampliſsimum opulentiſsimũq; fuit, tum quòd uberiorem inſulæ partem tenuit, tum cp felici hominũ fœtu floruit. De latitudine aut longitudine eius, nihil certi traditur, attamen eos fines habuiſſe iudicant, quibus hodie terminantur Lincolnienſis, Cõuentrenſis, & Lichefelden ſis, ac Vigornienſis diœceſes. Partem etiam Herefordenſis diœceſis, intra limites huius regni fuiſſe in annalibus patet, quippe quod in quinq; parochias, quas diœceſes uocamus, poſtremò diuiſum fuiſſe tradunt annales uetuſtiſsimi, quemadmodũ ſunt, qui ſcribant alios fuiſſe Mercios, atq; Mediterraneos, & hos cis Trentam flumen, & illos magis ad occaſum uerſus habuiſſe ſedes, tametſi una gens erat. Crida uir copijs ac fama potens, cum Britannis bellando paulatim in ea inſulæ parte principatum gnauiter obtinuit, quem ad ultimũ per manus, Vibbę filio tradidit. Vibbas nequaquã patre uirtute inferior, regnũ nõ ſeruauit modò, ſed adauxit, Britannis finitimis paſsim deuictis. Deinde Cearlus regnũ obtinuit, cui Penda Vibbæ filius à Crida quartus ſucceſsit. Sunt qui ſcribant hũc imperij Merciorũ autorem fuiſſe, quod nos parũ cõpertum habemus. Hic uir erat prudentia, conſilio, ratione, item animi magnitudine & rei militaris ſcientia præſtanti. Eas uirtutes ingentia uitia æquabant, inaudita morum acerbitas, naturæq; immanitas, inhumana crudelitas, perfidia ſumma, ac nominis Chriſtiani odium importuniſsimum. Cum hac fiducia uirtutum, atq; uitiorum, ex quo die rex eſt factus, uelut tota inſula ei debe retur, nulla belli occaſione abſtinendum ratus, tam fœderatos, quàm hoſtes bello laceſſere cœpit, ſic, ut partim ui, partim dolo, Eduinum ac Oſualdum Northumbrorum, item Sigibertum, Egricum, & Annam Orientalium Anglorum reges nobiliſsimos uicerit, ferroq; interemerit. Veruntamen breui uſu uenit, ut effrenata cupiditas ita diu in ſuos graſſata, tandem in meritum ſupplicium lapſa ſit: Oſuuius enim rex Northumbrorum eum magis diuina ope, quàm humana, in fugam primùm cõiecit, fuſumq; deinde cum toto fermè exercitu occîdit. Penda ita moriens ſeptenos reliquit liberos, ex Chyneſuida uxore genitos, Pedam, Vuilferum, Ethelredum, Vuedam, Merualdum, & binos alios, quorum nomina non extant. Merualdus ex Ermenburga uxore, tris genuit filias, Milburgam, Mildredam, & Miluidam. Hæ præſtantiſsimæ uirgines, partim uitæ ſanctimonia, partim religionis cultu, in quo ſe conti-

Vibbas Crida filius

Cearlus

Penda Vib. f.

Regni Northumbror. & totius Saxonũ orientalis, dominus

Ad Oſuinũ tandem redijt

Peda primus Penda

Sanctæ virgines

nenter exercuerunt, dignæ inuentæ ſunt, quas poſtea patres inter diuos connumerarint. Item Chyneburgam, & Chyneſuidam, quas tradunt inter diuos relatas. At Pendæ ſucceſsit filius Peda, bonæ frugi iuuenis. Huic Oſuiuius regnum Merciorum iure belli adeptus, partem Merciæ auſtralem conceſsit, atq; filiam Aluchefredam nomine, ea conditione in matrimonium collocauit, ut Chriſtianus efficeretur: quod paulo pòſt monitis præſertim Alfredi, ſiue Egfredi filij regis ipſius Oſuuij, cui Cymburga eius ſoror locata erat, maturè executus eſt. Et is primus Merciorum regum Chriſtianus fuit, cuius exemplum Mercij ſecuti, intra bienniũ ferè omnes baptizati ſunt: quamuis ſint, qui iſtuc Vuedæ eius fratri falſo aſsignent. Interea Peda mortuo, Merciorũ mœſta & egens nobilium turba, quæ uictoris imperio tribus iam annis grauatiſsimè paruerat, & ſe quocunque pacto, in libertatem uindicare ardebat, ab Oſuuio deficit, ac Vuilferum alium Pendæ filium Chriſtianæ pietatis uirum regem declarat. Res Mercica perbono cœpit eſſe loco, quòd Vuilferus ſtatim maximè omnium commodis ciuium ſeruiens, primùm leges ſalutares edidit, deinde hortari cunctos ad religionem recipiendam nunquam ceſſauit, donec uniuerſi baptizati fuerint. Vnum geſsit bellum aduerſum Cenoualchium regem Occidentalem, quem prælio uictum mulctauit poſſeſsione inſulæ Vectis, quæ id temporis illius ditionis erat, atq; nõ multo pòſt è uita exceſsit. Genuit ex Ermanilda uxore, Chenredum, & Vereburgam. Hæc puella à matre ad Elyenſe cœnobium monacharum ducta, & ibi Deo dicata perpetuam uirginitatem ſeruauit, quæ peracta tandem uita, inter diuos relata eſt. De fundamento autem huius Elyenſis collegij, infrà appoſitè dicemus. Chenredus parente orbatus, cùm nondum imperio maturus eſſet, placuit optimatibus, ut uſq; eò illud, dum puer ad pubertatẽ peruueniret, Ethelredus eius patruus nomine tutelæ regeret. Ita Ethelredus à Crida ſeptimus rex creatur, uir moderatus, & qui meritò probitate ac religione cum ſuperioribus regibus conferatur: uixit uitam honeſtam priuatus iuxtà, ac in maiore imperio, nulli acerbus, at cunctis benignus, qui iure militari defendere magis quàm amplificare regnum ſtuduit. Duo geſsit bella, alterum cum Cantianis, ſui militari arte exercendi ſtudio, ne à finitimis ut iners probro haberetur: alterum cum Egfredo Northumbriæ rege Mereiæ fines temerè ingreſſo, quem primo impetu in fugam dedit, deinceps ab armis ceſſauit, ſub Chriſto militaturus: igitur regalem uitam aſpernatus, poſt annum trigeſimum quàm regnare cœperat, reſtituto regno nepoti Chenredo, monachus efficitur. Chenredus patrui uirtutes nauiter per omnia æmulatus, demum anno quinto pòſt, Romam cum Offa rege Orientalium Saxonum proficiſcitur, ubi monachus factus cum ſocio, de ui ta deceſsit, anno ſalutis DCCXI. De iis regibus Platina in uita Conſtantini pontificis meminit, qui uoti cauſa Romam ierant. Regnat deinde Celredus, quem ſecutus eſt Ethelbaldus. Is à principio uitæ, at exitu non item, tranquilliſsimus fuit, qui nullis uexatus bellis, perdiu pace gauiſus eſt: quod ei malo fuit: Mercij enim cùm iam longi otij, XL nanque regnauit annos, pertæſum eſſet, nouarũ rerum, uti uulgi eſt natura, auidi, optimum regem, qui omnium opinione beatus eſſe putabatur, perfidioſè occiderũt. Autor cædis fuit Beruredus, qui regnum occupauit. Iſte nihil mẽmorabile geſsit, excepto, quòd deuictus tandem ab Offa, editi facinoris meritas luit pœnas, crudeliter morte

Fimbra primogenitus Pedæ

S. Iuuenis in regno

Peda primus, strenuus Regum Christianus

uerus humanus erat

Vuilferus Pendæ fil. fuit

Vereburga sanctimonialis Elyenſis Coenob.

7 Ethelredus Wistani f.

Ethelredus nihile regno quam ſuſcepit.

8 Chenredus Wilferi fil.

Chenredus patrui uirtutes nauiter per omnia æmulatus

Offa Saxonũ Rex monachus amplectitur An. 711.

9 Celredus ex Ethelbaldi genere oriundus

11 Beruredus in regnũ

12 Offa nullius Boruredi

Universidad de Deusto
Biblioteca

obita. Offa interfecto inimico, deinde regno potitur.

Fuit in hoc homine in primo ætatis flore, uitiorum uirtutumq; certamẽ: laborabat siti inexhausta diuitiarũ, imperijq; amplificandi: qua de causa, finitimis regulis modò bellum inferebat: modò insidias faciebat: contrà uirtutem nullam nõ magnopere exercuit, militaris disciplinæ studiosus, tantoq; animi robore in rebus agendis fuit præditus, ut quisquis per id tẽpus magnus esset, attamen nihil ad eum: at uerò in ætate iam matura, cùm morũ probitate atque modestia, tum uitæ innocentia maximè floruit. Is igitur inito principatu, & ce de Beruredi respersus nihil nõ audebat: diuexauit enim bello Northumbros, & Cantianos, quos maximis affecit incommodis, ac ingentem pugnam cum Cineuolpho rege Occidentali commisit, in qua diu dimicatum est pari condi tione, ad ultimum ipse uictor euasit. Quibus rebus præclarissimè gestis, plus nimio elatus, nihil sibi ad extremam crudelitatem reliqui faciebat: quippe Ethelbertum Orientalium Anglorum regem uirum innocentissimum, quem sibi generum delegerat, per insidias interficiendum curauit, eiusq; regnum occupauit, uti in uita Ethelberti suprà fusius demonstrauimus. Eò uel insolen tiæ actus, ut sedem archiepiscopalem ex Cantuaria, Lichefeldiam transtule rit, quò suum regnum tam pontificia quàm regali maiestate cætera regna antecedere, gloriari posset: nam Cantianis inuidebat pontificatus principatum. Sed Cenulphus eius successor honorem perperàm Cantianis ademptum, po stea restituit. Multa præterea ad auaritiam excogitauit, quamobrem bona sacerdotum pariter atq; reliquorum ciuium pro arbitrio raperet. Cęterùm non diu in uitio uersatus est: primùm enim sibi ab hominibus pertimescendum ratus, finitimos populos in amicitiam recepit, in societatẽ adsciuit: nam Egburgam filiam quam domi nubilem habebat, Britrico regi Occidentaliũ collocauit. Carolum Magnum regem Galliarũ missis legatis, sibi amicũ facere, ac suorum simul beneuolentiam reconciliare summopere studuit. Traditur unus legatorum fuisse Albinus, seu Alchuinus, quo suasore, Carolus duo gymnasia condidit, prout in uita Aluredi dicetur. Sed ad propositum redeamus. Dein de metu pœnæ, qua propter peccata afficiendus erat, Deũ sibi placandũ constituens, decimam partem omnium bonorum sacerdotibus, alijsq; inopibus hominibus condonauit: templũ quod Herefordiæ id temporis magnificum erat, amplissimis donarijs cumulauit: reliquias corporis diui Albani magno studio perquisiuit, easq; inuentas ac in scriniũ auro & gemmis ornatũ coniectas, locauit in cœnobio, quod ipse diuo Albano posuerat, illudq; magnis collocupletauit possessionibus, ubi etiam loci statuit familiã monachorũ diui Benedicti. Huius quoq; regis opus esse ferunt cœnobiũ monachorũ eiusdem ordinis, quod est Bathoniæ. Offa tamen, quem uerè suorum delictorũ pœnitebat, uisus sibi nequaquam plena manu de commissis Deo satis feciſſe, traiecto properè Oceano, Romã se cõtulit uenię consequendæ causa, Romanoq; pontifici Hadriano primo regnũ suum uectigale fecit, impositio tributo, ex singulis numis argenteis, quos denarios uocant, domesticatim in annos singulos cõferendis: qui fuit annus salutis humanæ DCCLXXV. De isto uectigali plura cõmemorabo infrà, in uita Inæ regis Occidentalis, qui per id ferè tẽpus, uel paulo antè primus eo muneris genere Romanũ pontificem donauit. Offa ex Vrbe domũ reuersus, ingraueſcente iam senio, cùm se per omnia satis bonum princi-

principem postremò præbuisset, regnum Egfredo filio per manus tradidit, breuiq; pòst animam efflauit. Egfredus adolescens suapte natura rectè institutus, cœpit statim ab initio principatus, patris benefacta æmulari, magnamq; sui cõcitare expectationẽ: sed genus Deo forsitan inuisum perpetuari nõ potuit, id quod Alfredã uirginẽ ipsius Offæ filiam, suprà ostẽdi prædixisse. Porrò uix quarto regni mẽse circumacto, iuuenis morte immatura extinctus est. Fecit hæredẽ Cenulphum, qui ad Pendam genus suum referebat. Hic uiri animi magnitudine, cõsilio, & integritate uitæ cum quouis optimo principe meritò comparandus, semel cum Cantianis acie conflixit, Edelbertumq; seu Eddonauit: suis optimatibus honorem maximũ semper habuit, omneq; studiũ libens detulit. Item de nostra religione in primis bene meritus est: ædificauit enim apud uicum, quam uocant Vinchelcumbam, templum egregium, cum cœnobio, idq; habitandum dedit monachis ordinis diui Benedicti, ac bene multis prædijs ditauit, regnauit annos quatuor & uiginti. Secutus est bonũ patrem optimus filius nomine Chenelmus admodum puer castissimis moribus. Is paucis pòst annis, plenus pietatis, ac ad res duntaxat diuinas intentus, opera Quendredæ sororis longè scelestissimæ mulieris, in prima pueritia ab educatore suo iugulatur: & ne facinus unquam proderetur, néue forte quadã cognitum percussoribus fraudi esset, corpus pueri in loco deuio terra humatum est. sed iuxta illud, Nihil opertum est, quod non reuelabitur, adeò occultari nõ potuit, quin repertum sit: nam cùm puer nusquam uideretur, facilè & cædis, & ad quem scelus pertineret, suspitio oriri potuit. tamen quia miracula multis placent, ferunt non multo pòst quandam schedam literis aureis scriptam, super princeps altare in æde principis apostolorũ Romæ incerto autore positam, & in ea de martyrio innocentissimi Chenelmi indicatum, declaratumq; esse ubi loci corpus iaceret: ac ad hũc modum, cognitum diuinitus, de occisione uiri sanctissimi. Corpus postea inuẽtum, multo cum honore, & cærimonijs, in cœnobio Vinchelcumbensi sepultum est, ubi hodie ipse sanctissimus martyr religiosissimè colitur, quippe multa edũtur ibidem miracula. At Quendreda, quæ magnum domui suæ, atq; patriæ inusit malum, interfecto fratre, non ad curam regni administrandi, prout sperauerat, admissa est, sed breui Dei nutu, oculis capta, diuersisq; cruciatibus afflicta, miserrimè uitã ad exitum perduxit. Post diuũ Chenelmum, Merciorũ regnum omnino quassatum labefactatumq; in ruinam manifestè inclinari cœpit. Secuti sunt inde reges Ceuolphus, Bernulphus, Ludicenus, & Vthlacus, homines nulla neq; uitæ integritate, neq; rerũ gestarũ gloria clari: nã Bernulphus & Ludicenus ab Orientalibus Anglis uita turpiter priuati fuere. Vthlacus uerò ab Egberto rege Occidentaliũ uictus sub iugũ missus est. His successit Bertulphus, qui per aliquot annos rem domi rectè rexit, etsi haud secundo prælio, semel ab initio, cum Egberto Occidentaliũ rege manũ conseruit, ac ad ultimum à Dacis, qui per id tempus, Regnero rege, in insulam delati, prædæ simul inhiantes, & sedes in ea locandi cupientes, insulanos uexare nõ cessabant, acie uictus, regno exutus est, qui exin in Gallias profectus priuatam uitam degit. At Daci qui domo patriaq; procul in diem rapto uiuebant, ac propterea cęde & cruore omnia fœdantes, nulla arma, nullam uim, nullas insidias magnopere timebãt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

postquam Mercijs dominari cœperunt, dum nimium de propagando imperio soliciti, uniuersos insulanos aut ui aut dolis superare, & superatos in officio tenere conant, Burthredus homo ualens minimeq; laboris fugiēs, cui iure hæreditas Merciorū regni ueniebat, intra fines Mercię derepentè cum magno armatorum numero ingressus, hostes ubiq; cædit, ac ob repentinū metū passim dissipatos fugat, seq; regem dicit. Fuit maiorem in modum gratū populo Mercio, quòd excusso barbarorū iugo, regem ex suo genere accepisset. Regnauit Burthredus uiginti annos, identidem ac fortiter bene multis præliis cū ipso Daco factis: sed postremò magna accepta plaga, ac patria pulsus, Romam uoti gratia petijt, ibiq; priuatus nō multo pòst moritur. Daci regno Merciæ rursus potiti, inter se ualde dubij erant, quem Mercijs præficerēt: habebant enim illos suspectos, nec satis confidebant: aut utile fore ducebant, si ex suo genere illis regem darent: sed ad extremum, cùm desperarent posse se & Merciam tenere, & satis esse moli bellorum, quæ in terra hostili, alia super alijs continenter imminebant, quendam Ceuolphum Burthredi seruum regem crearunt, adactū prius iureiurando se regno abdicaturū, quoties ipsi ita fieri iuberent. Fuit Ceuolphus à Crida primo Merciorum rege XXII, & regū ultimus, princeps nimirū, sub quo ipsum regnū non potuit non cadere, quēadmodum infelicissimus regni exitus par fuit regi genere sordidissimo, nullisq; uirtutibus claro. Hunc itaq; Aluredus rex occidentalis nullo negotio superauit, ac Merciorū regno potitus est. fuit ille annus salutis DCCCXX.

SEXTVM regnum Northumbrorum, siue Berniciorum, quod & in Deirorum regnū diuidebatur, ab Ida primo illius prouinciæ possessore post aduentum Anglorum initium sumpsit. Fuit ille annus LXXXVIII, cùm Angli primùm in insulam uenerūt, & salutis humanæ DVIII. Principio, ut quibusdam placet, duces habuerunt Northumbriam, qui eius fines satis propagasse dicuntur, postremò uerò comites tenuerunt. Huius regni latitudinem eam fuisse conijcere possumus, in quam nunc diœceses, Eboracēsis, Carliolensis, & Dunelmensis patent. Dicta est Northumbria, q; uergat ad septentrionem, quia North ab Anglis septentrio uocatur: ac umbrosa sit, propter altitudinē montium, quos frequētes habet. & diuiditur in duas partes, in Berniciā, quæ ad Scotiam pertinet, & in Deiram. Hanc ferunt Allam siue Ellam primùm occupasse, in eaq; annis circiter XXX regnasse. Idas uir acer & bellicosus, ut regio nomine meritò ornatus haberetur & regnum suum rege dignum foret, ita armis egit, quò breui fines imperij à flumine Humbro, usque ad fretū Scoticum propagarit, Lotho Pictorum, ac Conrano Scotorum rege acie uicto. Itaq; tantum honoris duodecim annorum spatio, quibus ille imperium obtinuit, huic regno accessit, ut facilè finitimis populis admirationi similiter ac formidini esset. Post Idam, regnat Addas eius filius, Clappas, Theodulphus, Freodulphus, Theodoricus, & Ethelricus, per annos duos & triginta. Ethelricum filius eius nomine Ethelfredus sequitur. Cum Ethelfredo tradūt Ethelbertum Cantianum regem statim initio sui principatus egisse, ut bellum faceret Britannis, qui in eam insulæ partem quam dicimus Vualliam, se receperant, & præsertim monachis Bangoriēsibus, qui duo & amplius millia numero fuisse dicuntur: quoniam illi, tametsi iam inde regnante Lucio Christianū dogma receperant, attamen iniuriarum memores, tantum aberat ut uellent

Anglos Christianis instituere disciplinis, ut ipsum etiam Augustinum euangelium docentē iuuare negarint. Sanè monachi cùm eam gentē pro hostibus haberent, haud dubiè arbitrabantur, nō licere dare sanctū canibus, ut in prouerbio est. Veruntamē ego crediderim Ethelfredum partim dominādi cupiditate, partim odio iam diuturno irritatū, arma in Britānos tulisse. Tenebant per id tempus Britanni Vrbem Legionum, quam rex oppugnare aggressus, obsidione undiq; cingere nititur. At oppidani, qui omnia pati, q; obsidionē malebant, satis suis freti uiribus, extemplò in hostem effuse erumpunt, quos insidijs exceptos Ethelfredus facilè fudit, debacchatus in primis in monachos Bangorienses, qui pro salute suorum Deo supplicantes, in eum locū frequentes conuenerant. Fugauit & Scotos, qui res eius secundas bello turbare cupientes, Britannis auxiliū tulerant: hisq; rebus feliciter gestis, cùm iam foris hostem non haberet, ut sese domi quoq; omni molestia liberaret, cœpit secū agitare, quo pacto Eduinū filium Allæ Deiræ regis, quem pater fecerat hęre dē, & ipse regno fraudarat, è medio tolleret: uidebat enim adolescentem singulari uirtute præditū, in dies singulos magis metuendū, q; metuentem: quippe ut scienter, ita fortiter equitabat, iaculabatur, cum æqualibus certabat, seq; dignum redderet. Hæc uirtutum indoles regem territabat, optimè scientem unumquenq; præsertim fortissimū uirū natura auidum esse imperij. sed cum ad ultimū iudicaret nequaquam sibi tutum fore, si talem iuuenē cunctis charissimū dolis opprimeret, simulato in eum crimine, in exiliū eiecit, ratus illū inopia adactum facilius in aliqua flagitia lapsurū. Sed secus euenit, ac ille cogitarat. Eduinus ad Redoualdū regem Orientaliū Anglorū confugit, à quo benignè acceptus plurimi fiebat: nam cognita uirtute iuuenis, rex nō poterat non illū paterna cōplecti charitate, quē pro sua parte cōsilio, autoritate armis deniq; ita tegere suis statuit, ut nulla posset eum attingere inimicorū iniuria.

Hæcubi Ethelfredo nuntiata sunt, destinauit quoquomodo Eduinū perdere, seu potius se perditum ire. Itaq; primo quoq; die legatos ad Redoualdū misit, qui peterent, ut Eduinum domum remitteret, & si illud se facturū negaret, ei bellum indicerent. Redoualdus auditis legatis, abnuit uelle se iura hospitij uiolare, aut præstantissimū adolescentem infestissimo inimico tradere. Legati accepto responso, bellum denuntiarunt, atq; domum abierunt. Non intercesserant multi deinde dies, cùm accensis utrinq; animis, reges ad manus uenerunt: post longum certamen, Ethelfredus pugnando interficit, cum magno suorū numero. Redoualdus uictoria potitus, liberaliter Eduino regnū paternum restituit. Interim Osualdus, Osuuius, Enfredus, Osricus & Offa Ethelfredi filij, cognita morte patris, in Scotiā fuga se proripuerunt, quos Eugenius quartus rex benignè accepit, baptizādosq; curauit, atq; suo tempore, ope & auxilio iuuit, & præsertim Osualdum regem, aduersus eius hostes. Secuta est fratres in Scotiam Ebba uirgo, & ad Fortheæ ostiū delata, à qua promontorium proximum nomen traxit, quod hodie Ebbam uocant. Eduinus statim ut est principatum adeptus, fines regni longè lateq; produxit: insulas enim circumiacentes, quas Bedas, uti in primo huius operis libro docuimus, Meuanias appellat, alij Hebrides nominant, deuicit, item Scotos Pictosq; in officio manere coegit, Cadouallonem Britannorum regem, uirum natura

Universidad de Deusto
Biblioteca

sæuum ac uiribus & animo fortẽ, prælio superauit. Quibus rebus foris præclarissimè gestis, domi pari studio cuncta rectè constituit, curauitq́, ut iustitia in regno suo domina rerum omniũ esset, sic, ut nihil ad ueram gloriã, uiro strenuo ac sapienti deesse uideretur, nisi religionis Christianæ cognitio, quam ut quoq́ cõplecteretur, occasioni primum fuit oraculũ, quo dum Ethelfredi furorem fugiebat, uti infrà demõstrabitur, admonitus est bene sperare: deinde fœdus & affinitas, quam cum Edbaldo rege Cantiano iunxit, & Paulini episcopi Eboracensis hortatio postremò salutaris. Paulinus enim uitæ sanctitate clarus, à Iusto Cantuariensi archiepiscopo, anno salutis circiter DCXXV, missus est cum Ethelberga sorore Edbaldi, quæ ad Eduinũ uirum adhuc religionis expertẽ deducebatur, ut Northumbros euangeliũ doceret, remq́ diuinã coram puella faceret. Existimauit enim Iustus ita breui usu uenturum, ut per hæc, & rex & populus minus à nomine Christiano abhorreret: id quod est secutũ. Porrò Eduinus libẽs annuit, ut uxor ritu Christiano apud se uiueret, sponteq́ pollicitus est, se in Christianorũ collegiũ uenturũ, si Christianũ dogma à suis examinatũ sanctius cęteris reperiretur. Inuidit interea præsentẽ felicitatẽ Eduino Ceoloulphus rex Occidentaliũ Saxonum quintus. Is enim hominẽ certũ manu promptũ ad Eduinũ misit, qui eum interficeret. Vbi sicarius ad regem peruenit, propius accessit, quasi aliquid magni renuntiaturus, strictoq́ pugione eum petijt. Rex fraudẽ suspicatus tam celeriter retrò abijt, ut familiaris quidã sese inter eum, & percutientẽ iniecerit, qui ilicò confossus est: ictus tamen tam uehemens fuit, ut traiecto familiaris corpore, Eduinum quoq́ læserit, etsi admodũ parũ: at sicarius in uestigio dilaniatus est. Eo ipso die Ethelberga filiã nomine Ethanfredã peperit, quocirca Eduinus pro utroque munere, dijs suis gratias egit: quẽ Paulinus admonuit, ut Christo, nõ uanis dijs eiusmodi beneficia accepta referret. Audiuit libenter rex pontificẽ recte monentẽ, promisitq́ rursus se religionẽ ẽp̃primum amplexurũ, si bene iuuante Christo, iniurias ab Occidentali rege acceptas, ex animi sententia manu ulcisci posset: & ut spẽ certã seruandi promissi faceret, filiã nuper natã Deo cõsecrandam Paulino tradidit, qui eam confestim primã omniũ ex gente Northumbrorũ, baptismi fonte abluit. Paulinus tamẽ regem rursus admonuit, ut ne Christũ rogaret uindictã, qui exemplo docuisset parcendũ esse inimicis, eosq́ atq́ adeò diligendos. Eduinus post hęc, curato iam uulnere, exercitum parat, ac in Ceoloulphũ hostẽ uadit, & uincit, uictumq́ dat crudeliter morti. Quo confecto feliciter negotio, Paulinus qui studiosissimè curabat regẽ ad pietatẽ Christianã trahere, nactus eam opportunitatẽ, præstò adest, narratq́ Eduino, Deum audiuisse eius preces, rogatq́, ne religionẽ negligat, néue cassas procrastinandi innectat, sed illico Christianus fiat. Rex qui nihil non prudenter agebat, seq́ rudem in causa esse dicebat, doctissimos quosq́ accersiri iubet, qui de religione Christiana cum Paulino disputent, quò probè tandẽ aliquando intelligat, utrum illa sit sua idolatria præstantior, nec ne.

Dum hæc opera Paulini geruntur, ecce rex literas accipit ab Honorio Romano pontifice, quibus multis argumẽtis ab eo incitabatur, ad pietatẽ Christianã capessendam. Verùm animus regis in sua secta hærendo, in qua ab ineunte ætate fuerat, nihil ferè inclinabatur ad nouam religionẽ. Quod equidẽ diuinitus factũ dixerim: uoluit enim Deus fortè hunc regem qui id temporis sapien-

sapientissimus habebatur, rectè prius suam religionem hæsitando perpendere, quemadmodũ apostolus Thomas olim in exordio crescentis euangelij fecerat, q̃ illam reciperet, quò scilicet alij nihil postea suspicãtes quin uera esset, multò cupidissimè animos suos eadem perfunderent. Inter hæc, dum uiri docti disputando tempus ferè terebant, Eduino identidẽ oraculi in mentem ueniebat, quo demũ in animũ induxit, ut crederet. Fuit illud oraculũ eiusmodi. Cùm ille patria ablegatus apud Redoualdũ ageret, & ab Ethelfredo per legatos ad mortẽ peteretur, cœpit de salute multũ laborare, ueritus si maneret, ne nõ inimico prædæ foret: sin aliquò terrarũ clàm iret, ne non perfidia notaretur, quòd tam grato hospiti minimè confisus esset. ita angebatur, cùm ecce tibi, subitò nocte intempesta, quidã uultus habitusq́ incogniti, cum eo congressus, petijt ecquid muneris daret, si rem nuntiaret, quæ eius animũ omni penitus mœrore liberaret. Ad ea Eduinus, quanq̃ parũ fidei uerbis hominis habebat, quẽ prorsus ignorabat, respõdit, quicquid esset quod iure desideraret, in ipsius q́ manu foret, se ultrò daturũ. Tũ ille prædixit fore, ut primũ ex insidijs inimici euaderet, deinde regnũ auitũ recuperaret, illudq́ uictis hostibus, longè lateq́ amplificaret. mox super uerticẽ capitis manu imposita, inquit: Quoties quispiam simul atq́ rerum potitus fueris, Eduine, ad te adiuerit, capitiq́ tuo manum itidem admouerit, sis tunc demũ fidei seruandæ memor. His dictis, ipse diuinus omnino uates è cõspectu repentè euanuit, ut intelligeretur, nõ mortalem hominẽ, cuius mens futuræ sortis nescia est, sed Dei nuntiũ talia esse uaticinatũ. Oblectatus mirandũ in modum adolescens eo oraculo, rem tacitus secum diu animo reuoluẽs, nulli patefacere est ausus. Cũ igitur post hæc, Eduinus de industria negotiũ extraheret, nullius q́ monitis flecteretur, Paulinus, qui diu rogando nihil profecerat, interim supernè, uti credere par est, de oraculo doctus, ad eum qui Eboraci morabatur, accessit, capitiq́ sanctissimã manũ admouens petijt, tum recordaretur quid illud portenderet. Tum Eduinus miro oraculi successu territus sine ulla mora, ad pedes antistiti iacuit, ac cœlũ suspiciẽs, ita uerba fecisse dicitur: Tandẽ te hodierno die, omnipotens Deus, opera Christi filij tui agnosco: quare impietatis tã diuturnæ ueniã oro, quæ hactenus transuerse actus nullas tibi beneficiorũ gratias egi. Deinde ad Paulinum cõuersus ait: Et te optime pontifex magnopere rogo, ut dato adhuc breui spatio, usq́ dũ de hoc summo religionis negotio, rursus cũ meis deliberẽ, quam primũ mox ad Christianorũ numerũ me adiungere uelis. Et quia Eboraci in urbe idolorũ plena, locus non erat appositus, in quo res diuina cõmodum fieret, sacræq́ cærimoniæ celebrarentur, idcirco rex ad tempus è ligno templum extruere necesse habuit, quod diuo Petro apostolo consecratũ uoluit. In hoc itaq́ templo ad ultimũ Eduinus post longã de religione Christiana disceptationẽ, & annũ cùm regnare cœpit, undecimũ, ac aduentus Anglorũ CLXXX, qui fuit salutis DCXXVII, cum multis suorũ, sacra baptismatis aqua à Paulino perfundit: qui postq́ è baptisterio sublatus est, iactis fundamentis, ædem ipsam lapide quadrato ædificare cœpit, sed morte immatura obita, inchoatũ opus Osualdo successori perficiendũ reliquit. In hoc templo Paulinus archiepiscopalem sedem locauit. Est hodie templũ egregium, & cum quibusuis sacris ædibus operis magnificentia comparandum.

Eduino ciuitate Dei donato, confestim tali exemplo, Paulinij q́ opera,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Carpualdus rex Orientaliũ Anglorũ ductus, cum tota ea gente in rempublicam Christianã refertur. Quibus rebus cognitis, Honorius põtifex Romanus ualde delectatus, protinus Paulino dono misit pallium, quod est archiepiscopi insigne, scripsitq; ad ipsum & Eduinũ literas humanitatis & gratiæ plenas, quibus potissimũ probitatẽ, studium, pietatẽ episcopi bene de religione meriti collaudauit: regem miris item laudibus ad cœlum extulit, q; euangelicũ dogma complexus esset, & alijs ut idem facerent, exemplo fuisset: quem paterna pietate hortatus est, ut strenuè ac fideliter illud patiẽtia uel morte defenderet, cùm futurum esset, ut dignũ factis præmiũ à Deo consequereť. His rebus fiebat, ut regnum Northumbrorũ maximè floreret, operaq; principis pax ubiq; parta foret, cùm eã subitò Cadouallonis defectio turbauit. Ita enim usu uenit, ut nihil sit humanis uiribus confectũ, quod non ab humanis æquè uiribus destrui possit. Penda enim Merciorũ rex tyrannus crudelissimus, plus æquo dolens res Eduini prosperè succedere, Cadouallonem grauatissimè dominationẽ Northumbrorũ ferentem ad deficiendũ adegit, simulq; ambo opibus iunctis, in Northumbros sese magno impetu contulerunt. Audito hostiũ aduentu, cum modico equitatu rex ferox urbe egreditur, ut magis numerũ hostium ineat, ac quæ eorũ sint consilia, ex proximo cognoscat, q; ut manũ conferat: attamen cùm hostes haud procul forent, & numero pauciores multò q; essent, uiderenť, nihil suorũ exiguitate retardatus eos inuasit. Pugnatur utrinq; acriter, nec Eduini miles, q; subitò ad primũ cõgressum cognouerit inimicorũ copias esse auctas, deterrebatur à certamine, quin potius pro se quisq; fortissimi ducis exemplo accensus, multaq; ui cõnixus multitudini undiq; irrũpenti fortiter instabat, iamq; uictoriã certam in cõspectu cernebat, cùm Eduinus dum fortiter præliaretur, ictus cõcidit. Interpellauit ducis interitus nobilissimã uictoriã, fuitq; pugna illa Northumbrorũ rebus multũ luctuosa, simulq; calami tosa: milites cæde ducis perculsi passim fundunť, trucidãturq;. Offredus item regis filius illo tẽporis momento, in eo prælio cecidit. Edfredus alter filius uitæ seruandæ causa, sese Pendæ dedidit, quẽ ille uiolato iureiurando, postea iugulauit. Ethelberga uxor regis ita rebus subitò tam male cadentib. animo consternata, mortẽ uiri miserabiliter mœrẽs, cũ Paulino & duabus filijs Enfreda, ac Etheloreda, ad Edbaldũ fratrẽ regẽ Cantianũ cõfugit. Atq; Northumbrorum opes sic uno puncto tẽporis, infirmæ factæ sunt. Fuit is annus salutis humanæ DCXXXIII. Vixit Eduinus annos xlviij. Paulinus Cantuariã profectus humaniter ab Honorio archiepiscopo accipiť, atq; Rocestrensi dicœcesi in locũ Romani episcopi paulo antè mortui prẽficitur, ubi uitam castissimè traduxit. Hinc profectò cernere licet, aut nullas olim episcopos habuisse diuitias, sacerdotali ordini ut nõ ualde utiles, aut nõ curasse, cùm Paulinus omisso archiepiscopatu Eboracẽsi, Rocestrensem obtinuerit minus locupletẽ. Dicœcesis autẽ Eboracẽsis deinde per aliquot annos inter tyrannorũ persecutiones, à Lindisfarnẽsibus episcopis administratæ, postremò Ceddas sanctus antistes curã susscepit. Hunc secutus est Vuilfredus, qui multa passus incõmoda, bis intra spatiũ xlv annorũ, quibus sedit, ob regum insolentiã, archiepiscopatu pulsus est. Is itaq; & Ceddas bene de religione meriti, & ambo post uitã purè actã, ad diuorum numerũ adscripti sunt. Huius diui Vuilfredi opus est templum ad pagum, quem dicunt Riponẽ, ubi collegiũ instituit sacerdotũ, eo loci hodie eius corpus

corpus religiosè seruaťur. Successit Bosas, & Bosæ Ioannes à Paulino quintus.

Post Eduinum in pugna intersectum, Northumbrorũ regnum inter Osricum, & Enfredũ diuisum constat: huic Bernicia, illi Deira obuenit. Ii etsi Christiani erant, eò tamen à uitijs, quorum multis notatissimi erant maculis, breui tempore tracti sunt, ut religionem ipsam repudiarint. Sed non tulit istuc diu nefas Deus, nanq; uix annus interceſſerat, cùm Cadouallo Britannorum rex ambos ferro perdidit. Quare sunt, qui eos tum propter turpẽ uitam, tum propter breuitatem temporis, minus in numero Northumbrorũ regum ponant. Osualdus deinde tertius Ethelfredi filius, ab Ida decimus Northumbriæ rex creatur. Is post interitum patris apud Scotos diu exulauit, ubi Christianus factus, florem iuuẽtutis per bonas artes, inter bonos studiosè exercuit, ac in primis per laboris usum, militiam didicit, quam perinde ut religionem colebat, sic, ut bellũ nemini nisi prouocatus faceret. Quo fiebat, ut Cadouallo rex Britannus eum penè contemptui haberet: siquidẽ is interemptis paulo antè duobus regulis, omnia audacius crudeliusq; deuastabat, & quia nullus ita furenter irruenti sese opponebat, idcirco animo elatus, præ se Anglos omnes contemnebat, negligebat, uituperabat, quòd imbelles, quòd lenti, quòd inertes essent, ita ut palàm prædicaret, se ad perniciem illorũ esse natum. Atq; ea insolentia animus ferox agitatus, nihil periculi formidabat. Ita Britannus superb. Osualdum bello petijt, neutiquam secum cogitans, quãtum hostis ualeret armis. Anglus nihil cunctatus in planum campum copias duxit, ubi Aetiani milites olim ad arcendos Pictorũ incursus, murum construxerant: & licet ad certamen eo ipso die quo illuc accesserat, prouocatus esset ab hoste, attamen se castris continuit, ac interim dominicam crucem per castra circunferri, & armatos eam uenerari, diuinumq; auxilium ad rem bene gerendam implorare iussit. Quo facto, crux ibidem tanquam trophæũ futuræ uictoriæ locata est. fuit postea loco nomẽ Cælestis Campus. Altero die ubi illuxit, sacris ritè peractis, in hostem pugnã efflagitantem eduxit, editoq; signo, in certamen ferociter descendit. Cõmittitur utrinq; ingens prœliũ, in quo æquis uiribus usq; eò pugnatur, dum uis Britannorũ sese paulatim remisit. Quo cognito, Osualdus redintegrato certamine ferocissimum hostem primùm in fugã se dare coegit, deinde fugientẽ consecutus, cum omnibus ferè copijs interemit. Hunc exitũ uitæ habuit Cadouallo, Anglici nominis hostis crudelissimus. Fuit is natura & uultu multò terribilior, quà de causa ferunt Britãnos illi postea statuã posuisse, ut hostibus eam intuẽtibus formidini esset. Successit patri Cadoualladrus, qui fatis Britannicas res ad exitũ trahentibus, relicto regno, ut suprà dictum est, Romam petijt, ibiq; mortẽ obijt. Hoc bello prosperè confecto, Osualdo regi pietate insigni, ut Deo pro uictoria, cæterisq; acceptis beneficijs, gratias ageret, nihil potius fuit, quàm cultui diuino augẽdo, religioniq; in suo regno propagandæ operam impensissimè dare: quocirca Aidanum episcopũ rebus omnibus ornatum, cuius sanctissimis monitis dum in Scotia exularat, animũ suum rectè instituerat, per legatos orauit, ut ad se ueniret, & illum aliquanto pòst perlibenter in Northumbriam uenientem, amanter & benignè accepit. At bonus episcopus statim ut eò peruenit, nihil prius sibi curandum statuit, quàm ut inter Northumbros, religionis perpetuò duraturæ fundamẽta iáceret, quare à rege petijt locũ appositũ, in quo sedem episcopalẽ locaret: & cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

alij alium locum tanto diuino operi construendo aptum iudicarent, uisa est ei Lindisfarnis insula in primis commoda, ubi ea sedes poneretur, quia illa pro cul ab omni celebritate erat, in qua tanquam in solitudine facilius liceret diuinis rebus uacare. Itaq; hîc Aidanus eam sedē posuit, ritecq; omnia quæ ad pontificiam pertinerent dignitatem, instituit, prouiditq;. Fuit is annus salutis humanæ DCXL.

Est locus iste circum limitem Angliæ & Scotiæ, ad Orientem, in dextero insulæ litore, qui bis in die incitante se æstu, quod toties accidit, semper horarū duodecim spatio, aquis circūcirca cingitur, adeò ut planè insula fiat, idemque recedentibus pari temporis interuallo undis, remaneat reliquæ terræ cōiunctus, atq; siccus. Circuitus est trium circiter millium passuum. Hodie Angli hunc locum uocant Holy Ilond, id est, sanctam insulam, quòd ibi Aidani, Cutheberti, ac aliorum diuorū corpora sepulturæ data fuissent. Seruat etiam nunc locus naturam suam: quo fit, ut errent, qui credant Lindisfarnem eam esse insulam, quam nunc Farnem uocant, distantem circiter milliaria septem, de qua infrà plura memorabimus. In ea igitur insula locata episcopali sede, Aidanus uir sanctus nō cessabat erudire populum euangelio. Sæpius in ea concione, res spectaculo digna cōtingebat: cùm enim Aidanus, qui nondum Anglicam linguam scienter callebat, quæ ut rudis & planè Saxonica, ac nondū eius elocutione emendata, parum affinitatis per id tempus cum Scotica habebat, suo sermone Christianum dogma doceret, & rex qui Scoticæ linguæ probè sciens erat, ex ore sanctissimi uiri uerba excipiens, populo mira claritate explanaret: inde fiebat, ut episcopus & rex uno tempore euangelium prædicarent, & populus partim sacerdotali, partim regia maiestate adductus, diligentius illud attenderet, imbiberetq;. Crescebat hoc pacto in dies magis magisq; religio inter Northumbros, passimq; sacræ extruebantur ædes, & in primis in Campo Cælesti, templum magnifico opere conditum est. Hîc enim statim ut pius rex dominicā crucem erexerat, locus cœpit multis crebrò editis miraculis, longè celeberrimus esse: quippe in tota Berniciorū regione, ante illam crucē ab Osualdo erectam, nullum templum, nullū rei sacræ monimentū fuerat. Nec minus intereares Northumbricæ imperio augebant. Osualdus sola ingentis animi pietate, qua cunctos æquè comiter cōplectebat, sine ferè cæde, atq; sanguine, Britannos, Pictos, Scotos, & Anglos diuersarū linguarū nationes, partim in amicitiā, partim in ditionē accepit. Sic Deus bonū principē augebat opibus, sic per uiam rectam ad cœlestia præmia tendentem ducebat: cæterùm nunquam imperij aut opum magnitudo sapientissimi hominis animū ab humanitate alienauit. Mira fuit in homine sanctitas, mirum pietatis studium, nulli unquam malum pro malo reddidit, sed Christi regis summi exemplum imitatus, ijs etiam bene precabatur, beneq; uolebat, à quibus accepisset iniurias. Quid, quòd nō immemor illius ueteris ac diuini uerbi, A fructibus eorum cognoscetis eos, de omnibus iuxtà benemereri cupiens, identidem ægrotantium cubilia circuire, morbo affectos uerbis & muneribus leuare, nexos soluere, aut custodia liberare, alieno ære creditoribus soluto, pupillos, uiduasq; circumscriptorum fraude pressos, ab iniuria tueri, alereq; paterna charitate, ac circumscriptores punire solebat? Inter hæc pietatis opera, unū cum primis ferunt memoria dignum. Ille eo ipso die, quo Iesus Christus à morte uitam

uitam resumpsit, dum prandebat, discumbente fortè cum eo Aidano, à ministris intellexit frequentes pro foribus domus circunstare pauperes cibum petentes: tum pius princeps charitate motus, lancē argenteā cum cibarijs, quæ ad manus prima aderat, pauperib. minutatim diuidendā dedit. Aidanus ob huiusmodi præclarū liberalitatis facinus, ad regem conuersus, & eius dexterā præhendēs, inquit: Nunq; putrefcat ista manus. Quod, ut credere par est, uir utiq; sanctus, diuino afflatus spiritu, cecinit: equidem illa manus consumpto posthac corpore, integra semper mansit, quæ capsula decenti cōdita in Vrbe Regia, in diui Petri templo, multa cum ueneratione, diu seruata est. Vbi loci Regia Vrbs fuerit, infrà demonstrabitur. Osualdus postremò reconciliatis in gratiam Deirorum & Berniciorū animis, nam antea inter se cōtrouersias habebant, pro Christiana religione, de qua hactenus bene erat meritus, bellum aduersum illius hostes sumendū constituit: iam enim ei supremus obrepebat uitæ dies. Inuadebat Penda Merciorū rex uir longè truculētissimus id tēporis, in homines Christianos, spoliabat ædes sacras donarijs, nomē ipsum pietatis delere tam affectabat, quàm conabatur. In hunc itaq; tyrannum sic furentem Osualdus arma tulit, qui inito prælio, insidijs undiq; barbarorum circumuentus, inter impios prælians morte occubuit. Regis interitu perculsa Northumbrorū acies, terga statim uertit. Regnauit Osualdus annos nouē, uixit octo & triginta. Hunc postea, quia uitā sine labe egisset, quia Deū semper sanctissimè coluisset, quia deniq; pro religione mortē oppetijsset, nō immeritò inter diuos, patres retulerūt, cuius memoria bene multis etiam nunc apud mortales celebratur miraculis. Vrbs Regia olim Debba seu Bebba, utrunq; scriptum reperio, à nomine cuiusdā reginę dicta est: autor Bedas. postea cùm in ea Northumbrorum reges sedem haberent, Regiam appellarunt, erat sita in dextera insulæ ora, quæ ad Orientem spectat, contra Farnem insulam, distantem circiter duo millia passuum ab ea. Hodie nulla extant urbis uestigia, solùm sita est eo in loco arx, quæ an id temporis condita fuerit, uel postea, est omnino incertum: hanc Angli nunc Bamburgum uocant. Insula uerò Farna siue Farnis semper marinis circundatur aquis, cuius circuitus uix mille continet passus. Igitur cùm Lindisfarnis bis in die, recedentibus marinis undis, adiri pedibus possit, uti suprà expositū est, alia omnino insula est à Farne: tametsi nominis similitudo eandem esse indicare uidetur. Quæ res etiam nunc trahit multos in errorem, ut credant Farnem esse, quam olim Lindisfarnem dicebant: ab initio tamen utriq; insulæ Farnis nomē fuit, uerùm postea hæc à Lindo amne, qui ad eum locum per subterraneos meatus, ita in Oceanum erumpit, ut non uideatur, nisi cùm mare decreuerit, Lindisfarnis dicta est, & illi uetus uocabulum remansit. Est tertia in eo tractu maris insula, distans à Farne circiter milliaria decem, quam nuncupant Cochettam.

Secundum hanc acceptam plagam, diuiso iterū Northumbrię regno, Osuuius Osualdi frater ab Ida undecimus Bernicią obtinuit, & Osuino filio Osrici, quem suprà diximus à Cadouallone fuisse interfectū, Deira obuenit. Iisdem initio principatus, mira animorum concordia consilia cōmunicare, arma aduersus hostes sociare cœperunt, quos haud multo pòst cupiditas imperij ad domesticum bellum impulit. Quare coactis utrinq; copijs, confligere simul statuerunt: uerùm ubi rabies contracti inter utrunq; odij, quod mortaliū ani

Universidad de Deusto
Biblioteca

mos plerunq; obcæcare solet, paululum refrixit, & quisq; maturius præsentis periculi molem agitare animo cœpit, consultò certaminis diem extrahere placuit. Interim Osuinus longè uiribus impar, arbitrãs sibi tutius fore in præsentia cedere, q̃; dimicare, clàm ab exercitu, uno comitatus seruo, de nocte fugit domũ cuiuspiam, quem sibi amicũ putarat. Is homo perfidiosius, egregiũ iuuenem Osuuio necandũ prodidit. Per hunc modum Osuuius integrũ regnũ adeptus, maiora inde tentãda ratus, in primis Pendam Merciorũ regem, qui Eduinum & Osualdũ eius fratrẽ, uti suprà memoraui, occiderat, armis quàm primũ inuadere constituit, si ferum hostem, quem cuncti æquè mortales pertimescendũ censebant, nõ posset prius placare muneribus: quod cùm frustra tentarit, tum sibi demũ armis utendum putauit. Quod quidẽ bellũ, quamuis plenum periculi esset, diuina tamen ope fretus, minoribus multò, q̃; pro tanto negotio opus foret, copijs hostem adoriri nihil contatus, primo impetu fugauit: tum ab equitibus fugientiũ magna facta est strages, inter quos & Penda cecidit. Osuuius uerò Mercios confestim in deditionem accepit, atque ita suum decus, suorumq; mortes insigniter ultus est. Hæc uictoria insuper res Northumbricas restituit, iuuitq; plurimũ Christianã religionẽ, quæ Osualdi morte, tantum damni fecerat, ut parum abfuerit, quin sit ab ipso Penda sæuo hoste exterminata. Osuuius deinceps satis præsenti rerum successu cõtentus, arma deposuit, ac tollendæ infamiæ, qua propter cædem Osuini paulo antè factam, flagrabat, purgandiq; sceleris causa, cœpit Deum religiosissimè colere, ueniã delictorum precari multis cum lachrymis, inopibus dona largiri, ac denicq; de cunctis enixissimè bene mereri. Quibus officijs breui factum est, ut Deo, sicut credere decet, & hominibus charissimus effectus sit: nanq; præter cætera pietatis opera, autor fuit, ut Mercij deposita tandem animorũ feritate, in rempublicã Christianã uenerint. Sanè deuicto Penda, cõfestim atq; regno Mercio est potitus, gnauiter curauit, ut populus ille Christianis moribus institueretur, collocauit in matrimoniũ Aluchefredã filiã Pedæ Pẽdæ filio adolescenti egregio, ac dotis nomine partẽ Merciæ australẽ dedit, uti suprà expositũ est, sub ea cõditione, ut religionẽ amplecteret, quod iuuenis hortatione præsertim regis, maturè fecit. idẽ fecerũt & Mercij eius exemplũ secuti. Imperauit Osuuius Mercijs tris duntaxat annos: nã illi libertatis cupidi repentino defecerunt. Item optimus rex condidit cœnobiũ, quod est ad Vuittby pagũ, ibiq; monacharũ collegium instituit, cui præfecit Congildam sanctissimã mulierem, eiq; in disciplinã dedit filiam nomine Edelfredam, quæ monacha facta est. Verùm longo pòst tempore cœnobiũ istud à barbaris dirutũ monachi Benedictini instaurarũt, habueruntq;. Ex eo postea loco extiterunt monachi præstantissimi, qui deinde cœnobiũ illud magnificũ diuæ uirgini Mariæ dicatum, proximè mœnia Eboraci posuerunt: quamuis sint, qui opus assignent Alano Richemondiæ comiti, sed illud haud scio, quàm uerè. At nos ad rem. Post hæc, dum bonus princeps id tantum studeret, quod in rem Christianã esset, in ualetudinem incidit, qua breui consumptus est, anno salutis DCC. Vixit annos quinquaginta septẽ, regnauit xxviij. sustulit filios ex Enfreda Eduini filia mares duos Egfredũ & Aluinũ: filias tris, Ositham, Aluchefredã, & Edelfredam. fecit hæredem Egfredum filium sui pariter regni atq; uirtutis. Is regnum adeptus, per omnia se bonum principem, & Reipublicę utilem præbuit:

buit: cum primis egit, ut Cuthebertus uir sanctitate uitæ, & doctrina clarus Lindisarnẽsis episcopus crearetur: postea Etheldredã Annę Orientaliũ Anglorũ regis filiam, puellam longè formosissimã, ac multò optimã, in matrimoniũ duxit. Hęc una de multis, memorabile omni æuo pudicitiæ exemplũ edidit: bis enim nupsit, & corpus tamẽ uirilis cõplexus omnino expers seruauit: sed cum priore uiro, qui statim post factas nuptias mortẽ obijt, illud facilè sactu fuit: cum Egfredo uerò iuuene ætate florente, cùm duodecim uixisset annos, & nunq; cũ eo corpus ipsa suũ cõmiscuisset, id adeò dignũ admiratione est, ut propè nescias, utrũ magis fœminę cõstantia, aut uiri amore flagrãtis patientia laudanda sit: atqui utrunq; par gloria comitat. Sanè quotusquisq; est, qui ita titillanti carni modũ imponere sciat? Res ad extremũ, extra tamẽ uim, in certamen adducta est: etenim Egfredus suscipiendæ prolis desiderio agitatus, modò blandientis, modò minitantis similis uxorẽ stimulabat, quò uellet unà secũ, uelut ius matrimonij poscceret, liberis procreãdis operã dare. Etheldreda cõtrà, quæ Deo uirginitatẽ suam dedicarat, nullius uoluptatis seu uerborũ illecebris à proposito auertebat. Rex qui suapte natura placido erat ingenio, licet quò magis uxor negabat, hoc maiore amore, sic enim negata auidius cupimus, flagraret, manus tamẽ à uiolentia abstinebat, qui ut nihil intentatum relinqueret, eam de sententia deducẽdi negotiũ dedit Vuilfredo Eboracensi archiepiscopo, cui uirgo multũ confidebat. Veruntamẽ ille etiam nihil profecit, adeò mens illius immota manebat. Etheldreda interim assiduis precibus uirum fatigare nõ cessabat, quò sibi per eius uoluntatẽ, cõiugali uinculo solutæ, liceret priuatam & cœlibẽ degere uitam: idq; tandẽ impetrauit: nam prudens princeps non potuit non amare in uxore uirginitatẽ, quã certò sciebat Christo dedicatã esse. Virgo libertatẽ nacta, contulit se ad monacham Ebbam, Egfredi uiri sui amitã, quę id temporis sanctitate uitę florebat, eratq; abbatissa, quam dicunt, monacharũ cœnobij, quod erat ad id loci, ubi memoria nostra est pagus, in finibus Scotiæ, quẽ uocant Coldingham, ibiq; monacha facta est. Post hæc pia uirgo augendæ religionis cupida, ad suos orientales Anglos redijt, ac quam primũ in insula, quam Elym nominãt, cœnobium instaurauit, atq; in eo monacharũ collegium instituit, cui ipsa præfuit, & demum mortua in diuorũ numerũ adscripta est. Cœnobium enim istud ab initio, autore diuo Augustino archiepiscopo, sumptibus Ethelberti regis Cantiani conditum, ac diuæ uirgini Mariæ dedicatum tradũt, ibiq; collocatũ monachorũ ordinis diui Benedicti collegium, circiter annũ salutis humanæ DC. Verũ deinde cùm Penda Merciorũ tyrannus, in Orientalibus Anglis uastas solitudines fecisset, cœnobiũ quoq; illud euersum est, quod, ut diximus, Ethelreda instaurauit. At postea circiter annum salutis DCCCLXX, Dacis, duce Agnero, in Anglos Orientales debacchãtibus, & aras omnes & templa sunestantibus, cœnobiũ rursus complanatur, quod paucis pòst annis nõnulli boni patres presbyteri refecere, sacerdotumq; collegium in eo instituerũt. Hos postremò circiter annum salutis humanæ DCCCCLXX, Etheluoldus monachus Vintonienſis episcopus, cùm apud Edgarum regem, tum apud Ioannẽ xiij. Romanũ pontificem, inde decijciendos, atq; suos monachos introducendos curauit, qui etiam nunc locum habent. Elys autem insula, aquis dulcibus circunfusa, ad austrũ, intra fines Cantabrigiensis comitatus sita est, quæ ad se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptentrionem attingit Northfolchiam, ſpectatq; ad oriẽtem ſolem, unde eius longitudo in occaſum uerſus patet paſſuũ millia circiter ſex & uiginti, latitudo uerò quatuordecim. Ita inſula omnis in circuitu eſt octuaginta milliaria. quæ cùm paludibus hyberno præſertim tempore redundet, ex eo Elym nominatã exiſtimant, quòd ἕλος Græcis palus dicitur. Sunt in ea aliquot pagi celebres, & in primis ille, qui eodem nomine Elys nuncupatur, ubi ciuitas Elyenſis, ac epiſcopalis ſedes locata eſt, quemadmodũ alibi demonſtrabitur. Egfredus poſtea toto triennio quo uixit bello implicitus, cum Mercijs primùm male pugnauit, deinde nulla laceſsitus iniuria, in Hyberniam exercitũ miſit, qui inſulanos imprudẽtes crudeliter afflixit: poſtea Eugeniũ quintũ Scotorũ regem, ſuis principibus ſummè orantib. ne amicos læderet, bello uexauit: poſtremò daturus delictorũ pœnas, in Brudeum Pictorum regem arma mouit, etiamſi Cuthebertus antiſtes dehortatus eſt id facere: qui inſidijs exceptus, cum bona copiarũ parte perijt. Regnauit Egfredus annos XV, uixit quadraginta. Alfredus ex concubina, ut ferunt, Oſuuij filius, fit inde rex ab Ida nonus. Is regnãte Egfredo fratre, exul, ingenij facultate aſsiduaq; opera in literis hęrendo, doctiſsimus euaſit. adeptus ergo regnum hoſtiũ iniurijs deuaſtatũ, bonis artibus inſtaurandũ, fouendũ, atq; tuendũ miro ſtudio curauit, & contentus finibus, quos poſt cladem fratris, à Pictis uictoria hoſtiliter cupideq; uſis recipere ſine certamine potuerat, paci ac honeſto otio pariter ſtuduit, atque ab externis armis per decem & nouem annos, quibus regnauit, quieuit.

Egfredus quæ poſtea geſſerit

Egfredi mirandũ

Alfredus Oſuiũ filius fit inde rex ab Ida nonus. ſtuduit in regno

Per hæc tempora, Ioannes Eboracenſis antiſtes diuinarũ literarum ſtudijs clarus maximè floruit, qui tædio publicæ uitæ affectus, dimiſſo archiepiſcopatu, ſe Beuerlacum contulit, ubi loci ædem ædificauit, presbyterorumq; collegium inſtituit, ac quatuor annos deinde procul à curis caſtiſsimè uixit: hodie eodem loci bene multis fulgens miraculis, religioſiſsimè colitur, quippe qui iampridem inter diuos relatus eſt. ſedit annos triginta tres. Beuerlacum autem eſt oppidũ in ora ad ortum ſolis æſtiuũ uerſa, ut in plano loco ſatis munitum. Succeſsit Ioanni Vuilfredus ſecundus eius diſcipulus: quem poſt annum decimumquintũ, cũq; ſedere cœperat, ad exitũ uitæ uocatũ ſecutus eſt Egbertus à Paulino ſeptimus. Huic trigeſimoſecundo pòſt anno ex humanis rebus adẽpto, ſucceſsit Albertus, deinde Embaldus, Embaldus ſecũdus, Vuilſius, Vimundus, & Vuilferus à Paulino tertiusdecimus. Præfuerũt eccleſiæ Eboracẽſi iſti archiepiſcopi circiter annos centũ & uiginti. Poſtea ſecuti ſunt Adelbaldus, Lodeuardus, & Vulſtanus à Paulino ordine antiſtitũ Eboracẽſium ſextusdecimus, de cuius ſanctitate loco magis appoſito dicemus, in uita Adelſtani regis. Poſt Alfredũ, reges fuerũt Oſredus, Chẽredus, Oſrichus, & Ceoloulphus ab Ida decimuſeptimus. Huic Bedas inſcripſit opus eccleſiaſticæ hiſtorię gentis Anglorũ, qui eodem tempore uitã cum morte cõmutauit: ſcripſit prẽterea in Acta apoſtolorũ, in Euangeliũ Marci, de temporib. libellum, & homilias, quarũ hodie frequens eſt uſus, in primis apud Anglos: item in vij. epiſt. canonicas, in Apocalypſim, in Geneſim, in Ezram, in libros regũ, & multa alia, quæ deſiderantur. Ceoloulphus poſt octauũ, cũq; regnare cœperat, annũ, dato imperio Egberto patrueli, monaſticã deinde ſecutus eſt uitã. Iſte itidẽ poſt alterũ & uigeſimũ annũ, cũq; regnare cœperat, relicto regno, fit monachus. Ex illo res Northumbricæ ad exitũ inclinatæ ſunt, populo per factiones,

Ioannes Eboracenſ. Archiep.

Eboracenſium

Vuilfredus ſecundus eius diſcipulus

Alfredo Regi ſuccedit Oſrechus. Chenredus Oſrichus & Ceoloulphus ab Ida 17

Vixit hoc tempore V. Beda

Ceoloulphus Monachum factus Guenda

Egbertus patruelis quidam in Anglia regnat

ctiones, in partes diuiſo. Succeſsit Oſoulphus, qui breui domeſtico odio oppreſſus perijt. Hunc ſecutus eſt Altredus, qui decimo pòſt anno, diſcordia itidem ciuili fatigatus, imperio cedere eſt cõpulſus. In cuius locum Ethelbertus ſubſtituit, quẽ breui tẽpore regno deturbatũ, Aſualdus ſecutus eſt: & is malo omine principatũ iniuit, nam XI pòſt anno populi ſeditione opprimitur: cuius exẽplo territus Oſredus, qui ei ſucceſsit, uix imperij anno circumacto, ſe ad priuatã uitã recepit. Poſtremò Ethelbertus ſeu Adelredus ab Ida uigeſimus quartus & ultimus, curã regni tot antea regulis exitialẽ ſuſcipere eſt auſus, qui tamen fatum ſuperiorũ effugere nequiuit: poſt quartũ enim annũ, cũq; illud occuparat, à ſuis quoq; occiſus eſt. Vacauit regnũ aliquandiu, nullo amplius id ſibi petere audẽte, utpote quod uelut equũ Seianũ, ut aiunt, uniuerſi formidabãt. Res ſanè mirabilis: porrò nullum tam pernitioſum imperiũ exiſtit, quin mortales quamplurimi cupiditate acti, illud ipſum ſibi non optent. Sic Northumbria exitio domeſtico agitata, deinceps triginta & amplius annis tam finitimorũ populorũ, cũq; barbarorũ iniurijs expoſita fuit: nanq; eã Daci ſedibus patrijs egreſsi & in inſulã delati, interea etiam tenuerũt, quibus ad ultimũ deuictis, Egbertus Occidentaliũ Saxonũ rex, regnũ ita ſeditionib. domeſticis barbaricaq; feritate deuaſtatũ, per deditionẽ à Northumbris factã, uti infrà appoſitè dicet, ſuũ adiecit imperiũ. Ad hunc modum deſitum eſt à Northumbrorum gente regnare, anno ſalutis DCCCXXVII. Poſtea Aluredus rex, ut in eius uita demonſtrabit, præfecit Northumbris Gormonẽ Dacum. Ita Northumbria rurſus in barbarorum poteſtatem uenit, quam poſtremò Adelſtanus ab eorum manibus eripuit, ad ſuamq; ditionem adiunxit.

10 Oſoulphus
11 Altredus
12 Ethelbertus
13 Aſualdus
14 Oſredus
15 Adelredus Ethelbertus

Interregnum

Egbertus Occidentalis Saxonum regnũ ſuſcipit an. Dñi. 8 Deinde à Dane Adingruntur

SEPTIMVM regnum Occidentaliũ Saxonum, quod anno aduentus Anglorum circiter altero & ſeptuageſimo, ſalutis humanæ DXXI exordium à Cerdicio primo rege ſumpſit. Fines huius regni ab initio, non omnino anguſti fuerunt, quippe qui, ſicut cõiectura aſſequi poſſumus, in eandẽ longitudinem, & latitudinẽ patebant, atq; tempeſtate noſtra, Bathonienſis & Vuellenſis, item Sariſberienſis ac Exonienſis diœceſes patent. Verùm poſtea maiora rerũ incrementa cõſecuta ſunt: nam eiuſmodi Occidentales reges non cõtenti ea inſulæ parte, q̃ principio adepti fuerant, ſibi totã poſtremò uindicarunt, quã Britanni antea poſſederant. Cerdicius ultimus omniũ cum nonnullis copijs, ex Germania, ſuis auxilio in Britanniã uenit, qui primo appulſu, ab inſulanis bello exceptus, multitudinẽ effuſe inuadentẽ nullo ferè negotio repreſſit, in fugamq; cõiecit. Qui belli ſucceſſus illi quietẽ peperit: porrò poſt illum diẽ, Britanni aliàs uicti, minus in eum arma mouere auſi ſunt. Sic Cerdicius paulatim occupauit inſulæ partẽ, quæ ad Occidentẽ uergit, ibiq; regnare cœpit, ex quo dictus eſt cognomento rex Occidentalis, qui regnũ ſibi ac poſteris longè pulcherrimũ cõparauit, reliquitq; ab ſe in dies ſingulos maiorib. auctum opib. Deinde Cenricus à patre accepto imperio, regnat. poſt Cenricũ, Ceaulinus. Ceaulino ſucceſſerũt Celricus, & Ceoloulphus ſiue Quichelmus, utrunq; ſcriptũ inuenio apud autores, quos ſequimur, tametſi ſuper eiuſmodi regulorũ nominibus, parum inter ſe conuenientes. Ii dicunt diuiſo æqua lance regno cõcordiſsimè uixiſſe, & ut ambo iuſti, pari uoluntate, ac ſtudio, ſuis mitè imperaſſe: quod equidẽ tam uiſu, cũq; auditu rarũ eſt, factuq; nõ utiq; facilè: & huic integritati diuina fert acceſsiſſe gratia, q uterq; Chriſtiani facti

7 Regnum Occidentalium Saxonum
Reges eius
1 Cerdicius Anno
2 Cenricus filius
3 Ceaulinus
4 Celricus
5 Ceoloulphus ſiue

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint, ac ad ultimū ut simul cœperant, ita regnare desinerent, per idē ferè tempus mortē oppetiuisse. Atqui Ceoloulphus, ut alijs placet, quorum haud me pœnitet sententiæ esse, aliter uitā instituit, uiuendiq; finem longè aliū habuit: nam à principio cū insidias feciſſet Eduino Northumbrorū regi, quemadmodum in eius uita prodidimus, postea cum eo prælio congressus, interimitur. Inde Cynigillus secutus est, quo regnante, populus occidentalis opera Berini episcopi, quē Honorius Romanus pontifex in insulā, ad prædicandū euangeliū, id temporis miserat, Christianū dogma recepit. Fuit Berinus homo Italus, & post hominū memoriā sanctissimus, qui Dorcestriæ, quod oppidū ab Oxonio aberat millia passuū septem, sedē episcopalē primū posuit, quæ quadringentis & sexaginta circiter pòst annis, rege Gulielmo Rufo, Lincolniam translata est. Sed cætera prosequamur. Pòst Cynigillū, Cenoualchius regnat à Cerdicio septimus. Is initio principatus, cū pessimis, postremò cū optimis principibus cōparari potuit: statim enim potestatē nactus, institutū uitæ longè turpissimū ordiri cœpit, & ut ille cui nihil satis placebat, haud quaq; patiēs quietis, acie conflixit cum Vuilfero rege Merciorū, à quo uictus Vectē insulā amisit, neglexit religionē, diuortiū fecit perperàm cum uxore Pendę Mercio rum regis sorore, quæ res calamitati similiter atq; saluti ei fuit: nam Penda ob iniuriam sorori factā, eum bello confestim petijt, regnoq; priuauit. Cenoualchius ea affectus clade, ad Annā Orientaliū Anglorū regem confugit. Annas iuuenē primò benignè hospitio accepit, deinde acriter increpauit, q̄ religionē spreuisset, q̄ uxorem ablegasset, q̄ deniq; se ita turpiter uitijs dedisset. Tū ille pœnitens præteritæ uitæ, incredibile dictu est, q̄ subitò ex malo, bonus, monitis Annæ, euaserit: magis enim in rebus aduersis, q̄ in secundis peccata nostra agnoscimus: recepit quamprimum euangelicū dogma, recepit uxorē, & ob eam rem Deo gratior effectus, haud multo pòst regnū totum recupera uit: qui memor accepti beneficij, uelut amātissimus cultor religionis cōdidit templum opere magnificū Vintoniæ, in quo sedes episcopalis locata fuit: sed postea illa diuisa est, & inde episcopatus Sarisberiæ institutus. Rex ita totus pietati deditus, post annū trigesimū, quàm regnare cœperat, mortem obijt. Vxor nomine Sexburga, inde anno uix integro regnat, cui satis erat animi ad obeunda regni munia, sed morte sublata uirtutem ostentare nequiuit. Secuti sunt reges Elcuinus, & Centuinus, ambo adolescentes uirtute & armis insignes, siquidē ille Mercios, hic Britānos clade affecit: sed breuitas uitæ, diuturniorem eis felicitatem inuidit, qui uix nouem regnarant annos, cùm è uita migrarunt. Inuenio apud quosdam, cōmuni imperio hos regnasse: quibus cum Bedas nō consentit, qui ait illos inter se diuisisse regnum. Deinde Cedoualla imperiū obtinet, ordine regum à Cerdicio decimus, qui ab initio, præclarissimorum facinorū famam quærens, finitimos bello uexādos existimauit. Itaq; primo quoq; tempore Australes Saxones armis petijt, attriuitq; plurimum: Cantianos abacta ex eorū agris præda, uehementer oppressit: quamuis in eo bello, fratrem nomine Molonem amiserit: Vectem insulam hostiliter ingressus, parum abfuit quin protinus deleuerit: postea ad humanitatem liberalitatemq; conuersus, de omnibus iuxtà mortalibus bene meritus est, adeò, ut nihil ferè plus officij & gratiæ in homine desiderari posset, qui nostra nondū religione perfusus esset. uerùm haud multo pòst in Christianorū collegium uenire

nire cupiens, Romam se contulit, ubi à Sergio pontifice baptizatur, atq; Petrus est appellatus, ac breui pòst mortuus, in æde diui Petri apostolorū principis humatur. Placet quibusdam, ut à Sergio non baptizatus, sed iam antea Christianus factus, chrismate perūctus, uti est moris, fuerit, nomenq; inde mutarit: quod procul à uero esse plures alij sentiunt.

Post hūc, Inas à Cerdicio undecimus, uir cōsilij magni & uirtutis, rex creatur. Is inito principatu, ut strenuus ad militaris disciplinæ summā laudem sibi aspirandū constituens, in Cantianos, indicto bello, magnum exercitū duxit: sed tantum abfuit, ut hostes subita belli mole territi ad manus uenerint, ut pacem grandi auri pondere redimere maluerint, quàm belli fortunam tentare. Re ita cum Cantianis feliciter cōposita, deinde bellum uertit in Aldiniū Australium Saxonū regem nominis occidentalis hostem, quem facilè uicit, acregni Australium Saxonum potitus est. postremò domi foriscq; clarus, bonis artibus duntaxat uacans, ac iusti æquiq; per omnia amans, cùm animaduerteret per administrationē publicarū rerum, non licere sibi esse quietum, regio honore spreto, haud multo pòst secundum Christi præceptum, crucem suam suscepit, ac Christum ipsum secutus est. Cæterùm antequā id faceret, uoluit religionem suis fortunis iuuare: quippe uir sapientissimus ducebat utilissimum stultissimumq; esse, in alterius fidem permittere opes in uarios usus erogandas, quas ille qui acquisiuisset, posset ipse largiri. Itaq; Vuelliæ ædem ædificauit magnifico apparatu, eamq; diuo Andreæ apostolo dedicauit, in qua sedē episcopalem collocandā curauit, & eam postea multis locupletauit possessionibus. Floret ibidem memoria nostra collegiū sacerdotū percelebre, in quo cōtinenter uiri sunt bonis moribus, & doctrina clari. Quare mihi neutiq; mo dico honori duco, quod abhinc annos quatuordecim, archidiaconus Vuellensis factus sim eius collegij unus, habeamq; in ipsa Vuellensi diœcesi iurisdictionem, quæ nos interdum meliores reddit: sanè cùm mihi laborandū sit, ut alij bene uiuant, necesse habeo eam mihi cum primis legem præscribere, qua rectoris uita, alij suam rectius metiri queant. At Vuellia urbs in ea insulę parte quæ ad occidentem solem spectat, sita est, ad radices montis, quē Mendepium uocant, qui instar perpetui muri, à septentrione imminet, admodum nutriendo pecori utilis. Sed unde aberrauimus, iam reuertamur. Extruxit idem princeps & templum Glasconiense, cum cœnobio monachorum familiæ diui Benedicti, idemq; prædijs ditauit amplissimis. At ipsum cœnobium cùm singulari hospitalitate, tum monasticæ uitæ obseruatione, facilè cunctis præstat. Eo loci memorauimus secundo huius operis uolumine, famam esse Ioseph Arimathiensem, qui Christum sepeliuerat, paruulum sacellum condidisse. Quare arbitror Inam ob eius rei celebritatem, illud ibidem cœnobium posuisse. Officia autem eius regis pietatis plena infinita produntur, & illud in primis, q̄ regnum suum Romano pontifici uectigale fecerit, singulis argenteis numis, quos denarios uocant, in singulas domos impositis. Fecit idē eius exemplo, ut opinor, ductus Offa Merciorū rex, qui non multo pòst id tēpus regnauit. Fuit is annus salutis circiter DCCXL. Hoc uectigal prout quidam scribunt, auxit posthac Etheluolphus seu Athulphus rex, qui, ut proximo libro demonstrabitur, totius ferè insulæ imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore istuc uectigal pietatis & religionis causa, Romano pōtifici pen

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit domesticatim collatum,& numi illi argentei uocantur uulgo denarij diui Petri,quos pontificius quæstor,quem nō inscienter collectorem nuncupāt, exigit. Nos hanc olim quæsturam aliquot per annos gessimus, eiusq; muneris obeundi causa,primū in Angliam uenimus. Inas postremò regni statum melius collocandi percupidus,ut suos ad bene beateq; uiuēdum institueret, sanctissimas leges cōdidit,quas improba posteritas paulatim antiquauit.no uissimè hortante Ethelburga uxore muliere prudentissima, rerum humanarum molestia tædioq; affectus,regnū tradidit Ethellardo consanguineo suo uiro probo,quem antea fecerat hæredē:quo facto,Romā se contulit,ibiq;,ut quidam perhibent,monachus effectus, breui inde óccidit. Ethelburga itidē regina inter monachas,in cœnobio, quod positū est ad ripam Thamesis fluminis,in pago,quem dicunt Berchyngium,moritur. De Ethellardo nihil habeo dicere memoria dignū. Successit illi Cuthredus, uir animo ferox. Is multis initio principatus affectus iniurijs à Mercijs,bellum illis intulit,fortiterq; uicit,deinde à curis externis quieuit, bono semper usus otio. Per idem tempus extitit uirgo Oxonienſis Fridesuida,ducis cuiusdam,cui nomen fuit Didanus,filia:hanc regulus nomine Algarus amabat, eiq; stuprum offerebat, cui & neganti manus intentare conatus est. Sed Deus sceleris ultor adfuit:sanè cùm puellam fugientem regulus persequeretur, illa se protinus in oppidū recipiente,ei porta clauditur, lumenq; oculorum eodem momento adimit. Verùm mox uirgo suis precibus Deum Algaro placauit, qui rursus uidere cœpit. Hinc fama est, innatam postea regibus religionem, ut formidarint in urbem Oxonium introire. Adeò facilè mens humana ad superstitionem rapitur. Atqui scrupulum hunc memoria nostra,Henricus octauus de hominum animis exemit,qui bona armatus conscientia, Oxoniū sine ullo suo incōmodo,ac totius populi magno cū gaudio ingressus est. Extat hodie Oxonij cœnobium canonicorum regularium quos dicunt,Fridesuidæ dedicatum. Sed unde aberrauit oratio,redeat.

Sigibertus regnum deinde obtinet,homo domi crudelis & sæuus,foris uecors ac ignauus,qui cùm suos nō libenter audiret consiliarios, unum præter alios,nomine Cumbranū,uehementius ex animo bene admonentem interfecit. Qua re indignati reliqui,facta coniuratione, eum primo imperij anno regno deturbarūt. Tum Sigibertus,ut erat natura timidus, peiora timens, sese in loca sylueſtria abdidit:sed malā fortunā persequentē ne eo quidē pacto auertere potuit,ibi enim à uilissimo Cumbrani seruo,qui porcos pascebat,trucidatus est. In eius locum principes subſtituerūt Cineuolphū egregiū adolescentē,& regia stirpe natū,à Cerdicio decimūquintū. Is unum cōmisit prælium cum Offa Merciorum rege,in quo inferior fuit,non utiq; magno accepto incōmodo. Dum deinde in otio erat, eiecit in exilium fratrē Sigiberti nomine Cineardū iuuenem manu promptum,quem suspectum habebat. Ille iniuriæ memor cupidusq; ulciscendi,nō multo pòst cum nō mediocri perditorū hominū manu,clàm in patriam redijt,regemq; in ædibus cuiusdā nobilis mulieris,cuius consuetudinē habebat,inuentū,de improuiso circunsedit. Cineuolphus ancipiti discrimine permotus,primū fores domus claudi iussit, sperans aut blandis uerbis inimicos delinire,aut maiestate deterrere. sed cùm neutrū procedere,& nihil esse,quòd confideret se sine certamine euasurum,animad-

uerteret,ira deinde percitus,passis repentè foribus,in Cineardum qui in primis instabat,prosiluit,parumq; abfuit,quin illum interfecerit. hic dum mortem omnino futuram propè ultus erat, fortiter pugnans mortem occubuit. Cognito facinore,eius cohors quæ in proximo erat, in percussores cōfestim erumpit,renouatoq; certamine,cædem principis uindicare conatur. Dimicatum aliquandiu est,his pro uita,illis pro gloria, summa ope nitentibus,tandem Cineardus qui iam iam uictoriam manu tenebat,prælíando cecidit, cuius casu reliqui perculsi,ad unum contrucidantur. Britrichus inde rex factus est,ordine regum à Cerdicio sextus decimus,uir quietus atque modestus, pacisq; quàm belli studiosior, cui propterea Egberti uirtus,qui illi postea successit,ualde formidolosa erat:nam regiū genus quod à Cerdicio primùm cœperat,ita id temporis confusum erat,ut fortissimus quisq; Occidentalium regnum sibi uindicandum iudicaret,& cum primis Egbertus,qui regio tamen sanguine ortus erat. Igitur rex,ut securius degeret,hunc adolescentem in Gallias,in exilium ire iussit:id quod ille patienter tulit,perinde quasi certò sciens illud ipsum sibi bono,sicut postea contigit, fore. Sic Britrichus otium trahebat,cùm prædones aliquot Daci in insulam delati,ad Humbri ostium descenderunt,ac oram maritimam primò, loca deinde interiora uastare,atq; in illis prædari cœperunt. Verùm cùm rex ad primum nuntium, misisset bene magnam armatorum manum,quæ Dacos redituad naues prohiberet,illi ubi in se undiq; insulanos concurrentes conspicati sunt,relicta pręda, ad portum raptim pedem retulerunt,ascensisq; nauigijs, eò unde uenerant, remigrarunt. Sed ea res initium fuit uenturi magni deinde mali. Daci etenim cognita soli ubertate,haud multo pòst in insulam rediere,ac usq; eò cum Anglis bellarūt, quoad bonam partē occuparunt,prout alius edocebit locus. Britrichus exin anno cùm regnare cœpit sextodecimo, & salutis humanæ DCCC, à uita decessit:cuius morte audita,Egbertus ex Gallia properè in patriam reuersus,omnium consensu rex creatur.

Cæterùm antequam reliqua prosequamur, de statu rerum Scoticarū, qui id temporis erat,exponere libet. Amberclетum regem,de quo in extremo libro tertio meminimus,in bello Pictico interfectum, secuti sunt Eugenius septimus eius frater,Mordacus Amberclети filius,Etfinus,uiri semper domi militiæq; pacis autores,in rebusq; gerendis ualde spectati: item Eugenius octauus,Fergusius tertius,homines in uitijs uersati,sed ambo tandem digno mactati supplicio,hic à suis domesticis,ille à ciuibus:postea Soluatius, & Achaius Etfini filius. Is princeps omni laude cumulatus,Saxonum opes quæ maiorem in modū in dies singulos crescebant,pertimescens, primo quoq; tempore cum Magno Carolo fœdus icit, ijs conditionibus, ut se mutuò iuuarent. Non sine Dei numine,id factū prædicāt,quandò etiā nunc amicitia inter Scotum & Gallū,inuiolata manet, ita ut alter cum altero in perpetuum consentiat,id quod etiam ferunt assignādum odio inter uicinos suis semper finibus timentes orto,& idcirco illud utriſq; in Anglum,& Anglo uicissim in utroſque commune esse. Ille item ad Carolum, qui nouas conditurus academias, ad se usq; ab extremis orbis partibus,eruditos uiros aduocabat,Clementem & Ioannē homines doctissimos misit,per quos Carolus postea & Lutetiæ & Ticini bonas artes cūctos mortales docendos curauit. Secutus est Cōuallus

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundus, Dungallus, & Alpinus. Is bellum à Dungallo in Pictos susceptum fortiter gessit, sed ad ultimum infeliciter cum illis congressus capitur, nulloq; regiæ maiestatis habito honore, ilicò securi percutitur. Cuius rei indignitate Chennethus secundus eius filius permotus, bellum protinus renouauit, nec prius ab incœpto negotio destitit, quàm Druschenum hostium regem cepe rit, pariq; supplicio affecerit: qui ità uictoria usus, pòst paulum omne ferè Pictorum genus deleuit. Atq; per hunc modum, Scoti regnũ in Britannia quale nunc est, iampridem obtinuere. Fuit ille annus salutis humanæ DCCCXL, & Pictorum regni in Britannia, DCCLIII. Quòd si quibusdam Anglicis annalibus credimus, non hunc res Pictica exitum habuit: in illis enim traditur, Pictos non armis, sed dolis uictos, eorum principibus specie humanitatis, ad cœnam uocatis à Scotis, ac subitò interfectis. Quod multi fabulæ persimile ducunt, cùm una omnino cœna non facilè potuisset tot absorbere principes, ac uniuersum populum. Chennetho succesit Donaldus frater, quòd Ethus eius filius per ætatẽ non esset utilis ad Rempublicã gerendam. Is homo quãuis dissolutus, & ob id post sextum annum, quàm regnare cœperat, usus suæ manu, interierit, tamen à suis fortiter adiutus, in reliquos Pictos arma iam parantes bellum mouit, funditusq; sustulit. Deinde fiunt reges Constantinus, & Ethus. Hunc Gregorius uita pariter atque regno expulit, sed facinoris infamiam officio delendam iudicans, opes Scoticas mirum in modum adauxit, redacta in potestatem Hybernia insula. Gregorio succesit Donaldus secundus, & Donaldo Constantinus tertius, filius Ethi, de quo plura in uita Edouardi regis Angli, dicemus. Sed iam libri finem faciamus.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER QVINTVS.

DE PRINCIPIO septem regnorum, atq; de fine qui exin consecutus est, sex eorundem, id est, Cantiani, Meridianorum Saxonum, Orientalium Anglorum, Orientalium Saxonum, Merciorum, & Northumbrorum, item de bellis inter regulos gestis, deq; eorum seditionibus, superiore libro diximus: nũc autem de incremento Occidentalis regni, & quando ad illud cætera regna adiuncta fuerint, exponendum est, quò tandem & regum & rerum series simul ubiq; quadret. Egbertus uir eximia spe, summæ uirtutis, rex Occidentalis à Cerdicio decimusseptimus ab omnibus, uti suprà demonstratum est, consalutatus, potestate adepta auspicatissimè uti cœpit, sanè peritissimus pugnandi: quippe qui apud Gallos, dum exulauit, militarẽ artem studiose didicerat, bellica facinora in primis sibi obeunda statuit. Itaque Britannos, hoc est, Vuallos statim initio principatus domuit, qui adhuc libertatis cupidi, minimam nacti occasionem ab Anglis crebrò deficiebant, in eosq; quotidie insultabant, ut qui uictis modis omnibus uinci nolebant. Hoc prosperè & celeriter confecto negotio, iam ob famam rei gestæ, summa autoritate, atque nomine ualebat, territabatq; finitimos regulos, utpote qui uidebant eum talem esse in militari arte, ut iam iam suis fortunis imminere animo cernerent.

Ea

Ea res in primis pupugit animũ Bertulphi Merciorum regis uiri fortissimi. Is enim quamuis probè sciret periculosum esse, cum uiro forti & perito belli di, acie confligere, attamen ex altera parte, non ignorãs facinus multò gloriosius fore, si bene caderet, statuit cum Egberto contendere: itaq; parato maturè exercitu, illi bellum indixit. Non abnuit Occidentalis rex certamen, qui impigrè circunductis breui spatio copijs hostem aggreditur, cõmissaq; pugna, dimicatur utrinq; acriter, ac ancipiti prælio: ad extremũ Mercij itinere & longo certamine fessi, fugere sensim cœperunt. Quod Occidentales sentientes, maiore ui iam repulsos hostes insecuti, ingentem effecerunt cædem. Hancui victoriam Egbertus adeptus, in eam spem uenit, ut iam sibi persuaderet, posse se facilè finitimos populos superare, quippe quorum res manifestè ad casum inclinatas cernebat: & ante alios decreuit armis inuadere Etheluolphũ Cantianum regem, hominẽ in Cantianis parui utiq; nominis, minimæq; existimationis. Itaq; cum omni exercitu Cantianum ingressus agrum, diu nemine qui ferè resisteret, inuento, regionem quaquauersum depopulatur, uicosq; omnes incendendos diripiendosq; militibus tradit. Etheluolphus qui parũ suis uiribus confidebat, subitæ rei motu territus, tantum abfuit, sicut nonnulli tradunt, ut pugnare sit ausus, ut etiam sese fugæ dederit, uitãq; inde in exilio egerit. Veruntamen alij, cum quibus consentio, scribunt, eum collecta quamcelerrimè potuit, militum manu, fortissimè prælium cum hoste commisisse, atq; insigniter dimicantem captum fuisse. Verùm utcũq; res gesta sit, talem euentum habuit, ut Egbertus uicerit, Cãtianoq; regno sit potitus. Crescebant hoc pacto mirandum in modum Occidentalium opes, & finitimis formidolosiores fiebant, quamobrem facilius omnes Egberto parebant. Is igitur ut Merciorum quoq; uires infringeret, Oriẽtales Anglos, quorum amicitiam & societatem renouato fœdere, paulo antè sibi adiunxerat, hortatus est, ut parato exercitu, in Merciam irrumperent. Quod illi partim ut regi satisfacerent, partim quò ulciscerentur iniurias ab ipsis Mercijs acceptas, quippe qui eorũ fines paucis antè diebus deuastarant incursionibus, neutiquam grauatè fecerunt. In ea pugna etsi tumultuaria, Bernulphus rex Mercius primo congressu cecidit: dein ira & odio stimulante, iterum congressi, & in certamine Ludicenus, qui Bernulpho succesit, interemptus est. Ita Merciorũ rebus debilitatis, Egbertus iam aperto Marte Vthlacũ, qui Ludicenо successerat, adortus cepit, captumq; sub iugum misit. Tali rerum succesu Northumbri exterriti, de gradu, ut aiunt, subitò decesserunt: quippe qui maluerunt sese dedere, quàm hostilia arma pati, aut experiri. Porrò ij eiectis interfectisq; regibus suis, ac Dacorum iugo excusso, domesticis seditionibus barbarorũq; depopulationibus afflicti, ad Egbertũ legatos de deditione misere, qui oppida, ciues, agros, omniumq; oppidanorum fortunas publicas & priuatas illius fidei traderent, ut se deditos tueretur. Accepit libenter eam deditionem rex Egbertus, ac deditos bene sperare iussit, pollicitus fore, ut nunquam amplius barbarorum iniurijs afficerentur. Sic Northumbrorum nobile regnum ab Occidentalibus Saxonibus ad extremum occupatum est. Sunt tamen, qui aliter tradant de eiusmodi regni exitu, perhibentes regem Occidentalem bello petijsse Ethelbertum, siue Adelredum ultimum Northumbrorum regem, eumq; deuictũ unà cum regno, in hostis potestatem uenisse. quod nequaquam multum à

Universidad de Deusto
Biblioteca

uero alienum ducerem, si ratio temporis pateretur: nam, ut superiore libro prodidimus, constat post eiectos reges, triginta & amplius annos intercessisse, cùm Egbertus rebus Northumbricis est potitus. Per idem quoq; tẽpus, Egbertus Sutthredum Orientalium Saxonum regem, paruo omnino negotio uictum, regno spoliauit. Creuerunt per hunc modum, ita ad eum diem, res Occidentalium, adiectis eorum imperio tribus opulentissimis regnis, ut illud totum, quod ad occupandam omnem insulam, semper Scotiam excipimus, supererat, id est, regna Merciorum, & Orientalium Anglorum, pro nihilo haberetur, utpote quod iam uiribus uacuum, breui casurum esset, sicut postea contigit, in Occidentalium potestatem, non secus ac Egbertus sperabat, aut fore arbitrabatur, qui perinde summa iam rerũ quasi potitus, partim ut deleto Britannico nomine, sui generis memoria in insula perpetuaretur, partim ut eodem iure, eodemq; nomine, omnis populus censeretur, primus Britanniam, Angliam, & uniuersam gentem Anglos appellauit, idq; edicto sanxit perpetuò mansurum. Post hæc sapiens princeps tanto rerum successu, id quod facilè solet mortalium animos fatigare, nihil elatus, eadem aduersus omnes humanitate, gratia, munificentia, pacisq; ac quietis suorum studio maximè erat, cùm ecce Daci, otium honestum patriæ (sic sunt humanę res sexcentis casibus quocunq; tẽporis puncto obnoxiæ) perturbarunt. Hi parata classe, per mare prædatorũ more, & ad litus Germanici Oceani appulsi in terram descendunt, prædamq; facere incipiunt. Qua re statim nuntiata, rex paucis secum sumptis militibus, prout in repentina fortuna fieri solet, it hostibus obuiam, eosq; nullis ordinibus firmatos prorsus incautè adoritur. Fuit ab initio pugna Anglis aduersa, urgebat tamen rex militem suum, cùm fortiter pręliando, tum commemorando, quàm turpissimum foret, eos milites à piratis & latronibus demum superari, qui reges plures uicissent. Interea Daci ubi cognouerunt ægrè resisti, & haud dubiam hostium lassitudinem esse, tum sese magis concitant, multisq; passim cæsis, Egbertum circunsistunt. Iam nox aduentabat, cùm rex desperata salute, uix ægreq; cum paucis fugiens elabitur. Dacus uerò tametsi superiorem se esse sciebat, trepidus tamen, ne in terra hostili insidijs circumueniretur, à persequendo destitit. Occidentalis rex ea nocte, cuius præsidio ex periculo mortis euaserat, nequaquam accepto incommodo fractus, cùm diuersi ex suis integri intactiq; de certamine abissent, reliquias exercitus dissipati magno studio colligit, reficitq;: interea etiã orto rumore aduersæ pugnæ, multi ad regem captis cõtinuò armis, proficiscebant. parato itaq; satis idoneo exercitu, omnes copias in hostes educit, commissoq; iterum prælio, eos externo certamine defatigatos, sine labore ullo fudit. Pars Dacorũ ibi cæsa, pars ad naues elapsa, uento cõfestim se dedit. Post hãc uictoriam, Egbertus quem uirtutis gloria cum summa laude ad cœlum extulerat, quippe qui regnum quod paruũ admodum acceperat, industria sua amplissimum reddidisset, senio iam confectus, uita excesit, anno cùm regnare cœperat XXXVII, salutis humanæ DCCCXXXVII. Reliquit filium Etheluolphũ iuuenem, qui ei successit. Hunc pater, cùm non ignoraret regem qui laudem mereri uellet, oportere esse fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, liberalem, & beneficum, à puero ita instituit, ut ea ipsa regia laude omni tempore dignus fuerit: qui prẽterea à principio religione obligatus est, subdiaconatus

natus ordine initiatus: sed mox Leonis Romani pontificis autoritate, eo solutus uinculo, Osburgam electissimam puellam uxorẽ duxit: de quo antequã plura scribamus, cõmodùm de origine Dacorum, qui à ueteribus etiam Daui uocati sunt, dicendum duxi. Ii enim sedibus egressi, usq; eò Anglos aliquãdò latronum ritu, eorum agros ac domos diripiendo, aliàs iure iusti belli dimicando diuexarunt, dum in insula regno potiti sint. Sed hæc pòst loco perappositò dicentur, nunc de ipsa origine tam feræ quondã gentis differamus.

Gothi Germanicum siue Scythicum, non enim de ea re scriptores inter se consentiunt, genus hominum ferocissimum, modò Getæ, modò Daci à priscis autoribus nuncupati sunt: ex quibus Strabo libro Geogr. septimo, autor est, Getas discretis sedibus diuersos à Dacis habitasse, ut Daci mediterranea loca tenerent, Germaniam uersus, & Istri fontibus uiciniores, qui olim Daui uocati sunt: Getæ Pontum uersus propius Orientem essent. Igitur Getæ & Daci uidentur gens una fuisse, atq; tantùm sedibus separata: quandò eodem teste, utrisq; eadem erat lingua. Iis ab Augusto pax data est, uetitiq; sunt Danubij limitem transcendere: à quibus haud multo pòst uiolatis finibus, duo Romani duces primùm, Oppius Sabinus, deinde Domitiano principe, Cornelius Fuscus ad eam iniuriam uindicandam missi, cum omnibus copijs cæsi sunt. Exegit deinde Traianus princeps eam gentem Romanis finibus, atq; in suas sedes compulsam uehementer afflixit. Postea Antoninus cui Caracallæ cognomen fuit, cùm duceret aduersus Parthos exercitum, Dacos quòd parũ quieturi uiderentur, ex improuiso adortus, domuit. Et inde Gordianus minor illos res nouas molientes facilè compescuit. Maiores deinde eius gentis motus secuti sunt: enimuero Philippo principe, qui primus Romanorũ Imperatorum Christianus effectus est, plericq; immansuetarum gentium populi Romani imperij finibus tumultuose uiolatis, Thraciã, Lysiamq; maximè uexarunt. Quo quidem tempore, aut non multo pòst, quandò iam fata Romani nominis gloriam ad exitum trahebãt, eiusmodi fæces hominum in omnes orbis partes coacto agmine, eruperunt: nam Gothi in Asiam inuaserunt, Bithynia prius uastata, cum Macedoniæ & bona Thraciæ parte. Hanc demum Barbarorum colluuiem ita euagantem, Claudius secundus Romanorũ princeps in Mysia propèmodum ad internecionem deleuit, CCC millibus hostium cæsis, aut captis. Nec multum uspiam quieuerunt, sed postea arma mouentes, ab Aureliano trans Danubium, uno prælio uicti sunt. Atq; ita demũ Gothi tot cladibus alijs ex alijs affecti, diu armis abstinuerunt, donec postremò obtinente Orientis imperium Valente, ab Hunnis quoq; uicti fugatiq; sunt. Ii etsi Gothi in primis fuisse dicuntur, tamẽ quia nunc à ueteribus, ut dictum est, Getæ, nunc Daci nominati sunt, & satis omnino constat inter illos feros populos, qui Gothorum ductu, Romani imperij fines Philippo principe ingressi sunt, Getas & Dacos potissimum fuisse. Igitur hos Dacos seu Getas tot cladibus affectos, finibus suis pulsos, nouas sedes quæritando, ad ultimum in aquilonalem Germaniæ partem sese contulisse, atq; Daciam ex se dixisse ferunt. Hæc pars in Oceanum instar brachij humani extenta Cherronesi formam habet. At ne Geticum aut Dacicum nomen à Gothico disiungeretur, insulam quoq; in Oceano haud longè à Dacia, in Arcton protensam, quã fortè aut tunc aut postremò occuparunt, Gothiam appellasse traduntur. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc ſimul cum ipſa Cherroneſo, ab eadem gente poſsidetur, quæ obliterato prorſus antiquæ patriæ nomine, ut dictum eſt, ex eius dominatu Dacia nūcupatur. Sanè hanc quondam terram Cimbri, quos C. Marius uicit, tenuere, q̄ nunquam ferè una gens coluit: quo factum puto, ut priſcum nomen interierit. Atqui Dacia antiqua Pannonijs uicina hodie Valachia nūcupatur, ex eo, quòd Dacis inde expulſis, & alias ſedes quæritātibus, Romana colonia illuc miſſa eſt: nam Valach lingua eorum, Italicum ſignificat. Valachorum deinde duæ factiones fuere, Dragulæ, & Dani: ſed Dragulæ Danis impares, noſtrorum patrum memoria, Turcas in eam terram induxerūt, qui Danos penè deleuere, quos Ioānes Hunyades, Matthiæ regis Pannoniorum pater, reſtituit, atq; Turcis ereptos ſibi nominiq; Chriſtiano uindicauit. Hinc ergo cognoſcamus licet, qui in præſentia Daci aut Dani ſint, ut ne eos Danos appellemus, qui Cherroneſum Cimbricam habent, cùm illi etiam nunc in ſua Valachia ſint, ſed Dacos, qui patrijs ſedibus eiecti, in eam peninſulam ſe ad extremum cōtulerunt. Quod uerum eſſe, uel illud declarat, quòd eius regionis dominus non ſe Danorum, ſed Dacorum regem uocitat, uti ex illius diplomatibus liquidò conſtat. Quare ſcriptores illi dubio procul errant, qui in ſuis hiſtorijs eiuſmodi Oceani accolas Danos pro Dacis ponunt. In hac hæreſi cùm primis eſt Saxo Grammaticus eius gentis recens rerum geſtarum ſcriptor, ſi codex formis excuſus non eſt mendoſus. Quocirca ne nos in eadem erroris naue uerſaremur, non libuit tales in hac parte ſequi autores. Sed ad incœptū redeamus. Hæc itaq; gens ferox, quæ Germanicum nunc Oceanum accolit, quæq; trans Iſtrum olim ſedes habuit, cùm domi in dies magis magisq; multitudine ſuorum premeretur, tandiu Anglos (haud enim Dacia longo Oceani maris interuallo, ab Anglia abeſt) armis diuexauit, donec ſubegerit. Hæc ſummatim de Dacorum origine.

Cæterùm ad Etheluolphum redeo. Huic uiro rebus omnibus apprimè ornato, qui meritò poteſt cum patre conferri, quem haud dubiè ad humanitatē & iuſtitiam natura genuerat, nihil potius fuit, quàm de ſuo populo continenter optimè mereri, ac æquiſsimos quoſq; rebus agendis ſemper præficere. Cuius rei autores cum primis erant diuus Suitinus, & Adelſtanus, id temporis uitæ ſanctimonia & prudentia celebres, quos rex in intimis habebat. Quare pax & iuſtitia ubiq; florebat, cùm manus ingens Dacorum ex patrijs ſedibus profecta, ac prædandi ſtudio iterum per inſulam uagata, multis incommodis inſulanos affecit, quorū iniurias rex ſumptis neceſſariò armis, àquibus libens ſuapte natura manus abſtinebat, ſatis ferociter eſt ſæpius perſecutus. Impia tamen gens atq; huc atq; illuc more ferarum curſitando, ac crudeliter in omnes ſæuitiam exercendo diuerſa loca regni, & præſertim Cantium maximè uaſtauit: ſed eam ingenti præda onuſtam, inſulani poſtremò toto regno expulerunt. Rex ea moleſtia liberatus, haud multo pòſt Romam uoti cauſa petiuit, ubi à Leone quarto pontifice benignè acceptus, fecit Romano pontifici eam quoq; inſulę partē, quam Egbertus pater ad regnū adiunxerat, uectigalem, imitatus Inam, id quod ſuprà memorauimus: legeq; ſanciuit, ut qui ex ſuis poſſeſsionibus, triginta denariorum uectigal in ſingulos annos caperent, aut plures domos haberent, pro ijs, quas habitarent, ſinguli ſingulos denarios quotannis Romano pontifici, ad diem feſtum apoſtolorum Petri & Pauli, uel

uel ſummum, ad uincula Petri, ſoluerent. quam legem quidam, licet falſo, Aluredo eius filio aſsignant. Fuit is annus ſalutis humanæ DCCCXLVII. Idem fertur inſtauraſſe Romæ ſcholam quandam primò ab Offa Merciorum rege cōditam, & paulò ante eius aduentum in Vrbem, incendio ferè conſumptā. Ipſam autē ſcholam, ubi Romæ Angli duntaxat manebant, bonisq; artibus operam dabāt, eo loci fuiſſe opinor, quo poſtea hoſpitalis domus diuo Thomæ dedicata poſita eſt, ad quam Angli homines receptum habēt. Rex Etheluolphus moratus eſt Romæ maiorem anni partem: poſtea domum reuerſus non modò ſe clementem principem, ſed optimum parentē omnibus ſuis præbuit, ut qui cuncta ad honeſti cultum, modeſtiamq; referebat. Genuit ex Oſburga uxore, filios Ethelbaldum, Ethelbertum, Ethelredum, & Alfredum, ſiue Aluredum, egregiæ indolis & formæ iuuenes, quos bonis artibus imbuendos ſummopere curauit: ſed nihil æquè elaborauit, quàm ut liberales & largi euaderent: ſciebat enim ſapientiſsimus pater, nullum fermè uitium pernicioſius auaritia omnibus criminibus implicata, poſſe in principem cadere, quippe qui cùm multis imperet, per multorum fortunas id malum peruadat, neceſſe eſt. Illi igitur ita à patre bonis moribus inſtituti, non immeritò poſt eius mortem, ſinguli deinceps regnarunt. Cum Etheluolphus in hac morum uitæq; modeſtia ageret, leui repentè morbo tentatus animam efflauit, anno cùm regnare cœperat, uigeſimo: eius corpus Vintoniam delatum, ibi honorificè ſepelitur. Per idem tempus florebāt ſanctitate uitæ uirgines Modeuena, apud Hybernos, Achea & Oſitha apud Anglos. At iſta à Dacis morte afficitur, illæ uerò nullis fortunæ telis petuntur. Ita Oſitha martyr, & Modeuena atq; Achea uirgines in diuorū numerū poſthac adſcribuntur. Ethelbaldus fit deinde rex à Cerdicio decimuſnonus, qui tantum menſibus quinq; regnum obtinuit, nam ſubitò in febrem incidit, ex eaq; mortem obijt: quem ita immatura morte extinctum Ethelbertus ſecutus eſt, uir auo, patre, maioribus ſuis multò digniſsimus. Statim initio eius principatus, manus ingens Dacorum in inſulam irrupit, quæ per agros Cantianos uagata, multis incommodis incolas affecit: quibus haud multo pòſt rex impigrè obuiam factus, non prius à perſequendo deſtitit, quàm multa facta cæde, eos omnes ex inſula exegerit. Dū poſtea princeps hac re bene geſta, maiora in dies ſingulos, ad augendum trāquilli regni ſtatū, animo agitat, uix quinto anno cùm regnare cœperat, cōpleto, moritur. Ethelredus deinde Ethelberti frater à Cerdicio uigeſimus alter rex creatur, uir domi placidus atq; humanus, qui fama & gratia quadam, omnes ad amicitiam beneuolentiamq; alliciebat, foris uerò nō item: nam militaris diſciplinæ ſciens, nihil non ſeuerius agebat: atq; ita tam pace quàm bello clarus fuit, licet ei negatum fuerit, aut diu in uita manere, aut in otio eſſe: uixit enim ſex duntaxat annos, & toto ferè eo temporis ſpatio, continuis bellorum fluctibus agitatus eſt.

Quippe Daci qui inſulæ ubertate iampridem cognita, ſæpius ingentē prędam inde exportarant, modò inſidijs, modò aperto Marte, adnitebantur uires Anglorum ita infirmare, ut tandem aliquando imperium in inſula obtinerent, quare quotidie factis paſsim prælijs, inſulæ ſtatum turbabāt. Cum iſtis Ethelredus collatis ſignis ſæpe conflixit, uaria licet fortuna. Quapropter Daci uictoriam animo concipientes, cùm uiderent nihil eſſe, quòd amplius tu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

multuantium more, rem tentarent, dein instructa acie insulam inuadendā sta
tuerunt. Itaq; non multo pòst Iuarus eorū rex cum ingenti classe adfuit, dela-
tus in Humbri ostiū, qui de summa rerum certare affectans, hostiliter agrum
ingressus est. Interea rex nihilo segnius eò quò hostē aduenisse audierat, ad-
properauit, ac ubi in conspectū uenerat, suos in aciē eduxit, quos ad hūc mo-
dum instruxit: In sinistro cornu, partem equitū cum omnibus auxiliarijs, qui
bus Aluredū minorē natu fratrē, uirum singulari uirtute prefecit: cuius ad nu
tum centuriones singulos paratos uoluit: in dextero uerò cornu, alterā partē
equitum cum bene magno sagittariorū numero, & peditū flore, locauit, ubi
ipse erat. Dum ita Anglicus exercitus ad pugnam se expedit, Daci in quibus
non minus animi atq; rei gerendæ studij inerat, iam paratis antea ordinib. ap-
propinquant, ac signo ad unū temporis punctū utrinq; dato, concurrit̄ acri-
ter, uarieq; pugnat̄. Sed Angli cùm uidissent hostes infestis pilis quanta maxi
mè potuissent ui procurrisse, & animaduertissent, non occurri posse à se equa
cōditione, tum ut usu periti ac superiorib. pugnis exercitati sensim se represse
runt, & ad medium ferè spatiū constiterunt, ut non cōsumptis uiribus appro
pinquarent, & interea hosticus ille furor aliquantulū refrigeret. Ita paruo in-
termisso temporis spatio, ac rursus reuocato cursu, celeriter in hostes pergūt.
Neq; Daci huic rei defuerunt, qui & impetum Anglorū tulerunt, & ordines
conseruauerunt, ac uniuersi strictis gladijs procurrerūt, omnisq; multitudo
sagittariorū se prosudit. quorum uim Anglus non tulit, sed paulùm loco mo
tus cessit, iamq; fugam meditari cœpit. Id ubi rex animaduertit, equites om-
nes ad excipiendum illum conatum conuertit. Daci nihil loco excedentes,
cursum aliquantulū represserunt. hoc idem iam aduentante nocte, Angli fe-
cerunt: quod utrisq; gratissimum fuit, nam à mane ad uesperum, pugnatum
erat, & nox prælium iam in sinistro cornu, quò se multo labore fatigati contu
lerant, dirimere cœperat, atq; corpora interfectorum ubiq; iacentia pugnam
utrobiq; maximè impediebant. Igitur facilè ab utraq; parte receptui signum
datum est, & illud Anglis peropportunū, qui adeò ægrè resistebant, ut iam-
iam fama esset, eos esse uictos, ita, ut nihil propius factū fuerit, quàm ut Nor-
thumbri hortantibus Mercijs deficerent. Ea nocte Daci admodum soliciti,
nimirū quibus satis cognitū erat, oportere in terra hostili aut mori aut uince-
re, corpora cibo curāt, congestisq; in unum demortuorū cadaueribus, ac uul
neratis simul curatis, sese uicissim quieti dant. Angli uerò qui eo die penè su-
perati fuerant, noua subsidia parant, concurrentibus continenter undiq; mul
tis mortalibus ad auxilium ferendū suis: & ita postridie iam albescente cœlo,
cùm recētes atq; integri multi defessis successissent, magnis animis sese ad pu-
gnam expediunt, quam hostes, tametsi externo prælio fatigati, nullisq; suorū
uiribus aucti, haudquaquam retardarunt. Certamine itaq; iterum renouato,
parum admodum æqua conditione pugnatū est: nam Iuari interitus, qui in-
ter primos prælíantes statim confossus cecidit, ita Dacorum animos terruit,
ut eueſtigio se in fugam contulerint: ex quibus, antequam in tutum se recipe-
rent, bene multi trucidati sunt: postquam autem locum castris idoneum cepe
runt, protinus Agnerum & Hubonem fratres, quorum suprà mentionem fe
cimus, sibi duces constituerunt, qui miro statim studio exercitum reparare ni
tuntur. Cum his non consentiunt, quæ à Saxone Grammatico produntur,

qui

qui scribit Iuarum, ubi uidisset leonis pellem non peruenire quò uolebat, uul
pinam assuisse: hoc est, uiribus suis non satis fidentem, fraude petisse hostem.
Porrò, ut idem ait, Iuarus conciliata cum Anglo pace, tantū arui ab eo impe-
trauit, quantum equino posset circundare tergo, & illo in minutissimas corri
gias secto, amplū urbi condendæ locum occupauit: qui deinde renouato bel
lo, rerū hoc pacto potitus est: sed biennio pòst, relicto Agnero insulæ præsi-
dio, domum ob rerum nouarum motus redire, necesse habuit. Non ponit Sa
xo nomen urbis ab Iuaro subitò ædificatæ. Ast ab isto artificio uidet traxisse
nomē oppidū, quod Dongcastrum uocatur: nam thong, anglicè corrigia di-
citur, & th pro d Angli utūtur, ut inde Dongcastrū sit nomen cōpositum: sic
auguremur licet. Sed ad rem reuertamur. At Ethelredus tametsi magna poti
tus uictoria, nihil tamen hostium uires aspernatus, reliqui negotij gerēdi nul
lam dimittebat facultatem, quòd intelligeret ingentem hominū multitudinē
in insulam cōtinenter accurrere suis subsidio, quæ haud inde multo pòst ad-
fuit. Daci decimoquinto die, post acceptā cladem, refecto exercitu, cum An-
glis congressi haud dubia spe, ita illos fuderunt, fugaruntq;, ut parū abfuerit,
quin ille ultimus ijs dies cōferendi signa cum Dacis fuisset. Victor deinde ex-
ercitus ad prædam faciendā cōuersus, latè omnia uastare cœpit: qui cùm libe-
rè nimis percurreret hostiū agros, nec opinans incidit in insidias, quas Ethel-
redus illi sic furenti, coactis in unum ex cursu suis, fecerat. Ibi nō mediocris ab
Anglis Dacorum fugientium strages est edita, haudquaquā tamen incruen-
to milite, inter quos & ipse Ethelredus uulnus accepit, cuius cruciatu intole-
rabili afflictus, breui pòst occidit. Fuit ille annus cùm regnare cœpit Ethelre-
dus, sextus: qui rerum gestarum fama adeò nomen suum celebrauit, ut imma-
tura morte nihil damni fecisse uisus sit, cùm præsertim Aluredo fratri uirtutis
splendore pari, negotium suscipiendæ curæ regni moriens mandarit, quem
iampridem hæredem fecerat.

Aluredus rerum potitus, primo quoq; tempore, uoti causa, Romam profe
ctus est, ubi regiæ coronæ honore ab Hadriano secundo Romano pontifice
rursus honestatur. qui fuit annus salutis DCCCLXXII. Quocirca quadrare
non potest, ut à Leone quarto id decoris susceperit, sicut quidam rationi tem
poris altè indormientes falso prodiderunt. Non quieuerūt interim Daci, qui
primùm Merciam ingressi, Bertulphum regem imperio spoliarunt: sed non
multo pòst à Burthredo inde expulsi fuere, quem etiam paruo pòst tempore,
regno deiecerunt, & Mercia potiti Ceouolphū, prout superiore libro abun-
dè memoraui, eius regionis regem fecerūt: deinde Northumbros adorti, in-
tra Eboracū metu inclusos superarūt, urbemq; captam diripuerunt. Quibus
rebus prosperè gestis, elati orientales postremò Anglos uicerunt, interfecto
Edmundo illorum rege, uiro sanctissimo: ac ijs ita superatis Guthormum u-
num ex suis ducibus regem constituerunt: cui postea successit Ericus etiam
Dacus, quem crudeliter dominantem ipsi Angli ad ultimum occiderunt. Sic
Daci per id tempus, Merciam tenebant, simulq; Anglis orientalibus impera
bant, totis uiribus intenti, quomodo occidentales opprimerent, quorum o-
pes ita crescere, magnopere dolebant. Erat Aluredus tam rebus externis lau-
dandus, q̄ domesticis institutis admirandus, item summo ingenio, summaq;
prudētia, cui ab initio principatus, omnia difficilima fuerunt, deinceps uerò

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia plena laboris, cæterùm feliciſsima. Tot uirtutes optimo principi inuiderunt cum primis Daci, conatiq; ſunt eum quamprimum opprimere: cùm enim ille aliquando eſſet in uilla, quam in Londinenſi agro habebat, ibiq; animi gratia, interdum in uenatione foret, Daci qui Londini morabãtur, certiores facti datam eſſe occaſionẽ perdendi inimici, ſubitò illuc cum bene magna armatorũ manu aduolant, ac de improuiſo regem uillæ parietibus includũt. Re ſubita perterriti milites Angli, qui admodũ pauci erant, perſuadere regi conantur, ut dum ipſi erumpunt, fuga ſibi conſulat. Ille autem exiſtimans id, ut indecorũ minimeq; dignum maieſtate regia, ſibi crimini datum iri, occurrendum periculo deliberat, atq; factus irruentibus obuiam fortiter pugnat: ſed ubi uidet, ſe ac ſuos à multitudine hoſtiũ circũueniri, tum demum, etſi inuitus, neceſſariò ſeſe in fugam confert, non tamẽ latebras quærit, uerùm ut bonus imperator in præſentia hoſtili rabie à tergo omiſſa, exercitũ quamcelerrimè poteſt, undecunq; conflat, ſitq; Dacis obuiam, qui nuntiato hoſtiũ cõcurſu, non auſi in mediũ procedere, ſeſe Londinũ receperunt, regisq; uires maximè formidantes, per legatos de pace agere cœperũt. Pacis autem conditiones erant, ut res occidentales nullo unquam tempore poſthac infeſtas excurſionibus latrocinijsúe redderent, acpacti ſeruandi cauſa, obſides darẽt. Sunt qui ſcribant, pacis leges in primis fuiſſe, ut Daci de inſula exirent, nunquam amplius redituri, id quod tam à uero eſt alienum, quàm à facto fuit: quia illi iam latè dominantes, niſi extrema ui adacti, quæ nondũ exiſtebat, illud prorſus facturi non erant. Has cõditiones rex minimè reſpuit, quippe qui præ bono otio, iam bellum oderat, quò ubi ab armis eſſet ceſſatum, poſſet patriam literis, quæ per id tempus adhuc raræ erant, decorare, legibusq; firmare. Igitur acceptis obſidibus, fœdus cum hoſtibus ferire uoluit nõ inuitus, tametſi breui tempore duraturũ: nam Daci qui religionem & fidem præ ſuo commodo poſtponendã ducebant, ſtatim pòſt Londino ſe mouentes, maximis itineribus Exoniam proficiſcuntur, urbemq; per uim capiunt. Eſt aũt Exonia urbs Deuoniæ comitatus, loco præcelſo ad Occidentem uerſus poſita, abluiturq; flumine Exi, à quo nomen habet, diſtatq; à mari circiter millia paſſuum tria. At ubi Aluredus ſcelus reſciuit, ſubitò pro uiolato fœdere, obſidibus merita pœna affectis, in hoſtes uadit. Nõ expectauit Dacus, dum rex accederet, qui ſiue ut eum pòſt ſequentem defatigaret, ſiue re uera timore perculſus, relicta Exonia, Londinũ uerſus properè regreſſus, ad Chipenhanum, qui eſt pagus proximus Briſtolliũ, ad decem & ſeptem paſſuũ millia, caſtra poſuit, ibiq; circunducto uallo ſe muniuit. Briſtolliũ enim oppidum ad Sabrinæ æſtuaria in Occidentẽ uerſus poſitũ, alluitur Hauino fluuio, per quẽ minora nauigia ad illud cõmeant. Qua re cognita, rex de uia haud multo pòſt diuertit, caſtrisq; propter hoſtẽ factis, eum ad certamen prouocare cõuitijs, probrisq; nititur. Daci quibus ſatis conſtabat, aut pugnandũ, aut moriendũ eſſe, neutiquã contati ad pugnam ſe expediunt. Clamatũ utrinq; ad arma, ut arma quiſq; caperet. Sine ſigno in prẽliũ ruẽre Angli, etſi inordinati, paucioresq; numero erãt, ac tanto animorũ impetu in hoſtem primùm irruperũt, ut ipſa audacia maiorem illum in modũ terrerent, deinde rari in confertos illati, cùm paucitas parum tuta eſſet, reſpicere alij alios, & undiq; pulſi coire in orbem cœperunt. Quod quamuis optimũ fuerit conſiliũ, tamẽ urgentibus undiq; Dacis, adeò in

in arctũ compulſi ſunt, ut uix mouendis armis ſatis ſpatij eſſet: ita tamẽ in globum coacti, multos ex Dacis trucidarũt. In ijs Hubo Agneri frater, ac pleriq; alij nobiles duces fuerunt. Poſtremò Angli, qui corona hoſtiũ cincti, ad multũ diei ex omni parte cædebantẽ, eruptione facta, in caſtra ſe retulerũt. Fuit eo prælio ita æquo Marte pugnatũ, ut neutra pars cognorit, qui uicti, aut uicto res euaſerint. Poſtea curarunt uulneratos, cæſosq; ſepulturæ dederunt. Daci in primis corpus Hubonis magna pompa humarũt. Quo facto, inceptũ iter ire pergentes, Abyndoniam, qui pagus eſt ad Thameſim ſitus, & à Londino diſtat circiter milliaria XLV, peruenerũt, ibiq; caſtra fecerunt: quò etiã Angli breui pòſt adfuerũt, caſtraq; prope hoſtes metati ſunt. Interim fama quaquauerſum diuulgarat, Aluredũ eſſe à Dacis profligatũ, propterea quòd dimiſſo ſenſim prælio, ſuos in caſtra reduxiſſet. Quę res illi bono fuit: nam multi mortales opem ferentes ad regẽ ſuũ concurrerunt. Aluredus poſtridie illius diei, quàm eò peruenerat, copias ſuas ſatis auctas in aciẽ eduxit: nec hoſtes extraxerunt pugnam, quam acriter cœptam uiriliter tolerarunt, coactoq; ſimul exercitu, nunquam aliàs tantis ferè copijs, tantis animis dimicarunt: quippe tanto irarũ certamine geſta res eſt, ut ab neutra parte emiſſa ſint tela: gladijs pugna cœpit, & acerrimè cõmiſſa, quæ adeò anceps fuit, ut non cum Dacis ſępe antea fuſis, fugatis, atq; etiam uictis, ſed cum aliqua noua gente uideretur dimicatio eſſe. Nihil ab ulla parte parabatur fugæ, adeò ad ultimũ laboris, & periculi uentũ eſt, ut equites utrinq; emiſſis equis, pedeſtrẽ inter ſe pugnam pugnarent: iam cruor ubiq; exundabat, corporaq; cadentiũ paſsim ſtrata æquo ſemper prælio pugnantes impediebant, cùm nox eos oppreſsit, quę demum glorioſius nunquã poſt homines natos, certamen diremit. In quam uerò partem ſe uictoria inclinarit, penitus incertum eſt, ita pari conditione eſt certatũ. Pari deinde periculi gloriæq; euẽto, ſepties eo ipſo anno, inter Anglos & Dacos armis dimicatũ tradunt, & ad extremum, cùm uires utrinq; ſatis debilitatæ forent, facilè ad pactionem uentum eſſe, & inter eos pacem conueniſſe, his conditionibus, ut Daci manus ab armis abſtinerent, nullũ Anglis bellũ inferrent, aut inſidias tenderent, néue nouos milites ex Dacia in inſulam aduocarent. Sunt, qui ſcribant, Dacos ex eo fœdere cunctos in patriam remigraſſe: quod ſicuti parũ fideliter ab illis proditum, ita ab iſtis minimè factũ eſt. Fuit is annus quintus, cùm Aluredus regnare cœpit: quo quidem anno ipſi Daci, ut ſæpe ſolebant, Londini hybernarunt.

Nunc autem de aduentu Rollonis in Angliam, & inde in Galliam, à quo duces Normanorum originem habuerunt, qui & ipſam Angliam tenuerũt, dicendũ eſt, ut hiſtoria ſuo ordine procedat. Rollo itaq; homo Dacus, anno ſalutis humanæ circiter DCCCLXXXVII, cum multitudine iuuenum nouas ſedes quærentium, in Angliam uenit, ut ſeſe ad ſuos adiungeret, iunctisq; copijs, genus nomenq; Anglicum deleret, uerũ cùm ſuos Dacos, iam longo bello feſſos, in fœdere eſſe cum Anglis accepiſſet, illud iniquo animo tulit: quita men nequaquam ab armis abſtinendum ratus, ad laceſſendum hoſtem prælio, erupit in agros, omnia ferro igneq; deuaſtans. Incidit ex ea re nonnihil terroris atque moleſtiæ regi Aluredo, qui iam pauliſper ab armis ceſſare ſperabat, ſed exiſtimans in noui hoſtis aduentu, nullam rem celeritate tutiorẽ, confeſtim ire obuiam illius cœptis, atq; obſiſtere parat. Itaque commiſſa pugna,

Universidad de Deusto
Biblioteca

multi utrinq; mortales desiderati sunt, sed maior omnino Dacis iactura fuit. Post hæc, cùm Rollo fortè somno raperetur, ueluti accidere solet corporibus fessis, ferunt eum uisum esse sibi uidere examen apium supra se, atque exercitum suum uolitare, magnoq; clamore transmittere mare, & continentem petere, ibiq; congregatas uarios arborum flores depascere, atque inde litus Galici Oceani peragrare, collectosq; flores in unum congerere locum: ac ipsum statim experrectum cœpisse huiusmodi rem secum sæpe reputare, locoq; præsagij habere, quasi certò scientem sibi futuram felicitatem requietemq; laborum in Gallia portendi. Imò sunt, qui rem aliter narrent, tradentes eum somniasse se elephantiasi subitò correptum, & fonte cuiusdam montis lautum, fu- 10
isse sanatum, ascendisseq; postea incolumem in eius montis uerticem. Quod sanè somnium ita quidam coniector interpretatus dicitur, ut elephantiasis esset uana deorum religio, qua ille tenebatur: & fons baptismatis aqua, in qua ablutus optati deniq; compos fieret: atque sic ad montis uerticem, hoc est, ad summam gloriam postremò aspiraret. Hinc igitur Rollo bonæ plenus spei, & minus inimico in Christianos homines animo, quòd somniū in rem suam maximè fore sperabat, uelis in altum datis, in Galliam transmisit, in eaq; primò Celticæ partem populando occupauit, quæ ad litus Oceani Gallici, citra Sequanam flumen, pertinet: deinde nactus Sequanæ commoditatem, usque
Rothomagum aduerso flumine peruenit, urbemq; oppugnare aggressus est, 20
quam ciues ad extremum, cùm auxilia frustra diu expectassent, sibi rebusq; suis timentes, ultrò tradiderunt. Hanc urbem, teste Cæsare, olim Aulerci tenuerunt. Potitus ea urbe Rollo, ad finitima loca occupanda animum intendit, ratus huic rei maturandæ maximè conducere, quòd tres fluuij nauigabiles, Sequana, Ligeris, & Garumna, sibi usui esse possent. Itaque comparato quammaximo potuit exercitu, instructaq; classe, pars per Ligerim amnem, pars itinere terrestri profecti, omnem Galliam ingenti terrore ac cæde complent. Rollo ad uexãdos hoc pacto hostes, maiore in dies singulos coacto numero ex finitimis, qui ad ipsum cõfugiebant, quacunq; armatos dimittit. Om-
nes uici atq; omnia ædificia, quæ quisq; conspexerat, incendebantur, prędaq; 30
ex omnibus locis abigebatur, cùm Carolus Galliæ rex cognomẽto Simplex, uir certè integritate uitæ, non item militaris disciplinæ gloria præstans, ratus se posse ferum hostis animum potius bonis monitis, quàm armis mitigare, misit legatos à Rollone trium mensium inducias petitum. Quę res quoniam Daco itidem peropportuna erat, quippe qui militem suum à tãtis laboribus reficere cupiebat, neutiquam negata. Itaq; pactæ sunt in tris menses inducię cum Gallo, quæ statim ut exiuerunt, Rollo copijs in aciem eductis, Carnutes armis inuadit, ad eorumq; oppidum oppugnandum aggreditur: quod ubi obsidione cinxit, Ricardus Burgundionum (ij quondam Sequani appellati 40
sunt) dux cum magna militũ manu, obsessis auxilio uenit, ilicoq; hostes adoritur. Qua re ab oppidanis cognita, collectis animorum uiribus, omnes, præcedente loco signiferi, antistite, & ferente tunicam interiorem, quam ferunt uirginis Mariæ fuisse, atq; diuinam opem implorante, in hostes erumpunt. Non sustinuit irrumpentium impetum Dacus, qui non sine magna suorum strage, fugatus ad locum haud procul confugit, ibique ira & furore accensus, suos quamcelerrimè potuit, cursu dissipatos coegit, ac mox in omnes
partes

partes erumpens militibus imperauit, omnia hostiũ loca diuexarent. Illi partim spe prædæ, partim odio exagitati, rapiendo, cædendoq; truculentissimè miseros Gallos lacerabant, neq; ætati, neq; sexui parcẽtes, quin deorũ templa, priuatasq; domos crudelissimè inflammabant. Hoc pacto barbari diuina humanaq; fœdabant. Contrà interim Franci regem suum uituperabant, q; tardus & iners esset, atq; uim ui repellendã minimè omniũ curaret: cùm ipse Carolus, qui longè magis Dei optimi maximi auxilio, q; armis confidebat, quippe uidebat plus nimio hostium uires creuisse, q; ut tutò ijs resistere posset, uehementer studens feram & moribus & natura gentem ad perceptionem ueri
10 tatis trahere, ac ad suam amicitiam adiungere, legatos iterum ad Rollonẽ misit, qui eum ad Christianam pietatem hortarentur, dicerentq;, si fide integra, eam amplecteretur, se esse illi filiam nomine Aegidiã, forma similiter ac moribus ornatam, cum grandi dote in matrimoniũ daturũ. Fuit princeps legationis Francio Rothomagensis episcopus, homo Rolloni notus atq; acceptus. Quocirca ille qui iam continuis bellorum motibus defatigari, & Gallorum consuetudine mitioris ingenij esse cœperat, libẽtius legatos audiuit, ab eisq; proposita cum suis communicauit. Placuit omnibus non aspernari conditiones pacis: sed legatis non aliud datum responsum, nisi Rollonem cupere cum
20 rege Carolo colloqui. Legati properè ad regem reuersi, legationem renunciant. Quare habito maturè concilio, Carolus demũ cum Rollone congressus, ei filiam locauit, simulq; dedit filiæ dotis nomine, eam Celticæ partem, quę id temporis Neustria fuit, ad citerioremq; Britanniam pertinebat. Hanc terram Rollo receptã Northmaniam dixit, quòd eam homines à septentrione profecti occupassent: porrò North Dacorũ lingua, septẽtrio est, Man uerò homo. Sed ita usu postea uenit, ut omissa t litera, cum h aspiratione, soni dulcioris gratia, Normania uocitata sit. Hæc ex Normanicis scriptoribus, q; accuratè, sed nescio q; uere, quia cum ijs nõ consentiunt reliqui historici, magis ad fidẽ scribentes: quãdò satis cõstat Normanos ante Rollonis in Gallias accessum,
Gotthofredo & Sigifredo regibus, in eam regionem unà cũ Dacis penetra-
30 se, & postremò facta pace, à Carolo Crasso Neustriæ partem incolendam accepisse. Quare tradunt Rollonẽ se cum suis Normanis iunxisse, ac sedes ibidẽ firmasse, Carolo Simplice Francis imperante: at neq; Aegidiam filiam Simplicis fuisse, sed Lotharij regis, quam ipse Crassus Gotthofredo Normanorum regi collocauit. Quæ nemperes errorem præbuit, ut scriptores illi suspicati sint eam nupsisse Rolloni, quem palàm est duxisse in matrimoniũ Opem Berengarij Bellouacorum comitis filiam. Ista admonẽda duxi, ut meo uterer instituto, qui pollicitus sum, historiam multò synceriorem texere, & idcirco libuit scriptorum opiniones appositè repetere, ut legentes in rebus quamuis obscuris, minus ambigerent. Sed reuertamus rursus eôdem. Rollo ita in
40 hostili terra rerum potitus, iam minus mortalibus infestus erat. Quid, quòd tam humanus breui quàm pius effectus, ut religionis nequaquã abhorrens, ultrò à Francione episcopo Rothomagensiũ sit baptizatus, ac Robertus appellatus, à Roberto Pictonũ comite, quem recepti ab se sacri testem adhibuerat: Sunt qui scribant, Normanos iussos esse annuũ uectigal pendere Francorum regibus, ut Neustriæ dominis, ne terra bello quæsita diceret, sed Caroli cõcessu adepta. Is igitur Rollo primus fuit Normanorũ dux, à quo alij duces

Universidad de Deusto
Biblioteca

Normani originẽ habuerunt, unde postremò Gulielmus nothus dux ortus est, qui, ut appositus deinceps demõstrabit locus, regnum Angliæ obtinuit. Rollonem postea senio confectum, uitaq; priuatũ, Gulielmus filius ex Ope genitus secutus est, de quo alibi cõmodùm dicemus. Ad Aluredum redeo.

Erant in fœdere Daci, ut dictum est, cum Anglis, cùm uiolata fide, Aluredi equites qui circa fines regni statiua habebãt, subitò adorti imprudẽtes ad unum interfecerunt. Rex rei indignatione motus, hostẽ usq; Exoniam persecutus est: sed quia ille primo impetu urbem ingressus, se ad resistendum parabat, incœpto negotio supersedendũ ratus, iterũ hosti acceptis obsidibus, pacẽ dedit, ut magis aduersæ fortunæ hoc pacto tantisper resisteret, donec respiraret, cẽq; quod illius cognitæ perfidiæ fidem haberet. Sed Dacus ne ad punctum quidem temporis, post ictum fœdus, ut pacis hostis, quieuit. Tum rex continuis bellorum motibus male acceptus, cùm arcere hostem nequiret, nouos militũ delectus passim haberi iussit, ipse interim animo fracto afflictoq; sese in palustria loca Somerseti comitatus cum paucis suorum recepit: hîc magnis solicitudinum scrupulis pressus, dum opem Deũ poscebat, ac quid consilij capiendum foret, sedulò agitabat, aliquot dies per dubitationem cõsumpserat, cùm ecce tibi, obuium habuit hominem admodũ inopem, sicut præ se ferebat, qui frustũ panis suppliciter petijt, cui rex libens dedit: at postero die, cẽq; id muneris dederat, per quietem uidit diuum Cuthebertũ attestantem se pauperem illum esse, cui panem dedisset, ac iubentem ut bono animo esset. His auditis, Aluredus ualde recreatus, confestim ad suos milites redit, ac multis magnisq; præsidijs undiq; concurrentibus, satis munitus, deintegro bellum suscepit. Sic pius princeps tot miserijs paulo antè coopertus, q̃bus haud dubiè breui corrumpendus erat, uelut ex alto in portum delatus, repentè est in pristinum statum restitutus: Itaque magno studio exercitum cogit, ciuitates quæ defecerant, aut formidine, aut ostentando præmia, recuperat: cõmunit oppida: arma, tela, aliaq; quæ ad bellum gerendum necessaria uidebãtur, parat: classem reficit, & opportunis locis locat, cùm ad arcendã Dacorũ multitudinem in insulam continuato cursu uenientem, tum ad prohibendũ eos reditu, qui iam uenissent: at interim præsenti magnoq; animo, famulari ueste in hostiũ castra se immittit, tempus ad inuadendum idoneum explorat, postea illos palantes magna ui aggreditur. Daci primo tanquam uagantes nonnullo incommodo afficiuntur, sed paulatim deinde sese colligentes tantum aberat, ut hostem formidarent, ut etiam pugnam ubiuis locorũ minimè desugerent. Est ita terra mariq; uaria sæpius inter eos fortuna belligeratum, cùm demum Rocestria, Londino, & Cestria Dacorum obsidione leuatis, Anglus tum terrestri, tum nauali certamine ita hostes affixit, ut ex illis, qui ex cæde euolarunt, alij unde uenerant, remigrarint, alij uitandæ mortis causa, Christiani facti sint. In ijs fuit Gormo eorum rex, quem Aluredus loco filij amore complexus, Northumbris præfecit. Sunt, qui scribant, eum etiam à rege donatum fuisse prouincia Orientalium Anglorum: sed illi haud dubiè errore ducti, propterea quòd Ericus natione Dacus, id temporis Orientalibus Anglis imperabat, quem postea Edouardus regno expulit, id falso prodiderũt. Is Gormo patria feritate insignis, duodecim annos crudeliter Northumbros rexit, quem inde filius nomine Sithricus, & nepotes secuti sunt, quos

Adelstanus,

Adelstanus, uti paulo pòst dicet, dominatu priuauit. At Aluredus per idem tempus, deuicto Ceuolpho rege, Merciorum regni potitus est, qui ita maximis demum bellis atq; laboribus perfunctus, primùm de Christiana religione, deinde de liberaliũ omnium artium disciplinis, postremò de Republica, bonisq; hominũ moribus bene mereri maximè studuit: enimuero memor diuini oraculi, sibi qui omni bona spe lapsus iam desperabat, à diuo Cutheberto editi, sicut suprà memoraui, multis donarijs templum quod Cestriæ erat, ubi reliquiæ ipsius Cutheberti asseruabantur, ornauit, auxitq; loci episcopũ possessionibus, cui dedit comitatum Dunelmensem, qui inter Tinam & Thesin flumina interest, ut eum regio obtineret, possideret, administraret imperio, iureq;. Siquidem id temporis circiter annũ salutis DCCCLXXXIII, Lindisfarne insula à barbaris deuastata, in hoc oppidum quod proximum Dunelmo est, ad sex passuũ millia, sedes episcopalis translata est, atq; inde quadragesimo secundo pòst anno, Duntelmũ unà cum corpore Cutheberti postremò traducitur, qui fuit annus CCLXXXV, cum eam sedem Aidanus in Lindisfarne primum posuerat. Dunelnum aũt urbs est maritima, spectatq; ad aquilonem, quam Vuerus fluuius attingit. Is amnis mille circiter passus, ab ipsa urbe loco præcipiti alueum habet admodum saxosum, sic, ut saxa utrinq; ingentia extent, quæ nõ tegunt aqua, nisi cùm ex imbribus flumen redundarit. Sed eo dem loci, mirũ dictu, accidit, ut si aqua imponat̃ super ea saxa, parumq; miscea tur, statim fiat salsa, quæ antea dulcissima fuerat, id quod alibi toto fluminis alueo, nõ accidit. Cæterùm illud fieri uidetur, aut quòd talis sit eorum lapidũ natura, uel crusta sole uentóue adusta, salis saporem gignat. Nunc ad rem redeo. Aluredus præterea condidit tria cœnobia apparatu magnifico, unum Vintoniæ, quod nouum monasterium nuncupatur: alterum in pago, quem dicunt Shaftisburiam, diœcesis Sarisberiẽsis, & illud uoluit monacharũ esse, quibus præfecit filiam nomine Ethelgeram siue Elginam: tertium uerò eo loci, quo uarijs anxijs curis à diuo Cutheberto bene sperare iussus fuerat, & ccenobiũ illud monachis familiæ diui Benedicti donauit, atq; unà cum alijs duobus, ditauit magnis possessionibus. Est locus iste paululũ editus ad formam insulæ, intra magnam paludem, quæ æstate siccatur, situs, & ad orientem solem: alluitur fluuio nomine Tano, qui marinum æstum crescente mari accipiens, usq; ad eum locum salsas habet aquas: olim dicta est insula Ethelingea, nunc uocatur Athelnea, abestq; à Tantonia oppido, circiter millia passuum quinq;. Est autem Tantonia celebre oppidum ad Occidentẽ, in extrema parte comitatus Somersetisitũ, quod Tanus fluuius, qui fontem habet ultra ad duodecim milliaria, alluit, à quo Tantonia ipsa uidetur nomẽ inuenisse. Fuit is annus, cùm Aluredus hæc pia fecit opera, post alterum & uigesimũ, quàm regnare cœperat, & humanæ salutis DCCCXCIII.

Dedit Aluredus iam uiginti natus annos operam literis, atq; ita doctus euasit breui, ut diui Gregorij dialogos, opus Boetij de consolatione philosophiæ, & psalmos Dauid, ex latino, in patrium sermonem uerterit, quò à cunctis facilè intelligerentur. Licet dialogos & Boetij opus quidam tradant eius rogatu, Veresredũ antistitem Vigorniensem transtulisse, quibus minus consentio, cũ ipse sic eruditus esset, ut par sit credere, eius fuisse opera. at psalmos morte intercedẽte, nõ omnes omnino interpretatus est. Studebat rex optimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

animatus per id tempus, quo literæ apud Occidẽtales longè rariſsimę erant, ſuos quouis modo bene uiuendi rationem docere, mortaliũq; animos ad bonas artes diſcendas generatim inflammare: quare ſummè fauebat ingenijs, fouebat hominum dignitatem, amplectebatur nobiles, & omnes denicq; diligebat, in quibus uirtus ineſſet. Memoriæ quoq; proditum eſt, Aluredum haud facilè pati conſueſſe, quempiam in ſacerdotum collegium uenire, niſi uir probus, atq; homo literis inſtitutus eſſet, utpote q probè ſciret ſacerdotes ſecũdum uetus uerbum, ſpectaculum factos eſſe mundo, ac propterea alios mortales uiuẽdi modum facilè ab illis mutuari: & quoniã perpaucos admodum tales apud ſe eſſe cernebat, idcirco undecunq; uiros uitæ ſanctitate & doctrina claros arceſſebat, qui regale ſacerdotium, uti apoſtolorum princeps appellat, obirent. atqui Neotum in primis monaſticæ profeſsionis uirum ſanctiſsimum, ob eximiam eruditionẽ, miro amore cõplexus eſt, quo hortante, Oxonij gymnaſiũ inſtituit, propoſita mercede omnibus, qui publicè bonas artes profiterent, quò multi doctrina clari confluxerunt, docendi gratia. Equidem ab eo tempore, quo Sigibertus Orientaliũ Anglorũ rex, ſcholas in ſuo regno collocarat, de qua re libro quarto meminimus, deinceps fuere uiri ſemper in inſula eruditiſsimi, qui tanq; doctrinarũ riuuli ab illo fonte perpetuò decurrentes, non modò Angliam, ſed Galliam quoq; mellifluo diſciplinarũ nectare irrigarunt. Nam Carolus Magnus Albinũ ſeu Alchuinum ab Offa Merciorum rege, uti alibi eſt expoſitum, in Galliam miſſum, conciliandæ amicitię cauſa, cũ uideret in homine plurimas eſſe literas, quamobrẽ meritò ei honor eſſet habendus, ex legato hoſpitem fecit ſuum, ex hoſpite præceptorẽ, uetus Athenienſium, credo, imitatus exemplum, qui Gorgiã à Leontinis publicè ad ſe miſſum, legationis munere defunctũ, Athenis detinuerunt, eius capti eloquentia. Alchuinus itaq; homo Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetię Pariſiorũ bonas literas profiteri cœpit, eoq; autore non multo pòſt ipſe Carolus in ea urbe primus gymnaſium collocauit, & in Italia Ticini, quæ nunc Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus ſalutis noſtræ circiter DCCXCII, cùm duos ferunt monachos ex Hybernia, ſiue ex Scotia, ut quibuſdã placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam uenalem habere, magna uoce teſtantes, mercedis loco cibaria & ueſtiaria duntaxat petijſſe: & iſtorum alterũ qui Clemẽs nominabatur, à Carolo Lutetiæ retentũ, eiq; ex omni ordine ciuitatis traditos iuuenes in diſciplinã: alterum uerò in Italiam tranſiſſe, ac Ticini docuiſſe. Non nemo id aſsignat quatuor Bedę diſcipulis, Rabano, Alchuino, Claudio & Ioanni Scoto. Sed utcunq; res ſe habeat, ſatis liquet Anglos primos Lutetiæ bonas artes publicè docuiſſe, quandoquidem Alchuinus & Ioannes cognomento Scotus in primis inter Anglos doctiſsimi fuerunt. Cæterũ ad academiam Oxonienſem reuertor. Hæc ſtatim à principio, tum diuinarũ humanarumq; literarum ſtudijs, tum mira hominũ in doctrinas incumbentium frequentia multò celeberrima eſſe cœpit, deincepsq; uſq; eò floruit, ut iam facilè cum quouis alio totius orbis gymnaſio de nominis gloria certare poſſet: in qua diſcipuli ipſi, ut cuiuſdam religionis obſeruatione à primo imbuti, neuti quã minus animos bonis moribus, cũ literis excolunt: habent enim cœnobia magnifico apparatu conſtructa, multorumq; cùm epiſcoporum, tum regum, hominumq; nobilium, ac fœminarum probatiſsimarum muneribus opulentiſsima,

tiſsima, quæ collegia uocitant, quòd eorum collegia ibi collocata ſint: quorũ magiſtri ſunt uiri doctrina in primis probati, & honeſti: Igitur domi cùm abundè ſuppeditẽtur facultates, cõmuniter uiuũt, ac quotidie bene mane, aut rem diuinã faciunt, aut ſacris interſunt, quàm ad rem literariã aggrediantur: atq; ita Deum cum primis uenerantes, ſeſe in caſtiſsimo ſimul uiuendi genere, & doctrinarũ omniũ ſtudijs exercent, unde iugiter ſingulari pietate & eruditione uiri, uelut ex quodã totius orbis ampliſsimo diſciplinarũ theatro, exiſtunt, qui tam piè, cq; utiliter nunc docendo, nunc ſcribendo, mirũ in modum rem Chriſtianã iuuant, celebrant, tuentur. Quemadmodũ ex nonnullis paucis quidẽ nihil floret, qui omne uitæ curriculum ibidem ſeſe molliter curãdo tranſigunt, qui malis exemplis iuuentuti plurimũ interdũ nocent. Quæ ſanè morum labes minimè fieret, ſi illi qui etiam nunc noua in dies ſingulos inſtituunt collegia, tandẽ aliquando certos darent diſcipulis annos, ut aut docti ſuo tempore domũ redirent, aut ueluti aſini ad lyram, ut dicitur, loca alijs relinquerent, qui ualde multũ poſſent in literis proficere. Certat nominis celebritate cum hoc Oxonienſi gymnaſio, academia, quæ Cantabrigiæ apprimè floret, quæ tametſi diſcipulorũ numero, ac cœnobiorũ magnificentia minus uincit, bonarum tamẽ artium ubertate nequaq; impar eſt. Quid, quòd ut uera integritatis mater gloriatur, ſe nunquã alumnos habuiſſe, qui de religione male ſenſiſſent? At uerò antiquitate longè præſtat: ab hac enim academia Cantabrigiæ poſita, uſq; ad initiũ gymnaſij Oxonienſis, interfuere anni CCLXV. nam hoc Oxonij, Aluredus poſt annũ quàm regnare cœperat, circiter uigeſimumtertium, qui fuit humanæ ſalutis DCCCXCV. illam uerò Sigibertus Cantabrigiæ circiter annum eiuſdẽ ſalutis DCXXX, collocauit. Verùm, ſi cõmentarijs credimus autoris incerti, antiquior eſt tam oppidi, quàm gymnaſij origo. Ferunt enim poſitum fuiſſe olim oppidũ nomine Chergrantiũ, ad radices uicini monticuli, quem uocant Vuythyll, eoq; docendi cauſa, regę Gurguntio Bellini filio, Bartholomæũ quendam hominẽ Cantabrũ peruẽniſſe, & illum deinde duxiſſe uxorem Chembrigiã regis filiam, condidiſſeq; oppidum ex uxoris nomine, Cantabrigiam dictum, atq; in eo primùm docuiſſe. Sed ad hiſtoriam redeo. Cæterũ Aluredus poſtquam in regno ſuo literarum fundamenta iecerat, ad bonos mores augendos intentus, tulit ſanctiſsimas leges, quas in antiquiſsimo codice conſcriptas reperi: ſed cùm apud Anglos in obliuionem iampridem ierint, nihil eſſe putaui, quòd eas ſubijcerem. Nullo prętereà nõ uirtutis genere claruit: omnibus enim hominibus, præſertim indigentibus, de re familiari ſua libens impartitus, ac iuſtitiam in primis ſeruauit: quippe qui ut nocentes merita pœna ſemper affecit, ita innocentes mira charitate fouit. clariſsimus item omniũ regũ bellicis artibus, cùm haud quiſquam eorum unus plurium bellorũ uictor fuerit. Suſcepit ex Etheluitha uxore, filios mares Edouardũ cognomento Seniorem, & Adeluoldum: fœminas tris, Elfredam, Ethelgeram, ſeu Elginam, & Etheluitham. Elfreda locata fuit cuidam Ethelredo inter Mercios principi uiro, accepta Merciæ parte, dotis nomine. Hæc uenereæ uoluptatis ſpernendę ualde memorabile edidit exemplum: à uiro enim grauidata cùm pariendo uehemẽter laboraſſet, poſtea eius rei memor, perpetuò uiri cõplexum abhorruit, dictitãs ſtultiſsimũ eſſe, eiuſmodi uoluptati indulgere, aut operam dare, quæ tantũ doloris factura eſſet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aluredus prouecta iam ætate, leui morbo tentatus testamentũ fecit, quo Edouardum filium instituit heredem: & ut plures sui memores redderet, uaria munera suis militibus, familiaribus, seruis, discipulis Oxonienſibus, atq; sacris ædibus cùm reparandis, tum ædificandis distribuit: post hæc, aggrauata ualetudine, & iam supremo aduentante die, Vintoniæ mortem obijt. Corpus in nouo cœnobio quod ipse extruxerat, sepelitur: regnauit annos duodetrigínta. In eo postea cœnobio, secularium, quos uocant, sacerdotum collegium institutum fuit, & rursus inde monachorum, sicut alibi demonstrabimus.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER SEXTVS.

QVIBVS bellorum motibus, ac eorum euentibus imperium Anglorum in Britannia, quæ hodie Anglia est, ortum fuerit, & paulatim ad ætatem peruenerit, ut ita dicam, uirilem, duobus superioribus libris tradidimus: nam ut homo primùm uitam uiuere incipit, deinde adolescit, deinde in iuuentutis florem se induit, & postremò senescit, ita regna incipiunt, crescunt, florent, atq; ad ultimum cadunt. Cœpit prima regni ætas, id est, infantia, rege Hengisto, salutis nostræ anno circiter CCCCL. Inde secuta est ab Hengisto, adolescentia, sub septem, & aliquando octo, ut perappositus ostendit suprà locus, regibus, usque ad Egbertum Occidentalem regem decimumseptimũ. Is Cantiano, Northumbrico, atq; Orientalium Saxonum regnis potitus, primus Britanniam Angliam, & Anglos omnem gentem, ut alibi dictum est, nominauit. Durauit ea ætas, suum sensim incrementum capiens, circiter CCCL annos, quæ nempe tum uiris, tum armis florentissima fuit. Exin ab Egberto, uirilis cœpit ætas, quæ amplius CLXXV uiguit annos, usq; ad diuum Edouardũ martyrem, quando tandem tristis aduenit senectus, quæ ut solet in mortali corpore, uarijs morborum generibus laborare, sic in humanis rebus solicitata hominum inertia, multa secum incommoda affert. Porrò id temporis Daci primum, deinde Normani Anglicum regnum occuparunt: sed & hęc eadem ad extremum ætas in iuuentutem præter spem omnium, transiuit: nam Normanicum nomen paulatim in Anglicum uersum, ut infrà planius fiet, & populus generatim dictus est Anglus. Nunc igitur quæ ipsi Angli in ea uirili atque senecta ætate domi militiæq; gesserint, tam hoc quàm proximo uolumine prosequemur. Successit Aluredo Edouardus filius, ordine regum uigesimustertius ab Athelredo Cantuarienſi archiepiscopo more maiorum corona redimitus, anno à natali Christi DCCCCI. Diximus suprà libro huius operis quarto, Brithoualdum ab Augustino ordine antistitum Cantuarienſium octauum, primum Anglorum, in Theodori demortui locum, archiepiscopũ Cantuarienſem surrogatum fuisse: quem deinde spatio circiter CXX annorum, usq; ad Athelredum, secuti sunt archiepiscopi numero nouem: Taduinus, qui sedit annos tres: Notelinus quinq;: Cuthebertus Herefordenſis antea episcopus, duodeuiginti: Brethuinus, tres: Lambertus abbas diui Augustini, uigintiseptem: Adelardus, tresdecim: Vuilfredus, is Romæ à Leone quarto pontifice Romano creatus fuit, & sedit annos trigintaocto: Theologildus

gildus siue Pleogildus, tres: Celnotus seu Chelutus, decem: cui Athelredus ab Augustino decimusoctauus Vintonienſis episcopus, uir & uirtute & autoritate summus, succeſsit. Sed ad incœptum redeundum. Edouardus inito principatu, cuncta sibi è Republica, à primo facienda existimans, loca omnia præſidijs munire, urbes quas hostibus aduersum se opportunissimas fore ducit, singulas obire, suorum atq; hostium res pariter attendere, barbarorũ insidias anteuenire, magno studio maturat, ut hoc pacto suos bellis continuis assuetos partim in officio, atq; fide teneat, partim ne ijdem remoto metu, latius licentiusq; effusi, ab hostibus de improuiso opprimantur, atq; ita ipsis Dacis in primis nouitatis auidis, qui id temporis Northumbris & orientalibus Anglis dominabantur, occasio mouendi belli usquequaq; adimeretur. Verunta men huic studio bellum Scoticum subitò præuertendum fuit, quòd Cõstantinus rex continenter Anglicos fines uexabat. Itaq; Edouardus primo quoq; tempore bellum ei intulit, quod multa utrinq; cæde gestũ est: sed Scotus maioribus affectus incommodis, non inuitus ab armis discesſit, pace ab Anglo impetrata. Edouardus post hæc, Vuallos uacillantes ad sanitatẽ reduxit, totamq; Merciam, ut infrà dicetur, post obitũ Elfredæ sororis suæ recepit: nec eo tamen pacto hostiũ insidias retardare, in otióue esse potuit: enimuero Daci qui tum in Northumbria erant, permoleſtè ferẽtes res Anglicas in dies singulos crescere, subitò discordias inter fratres moliuntur, ut alienis armis odium expleant, qui ad Adeluoldum iuuenem Edouardi fratrem suapte natura regnandi auidum clàm adeunt, solicitantq; admonentes tempus idoneum esse, quo facilè possit, si modò uelit, regnum expulso fratre obtinere, cùm in præsentia ipse Edouardus iam suis omnibus atque finitimis æquè infeſtissimus esset, quòd contrà ac ius fasq; foret, res suas producere, & alienas contra here plus nimio studeret: & ad id maturandum negotiũ, ultrò auxilium pollicentur, atque omne periculum damnumq; inde futurum liberaliter præstare paratos se dicunt. His monitis atque pollicitationibus eò adolescentẽ perpulerunt, ut continuò animum intenderit in regnum fratris, ac confeſtim cõparato exercitu, hostiliter illud inuaserit. Sed rex cùm nihilo segnius iniuriæ obuiam iuisset, tum inops cõsilij, ut qui omnia temerè fecerat, metuq; perculsus, in fugam se dedit, ac ad Dacos in Northumbriam se recipere contendit, ut ab illis adiutus manum conſereret. Quod ubi rex nouit, tanta celeritate est insecutus, ut iuuenis omittere incœptũ iter, ac ad mare tendere, indeq; transmarinas partes petere coactus sit: ubi uix annum moratus, inde ad Northumbros belli innouandi causa redijt. Hunc Daci qui Edouardum metuebant, perbenignè acceperunt, ducemq; belli sibi constituere. Adeluoldus accepto imperio, plenus irarum aduersus fratrem, ingenti ui armorum eius regni fines ingreditur, cuncta ferro igneq; uastantibus Dacis: & in Merciam conuersus pariter dat omnia prædæ: post hæc, aliò uersum contendens, Thamesim transit, ac usque ad pagum, quem uocãt Basyngstochum, crudeliter omnem regionem populatur. Rex contrà instructa acie, sit hosti ita furenti obuiam, quem soluto agmine uenientem magno impetu adoritur. Certatum est summis utriusque partis uiribus: fuit atrox pugna, ac diu anceps, multis utrinque cadentibus. Adeluoldus in primis inter hoſtes fortiter prælians occubuit, cuius ob interitum, nihil tamen prælium à Dacis est intermissum, quippe qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuos habebant duces, quorum uirtutibus freti, Adeluoldo ſummam imperij tradidere, quò Anglus ſuis ipſius armis conficeretur. Dum ſic aliquandiu acriter pugnatur, poſtremò regij milites uicti terga uertunt. Daci uerò longo feſsi certamine, non modò à perſequendo facilè deſiſtunt, ſed præter ſpem eo prælio ſuperiores, bello deinceps abſtinendum ducentes, pacẽ à rege petũt: quibus Edouardus ut maiori ſit terrori, non pacem, ſed inducias cum eis fieri uoluit. Interea frumentum propter ſiccitatem anguſtius prouenerat, id quod in cauſa fuit, cur ne ſtatim inducíæ à Daco uiolatæ ſint, qui tamẽ interim quietis minimè patiens, incitabat finitimos ad bellum faciendum, cum ijs ſecreta conſilia continenter conferendo. Cui futuro periculo Edouardus obuiã eundum ratus, protinus in Northumbros properauit, populatoq; agro, tot damna intulit, ut inde illi ultro in officio permanſerint. Imminebat præterea ex altera parte bellum ab illis, qui Orientalibus Anglis præerant, quorum rex erat Ericus. Is Anglico nomini infeſtiſsimus, alios Dacos in ſocietatem belli adducere ſecretò ſtudebat, quò iunctis armis, ſimul Anglorum opes uno tempore tererent. Cæterùm cùm omnia ab eo temerè fierent, interim nõ fugit Edouardum eius ſtudiũ, qui inſidias præueniens in fines regni inuadit agrumq; multò crudeliſsimè deuaſtat. Dacus, qui iam ſuos in armis habebat, ira pariter atque ulciſcendi cupiditate ardens, præceps in hoſtem fertur. Ita pugnam ferociter cõmittũt, quæ ut à Daco temerè cœpta, ita exitu calamitoſa fuit. poſt tetram ſuorum cædẽ, Ericus nullo fere negotio uictus fugatusq; eſt, quem deinde ob eam odioſam, funeſtamq; plagam acceptam, crudelius ſolito imperantem ipſi Orientales Angli ſæuo dominatu irritati interfecerunt. Nec perinde illis hoc factum bono fuit, ut fore putarant, quandò breui pòſt tempore uiribus debilitati, in Edouardi poteſtatem uenire cõpulſi ſunt. Atq; talis fuit Anglorum Orientalium regni præpotentis occaſus.

Orientalũ Anglorũ ruina.

Edouardus Orientalium Anglorũ regno potitus, Merciam deinde omnẽ in ſuam poteſtatem redegit: mortuo enim Ethelredo, qui Mercijs præfuerat, ſine liberis, Elfreda eius uxor nõ minus iuſtè quàm prudenter aliquot annos Merciam rexit: qua mortua, Edouardus Merciã reliquam recepit. Per hunc demũ modũ, is rex fines regni ita propagauit, ut iam præter Scotiã, totius inſulæ imperiũ obtineret, licet penes Dacos, in Northumbria aliquid adhuc ditionis eſſet. Sunt tamẽ, qui ſcribant Edouardum, deuictis Dacis, etiam Northumbria potitũ eſſe: qui ut parum in ſcribendo diligentes, ſibijpſis alibi repugnant, tradentes huiuſce regis filiã nomine Edithã haud multo pòſt patris obitũ nupſiſſe cuidam Sithrico Daco, qui per id tempus Northumbros regebat, quẽ ſatis cõſtat rege Adelſtano mortẽ obijſſe. Igitur cùm Northumbria à Sithrico gubernaretur, dum etiam Edouardus in uita erat, palàm eſt nequaquã illi eã tunc paruiſſe, quod infrà in uita Adelſtani longè planiſsimũ faciemus. Edouardus ad extremum pacato iam regno, legibus cõdendis maximè ſtuduit, quæ etſi ſalutares erant, apud poſteros tamen facilè antiquatæ ſunt. Conſtruxit arcẽ ad Bedfordiã, olim oppidum, nũc pagi celebris inſtar, opere & loci natura munitiſsimã, cuius hodie ne ueſtigiũ quidem ferè ullum extat. genuit ex Edgina puella forma elegãti, filium nomine Adelſtanum, qui eius ſucceſſor fuit. Eſt operæpretium, ſi ſatis uulgo facere uolumus, qui prodigijs delectatur, appoſitè ſubijcere præſagitionem, qua Edgina puella ſpem concerat

Edouardus totam fere Angliã habuit.

perat gignendi filium, qui quandoq; eſſet regnaturus: ſomniauit enim ex utero ſuo lunam exortam, quę totam Angliam pleno lumine illuſtraret: id quod cùm cuidam matronæ narraſſet, illa non aſpernata ſomnium, quod poſtea euentu mirabile extitit, puellæ obſcuris natæ parentibus, bonis educandę moribus curam ſuſcepit. Hanc itaq; iam uiro maturam Edouardus, cùm fortè uillam quandam animi cauſa peteret, conſpicatus eſt, repenteq; forma captus cũ ea paulo pòſt concubuit, ex qua, ut dictũ eſt, Adelſtanũ creauit. Item ex Elfreda uxore poſthac liberos ſuſcepit, Etheluardũ & Eduinũ, qui ſtatim poſt eius obitũ, è uita exceſſerũt: Elfredã, Edginã ſiue Elginam, Edburgam, Ethildam, Editham, & Elgidam. Elfreda & Edburga uirginitate florentes monachæ factæ ſunt. Edgina ſeu Elgina locata eſt Carolo Simplici Francorum regi, & Editha Sithrico Northumbrorũ regulo. Suſtulit Edouardus ex altera uxore nomine Edgina filios duos, Edmundum, & Eldredum, qui deinceps poſt Adelſtanum regnarunt. Per idem temporis, Chriſtiana pietas multùm apud Occidẽtales Anglos frigeſcebat, quia nullus in ea regione erat epiſcopus, qui populum doceret: eiusq; rei culpa in rege reſidebat, q̃per eum, qui magis bello, quàm rei diuinæ inſeruiret, nõ liceret ſacerdotibus ſuo officio fungi. Quare Ioannes decimus pontifex Romanus ualde cõmotus, per literas Edouardum uehementer caſtigauit, minatusq; eſt, ſe illum unà cum populo, religionis hoſtem, denuntiaturũ, niſi maturè accerſiret epiſcopos, qui priſtinam religionis diſciplinam ſeruandam curarent. Quod ubi rex intellexit, negligentiã reſarcire ſtudens, ita egit cum Pleimundo Cantuariẽſi archiepiſcopo, qui Athelredo, poſt annum quàm ſedere cœperat decimumoctauum, demortuo, paulo antè ſucceſſerat, ut ille protinus conuentum fecerit, in quo plures epiſcopi creati ſunt, qui diœceſes regerent. Poſtea Pleimundus uir doctrina & uitæ integritate clarus, ſui purgandi cauſa Romam profectus, pontificem placauit. Fuit Edouardus forma eximia, ac per omnes ætatis gradus decentiſsima: cuius dignitas, etſi nonnihil defloreſcere cœpit in ſenectute, ui morborũ, quibus frequenter afflictus, ad ultimum conſumptus eſt, poſt annum quàm regnare cœperat uigeſimumquartũ, qui fuit ſalutis humanæ DCCCCXXV. corpus Vintoniam delatum, ubi ſepulturæ datur.

Ioann. 10 Th. Edouardi officij admonet.

Edouardi obitus. Adelſtanus ſuccedit. A.

Eiſdem ferè temporibus, Rollo ſeu Robertus (id enim ei poſtquam Chriſtianus eſt factus, nomen fuit) dux Normaniæ occidit, uir profectò bello clariſsimus: quippe haud quiſquã omnium alius ſecundùm eum, in terra hoſtili, ſibi atq; poſteris maiore uirtute, principatũ parauit, qui ita exiguis inchoatus initijs, uti deinde dicetur, creuit, ut cæteris quibuſcq; maximis regnis par uiribus fuerit. Reliquit Rollo Gulielmum filium nequaq; uel prudentia, uel uirtute bellica ſe inferiorem, cuius autoritas apud Gallos in primis ſumma fuit, quod, ut perſpicuè demonſtremus, altius repetendum eſt. Carolus Simplex rex Francorum duxit in matrimonium, uelut dictum eſt, Edginam ſiue Elginam Edouardi regis filiam, ex qua ſuſcepit filium nomine Ludouicũ. Is poſtquam cum Rollone fœdus fecerat, ingens ſibi apud ſuos odium conflauit, adeò ut bona pars principũ ab eo defecerit. Et poſtea inter utroſcq; uſq; eò uariè belligeratum, dum ad extremum principes peiora Reipublicæ ſuæ timentes, regi recõciliati ſunt: qui tũc ſimul iuncti aduerſus Robertũ Aquitaniæ ducem contra Carolum, bellum mouentem arma tulerunt, cõmiſſoq; prælio, du

Rollo Dux Normannor.

Rollo fil. Gulielmus

Bellũ inter Aquitanos & Carolũ Simplic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem cum omnibus copijs deleuerũt. Quod Robertus Viromanduorum comes iniquo animo ferens, uicẽq; amici ulciscendi cupidus, perinde quasi gratulandi causa, est uictori Carolo redeunti obuiam factus, ac primo cõgressu, homo uafer, uultu & fronte quibus simulatio sustẽtatur, eam gratulationem clariorem faciendo, tot precibus regem orando defatigauit, ut Peronã in oppidum suum duxerit, atq; eo loci in uincula coniecerit. Qua re cognita, Edgina Caroli uxor cum Ludouico filio, ad Adelstanũ fratrẽ regem Angliæ confugit. Interea Galli ne carerent, qui summam rei administraret, Rodulphum Ricardi Burgundiæ ducis filium regem dicunt: quo post duodecimũ quàm regnare cœperat, annum mortuo, ac Carolo per idem ferè tempus, in carcere uita priuato, Gulielmus Normanię dux autor fuit, ut Franci principes Ludouicum Caroli filium ex Anglia domum per legatos reuocarint, ac uenientem regem consalutarint. At quintus uix annus interceſſerat, cùm omnes ferè optimates regni à Ludouico desciuerunt, qui ita suorũ auxilijs destitutus, miro studio curauit cum Henrico seu Othone eius filio, ut quidam malũt, Germaniæ rege gratiam inire, quod opera atq; consilio Gulielmi ducis duntaxat cõsecutus est. Hæc postquam heroes intellexere, ultro sui principis beneuolentiam poposcerunt. Sic Gulielmi nomen ob eius uirtutis famam, apud omnes multò celeberrimum erat, quippe qui tanquam ad bonitatem tantum natus, negotijs amicorum operam non uulgarem enauare, miseros opibus iuuare, iniuria affectis opitulari, præsidio denicq; cunctis sine discrimine, esse magnopere studebat. Quibus rebus factum est, ut postremò Herlouinus homo nobilis, ex Monasterioli castri ab Arnulpho Flandrẽsi principe possessione deiectus ad Gulielmũ tanquam cõmunem iniuriarũ uindicem confugerit, cum eoq; questus fuerit. Gulielmus cognita causa, ita egit, ut confestim castrũ iuueni restitutũ sit, prohibuitq; eum ab iniuria, id quod ei, etsi suo immerito, cum primis malo fuit: nam eam rem Arnulphus ægrè ferens, duci insidias facere apud se statuit, quẽ haud multo negotio, charitatis nomine, fefellit. Porrò ita breui usu uenit, ut Arnulphus traxerit ducem in colloquium, ad Pinciniacũ, ubi de re propter quam conuenerant, multis sermonibus egerunt: mox ut digressi sunt, cùm Gulielmus nauiculam ingressus (in insula enim quã Sequana ad eum locũ efficit, id colloquij habuerunt) ut flumen transiret, à satellitibus Arnulphi simulãtibus se perinde quasi aliquid dicturos, quod à perfido principe foret omissum, repẽtè ad ripam reuocat, ibiq; crudeliter trucidatur. Normani autem ad alteram ripam fluminis uociferantes, aluei altitudine impediti, suo principi opem ferre nequiuerunt, qui postea cadauer Rhotomagũ delatum honorificè sepelierunt. Erat Gulielmo filius Ricardus admodũ puer, cuius ac totius Normanię tutelam Rodulphus & Barnardus, Normanis omnibus autoritate & nomine præstantes, susceperunt. Sed de his infrà commodùm dicemus. Iam redeundum, unde digressi sumus.

Adelstanus à Cerdicio uigesimusquartus, ex concubina Edouardi filius, rex à populo consalutatur, cui ad Kyngstonũ oppidũ ad Thamesim sitũ, longè à Londino circiter millia passuum decem (est hodie pagus omnino celebris) more maiorum, corona regalis insignis imponitur ab Athelmo archiepiscopo Cantuarienſi. Is ordine præsidum Cantuarienſiũ uigesimus, Pleimũdo succesſit, qui fuit annus salutis DCCCCXXVI. Adelstano cùm initio eius regni,

regni, fama esset Constantinũ Scotorum regem in armis esse, & per agros cõgregare armatos, atq; Vuallos ad defectionẽ spectare, nihil prius fuit, quàm ut periculo quod iamiam supra caput erat, obuiã iret. Itaq; magna ui in utrosque raptim proficiscitur, quos pari fortuna compescuit, uicit, in potestatẽq; redegit. Sed Constantinum ita uictum, in uerba sua iurare iussit, id quod ille fecit, quò sibi per eum liceret, in posterũ tempus, uita atq; regno uti, frui. Idẽ aliquot deinde Scotorum reges fecisse traduntur, quod recentiores eorum scriptores multis argumentis disputant. Nos uerò tale quid agere, nostri muneris minimè esse ducimus, cùm historia rerum gestarum narratio, non item contentio sit, qui proinde ea quę annales Anglicani antiquissimi loquuntur, nobis scribenda cõstituimus, quò sine ulla cuiuspiã populi offensione, inchoatum opus perficiamus. Ita à principio præfari libet, ut non sit deinceps quisquam omnium, qui ab historico de quauis re præteritis seculis gesta, officiũ iudicis requirat, flagitet, desideret. Ad rem redeo. Interea Sithricus rex Northumbrorum è uita migrauit, quæ res occasioni fuit Adelstano Northumbriæ potiundæ: nam Analaphus & Gotthofredus Sithrici filij, ut iuuenes imperandi plus æquo auidi, cœperunt statim noua Anglo faciundarum insidiarum inire cõsilia, finitimorum animos ad id clàm pertentare, ac literas passim atq; huc atq; illuc mittere: sed quas literas scripserant, eæ ad ultimum interceptę perspicuum facinus fecerunt. Igitur cognito hostium consilio, Northumbriam infesto animo petijt, quem adolescentes ut in consultando leues, ita in proposito minus cõstantes, nequaquam uenientem expectarunt, sed alter in Hyberniam, alter in Scotiam fuga lapsus est: quos Anglus frustra insecutus, Northumbriam principe orbatam omniq; præsidio destituram, facilè ad deditionem compulit. Ita Adelstanus rebus suis cõsulens, necesse habuit nepotes ex Editha sorore, priuare principatu.

Dum hæc alibi geruntur, Gotthofredus apud Scotos nonnihil uiriũ cõparauit, quibus fretus Dunelmũ ex improuiso circũsedit, quãmaxima ui potuit, oppidanos ad defectionẽ trahere conatus: qui tametsi principẽ suũ ultrò recipere auebant, uidentes tamẽ eum longè esse infirmiorẽ, cẽq; ut se aut urbẽ possent tueri, ut ne sibi defectio fraudi esset, in officio permanserunt, quamuis eos pauor ac trepidatio peruaserit. Fecit ea res Adelstanum nõ mediocriter Constantino Scotorum regi iratum, q; suo inimico opem tulisset: sed purgato crimine, breui Scotus cum eo in gratiã redijt. Analaphus alter frater cõstituens indignitatẽ amissi regni aliquo audaci facinore uindicãdam, paucis suorũ comitatus, mutato uestitu, in castra Anglica introiuit, causa explorandi, quo pacto hostem incautũ opprimeret, idq; tam cautè fecit, ut nihil fuerit propius, cẽq; ut regem interficeret: noctu enim in tabernaculum regium incurrit, tanto tamen impetu, ut Adelstanũ de somno excitarit: qui ubi cognouit sibi manus intentari, custodib. ad arma uocatis, gladiũ è uagina arripere conat, quo, ut in metu accidit, qui mentẽ consiliũq; mortalibus eripit, fortè nõ reperto, aliquãtisper animi dubius, ut se humana ope destitutum sentit, diuinã ilicò implorat, eodẽq; momento iterũ ad uaginã manũ admouet, inuẽtoq; ense, hostem aggredit, ac facta strage, in fugã conijcit. Quidã ferũt in eo tumultu Constantinum Scotorũ regem fuisse, ac interijsse: qui ut parum fideliter illud scribũt, ita parum uerè tradunt Analaphum Hyberniæ regem fuisse: haud dubiè erro

Universidad de Deusto
Biblioteca

re ducti, propterea quòd is fugiendo antea in Hyberniam se recepisset, sicuti suprà est demonstratum. Ille uerò gladius tanquam testis maximi Dei beneficij, diu inter regia instrumenta asseruatus est.

Virtutes aliæ regni Anglo

At Adelstanus per hæc, deuictis passim hostibus, permagnū obtinuit imperium. Ista fuit regni matura atq; uirilis ætas, quæ uiris ac uirtutibus maximè floruit: ea enim tempestate fuerunt uiri doctrina & sanctitate clari, Firthestanus Vintonienſis episcopus, cui successit Birstanus: item Vuilfemus seu Vuilselmus Vuellensis episcopus, ac Vulstanus Eboracensis archiepiscopus quem rex Adelstanus ob singularē eius animi uirtutem, uitæq; splendorem, unicè amauit, eiusq; causa, Eboracensem episcopatū plurimum locupletauit. Sed longè plures militari arte floruerunt, quorum nomina scriptorū incuria minimè eduntur. Athelmus Cantuariensis antistes, per idem tempus moritur, cui successit Vuilfemus Vuellensis episcopus: & in Vuilfemi post decem quàm sedere cœperat, annos, mortui locum, Odo antistitum ordine uigesimus secundus, surrogatus est, homo ualde consideratus. Postremò Adelstanus magno imperio potitus, omne studium ad religionē colendam, ac pacē

Florent uiri docti & sancti

Ethelmus Cantuariensis

Vuilfemus Vuellensis

fouendam, suorumq; cōmodum augendum contulit: quippe duo ædificauit cœnobia monachorū ordinis diui Benedicti, alterū apud Meltoniam pagū Sarisberiensis diœceseos, alterum ad Micelneium uicum, Somerseti comitatus, loco palustri, ut ne monachi fortè hyeme præsertim uagarentur, cōtrà atque lex ordinis iubet, quādò ipse locus eo tempore adiri uix potest, nisi nauicula, possessionibusq; utrunq; locupletauit: item leges nonnullas antiquas nimis seueras correxit, nouasq; plurimas apprimè utiles tulit, quæ ex reip. commodo maximè essent: quod fuit eius humanorū operum ultimū: nam statim pòst sine liberis, post sextum decimū annū, q; regnare cœperat, è uita discessit. Edmundus eius frater regum ordine quintus & uigesimus successit, qui sex duntaxat regnauit annos, quem à summis laudibus uitæ breuitas abduxit, quibus posteri in cœlum tulissent. Sed quicquid ille sui expectationis fecerat, Edgarus eius filius suis postmodū accumulatissimè reddidit. Sunt, qui falso tradāt Edmundū domuisse Northumbros, uicisseq; Scotos, quod nos, secuti autores nequaquam pœnitendos, suprà Adelstano assignauimus. Tulit Edmundus leges nōnullas regno uticq; cōmodissimas, quę cum alijs, in obliuionem sensim ierunt. De morte regis uariè tradunt: alijs placet, ut cùm seruo strictis gladijs ab inimicis petito, opem repentè ferret, in eo tumultu sit interfectus. Secundū alios, ille fortè cōspicatus ante se hominem latrocinio insignem, & ob id, diu sibi antea inuisum, subitò inuasit, ac in terrā strauit, quem cùm ita iacentē cæderet, ab eo tum immemore futuri periculi, ut præsens euaderet, est cultro confossus, latro uerò in uestigio dilaniatur. Genuit ex Elgida uxore, Eduinum & Edgarū, qui cùm ætate pueri essent, post Eldredū deinde regnarūt. Edmundū secutus est Eldredus frater à Cerdicio uigesimus sextus, quem anno salutis DCCCCXLVI. Odo Cantuariensis præsul ad Kyngstonū consecrauit. Is rex factus, continuò omniū studiū habuit: erat eñ innocentiæ fautor, omnisq; noxiorū hominū generis longè inimicissimus, itē militaris disciplinæ apud cunctos peritissimus cum primis habitus, unde facilè sine armis, Scotos iam ante id tempus ab Adelstano fratre in fidem receptos, in officio continuit. Poscit locus, ut de statu rerum Scoticarū cōmodùm dicamus.

Ioannū mortuū An. 16 regni sui.

Edmundus frater eius succedit Anglis.

Mors Edmundi

Eldredus Edmundi frater Anglis.

Constanti-

Constantino, quē suprà ostendimus iurasse in uerba Adelstani regis, successit Malcolmus. Malcolmū secuti sunt reges Indulphus, Duffus, Culenus, Chennethus tertius, & Constantinus Caluus. Is per uim regnū est adeptus, unde populus causam arripuit ad factiones, quæ postea haud facilè extingui potuere. Cōstantino per seditionē interfecto, Grimus successit, homo eiusdē factionis. Hunc Malcolmus secūdus singulari certamine uictū, ac peremptū, sequitur. Deinde successit Duncanus, & Maccabæus, homo scelere & audacia singulari, qui per uim est regno potitus. Sed oratio quę tantulū de uia deflexerat, iam ad propositū redeat.

Scotorum Reges

Eldredus pacatis ubiq; locorum rebus, in augēda religione se exercens, ut Deo in primis gratū faceret, & sibi beneficio aliquo deuinciret Etheluoldum sanctissimū monachū ordinis diui Benedicti, Edginæ matris rogatu instaurauit cœnobiū Abyndonense, olim ab Ina rege conditū, sed tum dirutū: qui ita bene agendo, post nouem annos, quàm regnare cœperat, decessit. Datur illi uitio, q; leui de causa eiecerit in exilium Vulstanū Eboracensem archiepiscopum, qui tamē anno pòst, reuocatus est in patriā, ac biennio uix inde exacto, moritur: cui successit Oscitellus, Oscitello Adelualdus, & Adelualdo Osualdus ordine antistitū decimusnonus, uir sanctissimus, de quo plura alibi dicemus. Demortuū Eldredū secutus est Eduinus alter Edmundi filius maior natu, ordine regum septimus & uigesimus: qui fuit annus salutis DCCCCLV. Hunc Odo inter rem diuinā faciendā, ad Kyngstonū, more maiorū, sacrauit, cuius uitam, tametsi breuem, priusquā perscribamus, ad Ricardū Normanorum ducem nobis redeundum est, ut duces Normanicos ordine ponamus.

Canutum Abyndonense instaurat

Cantuariensis Episcop.

27 Edmundus Edelstani primogenitus Edmundi An: 11 An. Dñi 955.

Erat Ricardus puer, ut paulò suprà memoratū est, in tutela Rodulphi & Barnardi, qui inter Normanos primi habebant, cū Ludouico Francorū regi libido incessit, amicitiæ specie, puero principatus eripiēdi. Sanè ille accepto Gulielmi cædis nūtio, aliquā causam sibi quærendā statuens, quamobrē meditatū negotiū maturè cōficeret, cōfestim Rothomagū proficiscit, simulatq; amici mortē uelle ulcisci, cùm tamen aliud animo secū agitaret. Admirati sunt tutores pueri ante omnes, regis pietatē, quare perbenignè atq; humaniter eū uenientē acceperunt. At Ludouicus ubi fraudē Normanis latêre sensit, haud mora, in spē optati potiundi uenit, atq; protinus petit Ricardū tanq; in regia aula educandū sibi tradi: sed id postremò cùm minaciter faceret (difficilimū est enim nō fraudē uno uel altero modo prodere) leuiter in suspicionē apud populū cecidit, qui iam palàm murmurare incipiebat, eum neminē, nō iuuandi Ricardi, sed atqueadeò Normaniæ, prout re ipsa erat, ad suas opes adiungendæ causa. Ex qua re, est ingens pariter populi tumultus exortus, atq; insidiæ regi tendunt: quippe ciues antea arma parauerant ulturi suæ libertatis iura, si quis ea imminuere conaret. Ille huic periculo obuiam eundū ratus, ad sedandam in præsentia populi iram, Ricardū puerū in mediū duci iubet, atque ipse populo propè furenti ostendit, dictitans eum esse illorū ducē, nullamq; aliā ob causam se cupere pueri curā habere, atq; apud se esse, nisi ut bonis moribus instituat. Sustulit rex hoc pacto uulgi opinionem, qui nihilo tamen segnius quod excogitarat, sibi modis omnibus efficiendū iudicans, ita egit, singulos principes nominatim appellando, ut per eos sibi licuerit Ricardum in Franciā secū ducere: & quia acceptā à Normanis iniuriā cū primis uindican-

Ricardus puer Ducis Normannorum

Ludouic. R. insidias dicuntur Normannis

Excitatur seditio in populo

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam destinauerat, tempus obseruabat idoneum: ac ne consilium diluceret, puerum interim regio cultu educabat. Hoc nonnihil terruit Arnulphū Flandrensem principem, qui Ricardi patrē paulò antè insidijs oppressérat, & magnopere uerebatur, ut id facinus sibi aliquando fraudi esset. Quare ad Ludouicū confestim sui purgandi causa properauit, de eoq; qui omnia artificio agebat, ingenti auri pōdere ueniam criminis redemit, uel redimere simulauit. Postea rex haud bellè cogitans, modò clàm, modò palàm Ricardū iugiter male uerbis accipiebat, ut assidua castigatione, partim conceptum odium euomeret, partim illum tāquam suapte natura prauum omnibus inuisum redderet, quò eius postea casu aliquo extincti minus apud Normanos desiderium relinqueretur, qui usq; eò feruere cœpit, ut puerū propalàm nothum appellarit, minatusq; sit, se eum fortunis honoribusq; priuaturum. Ita demum res ad uim spectare incipiebat, cùm Osmundus Ricardi præceptor, importunam regis sęuitiam omnibus precibus detestatus, puerum ab se antè bene doctum, sine mora palustrium herbarum fasce inuoluendū, ac clàm Lauduno exportandum curauit, deindeq; rem gestam Barnardo Syluanecti comiti, qui adolescentem Ricardum miro amore complectebatur, ordine patefecit. Is adiuncto ad societatem belli magno Hugone Parisiorum comite, coactisq; extemplò nonnullis armatorum copijs, Ricardum Syluanectum perduxit. Interea Ludouicus audiens Ricardum sibi ereptū esse, Hugoni imperat, ut puerum restituat: qui cùm per literas significasset id in sua non esse manu, inde à rege Compendium accersitur, ubi postquā multa sunt collocuti, rex pollicetur se Hugoni nonnulla oppida Normaniæ dono daturum, si uelit secū stare. Quibus promissis Hugo illectus, Ludouici partem sequitur, & ambo iūctis armis, Normaniā petunt. Iis non ui, sed artificio Barnardus Syluanectensis resistendum ratus, ita cum Barnardo Daco, qui Normaniæ præfectus erat, quamprimùm egit, ut ille legatos ad Ludouicū miserit, qui totius populi nomine dicerent, Normaniam, populū, fortunas, & deniq; omnia regis esse, ac propterea se ora re, ut sine armis, ad suos ueniret, qui morem gesturi essent. Delectauit ea res, ut quæ extra spem acciderat, mirandum in modum regis animū, adeò ut confestim Rothomagū contenderit, ibiq; ex sententia, sicuti arbitrabatur, rebus compositis Laudunum profectus sit.

At Barnardus Dacus, ut dum rex aberat, Normaniā in officio erga Ricardum teneret, Haraldum quintū Dacorū regem, qui à Suenone filio, paulo antè regno pulsus, in Normaniam cum bona nobilitatis parte uenerat, ac tunc circa Constantiensiū fines morabatur, per literas docuit, tempus esse, quo tutò posset regiū præsidiū pelli, & propterea rogabat, ut uellet aut auxiliū continuò ferre, aut militem ad se mittere, quoniā eo pacto omnino futurū esset, ut Ludouicus cum eo ad colloquendū congrederet. Nihil spes fefellit: Haraldus enim cum exercitu præstò adfuit, & Ludouicus de repētino eius aduentu certior factus, illi subitò obuiā fuit, atq; circa Sequanæ ripā cōgressi. Dum hîc reges de cęde Gulielmi loquunt, & cuncti manus abstinent, usu ita uenit, ut Dacus quidā conspicatus de improuiso Herlouinum, cuius negotij causa, Gulielmus occubuerat, interemerit. Quo factum est, ut atrox certamen eodem momento ortum sit, in quo Galli fusi fugatiq; sunt, ingenti passim cæde effecta. Ludouicus in primis captus, quē Normani postremò accepto Lotha-

rio filio obside, Gallis reddiderunt. Ricardum uerò iam imperio maturū ducem suum declararunt. Nec illud omiserim, quosdam historicos falso appellare hunc regem Dacorum, qui auxilio fuit Normanis, Aigroldū, seu Aigrotum, cùm nemo homo cui tale fuerit nomē apud Dacos, siue Danos, quos uocant, regnarit, id quod ex historia Saxonis colligere licet, qui planè ostendit id temporis Haraldum, sicut diximus, quintum à Suenone filio expulsum regno fuisse, quod uel illi autores affirmant, tametsi Saxo non meminit de hoc bello aduersus Francos, ab ipso Haraldo gesto. Non quieuit postea Ludouicus ulciscendi auidus, aduersus Normanos multa sæpius, fauēte Othone Germaniæ rege, frustra moliri: nam cùm Rothomagum ambo infesto agmine petissent, ciuitatemq; multis incommodis afficiissent, ad extremum tamē ab incœpto non sine nota, atq; suorū cæde, destiterunt. Fuit is annus à natali Christi DCCCCLVI, cum primis nobilis morte Ludouici, cui Lotharius filius successit. Is autore Theobaldo Carnutum comite, cœpit ingentes inimicitias cū Ricardo duce gerere, tum quòd pater semper duci infestus fuisset, tum etiam quòd ille ita præpollens effectus erat, ut iam finitimis populis meritò formidolosus esset. Itaq; primùm insidias Normano fecit, quę cùm minus ex animi sententia processissent, deinde bellum intulit, in quo uaria fortuna inter eos sæpenumero dimicatum est, postremò nonnullis heroibus ad amicitiam uncq; principem hortantibus, pax cōuenit. At Ricardus deinceps gestarum rerum gloria pariter ac uirtutis fama præclarus, de religione Christiana itidē bene mereri maximè studuit, quippe qui nonnulla condidit templa opere egregia, multisq; donarijs ea exornauit. Fuerunt illi filij tantum duo, q̄ sciam, Ricardus & Emma. hęc Etheldredo nupsit. obijt mortem anno salutis humanæ DCCCCXCVI. cui Ricardus filius successit, de quo alibi perappositè memorabimus. Sed ad Eduinum ueniamus.

De hoc rege aliquid scribere, & breuitas temporis quo regnauit, & eius uitæ turpitudo penitus uetaret, nisi id ordo poscceret: eo enim die quo rex dictus est, consanguineam suam, uxorem cuiusdā nobilis uiri, inuitā stuprauit, idq; fermè propalàm mutorū animalium more fecit, sic, ut fama sceleris breui per omnem Angliam peruaserit. Quapropter cùm Dunstanus, qui paucis antè diebus factus fuerat abbas Glasconiēsis, eum bonis uerbis reprehenderit, admonueritq;, ut à tanto flagitio manus deinceps abstineret, tantum abfuit, ut homo nempe nequam sanctis monitis paruerit, ut etiam scelus scelere cumulando, protinus optimum patrem ablegauerit, quod ipsi cum primis malo fuit: nam Northumbri & Mercij regis uitia horrentes defecerunt, Edgarumq; eius fratrē regem renuntiarūt, faustis omnibus acclamationibus prosequentes. Ea res tantum Eduino inusit doloris, ut citò deinde perierit, post annum quartum q̄ regnare cœperat. Ita regnum Edgarus adeptus est, uir & animi uirtute, & corporis robore longè princeps. Hunc Odo archiepiscopus Bathoniæ, seu, ut quibusdam placet, Kyngstoni consecrauit, circiter annum salutis DCCCCLIX. Inito principatu, omnia humana studia præ pace, cuius nomē sciebat dulce esse, & rem ipsam salutarē, spernere cœpit: quę deinde parta, ut nē ab externis turbari posset, ingentē classem parauit, eāq; tripartitò circa oram maritimam locauit, quæ barbaros cōtinenter infestam reddentes ab ingressu insulæ arceret. Item Scotos & Vuallos in officio retinuit. Reperio in

Universidad de Deusto
Biblioteca

annalibus, Vuallos, qui semper inuiti Anglorum imperio paruerant, ex sua tandem gente, sibi principem constituisse, & regè Edgaro, habuisse regulum nomine Ludouallū, & illum pepēdisse tributū ipsi regi Anglo, atq; deinceps aliquot annos, principes tales fuisse. sed quo tempore Vualli id beneficij ab Anglorū regibus consecuti fuerint, non omnino constat, nec traditur, quod sciam, à quopiam autore graui. Edgarus imperauit Ludouallo Vuallorum regulo uectigalis nomine, in annos singulos, tricenos lupos, quò genus tam malefici animalis & gregibus ouium ualde pernicioſi, quod tunc in ea insulæ parte plurimū abundabat, prorsum deleretur. si uerò lupi defecissent, tum loco illorum, nescio quam pecuniæ summulā conferret. Sic rex finitimos populos sibi aduersantes in officio atq; fide tenendos putauit, ut sibi per id, nullo tempore excluso iam liceret ostendere, se ad bonitatē natum esse. Itaq; confestim Dunstanū ab exilio reuocauit, eumq; Vigornien sem episcopū creandū curauit: cui etiā cùm id tēporis homines deessent, qui meritò alijs præessent, Londinēsis episcopatus administratio data est, quam ille haudquaq; suis, sed populi cōmodis seruiendi causa, suscepit: nam id temporis episcopi non plus opum, at plus doctrinæ, plus sanctitatis, plus prudentiæ, quàm alij habebāt.

Interim Elfreda regina moritur, ex qua rex Edouardum filium susceperat: cuius interitus causa fuit, quamobrē ille in se importunissimū flagitiū admiserit. Nempe per idē temporis fama peruaserat, Horgeriū ducē Cornubiæ filiā habere nomine Alfredā, forma longè elegātissima, quā Edgarus in matrimoniū sibi ducendā constituens primo quoq; tempore, dedit negotiū Etheluoldo familiari suo puellæ uisendæ, suisq; uerbis & nomine, à duce eius cōnubij petendi, si modò pulchritudo famę responderet. Proficiscitur Etheluoldus in Cornubiam, ad ducem: qui ubi puellam uiderat, cœpit insano actutū ardere amore, adeò ut immemor mādati regij, eam sibi nuptū dari magnopere petierit, quod & impetrauit. post hęc, ad regem reuersus, ait puellā nō eam esse, quam deceat nubere regi: ac nō multo pòst ubi sensit principis animū hoc pacto ab amore alienatū, incipit paulatim apud eum agere, ut sibi eius uolūtate, liceat puellam in matrimonio habere: id quod rex, qui illius iam formā aspernatus erat, ultrò concesit. Etheluoldus ita Alfredæ nuptias exitium ipsi paraturas consecutus est. Crebrescebat deinde indies magis Alfredæ pulchritudinis rumor, ut quæ iam nupta in conspectu hominum frequētius uersabatur, cùm rex cupidus uidendi, de industria, uenandi gratia, ad uillam Etheluoldi accesit, ubi statim atq; Alfredæ oculum adiecit, mirabile dictu est, quàm citò eam deperire cœperit, ita ut breui pòst tempore Etheluoldo mortem machinatus sit, atq; Alfredam in matrimonium duxerit. Mulier faces incendit, quibus rex flagrauit ad cupiditatem huiusmodi sceleris edendi: nam ubi uir regem aduentare intellexit, fertur rem omnem uxori aperuisse, orasseq;, uti cōmunis salutis causa, se negligentius solito comptā iuueni furenti ostenderet: at fœmina immemor coniugalis amoris, ac filij pignoris beneuolentiæ ab Etheluoldo susceptī, & sui semper similis, ut leuis, auara, superba, quamelegantissimè potuit, regi uenienti obuiam facta, ultroq; castum resoluit pudorem. Dedecorauit ea res plurimū regis nomen apud omnes, quare sæpius à Dunstano reprehensus est: quem licet facti puderet, pœniteretq;, amori tamen nō indulgere nequiuit. Ipsam autē Alfredam ferunt nō modò criminis non pœnituisse,

nituisse, sed ualde succensuisse Dunstano, quòd bene admonuisset regē. Genuit ex Alfreda Edgarus Edmundum, qui paucos uixit dies, & Etheldredū. Is dum baptizabatur, cùm subitò in sacrum fontem consecti cibi reliquias ex aluo emisisset, traditur Dunstanus prædixisse ita futurū, ut ille quandoq; ingens patriæ incōmodum dedecusq; afferret. Dilexit item Edgarus Vuilfredam monacham, seu ob metum stupri, ut quibusdam placet, nullis initiatam sacris, inter monachas seruatā, ex qua Editham filiam suscepit, quam aiunt ob uitæ sanctimoniā, in catalogū diuorū adscriptam. Hæc sunt Edgari iuuentæ uitia, quæ postea summis cùm corporis tum animi uirtutibus superauit: fuit enim armorū similiter atq; equitandi peritissimus, ac laborū supra fidem patiens, qui suos semper in officio cōtinuit, & barbaros qui solebant crebris insulam incursionibus diuexare, ita ab initio terruit, ut nunquam sint ausi sedibus patrijs egredi. Item delictorum inquisitor & punitor acerrimus, quod tamen sine ira, & sæuitia faciebat: quippe quandoq; ad crimina leuiora nō grauatè cōniuebat, ut salubrē magis q̄ ambitiosum principē se præberet. Absq; his uirtutibus, pietatem præcipuè coluit, quandò præ religione Christiana, nihil magnopere augendū putabat: quippe qui uiros magnę doctrinę, sanctitatis, integritatis, atq; prudentiæ, cùm primis in suum domesticum consilium delegit, illosq; populo Christiano præpositos tantum uoluit. Itaq; secūdum Dunstanum, miro amore complexus est Etheluoldū, uirum ingenio & eruditione singulari, qui eius opera, Abyndonien sis prius abbas, deinde Vinto nien sis episcopus factus est. Item eiusdem beneficio, Osualdus Floriacensis monachus creatur Vigornien sis episcopus, ac deinde Eboracēsis archiepiscopus, cui in Vigornien sem episcopatū Dunstanus successit. Tantū is princeps tribuit istorū in primis trium antistitū doctrinæ ac uitæ sanctitati, quam illi præ se ferebant, quemadmodū monachi tale quid interdum miro artificio facere sciunt, ut partim corū rogatu adductus, partim cōmotus, quòd primarij sacerdotes adhuc suas retinerent uxores, contrà, atq; patres paulo antè decreuissent, bene multis fatigauerit precibus Ioannē tertium decimum Romanū pontificē, quò bonis de causis, quas monachi ex usu suo inuestigarant, uellet concedere, ut ipsis liceret apostolica autoritate eijcere ex Vintonien si, & Vigornien si collegio presbyteros, quos seculares uocāt canonicos, atq; in eorū locū, suos inducere monachos: quod & impetrauit. Item & Etheluoldo, atq; Dunstano autoribus, in alterum Vintonien se collegiū nouū seu cœnobium, quod Aluredus, ut suprà ostendimus, extruxerat, in illudq; quod Shyreburniæ in pago Sarisberiēsis dioeceseos institutū erat, ejectis quoq; presbyteris, monachi sunt introducti, & illud cœnobiū de Hida, & hoc Shyreburnien se appellarunt: nam ibi Occidentaliū Saxonum princeps episcopalis sedes locata erat, cuius dioeceseos episcopus cum primis fuit diuus Aldelmus.

Atq; ita per idem tempus, monachi in alia alibi sacerdotū collegia uenerūt, ac deinde uelut iure suo ubiq; gentiū opes immodicas sibi cōparare cœperūt, quod posteris damno fuit: dū eīn monachi diuinis duntaxat rebus uacātes, hominū cœtū fugiebant, ac solitudines, unde sibi nomē uindicāt, quærebant, tum profectò monasticæ uitæ institutū ritè seruabāt: cōtrà, ubi omissa solitudine, celebritatē colere, ubi diuitias recipere libuit, incredibile dictu est, quantum à maioribus suis degenerauerint: quippe quos etiā inuitos humanarū si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mul rerũ curam ſuſcipere oportuit, quę bonam hominis partem ſemper occupat. Quid, cp eadẽ diuitiarum peſtis ſic reliquos pariter ſacerdotes peruaſit, ut magna pars à priſca pietate patrũ, ad tyrannidẽ exercendã uerſa ſit: cũ perpauci ſciant illud cauere, quod uetat propheta: Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Illi enim partim ſanctitate uitæ, partim ſuo ſanguine ſacerdotij decus auxerunt, iſti auctum licenter uiuendo, nõ ſatis bene ſeruant: illi honores oblatos cunctanter & uerecundè acceperũt, eoſcp aliis optimis quibuſcp detulerũt, iſti malis ſæpe artibus ambiunt eoſdem, ac mox acquiſitos inſolenter exercent: & ut in illis multum liberalitatis, & innocentiæ fuit, ita in iſtis multum aliquando auaritiæ, ac improbitatis: illi denicp paucis cõtenti, temperanter uixerũt, at iſti opibus, ut ita dicam, oppreſsi, pro ſuo iure uitam degere nequeunt, dum in alios hoſpitales eſſe coguntẽ. Quæ ſanè humanitas (ita enim uulgò uocat) tãtum abeſt, ut humanitas ſit, ut per hoc ſeruitus potius, & quidem longè peſtilentiſsima habenda, quãdò eius rei cauſa, ſæpe ſacerdotes peccant. Quotus enim quiſcp eſt, cuius ſenſus nõ titillentur, poſtquã multum biberit, ſeſecp uariis ciborũ generibus fartim ſaturauerit? id quod uelint nolint interdum illi ſacerdotes, qui domos ualde hoſpitales habere humanis cogun tur legibus, faciunt, dum alios lautè paſcunt. Iam ad propoſitum redeo.

Eodem tempore moritur Odo archiepiſcopus Cantuarienſis, poſt annum cp ſedere cœperat, decimumnonũ, ſeu, ut alij ſentiũt, tertiumdecimũ: in cuius locum Dunſtanus ab Auguſtino ordine Cantuarienſium archiepiſcoporũ uigeſimustertius ſucceſsit, qui, uti non nemo tradit, unà cum Oſualdo Eboracenſi archiepiſcopo, Edgarum multis cærimonijs ſacrauit, id quod falſo incuria ſcriptorum, Dunſtano attribuitur, qui, quemadmodum ſuprà oſtendi, exulabat, quando Edgarus rex eſt factus, à quo poſtea fuit in patriam reuocatus. Edgarus rebus regni ita pacatis, ac tantum pietatis operibus intẽtus, plura cœnobia aut deintegro condidit, aut inſtaurauit, uel ampliſsimis donis locupletauit, & in ijs cœnobiũ monacharũ ordinis diui Benedicti, quod Vuiltoniæ, in pago proximo Sarisberiam urbem, locauit. In eo cœnobio Editha ipſius Edgari filia uirgo monacha, poſtquã aliquot per annos familię ibidem præfuerat (talem abbatiſſam dicunt) extremũ uitæ diem morte confecit. Sarisberia emim in ora, quæ ad auſtrũ ſpectat, loco plano poſita eſt, quę intus multis irrigat riuulis, alluitcp flumine Naddero, qui Vuylo & Hauino, hic Vuermiſtrũ pagum præterlabit, auctus, in Oceanũ in auſtrũ uerſus fertur. Poſtremò Edgarus ut ſuos ad bene beatecp uiuendũ inſtitueret, leges apprimè utiles tulit, quas uetuſtas in obliuionẽ fermè adduxit: qui demũ anno ætatis trigeſimoſeptimo, & cũ regnare cœpit, ſextodecimo, naturæ cõceſsit. Succeſsit bono patri Edouardus ſecũdus, filius patre dignus, ordine regũ undetrigeſimus. Fuit is annus ſalutis humanæ DCCCCLXXV, cũ Dunſtanus Cantuarienſis antiſtes ſacerdotũ conuentũ egit, ad res religionis rectè cõſtituẽdas, melioremcp earum ſtatũ collocandũ. Dum hæc geruntur, iuuenes quidã honorũ cupidi, quos quieta Republica deſperabant, perturbata ſe conſequi poſſe arbitrabantur, turbas faciunt, quas in primis adaugebat ira eorum presbyterorum, qui à monachis, ſicut ſuprà oſtendi, ex ſuis collegijs exacti, de repetũdis agendũ ſibi cõſtituerant. Quamobrẽ cauſa iudicibus delata eſt, qui cùm Vintoniæ, in monachorum conclaui, de ea re in frequenti cõſeſſu agerent, & iam maior

maior pars decerneret presbyteros eſſe reſtituẽdos ad priſtinos honores, ecce, ſubitò uox audita eſt, Non bene ſentiunt, qui presbyteris fauent: perinde quaſi ius magis faceret cum monachis, qui aliena raperent, quàm cùm presbyteris, qui ſua repeterent. Verùm quia imago Chriſti de cruce pendentis, quæ ibidem proſtabat, uiſa eſt eam reddidiſſe uocem, ita fides habita eſt oraculo, ut presbyteri cauſa ceciderint, & turba omnis ſedata ſit. Atcp ſic monachi opediuina, uel humana potius (nam etiam tum non defuerunt, qui id oraculum Phœbi magis quàm Dei fuiſſe, hoc eſt, hominũ fraude, non Dei nutu, editũ putarint) utcunc parta retinuerunt. Edouardus inuita Alfreda nouerca, rex dictus eſt, qui ſanè adoleſcens ſummæ ſanctitatis & frugi, ea modeſtia regnare cœpit, ut omnibus chariſsimus eſſet, quippe qui paternas uirtutes nauiter imitabatur. Quæ res Alfredæ animum maximè angebat, quę dominationem expectabat, ac Etheldredum filium Edouardo extincto, regnare cupiebat, & quia deſperabat ſe id poſſe conſequi, ut iniuſta nouerca necem priuigno machinari conſtituit, quod ut tandem maturaret, caſus huiuſmodi occaſionẽ dedit. Rex uenatum ierat in eum ſaltum, quem uulgò uocant Nouam Foreſtã, & rumpentibus undicp feris, ubi pro ſe quiſcp, ſicut fieri ſolet, ferarũ canumcp ſimul curſum inſecutus eſt, fortè à ſuis deſtitutus, ad ædes Alfredæ, quæ in proximo erant, bibendi, ſeu Etheldredi fratris uiſendi cauſa, acceſsit. Eſt eo loci ho die arx, quam appellant Corphim. Huncubi fæua mulier uenientẽ conſpicata eſt, iuſsit ſeruo, ut imprudentem interficeret: at interim ne iuueni quicquam ſuſpicionis incideret, ei obuiam facta eſt, petentiq potum mitè ac reuerenter bibere dedit, quem ita dum equo inſedebat, ſcyphũ haurientẽ ſeruus percuſsit. Rex accepto uulnere, equum in curſum eueſtigiò uertit, ad ſuos ſe recipiendi cauſa, ſed dolore urgente, equo lapſus ſtatim interijt. Impia nouerca poſtea corpus innocentiſsimi uiri, ut ne facinus patêret, intrò auferri, atcp humari iuſsit: ubi deinde eius memoria coli cœpit: nam fama eſt, nõ ſine Dei nutu, haud ita multo pòſt, ueniſſe in mentem cuidam mulieri, quæ oculis capta erat, ad eum ipſum locum excubare, & precari martyrem, ut eius beneficio ſubleuaretur, ac eam ſimulatcp orauerit, ſubitò lumẽ recepiſſe. Multa deinde miracula extiterunt, quamobrem Edouardus nõ immeritò inter diuos relatus ſit. Fuit poſthac eius corpus ex uili illo loco, ad Glaſconiẽſe cœnobiũ deportatum, ibicp ſepulturæ honeſtè datum. Pœnituit interea Alfredam cõmiſſorum, quæ & ieiunio & uerberibus corpus ſuum afficiens, omne patrimonium aut indigentibus hominibus partiendo, aut ſacras ædes ædificãdo, ſarciendóue effudit: quam ferunt duo condidiſſe monacharum cœnobia, unum Amisberiæ in pago Sarisberienſis diœceſeos, ordinis Cluniacenſis, & alterum ordinis diui Benedicti, ad Vuheruuelium uicum, Vintonienſis diœceſis, & in hoc illam uitã egiſſe. Fuit is annus quo Edouardus interfectus eſt, tertius, cùm regnare cœpit: licet quidam his tribus annis menſes ſex adijciãt. Huius optimi principis exitum, interitus uirilis ætatis regni ſecutus eſt: nam quemadmodum ille in flore iuuentutis, uiribus corporis integris, repentè cecidit, ita omne regni robur debilitari ſic cœpit, ut poſtea rege Etheldredo, ætate iam ſenecta ineunte, ſumma eiuſdem infirmitas acceſſerit, de qua libro proximo commodè exponemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER SEPTIMVS.

IN DEMORTVI Edouardi locum, Etheldredus à Cerdicio trigesimus rex substituitur, cuius socordia publicæ res in talem peruenerunt statum, ut meritò sub eo, regni senecta ætas cœperit: continuò enim fames, pestilentia, atq; bellum erupit. Ea mala Dunstanus archiepiscopus paulò antequam sequerẽtur, fore prædixerat. recusabat bonus antistes Etheldredũ regem sacrare, qui per cædem fratris, ad regnum aspirasset: sed cùm id facere coactus esset, tum prædixit futurum, ut populus Anglicus amissa libertate, generatim pœnas miserabiles daret. Erat Etheldredus minimè omnium militaris disciplinæ sciens, ut homo uecors, & otij atq; luxus amator. Quæ res satis nota omnibus efficiebat, ut à suis passim malè audiret, & à finitimis ac barbaris longinquis minimè pertimescendus putaretur. Quare piratæ Daci satis animis fidentes, insulam tumultuosè inuaserunt, facta strage rerum omnium, quaquauersum pedem primum intulerant: & quia loca maritima nullo præsidio munita erant, facilè in primis ea prædæ habuerunt. Quo successu Daci ferociores facti, in omnes partes uertuntur: quibus ita omnia passim uastantibus, cùm rex obuiã ire non auderet, necessariò ingens auri pondus dedit, quò in patrium solum se primo quoq; tempore reciperent. Fefellit ea pacis conditio ualde regem: nam tantum abfuit, ut regnum suum præsenti molestia leuarit, ut etiam multò grauiore affecerit: Daci enim auro illecti, haud multo pòst fracto fœdere, iterum insulam armis adoriũtur: & hoc neq; ignauiter aut temerè faciunt, sed conflato ingenti exercitu, classeq; instructa negotium gerunt. Exanimauit fama noui belli regem, ut qui hostes accepto præmio contentos, sperabat nihil esse molituros, & propterea ad bellum gerendum minimè paratus erat: attamen quamcelerrimè potuit, classem instruxit, præfecitq; Elfricum, uirum animo & uiribus ferocem, cæterùm, nescio qua de causa, minus fidum. Is itaq; aduentantibus Dacis, simulato animo obuiam factus, dum ad pugnam se fingit expedire, ad hostes deficit. Fregit ea res adeò insulanorum animos, quòd longè secus acciderit, quàm quisquam putarat, ut nihil propè pugnatum sit, sed momento aliæ naues sint media trepidatione delapsæ, aliæ captæ, plures numero medijs fluctibus depressę. At Daci in terram idonea tempestate delati, quocunq; prædandi studio ardenter erumpunt. Sed qui sunt Northumbriã ingressi, dum pro se quisq; in prędam temerè incumbit, ab agrestibus partim cæsi, partim profligati sunt. Et qui Londinum oppugnaturi petierant, obsidioneq; cinxerant, quia ciues omnium opinione constantius sustinuerũt, desperata expugnatione, sponte negotio supersederunt. Cæterùm post huiusmodi accepta incommoda, illi nihilo segnius Anglum urgebant, premebant, diuexabant: qui postremò coacti in unum non amplius more tumultuantium, sed seruato militari ordine, hostem passim oppugnabant. quibus cùm Etheldredus longè uiribus impar resistere non posset, consternatus animo, misit legatos de pace. Qui missi sunt, pacem cum hoste ea conditione fecerunt, ut in annos singulos, Anglia uectigal Dacis penderet: quod etsi ignominiosum, pro temporum tamen necessitate, ualde opportunum fuit. Elfricus post

post hæc præfectus classis regię apud hostes spe destitutus, ad Etheldredum redijt, ueniam cõmissi delicti impetrandi causa, cui rex oculis pro crimine effossis, uitam condonauit. Pax erat per hunc modum uix parta, cùm Etheldredus ea male uti cœpit: dum enim per otium uitam agebat, suis grauior truculentiorq; solito factus, quotidie alios speciatim locupletiores facultatibus spoliabat, alios ignominia afficiebat, alios demum in exilium agebat, propter leuissima etiam crimina: itẽ delatoribus libertas permissa circũueniendi, quos uellent, quorum calumnijs eius aures adeò patebant, ut nullus à periculo uacuus esset. Quibus rapinis ita animus populi uulnerabatur, ut uniuersi palàm ei maledicerẽt. Hoc ubi Daci norunt, subitò de inuadenda iterum armis Anglia cogitationem susceperunt, arbitrantes populum uitijs principis ad defectionem satis irritatũ, haud multo labore in deditionem redigi posse. Itaque Sueno primus eorũ rex, ad bellum Etheldredo inferendum, statim flexit animum, sensim copias non contemnendas comparans: quod priusquã explicemus, hic appositè Ricardi secũdi Normanorum ducis, prout superiore libro promisimus, mentionem faciemus, ut ordo eorum ducum seruetur.

Erat Ricardus uita moderatus, militaris disciplinę peritissimus, & paterno dignus principatu, quẽ modicè administrabat: quippe eius institutũ erat, ut dum bellũ gerebat, militibus edicere, ne amicos uiolarent, néue sacris rebus manus intentarẽt, quò pariter domi atq; militię, ad honestũ & rectum, religio nemq; cuncta referret. Huius bellicam uirtutẽ in primis expertus est Robertus rex Franciæ, Hugonis Capeti regis filius, qui cùm à nonnullis ex suis principibus petitus esset insidijs, sola Ricardi ope & consilio postremò illas declinauit. Erat tamẽ tantæ uirtuti nõnihil uitij admistũ: nam in libidinis infamia fuit, q; plures amasset fœminas, & in ijs puellam quandam haud claro genere ortam, à cuius consuetudine etiam à suis principibus cõmonefactus, tantum abfuit ut abstinuerit, ut cõtrà q; illi suasissent, in matrimoniũ duxerit, ex qua creauit filios tris mares, Ricardũ & Robertũ, qui Normanis deinceps prefuerunt, & Gulielmum, qui monasticam uitam traduxit. Item fœminas totidem. Alisiam, quæ maxima natu Reginaldo Britannorum comiti locata fuit: Aleonoram, quæ Balduino comiti Flandriæ: & tertiam, quæ Nauarræ regi. Ricardus demũ multa uita excessit, cui Ricardus filius successit tertius, uir illustrissimus, qui post trienniũ, mortuus est, non sine suspicione sumpti ueneni: quẽ Robertus frater secutus est, de cuius rebus gestis alius conueniens edocebit locus. Nunc ad Suenonem Dacorum regem redeundum.

Is quàm multis nauibus profectus ad Angliç oram quæ solis ortũ spectat, peruenit, ubi expositis militibus, cùm ab exploratoribus accepisset accolas loco rũ imparatos esse, egressus leui præsidio nauib. relicto, uicos ui expugnat, inflammat tecta, hominum pecudumq; prædas facit, & ad septentrionẽ contendens, ac dulcedine prædandi longius euagatus, nullis resistentibus, Northumbros primũ inuadit. Illi partim præsenti periculo territi, partim memoria tenentes se aliàs Dacis, uti suprà demonstratũ est, paruisse, & ob id arbitrantes eos tanq; ad suos, nõ ad hostes redire, ultrò deditionem faciũt. Deinde Mercios adortus, nullo propémodũ negotio uincit: postea ad australem partẽ uersus, omnes accolas subigit. Hoc rerum successu Dacus ferocior effectus, Londinũ, quò audierat Etheldredũ se recepisse motus causa, aggredien

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum constituit. Itaq; iam satis omnibus instructis cõparatisq;, ad urbẽ oppugnandã pergit, eamq; repentè circũsidet, ut ultimo hoc periculo, aut hostẽ terreat, aut quid ualeat, exploratũ tandem habeat. Contrà ciues tametsi trepidi improuiso metu, attamen cogitantes secum suum casum, cum totius patriæ casu coniunctum esse, quòd ea princeps ciuitas esset, sese acerrimè defensitant: nam alij obuiam ire, alij ex muris hostes deturbare, & denicq; ab omnibus partibus simul illorum uim pro se quisq; ferre impigrè nititur. Ad extremũ licet Daci fortissimè instarent, Angli tamen ut regem suũ ab iniuria uindicarent, haudquaquam tam aspero negotio territi sunt, quin simul cõferti apertis portis in hostes currere ausi sint, atq; contrà hostiliter pugnare. Sed Dacus dum sustentare suos, & propè iam adeptam uictoriam retinere cupit, circumuentus ab hostibus dextra sinistraq;, multis ex suis occisis, inter tela hostiũ erumpit, ac cum reliquo exercitu facto die noctuq; itinere, usq; dum biduí abesset, Bathoniam concedit. Fuit singulare certamen, in quo Angli suam bellicã uirtutem maximè ostentarũt, quippe qui Etheldredo duce, homine & animi & consilij inope, tam fortem hostem ab oppugnãda urbe auerterint. Sueno dũ Bathoniæ morabatur, tanta inopia rei frumẽtariæ laborare cœpit, ut coactus sit facere potestatem Anglo redimendi de se uectigal, paulo antè insulę impositum: qui ita accepta pecunia, in Daciam reuertit, cum maiore militum manu primo quoq; tempore rediturus.

Etheldredus interea arbitrabatur illam uectigalis uenditionem eò pertinere, ut Daci deinceps quiescerent: uerùm principes nõ item, qui animo cernentes tantam molem mali non facilè à ceruicibus suis depelli posse, cũ hortabantur, ut quamcelerrimè posset, exercitũ pararet. At Sueno haud multos moratus dies, perinde ac Anglici heroes iudicarant, rursus celeri cursu in Angliam conuolat. Nec longior inde mora, cùm Anglus adfuit, & paribus odijs animisq; est utrinq; cõcursum. Fuit pugna ab initio utrisq; difficilis, sed mox deficientibus nonnullis Anglis ad hostem, adeò funesta extitit, ut Etheldredus ad ultimũ cognouerit rem suam in apertũ discrimen esse deductã: quare post acceptã cladem, suis in cõcionem uocatis, sic uerba fecit: Perpetuò mihi principes silendũ esset, si nobis penitus paterni animi uirtus, in consilio dando, in regno bene administrãdo, aut militibus nostris robur in patria defendenda, deesset. Equidem mortem pro patria, præclarã esse fateor, & me uel deuouere pro regno nostro, uel in medios me mittere hostes paratus sum. hîc patriã uideo, & quicquid Anglorũ est, perditũ iri, nisi maturè sit prouisum. Vincimur à Dacis, nõ armis, sed nostrorũ proditione. Parauí principiò ingentẽ in hostem classem, quam perfidus Elfricus illi prodidit: deinde sæpius nostrorũ itidem fraude, infelici euentu dimicauimus, unde turpe fœdus cum barbaris facere coacti fuimus, ut necessitati pareremus, quã oppidò solus Deus superare potest. Quod quidẽ fœdus ad perniciẽ nostram ictũ est, quãdò impios hostes, apud quos nihil sancti, nihil ueri est, illud ipsum contrà cp̃ius fasq; esset, ac extra spem nostrã, rumpere nõ puduit. Atq; ita eò uentũ est, ut non modò timendũ sit, ne imperiũ amittamus, sed ne nomen nostrũ non in perpetuũ deleatur. Igitur cùm hostes supra caput sint, uobis nũc quibus scio mea semper curæ fuisse mandata, libeat prouidere, cõsulere, patriæq; cadenti succurrere. His dictis, omnes ad cõmunem salutem magis intenti, & quid tandem præstaret,

staret, excogitaturi, cõuocato concilio, quod facto opus sit, inter se deliberãt. Hîc tamen diu anxij ac dubij fuerunt, ut qui lupum auribus tenebant, ut in Græco prouerbio est: si enim pugnæ se cõmitterent, prospiciebant futurum, ut penè plus à suis, qui iamiam timore perculsi, ad defectionem spectabant, cp̃ ab ipsis hostibus esset timendum: sin uerò cederẽt, futuram esse fœdam ignominiosamq; deditionem, quod tamen minus malum esse ducebant, arbitrantes per hunc modum, multos à cæde seruatum iri, qui olim salui patriam in libertatem uindicare possent. Placuit hæc sententia omnibus. Itaq; rex sese ac fortunas omnes fidei Ricardi secũdi Normanorum ducis, cuius sororem nomine Emmam in matrimonio habebat, committere decreuit: sed ut ne id temerè faceret, Emmam cum Alfredo & Edouardo liberis, ad Ricardum eius fratrẽ animi ducis tentandi causa, præmisit. Accepit Ricardus sororem cum filijs perbenignè, auxiliumq; pro tutando regno, eius uiro Etheldredo pollicitus est. Occupauerat interim Sueno maximã partẽ Angliæ, sensimq; quod restabat, in deditionem redigebat, dedentibus se ob timorem populis, cùm Etheldredus iam tum cedendum esse patria hosti existimans, post annũ quintum & trigesimum, quàm regnare cœperat, in Normaniam ad Ricardũ confugit. Ac Sueno tum demum totius Angliæ imperium adeptus est, & sic Daci ex aduenis, secundùm Anglos, regnum in insula obtinuerunt. Is fuit annus à natali Christi MXIIII.

At Sueno crudelissimè in Anglos uictoriã exercebat, quatenus illis debilitatis, ipse ab omni deinceps esset periculo uacuus: uerũ ita modus sæuitiã explendi, alienaq; diripiendi aberat, ut ne à sacerdotibus quidẽ, aut rebus sacris manũ abstineret. Enimuero homo impius tam Anglicũ nomẽ delendum, cp̃ religionem Christianam modis omnibus ex mortalium pectoribus euellendam destinans, postquam insulanos nobiles exinaniuerat, ac multas sacras ædes donarijs dispoliarat, postremò diripuit cœnobium Burience, in quo iacet corpus diui Edmundi regis, & martyris, simul omnem agrum circunquaque populatus. Sed Sueno meritas pœnas monachis, quos miracula delectãt, stãtim pòst dedit: nam ferũt, eum dum apud suos milites lætitia exultans ob regnũ adeptũ gloriaretẽ, repentè uelut pugionis supernè demissi ictu cõfossum in terram cecidisse uociferantem, mortem sibi esse illatam, ac actutũ interijsse, & omnes qui aderant, subitæ rei casu stupentes, percussorem nusquã cernentes, arbitratos id deorũ ira esse factum. Ad posteros multò bellissima etiã fama manauit, illum eo ipso cultro fuisse interemptum, quem diuus Edmũdus dum in uita erat, gestarat. Verùm longè feliciorem ac alium uitæ exitũ Sueno habuit, ut Saxo Grammaticus tradit, qui autor est, hunc regẽ post uarios rerum euentus, subegisse Anglos, ac ea conditione pacem dedisse Etheldredo regi, qui licet in Saxoniano codice, haud rectè Adelstanus nuncupetẽ, ut post eius mortẽ, omnis hæreditas sibi ueniret: & Suenonẽ postremò Christianum effectum, multa pietate purgasse facinora, quæ in priore uita fecisset. Ista minus à ueritate abhorrent, ut Sueno Christiano more uiuendi finem fecerit, & Etheldredus deinde precariò regnauerit, quãdò satis constat illũ, postquam regno expulsus fuerat, nõ in exilio, sed in Anglia obijsse mortẽ. Cæterũ illud non omiserim, certum Suenonis pietatis argumentũ specimenq; esse, q̃ eo rege, Daci Christianum dogma receperint. Sed reliqua persequi aggrediamur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec ita multo pòst quàm Sueno interierat, Daci Canutum eius filium iuuenem optimæ indolis, altitudineq; animi, ac Christiana pietate insignem, regem fecerũt. Angli quibus nihil longius uidebatur, quàm Dacorum iugum à ceruice excutere, audito Suenonis casus rumore, lætitia exultantes, statim per literas Etheldredo mortem hostis nuntiant, hortanturq;, ut uelit quam primùm redire, ad regnum à manibus alienigenarum hominum eripiẽdum: ad idq; efficiendũ, operam opesq; omnes pollicentur. Adauxit ea res animũ regi, qui plenus uindictæ nihil cunctatus est, ad negotium maturandum: sed ueritus inconstantiam uulgi, de suorum sententia, Edouardum maiorem natu filium in Angliam præmisit, qui pertentaret, an sui in fide manerent. Aduo lauit Edouardus, sigillatimq; animos omniũ magna sagacitate perscrutatus rediit in Normaniam, pari propè atq; iuerat, celeritate, renũtiauitq; patri omnia satis tuta fore, si festinatione uteretur. Eo nuntio Etheldredus in bonam spem adductus, statuit fortunam tentare. Itaq; cùm Ricardi ducis auxilio fultus, tum suorũ fide fretus, properè in Angliam adnauigauit. Fuit eius aduentus insulanis maiorem in modum gratus, quippe quibus Dacorum dominatio ut generi ac nomini Anglico exitialis, odio uehementer esse iampridẽ cœperat: tametsi Canutus omni liberalitate ac humanitate illos in fide tenere maximè studebat, qui ut diuina etiam ope in bene administrando regno iuuare tur, fertur secundùm Deum, in primis diuum Edmundum Suenoni patri antea iratum, precibus & multis muneribus sibi placãdum curasse. In ijs donis, apud uulgus fama est fuisse coronam, deinde si luberet, grandi pecunia redimendam, ac inde morem inoleuisse, ut reges deinceps itidem facerent, quem tamen haud diu seruatum ferunt, uel potius nunquam: nam, ut Persius ait, In sacro quid facit aurum? Item templũ uarijs donarijs, & monachos amplis prædijs ditauit. Paucis pòst diebus, quàm Etheldredus in Angliã appulsus fuerat, ingenti exercitu parato, in Canutũ, qui tunc se Lincolnia cõtinebat, cõtendit, è loco q; fugauit, ac prouincia tota igne ferroq; uastata, bonam incolarum partem interfecit. Est autẽ Lincolnia urbs celebris ad Orientẽ sita, cuius pars altera monti imposita ornatur templo magnifico diuæ uirgini Mariæ sacro, arceq; munitur ualida. altera loco plano posita, ad austrũ conuersa, alluit flumine Vuitham, ita uulgo nuncupatur, & agrum habet tam fertilissimum, q; amœnissimũ. Atqui Canutus, qui uiribus impar cesserat, ingressus nauẽ, quã ad ostiũ Humbri paratã habebat, ad oram Cantianã in Sanduicũ portũ reuectus est, ubi loci eius classis in anchoris stabat, ibi quosdam Anglos nobiles, Suenoni per pacis conditiones olim obsides datos, confectis naribus atq; manibus deformauit, ac relicto ad defendendũ portũ præsidio, in Daciam extemplò concessit, rediturus ad ulciscendã iniuriam, cùm per negotia domestica liceret: qui interim bello Anglico prouertere domesticũ coactus, Sclauos cùm maximè infidos bello domuit. Quare præclarissimè cõfecta, maiora inde animo agitans, sicut usu uenit, ut unius rei euentus, alterius sæpissimè initium faciat, destinauit & Noruegiẽses armis aggredi, à quib. paulo antè regno auito defraudatus fuerat: sed inter rerũ initia, haud tutũ ducẽs tot simul gerere bella, rem in aliud tempus reiecit: nam Noruegienses audita morte Suenonis, ut ne extero principi amplius parêrẽt, Olauũ sibi regẽ optarũt. Quare ille in præsentia ad Anglicũ bellũ intẽtus, quę huic rei necessaria essent, studio parabat.

Per

Per idem ferè tempus prodigia uaria nuntiata sunt, quibus facilè constare prædicabant, portendi regni mutationem: sed in primis eius futuræ calamitatis significationem fecisse Oceanum, qui sine ulla euidenti causa, quæ posset rem admirationi eximere, in altitudinẽ insolitã exiuerit, atq; pagos, multosq; mortales absorbuerit. Etheldredus interea, utpote qui pigrabatur omnia facere, non exercitum contra hostem uenturum, non bello gerendo quæ opus essent, parauit, sed more mulieris ulciscendi auidus, Dacos qui iam liberos ex Anglicanis uxoribus susceperãt, & fortunas omnes in insula habebãt, ita oppressit, ut post ingentem effectam cędem, bene multi capti, atq; per cruciatos necati sint, inter quos Sigifredus & Morgandus Dacorũ nobilissimi, fuerũt falsi criminis insimulati apud regem ab Edrico Stratonio, qui uir erat magna ui corporis & animi, non item ingenio bono præditus. Quo scelere aliud deinde scelus cumulatum est: inter captiuos enim erat uxor Sigifredi, mulier pudicitia singulari, & forma longè elegantissima: hanc Edmundus filius regis prius stuprauit, quamuis post necem uiri in matrimonium duxerit. Hæc statim ut Canuto nuntiata sunt, ita eius animum irritarunt, uti properè rebus in Dacia compositis, in Angliam iniuriæ suorum cum primis uindicandæ causa redierit, relictisq; qui nauibus præsidio essent, populabundus Cantium ingressus, ad Occidentales Saxones peruenit, nulla incolumi relicta re in itinere, cui ferro aut igne noceri potuerit. Erat tum Etheldredus in morbo, qui ita tempore exclusus, Edmundum filium exercitum cogere, in hostemq; ire confestim iussit. Erat Edmundus tum animi tum corporis uiribus ferox, unde Ferreum latus cognomen sibi inuenit, quem Etheldredus non ex Emma, sed ex altera uxore nomine Ethelgina, humili genere orta, creauerat, qui sua egregia uirtute, & patri gloriam, & matri nobilitatem peperit. Edmundus igitur explorato hostium itinere, quammaximas potest copias parat, ac per tramites occultos, hostes anteuenit, eos derepentè inuasurus. Erat socius belli, ac consiliorum omnium Edricus Stratonius, qui gloriam iuueni inuidens consuluit, ut in hostem ne irrumperet: cuius artificium eò pertinebat, ut hominem perderet. Paruit dicto Edmundus, expectans dum melior pugnandi occasio daretur. Edricus interea ut perfidus enixè studebat Edmundum hostibus prodere: quod ubi minus procedere animaduertit, non amplius dissimulãdum ratus, iam palàm Canuti fidem secutus est. Quo factum est, ut bona insulanorum pars timore perculsa, ultrò datis obsidibus, in Dacorum fœdera ac potestatem uenerit. Soli Mercij in officio perstabant, affirmantes se nunquam defecturos, modò ducem haberent. Dum hæc geruntur, Etheldredus paulisper morbo leuatus, in hostes progreditur: sed accepto aduersæ rei nuntio, dolore ac molestia uitæ tam infelicis affectus Londinum diuertit, ubi grauius solito ægrotare cœpit. At Edmundus in tanta rerum perturbatione uirili usus animo, quamoptimum factu arbitratus est, si omissis hostibus, aliquot urbes quæ metu defecerant, pugnando recuperaret: itaque id consilij infectationi hostium in præsentia anteuertens, nonnulla loca aggressus subitò expugnat, alia complanat, grauius in eos qui desciuissent animaduertit, quò alij similis supplicij metu, in officio permanerent. Cognouit Canutus hostis cõsilium sibi malo futurum, nisi infringeret: quocirca partem copiarum quamprimum misit in Northumbriam, ad prædan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, de patrimonio Vtredi, primi ab Etheldredo facti eius regionis comitis, uiri admodum ſtrenui, qui Edmundi exercitum ductabat, quò ille ſua defendendi cauſa, neceſſariò pedem domũ referret. Nihil fefellit ſpes Dacum: Vtredus enim confeſtim accepto nuntio illatæ iniuriæ, in Northumbriam aduolauit: qui licet ſe aliquandiu fortiter oppoſuerit, ad ultimum tamẽ deſperata ſalute, cum tota Northumbria ſe hoſti dedidit: ſed poſtea perfidia ſumma, contrà atque ius belli iuberet, iugulatus eſt. Edmundus interim deſtitutus auxilio Vtredi, Londinum ad patrem confugit. Quod ubi Canutus cognouit, firmata præſidio Northumbria, nauem conſcendit, ac in oram Cantianam, ad claſſem ſuam reuertit. Eo anno Etheldredus morbi longitudine, pariter atq; animi mœrore confectus occidit, uir à principio magis otio quàm bello gerendo aptus, magisq; corporis uoluptatibus, quàm animi uirtutibus addictus: ſed ætate iam ſenecta, longo rerum uſu melior effectus, maximè nixus eſt, etſi fruſtra, patriam ſuſtentare cadentẽ. Sepultus eſt magna pompa Londini, in templo diui Pauli. Genuit ex Ethelgina priore uxore, ſiue, ut quidam minus uerè tradunt, cõcubina, filios Edmundum, Eduinum, Adelſtanum, & filiam unicam Edginam: item ex Emma Edouardum uirum ſanctiſsimum, & Aluredum ſiue Alfredum. Tulit uel optimas leges. Fuit is annus cùm regnare cœperat, trigeſimuſoctauus, & tertius, cùm in Normaniam fugerat, ſalutis uerò humanæ MXVI.

Fuerunt id temporis uiri ingenio & ſanctitate clari, & in ijs Etheluoldus monaſtici ordinis, qui ob ſingularem doctrinam, Vintonienſis epiſcopus factus eſt, cuius pietatis opera extant, & in primis duo egregia cœnobia, alterũ Vintoniæ, monacharum, alterum monachorũ ordinis diui Benedicti, quod Burgum Petri nominant, quia diuo Petro dedicatũ fuerit. eſt ad orientem ſolem locus in Northantonẽſi comitatu, Lincolnienſis diœceſeos. Ille enim cœpit iam tum cùm uitã degebat, miraculis clareſcere, quam ob rem poſtea mortuus, in diuorũ numerũ relatus eſt. Succeſsit Etheluoldo, Elphegius, uir omnibus rebus ornatus, qui poſtea Cantuarienſis archiepiſcopus creatus, capta à Dacis Cantuaria, ac direpta, dum propagandæ religionis ſtudio, barbaros qui inter hoſtes erant, ad ueræ pietatis cultũ prædicatione & exẽplo hortabatur, martyrij palmã aſſecutus eſt. Incidit in hæc tempora Dunſtanus, qui pariter de patria rectè conſulendo, prudenterq; monẽdo, atq; de religione, rem diuinam augendo, benè meritus eſt, cuius ſanctitas pietasq; mortalibus perſpecta, Deoq; grata, faciebat, ut & illius memoria in dies magis perpetuaret, & dum uiuebat, multis miraculis eniteret. Is per omnes dignitatis gradus, ad archiepiſcopatum peruenit. fuit prius abbas Glaſconienſis, deinde epiſcopus Vigornienſis, atq; ſimul Londinẽſis, quippe qui idoneus dignusq; erat, qui magnis ac multis fungeretur honoribus. poſtremò Cantuarienſis archiepiſcopus factus, Edouardum atq; Etheldredum reges ſacrauit: qui ætate iam decurſa, uita exceſsit, anno cum ſedere cœperat, octauo & uigeſimo, fuitq; inter diuos ob uitæ ſanctitatem relatus. Succeſſere archiepiſcopi Ethelgarus, Siricius, & Alauricius, qui circiter decem & octo annos eius diœceſis rectores fuerunt. Secutus eſt Elphegius antiſtitũ Cantuarienſium ordine uigeſimus ſeptimus, quem quidam intra tempora Etheldredi ponunt, quod tamen quadrare non poteſt, ſi rectè annorum ratio inita eſt; nam ab obitu Dunſtani, uſq;

uſq; ad mortẽ Etheldredi, interfuerũt anni quatuordecim, cùm Aluricius ſedebat. Igitur Elphegium neceſſe eſt poſt id tempus, diœceſim Cantuariẽſem adminiſtraſſe, per martyrium q; uitam amiſiſſe, dum Canutus Edmundo interempto, totius Angliæ imperiũ obtinebat. Ac circiter annum ſalutis DCCCLXXIX, Oſualdus Eboracenſis archiepiſcopus moritur, poſt annum q; ſedere cœperat, uigeſimumtertiũ. fuit uir, qui ob puritatem uitæ, in diuorum catalogum adſcribi meruit: cuius etiam pietatis teſtimonium præbet cœnobium ordinis diui Benedicti, quod ille extruxit in pago Lincolnienſis diœceſeos, quæ Ramiſia dicitur, quæ Elym inſulam proxima eſt. Secutus eſt Adulphus, Vulſtanus, Alfredus, Chinſius, & Aldredus, ordine antiſtitum uigeſimusquartus. Is cum Aluredo Cantuarienſi antiſtite, ſacrauit Haraldum regẽ, de quo in uita Gulielmi, qui eum deuicit, plura dicentur. Iiſdem temporibus ſedes epiſcopalis quæ erat in Lindiſarne inſula, Dunelmum trãslata eſt, eoq; corpus diui Cutheberti delatum, quemadmodum alibi expoſitum eſt.

Edmundus mortuo patre, à Londinenſibus rex renuntiatur: ſed cęteri populi partim metu, partim libidine nouandarũ rerum, Canutum regem ſuum appellabant. At Edmundus animo ferocior, ſtatim ex hybernaculis militem ſuum reuocat, ac in ſpem recipiẽdi loca ingreſſus, cum exercitu expedito magnis itineribus in eam inſulæ partem quæ uergit ad Occidẽtem, properat, & quò plus terroris hoſti iniiciat, acie inſtructa accedit, ac primũ omniũ Gloceſtriam, Briſtolliũq; ad expugnandum aggreditur. Hic non minore animo, q; conſilio, Dacos qui oppidis præſidio relicti erant, metu obſidionis, cũ in diẽ uiuerent, foras ad manus uenire coactos adoritur. Suſtinent hoſtes etſi ſubitæ rei tumultu perterriti parumper impetum, deinde in fugam coniecti, dum pro ſe quiſq; ſalutis cauſa, ad loca tuta feſtinat, ab inſequentibus circumuenti cõplures interficiuntur. Qua re aliquot ex uicinis populis perculſi, datis obſidibus, deditionem neceſſariò faciunt. Peruenere interea nonnulli ex Dacis, qui ex flamma illius cædis euaſerant, ad Canutum, in Cantiũ, euentum q; rei geſtæ enuntiarunt. Ille perinde quaſi nullam à ſuis acceptam plagam intelleriſſet, alacriter coactis copijs, Londinũ petit, iuſsisq; nauibus eodẽ per Thameſim accedere, urbem obſidione circundat. Cæterùm tãtum abfuit, ut Londinenſes ciues, qui fideliſsimi erant, armis & uiris muniti, aduentu hoſtiũ terriri ſint, ut apertis portis aduerſum eos confeſtim irruperint, ita, ut illi impetũ minimè ſuſtinentes ſubitò ceſſerint. Strages haud magna edita eſt, cùm nihil ferè temporis pugnatum ſit, Canuto feſtinante cum Edmundo confligere, quem interea audierat, Andoueram, qui eſt pagus ad XV milliaria, prope Sarisberiam, reuerſum eſſe: quò ubi peruenit, caſtra in conſpectu hoſtium loco plano poſuit, ſuoſq; in aciem eduxit. Nec recuſauit certamen Edmundus, ut ſigna ab hoſte efferri uidit. ab hora tertia, iam fermè ad noctem pugnam extraxerant, & ipſa pugna in neutram partem inclinata adhuc ſtabat, cùm Edricus prælio egreſſus, Anglos territandi cauſa, in ſpeculam quandam aſcendit, ibiq; uociferans Edmundum interemptum, gladiũ oſtentabat cruore manantem: quem ita clamantem nihil propius factum, quàm ut ſagittarij Angli interficerent. Cæterùm ea res autoribus haud bono fuit. Anglus ea indignatione accenſus, ſuos ſimul cohortatus, tãto impetu in hoſtes prorupit, ut primũ è loco mouerit, dein animis feruentibus fugarit: feciſſet ingentem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cædem, si per noctem, quæ iam multa erat, licuisset. Canutus ita profligatus, totam noctem itinere facto, Vintoniam uersus, in locum tutũ se recepit. Edmundus uerò, ut apud quosdam inuenio, hostem minimè persecutus, Sarisberiam flexit iter, opem laturus ciuibus, qui ab altera Dacorum manu oppugnabantur. Adfuit non multo pòst Canutus: tum non longè ab urbe, iterum instructis aciebus, manum conserunt: fit pugna atrox recentibus animis, corporibusq́, quam æquo Marte utrinq; diu cõmissam, nox omnibus iam fessis militibus diremit. Postero die Angli â sole orto, usq; eò in acie stetere, dum Canutus in certamen descendit: pugnatum est acriter, pari tamen euentu, & multa utriusq; partis cæde, & eũ iam uesper diei instaret, æquo prælio discessum est. Deinde altero die uterq; exercitus per otium cibum capiũt, ac hesterno prælio interfectos in unum congestos cremant, neq; interea arma deponunt. plus uiginti millia hominũ utrinq; desiderata. Nocte insequenti, Canutus silentio mouit castra, & Londinũ uersus abijt, quam urbẽ eius classis penè obsederat. Edmũdus ubi lux fugam hostiũ aperuit, uestigia secutus est, ac leui certamine ciues obsidione leuauit: quare magna pompa, ac gaudio triũphans, urbem iniuit. Canutus, quem spes frustrata est, parta ingenti prẽda ex locis uicinis, classem suam reuisit, quę paulo antè se in flumen receperat, quod Rocestriam præterfluit. Hunc fluuiũ olim Medeguaram, hodie Medueiam uocãt. Hîc aliquot dies Canutus moratus est, partim ut maiorem exercitum faceret, partimq; hostium consiliũ per exploratores cognosceret, id quod nullo negotio intellexit. Edmundus enim haud patiens moræ, coactis quamcelerrimè potuit copijs, nõ longe à castris hostiũ cõsedit, ibiq; quammultis uerbis adhortatus milites, ut memores tot antea cõmissorum præliorũ, tum demum contunderent ferociam hostium, eatenusq; urgerent, instarent, quoad uno certamine eos adorti uincerent, quò tandem aliquando tantorum finis fieret laborum. His accensi milites adhortationibus, simulq; affecti tædio insolentiæ hostium quotidie instantiũ lacessentiumq;, in Dacos acriter prodierunt. Canutus itidem, qui suos in dies horasq; ante Anglorũ aduentum, paratos esse iusserat, in aciem descendit: pugnatũ est amplius quatuor horis, cedere inde Daci cœperẽ: quod ubi Canutus uidit, equites in primã aciem ire iussit: sed dum alij trepidi cedunt, alij segniter subeũt, turbata tota acies est, deinde prorsus fuga, & uincente pudorem metu, terga dederunt. Tria millia Dacorum, & quingenti cæsi sunt, & in ijs multi summæ nobilitatis duces: ex Anglis ad summũ sexcenti, & illi quidẽ pedites fuerũt Voluit Edmundus uictoria uti, hoc est, hostes persequi, ut illo die omnes inimicos deleret, quod haud dubiè, nisi fata obstitissent, effecisset: dum enim de persequendo hoste, tanto perfunctus bello agit, uisum ei est conducibile fore, si diei quod reliquum erat, noctisq; insequentis, quietẽ & ipse sibi sumeret, & fessis daret militibus. Ita mora eius diei satis putatur Daco saluti, Anglo non item fuisse. Postridie eius diei Edmundus ubi illuxit ad spolia colligenda intentus, suos expediebat, ut hostes inde sequeretur, cùm eos dissipatos simul iam iunctos Thamesim traiecisse, ac in Oriẽtales Anglos arma uertisse factus est certior, qui illuc suis opẽ laturus actutũ aduolauit, signoq; dato, hostes aggressus est, & quãuis alij postremos cæderẽt, alij à sinistra ac dextra medios ferirent, Daci tamẽ nihil cedebant. hortabatur pro se quisque suos: sed Edmundus inter primos, prælian-

prælíando commonefaciebat centuriones, ut in ordine retinerent militem: identidẽ uociferãs, eum diem aut omnes labores, & uictorias confirmaturũ, si parum adhuc instaret, aut maximarũ ærumnarũ initium futurum, si parum pedem referret. Hac uoce prælium atrox ita repentè exarsit, ut Daci iamiam sensim cederent. Quod ubi Canutus conspexit, ilicò in sinistrum cornu, unde plus periculi impẽdebat, impressione facta, it subsidio suis, ac obuios quosq; magna ui prosternit. Quo factum est, ut Anglorũ magna pars longo certamine fessa, audito cędis rumore, territa confestim se fugę dederit: quos Edmũdus sese ante omnes ejciẽs parumper remoratus est, attamen disiectis iam ordinibus, pugnam à suis omissam instaurare nequiuit. Hîc Angli uijs ab hostibus pręclusis, cùm neq; animus ad resistendum, neq; ad fugam cuiquam spes supereresset, omnes ferè ad unum cæsi sunt, in quibus omne fortissimorum mili tum robur fuerat. Edmundus cum paucis admodũ militibus, itinere non intermisso, ad Occidentales Anglos confugiens, Glocestríam se recepit: quem Canutus spatio duarum horarum secutus, consequi non potuit.

Hæc accepta clades, licet Anglorum pariter uires debilitasset, atq; animos fregisset, cùm præsertim Londinum, multaq; alia loca non ignobilia ad Dacos tum demum metu defecissent, Edmundus tamen nihilo segnius exercitũ parabat, id quod Dacus iam fecerat, qui ad hostem magnis itineribus accedebat. Porrò futurũ erat, ut si rursus confligerent, de summa rei prælio hoc uno ageretur, cùm Edmundo certum esset, sese demum in proximo certamine extremo cõmittere periculo. Itaq; iam uterq; exercitus infestis signis expeditus ad pugnam capessendam stabat in conspectu, nõ procul à ripa Sabrinæ, cùm Edricus, ut quidam tradunt, agere cœpit, uti reges inter se prius colloqueren tur, cũq; dimicarent, qui certum sciebat eam rem perinde ad commodum Dacorum, ac Anglorum pertinere. Studebat Edricus qui antea improbissimè omnia fecerat, tum demum probitatem simulare, in concilianda pace, inter duos strenuos imperatores: qui eius consiliũ pro tempore non contemnendũ rati, quanq; uana omnia futura ducebãt, congrediunt, aliquantulumq; inter se locuti sunt, non sine magna omnium expectatione, uerùm de compositione rei omnino ambigitur. Quidam tradunt pacem conuenisse, & ex fœdere, Canuto Merciam, & Edmundo insulæ partẽ quæ ad Occidentem est, obuenisse. alij uerò quos non pœnitet sequi, sic rem gestam produnt, ut unus ex ducibus, is Anglus ne, an Dacus fuerit, parũ liquet, nactus loquendi facultatem, ita coram regibus uerba fecerit: Satis, optimi imperatores, armis utrinq; certatum, satis sanguinis utriusq; gentis effusum, satis deniq; uestra ac militũ uestrorum uirtus perspecta est, & tamen nec bonam nec malam ferre fortunam potestis, seu alter uincat, ferociter instat uicto, seu alter uictus sit, instaurat eũ uictore certamẽ. Quæ, malùm, est ista uestra inuicta uoluntas: an pluris est uobis bellum, quàm pax: quorsum tandẽ aut libido imperandi, aut uestra honoris cupiditas tendit: Quòd si pro regno pugnatis, diuidite uobis opulentissimũ regnum, quod olim septẽ regibus satis fuit: sin uerò gloria uos ad incertã imperij seruitijq; aleam ire instigat, inueniatis aliquã uiam, qua sine magna clade, sine multo sanguine utriusq; populi, decerni possit, uter utri prestet. Hęc ille. At posterior sententia nõ displicuit Edmundo: eadem Canuto quoq; probata, cui fata fauebant. Itaq; ratio inita est, ut reges inter se ferro cõtenderent, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui uicisset, huic alter uictus regni possessione cederet. Erat nō procul paruula Sabrinæ insula, cui Oluea nomē est, quam nunc Olanegeā uocant, in hanc ambo reges armati descenderunt, circunstantibus utrinq; ad ripas fluminis, copijs minimè lætis, quippe quæ suspensæ animis in parū gratū spectaculum intendebant. Datur signū, infestisq; armis reges concurrunt, ac singularē pugnam extemplò pugnāt. Edmundus cui corpus magnitudine & animoso pectore eximium erat, uelut moles supernè imminēs porrecto læua scuto, in aduenientis arma hostis cæsim cum ingenti sonitu ferrum deijcit. Canutus uir mediocri statura, uiribus & animo ingenti, tanto ictu aliquantulum reiectus, in hostem iterū sese infert. Hīc diu crebris inuicem ictibus cominus dimicāt, sed cùm certamē æquo Marte extraheretur, & uictoriæ spes dubia euaderet, tum Dacus, ut qui omnino uiribus impar iamiam terreri cœperat, quammaxima uoce potuit, Ecquæ nos, inquit, necessitas uir fortissime urget, immaturam pro regno oppetere mortē? Præstat profectò, depositis cum odio armis, pacem inter nos conuenire: utere tu, prout lubet, Canuto tuo, qui prestò est, ut tibi gratum faciat. His uerbis ferox iuuenis lenitus, euestigiò proiectis armis, porrigit aduersario dexterā. Itidem faciūt exercitus, qui eandē patriæ fortunā expectabāt, ac reges pugnādo subijssent: postea coagmētata pace, ac facto in multos annos fœdere, inter se regnū partiuntur. Edmūdo pars quæ in occasum solis uergit, Canuto reliqua obuenit. Sed fluxæ sunt, & caducæ nimium mortalium res.

Dum Dacus Londini agebat, Edmundus qui bellis tantis perfunctus, adepta pace fruebat, subitò è uita excessit. Mors huius principis sanè miserabilis fuit, tum q; florem eius ætatis rapuerit, tum q; totum regnum in præceps dederit. Multos circa unam rem ambitus facerem, si ea quæ de Edmundi morte uariant autores, omnia exequi uellē. Quidā, quos inclinat animus, ut sequar, tradunt, filium Edrici (eius nomen nō ponitur, quod sciam) impulsore parente, regē corpus purgantē furtim adortū, ac ferro uentrem & inguina interscidisse. Alij quibus fabellæ cordi sunt, perhibent ipsum Edricū ita domi suæ aptasse in manu cuiusdā imaginis mucronē, ut quoties uellet, accedentē ad eā ferire, atq; dedisse Edmūdo cœnā, & dum ille contemplaret imaginē, eo mucrone esse confossum. alij postremò, ut cæteros omittamus, morbo perijsse. Peruasit tamē per animos hominū fama nō incerta, Edricum istuc edidisse scelus, ac statim post interfectū Edmundū, salutasse Canutū totius Angliæ regē, caputq; interempti obtulisse, & id facinus Dacū detestatū, proditorē Edricū merito affecisse supplicio. Alij cōtrà scriptū reliquerunt, Canutū miro amore hominē esse prosecutū, ad summosq; perduxisse honores, q; per eum tādem aliquando regnū integrū obtinuisset. Sed iam subijciamus, quæ Saxo Grammaticus de his gestis rebus, memoriæ prodiderit. Is meminit de diuisione regni Anglici, inter reges, atq; de Edmūdi cæde, sed suos Dacos prælio superiores affirmat: nanq; tradit reges simul conseruisse manū, & Dacorū aciē iam inclinatā, Thimonis cuiusdā antesignani uirtute restitutā, euasisse uictricem, ac tum Edmundū animo cōsternatū feciſſe regni consortē Canutū, atq; septimo pòst anno extincto Edmundo, iuuenes quosdā audaculos primò per iocū appellasse Canutū dolo, non uirtute, totius Angliæ regē, & deinde extra iocū, diuulgasse regē Anglum eius fraude interfectū, & illum ob id iratum, in detractores

tractores crudeliter animaduertisse, atq; ne illud facinus sibi assignaretur, semper negasse Edmundi cædis se cōscium fuisse. At nos ista appositè tetigimus, quatenus historia multorum testimonijs planior fieret. Ad inceptum redeamus. Regnauit Edmūdus annum unum, qui magna pompa in Glasconiensi cœnobio humatus est. Cecidit cum hoc principe omnis maiestas regni, quod deinde, uelut corpus humanū senio confectum ac grauiter à Dacis affectum, uigintisex pòst annis, rege Edouardo filio Etheldredi nonnihil conualuit, citò omnino, uti alius edocebit locus, interiturum.

Canutus tāto potitus regno, conuentū principum primo quoq; tempore facit, in quo more maiorum, rex creatur, & ab Aluredo Cantuariensi antistite consecratur. Fuit is annus humanæ salutis MXVII. Canutus sic rex Angliæ factus, statim senatum sibi domesticū delegit, de cuius consilio cuncta regni negotia gererentur: cui post hæc, nihil antiquius fuit, q; Edmundum & Edouardum Edmundi regis filios proscribere. Quare illi in Pannoniam profecti, ac ibi bene accepti, uitam in exilio egerūt. Is Edouardus reliquit filios duos mares, Edmundū & Edgarū: ac totidem fœminas, Margaritam, & Christinā, de quibus in uita Gulielmi Normani regis cōmodè plura dicemus. Rex ita domi rebus cōpositis, quia Haraldus & Sueno, ex Aluina concubina, ei tantum filij erant, cùm cuperet filium legitimū suscipere, qui iure succederet, in matrimoniū duxit Emmam, olim Etheldredi regis uxorē, quæ cum Edouardo & Alfredo filijs, in Normania exulabat, apud Ricardū fratrē suum, cui ipse Hestritham sororē uicissim locauit. Item in eo cōuentu egit, ut principes, ac deinde uniuersus populus toto regno, in eius uerba iurarit. Dein Hirciū Northūbriæ, Thrugillum Orientalium Anglorum, homines Dacos, & secundū aliquos, Edricū Merchiæ comites fecit: postremò leges ualde salutares promulgauit, atq; sanxit: quas deinde Normanica peruersitas cū alijs penè antiquauit. Soluto cōuentu, in primis regnū moribus & nobilitate ornandū, ac benè de Anglis generatim merendū sibi constituebat, cū repentè factus est certior de Noruegiensium facto in Daciam impetu, rogatusq;, ut quamprimum suis auxilio iret. Haud modici momenti res uisa est: sanè Olauus Noruegiæ rex, cùm audiret opes Canuti plus crescere, q; tutum suis putaret rebus, qui uerebatur, ut ab se auitum regnū repeteret, interpellandi eius uictorias cupidus, unà cum Haraldo fratre uiro strenuo, Daciam ingreditur, agrosq; passim populatur, ac quotidiana prælia cum locorum præsidijs faciens, uidebat breui tempore omnia occupaturus, nisi tanto impendenti periculo maturè occurreret. Quare Canutus momento temporis delectū militū cùm Anglorū tum Dacorum habet, quibus paratis, nauē conscendit, secundoq; uento in Daciā incredibili celeritate uectus, offendit hostes uastatis undiq; agris, in armis stare: tum signa ferri, ac sequi armatos iubet: sed ocyus dicto omnia fiebant, cupientibus Anglis aliquo egregio facinore uirtutē ostentare, quò se apud principē suum, in maiore gratia ponerent. Initur prælium, ac tanto animorum impetu cōmittitur, ut clamor cœlum oppleret: fuit diu anceps, ad ultimū urgentibus Anglis, hostes uincuntur. Postridie Canutus hostem secutus, iter Noruegiā uersus fecit, quò ubi peruenit, legati de pace, de deditione, qui pro salute omnium orarent, obuij fuerunt: quos benignè audiuit, ac acceptis obsidibus, clementer remisit, quicquid in se deliquissent. Atque ita Noruegia recepta est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Olauus uerò desperata uictoria, ad socerum Gerithaslauũ Orientaliũ ducem se recepit, ut ibi tutius domo exularet: qui ita dum uoluit rem alienã turbare, suam perdidit: perdidit tamẽ nihil uir innocens, qui per eiusmodi calamitates multò probatissimus inuentus, omnium iudicio habitus est sanctissimus. Est autem Noruegia peninsula ad septentrionẽ, in Germanico Oceano posita, solum habens parum frugibus bonum, ut passim lapidosum, salebrosumq;. Est & Suetia in eodem maris tractu, quæ ab occasu Daciam Noruegiãq; spectat. Has putant esse, quas nostri Glessarias, & Græci Electrides, propter electri copiam, appellant: nunc utranq; Dacorum rex habet. Compressit Canutus & breui pòst coniurationem in se ab Olauo & Vluone heroe factam, qua nimirum oppressus fuisset, nisi eam nascentem & uidisset, & maturè dissoluisset, autoribus morte affectis. Ad rem redeo.

In ea pugna Canutus cùm Anglorũ fidem tum uirtutẽ potissimũ expertus est, quos ob id deinceps mirificè dilexit, maximisq; præmijs remunerauit. Quibus cõpositis in Dacia rebus, rex haud multo pòst in Angliã reuertit, ubi honorificè omnes speciatim principes appellãdo, munerib. afficiendo, uectigalia antiqua magis minuendo, cũq; noua imponendo, nulli spẽ aut causam bellorũ dando, ciuitates omnes in pace & in officio atq; amicitia cõtinebat, cùm animo iampridẽ ad cultũ diuinæ pietatis adiecto, de religione in parte aliqua bene merendũ ratus, cõstruxit cœnobia duo, alterũ apud Anglos, in Northfolchia, intra paludes, quod uocatur Diuus Benedictus, ubi loci antea eremitanum sacellũ positũ fuerat: distat locus à Nordouico, circiter milliaria septẽ: alterũ uerò in Noruegia. Cæterũ poscit mentio de Nordouico facta, ut eius ponamus sitũ. Est enim urbs Northfolchiæ comitatus, & in ora quę pertinet ad Orientẽ, prope mare, ad xij. M. pass. duobus imposita montibus, quos discriminat flumen Vuensdon, ita uulgò dicit̃, per conualles q; currens in Oceanum Gallicũ influit, ac portũ facit ad pagum nomine Hyermuthũ. Sed adrẽ rursus. Postremò anno salutis humanæ MXXX, & cùm regnare cœperat, tertiodecimo, uoti causa Romã petiuit, ubi à Ioanne uigesimo pontifice Romano benignè acceptus est, qui persoluto uoto, paucis pòst diebus in Angliam incolumis redijt. Nõ interceserant multi inde dies, cùm necesse habuit ingẽs suscipere bellũ, aduersus Ricardũ Normanorũ ducem, q; is legum parum metuens, per idem tempus cum Hestritha uxore, quæ erat, ut suprà demonstrauimus, ipsius Canuti soror, ob leuem causam diuortiũ fecisset. Cuius iniuriæ Dacus pœnas à Ricardo repetiturus, instructa quamprimũ multarũ nauium classe, in Normaniã traiecit: uerùm milite de nauibus educto, uix castra in hostili solo fecerat, cùm de Suenonis filij Noruegiæ præfecti, quem unicè diligebat, morte factus est certior: quæ res ita animũ eius uulnerauit, ut in febrẽ incideri t, qua breui consumptus, è uita migrauit. O humanas opes semper infirmas, in medioq; sępe spatio cadentes. Dum Canutus beatissimus esse uidebatur, ecce tibi, fatalis uis eum è medio uitæ curriculo, aliò rapuit. Milites secundum hæc, pacta cum Normanis abeundi facultate, postquã funus regis Rhotomagi fecerunt, unde uenerant, confestim se receperunt. De hoc bello Normanico annales Anglici mentionẽ nõ faciunt, neq; Canutũ ibidẽ obijsse mortem tradũt, uti postea ostendemus. Quam equidẽ rem haud magni æstimandã ducimus, cùm omnino parui referat, ubi quis moriatur, uel sepeliat, cuius

uita non ignoratur. Cæterùm Canuto paulo ante mortem nihil alienius fuit, quàm extrinsecus aut bene aut male uiuendi suspensas habere rationes, quippe qui nõ aliunde, quàm ex pietate pendebat: id quod perspicuè demonstrat eius facinus cũ primis memorabile. Sanè usu ita uenit, ut animi causa aliquando secundũ Oceani litus, haud procul à Suthantonensi portu, ambulauerit, ibiq; per otium, à milite auribus seruiente, appellatus sit rex regũ longè omnium potentissimus, qui hominibus, qui mari, qui terrę latè imperitaret: tum ille tacitus animo repẽtè ad Dei potentiã cõtemplandã erecto, ut suorũ uanas assentationes aliquo argumento coargueret, uestẽ exuit, ac ex ea globũ fecit, superq; sedit q; proxime aquam, æstu tum fortè ex alto se incitante, ac inquit: Vnda tibi iubeo, ut ne pedes meos tangas. Quæ ubi est fatus, suis demirantibus quatenus ista faceret, unda insurgens totũ madefecit. Tum ille retrò progressus, En, inquit, principes uocatis me regẽ, qui hanc paruulã undam meo imperio cohibere uel remorari nequeo: Nullus nempe mortaliũ est tali nomine dignus: est rex unus pater domini nostri Iesu Christi, cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur: hunc ueneremur, hunc regẽ appellemus, huc regum, hunc populorũ omniũ dominũ, hunc cœli, terræ, maris rectorẽ non solùm cõfiteamur, sed etiam profiteamur, præterea neminem. Post hæc, Vintoniam profectus, coronã quã gestabat, capiti simulacri Christi crucifixi, quod in templo apostolorũ Petri & Pauli pendebat, suis manibus imposuit, nunq; posthac eiusmodi ornamento capitis usus insigni. Decessit Canutus postnum uigesimũ, quàm regnare cœperat, & Vintoniæ sepultus est. Genuit ex Emma uxore Canutũ, quem Anglici scriptores ineptè Hardecanutũ uocant: & Gonnildam, quæ Henrico Imperatori nupsit. Floruerunt ijsdem temporibus uiri sanctitate clari Alphegius, de quo suprà memorauimus, qui circiter nonũ huius regis annum, capta Cantuaria, post annũ quàm sedere cœperat, sextum, martyrio coronatus iter in cœlũ ingressus est. Liuingus itidẽ Cantuariensis archiepiscopus, & Athelnotus ab Augustino uigesimus nonus. Is aũt fuit Canuto charissimus, quippe cuius opera & ingenio in rebus agendis maximè usus est. Item uiri in rebus bellicis cõsilioq; longè principes, Edulphus, Hircius Northumbriæ, Trugillus Orientalium Anglorum comites.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER OCTAVVS.

IPSO qui fuit salutis humanæ MXXXVI anno, principes cõcilium creandi regis causa Oxonij habuere, ubi diu disceptatũ est: alij Haraldum, quem pater ad Normanicum bellum profiscẽs, præfectum insulæ reliquerat: alij uerò Canutum ex Emma genitum, ut legitimum patris hæredem, qui tunc Daciam regebat, regem optandum sentiebant: tandem pluribus in unam sententiam euntibus, Haraldus ordine regum trigesimus tertius rex factus est. At apud transmarinos, omnia pariter mors Canuti turbauit: nam Noruegienses facta subitò alienatione, Magnum Olaui filium sibi regem constituunt. Daci uerò Canutum tertium, cui omnis hæreditas iure ueniebat, regem consalutant. Atq; ita Dacorum præpotens imperium est repentè diminutum. Per idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempus Angli cùm regia ſtirps penè extincta eſſet, ualde anxij erãt de regum ſucceſsione, & ea cogitatio cùm in primis Brithouoldi monachi Glaſconienſis uiri ſanctiſsimi, qui poſtea Vintonienſis, ſeu, uti apud quoſdã autores inuenio, Vigornienſis epiſcopus fuit, animum ſolicitabat. Fama eſt eum noctu in quiete uiſum eſſe uidere apoſtolum Petrũ ſacrare Edouardum Etheldredi filium regem Angliæ, qui id temporis in Normania exulabat, atq; interrogare ipſum apoſtolũ, ecquis Edouardo ſuccederet: & illum reſpondiſſe: Ne talia cures, nam regnum Angliæ, regnum Dei eſt. Quod extra iocum, multis equidem argumentis ita eſſe comprobatum eſt, & eo præſertim, q̃ licet Angli ex ſuo ueteri inſtituto, minimè omnium Rempublicam curent, monopolijs, uti alibi declarabitur, tantũ ſtudentes, ac nobiliſsimũ regnũ fuerit toties iniurijs affectũ, atq; paſsim direptionib. uaſtatũ, primò à Dacis, poſtremò à Normanis populis ferociſsimis, qui non contenti tantũ imperiũ Anglis adẽmiſſe, omne etiam genus Anglicũ delere conati ſunt: item leges ſanctiſsimas à ſuperioribus regibus latas, gens male animata, bona ex parte repudiauit, cõculcauit, irritasq; fecit, & ueluti quæ peius q̃ aliud quicq̃ oderat Anglicũ nomen, ſuas leges, prout infrà ſubtilius dicemus, minus æquas intulit, attamen ſtat ipſum Anglorũ regnũ, nec caſurũ unquã eſſe uidetur, ut quod Deo optimo maximo curæ in primis eſſe credere fas eſt, quandò apud hunc populum tam pietatis ſtudiũ in dies ſingulos maximè feruet, q̃ apud bene multos plurimũ friget. Iam ſatis aberrauimus. Haraldus in regnum, non item Canuti patris in mores ſucceſſor, ſtatim atq; factus rex eſt, ab iniuria ſuis facienda, poteſtatem gerere cœpit: Emmam enim nouercam proſcripſit, ciues & nullo numero habuit, & ualde oppreſsit, multorũ ſcelerum maculis notatiſsimus: ſed breuitas uitæ eius famæ conſuluit, nam è uita migrauit poſt annum quàm regnare cœperat, quartum. Ipſo illo etiam anno Athelnotus Cantuarienſis antiſtes moritur, cui Edſinus antiſtitum ordine trigeſimus ſucceſsit.

Interim Canutus cognita morte Haraldi, protinus habito militũ delectu, claſſeq; parata, Angliam petit: qui in oram Cantianam poſt ſextum diem, q̃ nauem conſcenderat, ſecundo uento delatus, ac Londinum profectus, libentiſsimis animis accipitur, communiq; omnium conſenſu rex dicitur. Is Haraldum fratrem imitatus, initium regnandi à ſæuitia facit: nam memor iniurię ſibi pariter ac matri Emmæ factæ, corpus ipſius Haraldi apud Vueſtmonaſterium paulo antè ſepultum exhumari, ac amputato capite, in profluentẽ deijci iubet: quod mox à piſcatoribus inuentum, iterum terra humatur. Item principes quòd regnum ſibi debitum Haraldo antea detuliſſent, ſigillatim punire, ac uectigalia intolerabilia populo imponere cœpit, quod ei multum creauit odij. Sed inde ad pietatem cõuerſus reuocauit Emmam matrem, quæ tum in Flandria degebat, cuius conſilio unà cum opera Goduini comitis Cantij uiri ſagaciſsimi, potiſsimum uſus eſt. Venit eo anno Edouardus ex Normania, ſalutatum Canutum fratrem, ac matrem, qui paucos dies moratus, unde uenerat, maturè redijt. Sunt, qui ſcribant iuſſu regis, cum Edouardo atq; Normanis quos ſecũ duxerat, eſſe inhumaniter actũ, & eum ægrè euaſiſſe. Sed plures tradunt Canutũ peramanter accepiſſe fratrẽ, id quod à uero minus abhorret. Erat Canutus ſuapte natura homo tam mitis, q̃ liberalis, & præſertim in conuiuijs, qui ſuos conuiuas in prandijs & cœnis ampliter atq; nitidè accipiebat,

epulumq; populo frequenter dabat, ter in die eſcis appoſitis ueſci uolẽtibus. ſolebat etiam apud alios cœnitare, quare poſtremò inuitatus ad nuptias cuiuſdã principis, cùm in conuiuio diſcumberet, è regione Vueſtmonaſterij, ad alteram ripam Thameſis, in uico, quem uocãt Lamehithũ, inter potationem repentè cecidit, atq; interijt, non ſine ſuſpitione ſumpti ueneni, biennio pòſt, quàm regnare cœperat. Verũ Saxo Grammaticus, cui ſanè fides abroganda nõ eſt, horum temporũ hiſtoriã longè aliter digerit: tradit enim quemadmodum Haraldus Canuti filius præfectus fuerit Anglis, & illi ante obitũ patris mortuo, in præfecturã ſucceſſerit Sueno Heſtrithæ filius: quippe Heſtritha, quę poſtea uidua locata fuit Ricardo Normanorũ duci, à principio nupſerat Vluoni homini Sueuo, ex quo hũc filium genuerat: atq; ita docet Haraldum nunc̃q; regnaſſe, ſed Canutum filium Canuti ex Emma in regnũ ſucceſsiſſe, & eundẽ in Angliam profectum, cùm opera & induſtria Suenonis præfecti, omnia tuta offendiſſet, impertiſſe imperium Edouardo fratri ex Emma matre, & Ethelredo nato: ſed quia Edouardus homo erat bonæ frugi, non item experiens, aut gerendis rebus ualde idoneus, idcirco reliquiſſe uicariũ ſuum ipſum Suenonem, qui unà cũ Edouardo, rempublicã gubernaret: ac Canuto biennio pòſt mortuo, Suenonẽ, credita cura regni partim Edouardo, partim Goduini comitis Cantij filijs ſuis conſobrinis, uti infrà oſtendemus, redijſſe in Daciam repetitũ auitum regnum, quod iam antea Magnus Olaui filius Noruegiæ rex occuparat, ſibi tam iure fœderis, quàm teſtamento Canuti debitũ. ac rem Dacicam per hũc modum in cõtentionem ueniſſe, Saxo demonſtrat, de qua alibi latius explicabimus. Sed iam domum pedem referamus.

Cognita morte Canuti, optimates regni cupientes ſeſe aut in libertatẽ uindicare, aut ſaltem regem hominẽ Anglũ habere, in unum conueniunt, atq; cõſultant quod pro ſalute patriæ quamoptimũ ſit factu. Ad ultimũ cogitantes, quàm ſub Daco nobiles pariter atq; plebei Angli omni tẽpore male accepti, ac ſine gratia, ſine autoritate fuiſſent, ita ut præ ſe cunctos mortales beatos putarent, & iam illũ diem adeſſe, cùm eiuſmodi alienigenarũ iugũ tutò poſſent à ceruicibus ſuis depellere, deliberant regem facere Alfredum Etheldredi filiũ, uirũ magnæ uirtutis, ac Dacos ſine diſcrimine, ad internecionẽ perſequi. Itaq; extẽplò Alfredo clàm accerſito, factoq; impetu, in Dacos paſsim irruũt. Concitatur multitudo, partim atrocitate rei, partim ſpe per occaſionẽ recuperãdæ libertatis. Dacus etſi ſubita ui oppreſſus, mutationeq; rerum omnium perteritus, tamen nunc pugnando, nunc fugiendo, ſe prohibere ab iniuria nititur: poſtremò cùm nullus modus fieret cædibus, omnes ad unum aut cæſi, aut in continentem fugati ſunt. Tum cõmuni conſenſu, lege ſancitum eſt, ne poſthac ullus ex Dacis apud Anglos in perpetuum rex crearetur. Per hunc igitur modum, deſitum eſt à Dacis in Anglia regnari, poſt annum octauũ & uigeſimum, quàm Sueno primus Dacorum totius Angliæ imperium eſt adeptus. Quo quidem temporis ſpatio, Etheldredus poſt mortem Suenonis in patriam reuerſus duos annos regnauit, & Edmundus unum. Hinc Dacos patet uigintiquinque tantum annos in Anglia regnum obtinuiſſe. Non minus interea mors Canuti in Dacia omnia innouauit: cùm enim nemo ex ſtirpe regia reliquus eſſet, cui hæreditas eius regni iure ueniret optimo, Sueno Heſtrithę filius ex Vluone Sueuo genitus, conciliatis quorundam nobiliũ Dacorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

animis, id obtinere conatur. Quare Magnus Noruegiensium rex, uirtutibus ac ingenio uerè magnus, qui huiusmodi regnũ iure sibi deberi asserebat, indignatus, statim Dacos cùm prẽmijs, tum suę uirtutis fama illectos, à Suenonis fauore auertit, ac eum pariter à tanto inceptо desistere cogens, regno Dacię potitur. Sueno tali iniuria affectus, quamcelerrimè potest copijs undiq; auxilijsq; coactis, ac Sueuis unde oriundus erat, peropportunè in belli societatem adscitis, in Magnum pergit, qui nihil cunctatus in prælium uenit. Est pugnatum à mane, ad uesperum: ad extremum deuictis hostibus, Magnus superior fuit, qui usq; eò postea dum uixit, æquè Dacis ac Noruegiensibus sine tumultu imperauit: at eo mortuo, Sueno tum demum Daciæ regnum consecutus. Regnum uerò Noruegiæ post Magnũ, adeptus est Haraldus frater illius Olaui, quem post obitum inter diuos relatum perhibent. Sanè Haraldus profligato Olauo fratre, uti suprà exposuimus, Byzantium aufugit, ubi à barbaris falso homicidij insimulatus, obiectus est leoni, quem ut homo ualens præter omnium opinionem occîdit: quod fecit, ut & supplicium remissum, & abeundi facultas data. Quare ille domum reuersus, regnum adhuc à nemine homine occupatũ, facilè obtinuit. Poscit locus, ut prius de Roberto duce Normanorum, & Gulielmo eius filio appositè aliquid dicamus, quàm cætera de Alfredo, & Edouardo exequamur.

Ricardo tertio Normanorũ duci, prout suprà dictum est, successit Robertus frater, homo festiuus, liberalis, fortis, prudens, qui suos ab omni inimicorum iniuria gnauiter prohibuit, qui finitimis sępius opem tulit, qui pauperes & inopes opibus iuuit, qui deniq; in omnes liberalitate usus est: sed defendit cum primis Henricum Francorum regem auxilium implorantem, aduersus Constantiæ matris conatus, quæ filio paulo antè ingens negotium exhibuerat. Is ex quadam puella forma eleganti concubina, Gulielmũ filium suscepit. Exponam facinus huius puellę bellissimũ, quamuis parum honestũ, dignúmue ut memoretur, quandò historiæ nulla lex imposita est, ut facta aliqua sileat: ea enim nocte, qua primùm cum duce cubauit, pudoris causa, noluit interiorem tunicam lineam exuere: sed cum Robertus expediret se ad operam dandam liberis procreãdis, ilicò eius partem superiorem interscidit: & interrogata à duce cur ita faceret, respondit, non decere se eam tunicæ partem extremã, quæ sibi pedes circuiret, ad os domini sui uertere. Eadem puella prius quàm pareret, somniasse fertur intestina sua in altum ferri, explicariq; per omnem Normaniam, ac Angliæ ambitum. Ex qua re, futura Gulielmi magnitudo facilè à matre sperari cœpit. Robertus postremò, ut quibusdã placet, pœnitens quòd fratrem ueneno necasset, cùm Hierosolyma uoti causa esset iturus, filiũ Henrico Gallorũ regi cõmendauit, constituitq;, ut si ipse in itinere à uita recederet, ille Normanorũ dux fieret. Itaq; primùm Romam proficiscitur, ut Benedictum nonum pontificem Romanum abeundi facultatem, uti mos est, rogaret: ubi magnas fecit largitiones, uestiuit enim statuam Constantini Imperatoris pallio aureo, dictitans Romanos esse ingratos, qui talem principem non donarent in annos singulos, uestę: templis uaria donaria intulit. Inde digressus, fortè in itinere ita usu uenit, ut cùm procul à suis esset, & altercaretur cum homine agresti, ab eo uapulauerit, quem tamen prohibuit ab iniuria suorũ, aiens se eas plagas merito suo accepisse. Profectus deinde Constantinopo-

tinopolim, fuit perbenignè à Cõstantino Duca Imperatore acceptus. Is cùm antea audiuisset ducem liberalem & urbanũ esse, dedita opera prohibuit illi atq; alijs heroibus Normanis sellas apponi pede & dimidio altiores, in quib. prandendo sederent. Quo factum est, ut dux, quem in re subita, haud ingenium admodum promptum defecit, exuerit continuò uestem, ac super eam instar globi implicatã sederit. Fecerunt itidem & Normani principes, qui mox finito prandio, relictis uestibus abierunt. At Imperator subridens admonuit, ut uestes suas resumerent. ad ea dux: Non est, inquit, mos Normanis sedes secum ferre. Post aliquot dies, dux itinere suo ire pergebat, cùm quodam ualetudinis genere tentatus est, sic, ut equitare nõ posset: quare necesse habuit, locorum agrestes conducere, qui eum humeris ferrent. Interea cùm unus ex comitibus, in Normaniam rediturus peteret, ecquid de eo narraret suis Normanis: tam lepidissimè cp̃ facetissimè respondit: Dicas te uidisse dæmones ferentes Robertum ducem in cœlum. Ita innuit se ab impijs barbaris gestari, quos non ineptè dęmonibus comparauit: & Hierosolyma cœlũ appellauit, cp inde nostra profecta sit salus. At ubi eò peruenerat, tãta liberalitate in omnes usus est, ut custos templi humanitate motus, restituerit bonam pecunię partem solutæ pro ingressu templi, uti moris est: quam ipse non recepit, sed egentibus distribui iussit. Inde persoluto iam uoto digressus, in Bithyniam regionẽ minoris Asiæ aduersam Thraciæ, in qua est Constantinopolis, peruenit, ibiq; morbo absumptus decessit, anno à natali Christi circiter MXL. In Normani cum principatum Gulielmus nothus successit, uir inter uiros, & prudẽs inter prudentes, apud quem Alfredus & Edouardus diu exularant. Sed unde digressi sumus, iam redeundum est.

Alfredus accepto nuntio de morte Canuti, properè in Angliã uenit. Interea principes regni in unum cõuenerant, deliberaturi quem sibi regem optarent: ubi Goduinus qui curabat, aut filiam nomine Editham, locandã futuro regi, uel ita omnia turbãda, quò Haraldus demũ filius, quem unà cum puella illa, & Biornone, ac Tostone filijs, & Thira uxore Canuti secundi sorore creauerat, regnũ obtineret, cũ pertimesceret Alfredi ingeniũ, desperaretq; posse se sui optati fieri compotem, cœpit apud singulos in ipsum Alfredũ acerbius inuehi, prędicans illum ducere secũ magnam manũ Normanorũ, ijsq; promissе bona ciuiũ, quos iampridẽ ad cædem animo destinasset. Hæc uera an uana iactaret in uulgus, ita tamen heroum animos mouerunt, ut iam tum pro se quisq; timeret, ac optaret, ut aliquid aduersi contingeret, quamobrem Alfredus regno minimè potiretur. Quibus rebus cognitis, Goduinus audacior factus, Alfredũ primo quoq; tempore uita priuandũ constituit: itaq; cùm bene magna armatorũ caterua, it obuiã, & in itinere iuuenẽ inopinantẽ cum toto comitatu interficit: at Normanos capit, captosq; ad unum necat. Goduinus post nefariũ flagitiũ factum, statim Londinũ reuersus, nouas insidias molit: primùm enim multis rationibus conatur diluere crimen cædis Alfredi: deinde, uti fides habeat nouæ fraudi, persuadet populo, ut ad arcessendũ suo nomine Edouardũ uirũ optimũ fratrẽ Alfredi, ex Normania ad regnum capessendum, legatos mittant: id quod continuò factum est. Non fuit autor huiusmodi rei Goduinus, cp aut Edouardum diligeret, aut salus regni ei curæ foret: sed eius fucosa charitas inde nimirũ subitò orta, quia Edouardus uir erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitis ingenij, minimeq; sagacis, & apprimè bellorũ ac cædis abhorrens, ita ut etiam exul dicere soleret, malle se uitam priuatã perpetuò degere, q̃ per homi num cædẽ, regnũ recipere: propterea sperabat fore, ut eum qui pro suo iure, res gerere nesciret, aut suo arbitratu facilè regeret, aut aliquando perderet.

Edouardus cognito suorũ desiderio, à Gulielmo duce opera atq; opibus adiutus, in Angliam optatò redijt, atq; rex factus est, tanta publica lætitia, ut certatim pro eius felici principatu, cuncti uota facerent, & id sanè magis ex animo, q̃ ipse incendebat studia hominum omni genere humanitatis. Quare Goduinus fretus, ad eum supplex adiuit, ac quoquo modo potuit, sese ei purgauit de cæde fratris, cui q̃ pœniteret, rex culpam remisit, estq; eius deinceps opera & consilio maximè usus contra Emmam matrem, cui multis de causis succensebat: primùm enim ei obijciebatur, q̃ Canuto patriæ hosti nupsisset, deinde quòd filios exules nihil iuuisset, & postremò q̃ rumor esset, eam ipsis filijs mortem esse machinatam. Quas ob res, sanctissima equidem fœmina bonis omnibus impulsore Goduino spoliatur: cui ad has calamitates accessit alia, quò fama quoq; spoliaret: nam haud multo pòst insimulatur criminis uiolatæ pudicitiæ, cum Aduino Vintonienſi episcopo. Quare ambo Vintoniæ in custodiam traditi, ubi alter alterius læsæ perperàm famę mœrore cruciabatur, angebatur, disrumpebat. Sed eius rei indignitas ita Emmam pupugit, ut innocentia freta palàm offerret, se periculũ seruatæ continentiæ per ignẽ esse facturam. Ad ea rex, qui alieno potius, q̃ suo ducebatur consilio, instigatus, nihil est motus, imò matri diem dici passus est, quo ingens suppliciũ subiret. At mulier partim conscia recti, nam ueritas cum ea faciebat, partim noctu, ut perhibent, per quietem à diuo Suitino monita, forti animo super ignitos uomeres nudis pedibus gradiẽs neutiq; læsa euasit, sic pudicitiæ decus per ignẽ & aquã, uti uulgò dicit, ulta. Quo miraculo rex cõmotus, mira pietate post hac matrẽ coluit, obseruauitq;. Fuit is annus, cùm regnare Edouardus cœpit, quintus. Illo ipso anno piratę Daci in Sanduicũ portum delati, atq; in terram egressi, omnem maritimam oram deuastarunt, qui tamen haud multo negotio, partim cæsi, partim fugati sunt. Nullum post hoc bellum, domesticũ siue externũ, per decem & nouẽ, quibus Edouardus regnauit, annos extitit, quin uel statim parua cæde confectũ, uel nullo memorabili euentu, pace mutatum sit. Quod proculdubio diuino numine factũ dixerim: uoluit eñ Deus hunc regem, qui iam inde ab initio, sibi æquè de religione atq; hominibus bene mereri studendũ constituerat, his q̃ studijs pascebatur, his delectabatur, his perfruebatur, ab earum rerũ curis uacare, quas sapientissimus quisq; semper fluxas, caducas esse duxit, quò liberius cœlestia contemplaretur.

Goduinus interea locauit filiam Editham, susceptã ex Thira sorore Canuti secundi, nõ ex altera uxore, sicut quidã malè sentiunt, Edouardo, multum q̃ apud eum autoritate iam pollebat, cũ ecce, ingẽs discordia inter eos orta est. cuius rei causa fuit aduentus Eustachij comitis Bononiensis, qui olim Edginã sororem regis in matrimonio habuerat. Is litus Cantianũ ut attigit, Cantuariam recta uia profectus est, regis uisendi gratia, ubi inter eius ministros, & nonnullos ex oppidanis, facta fortuitò turba, unus ciuis ferro interijt. Quare Cantuarienses generatim permoti, sumptis confestim armis, Eustachij cohortem inuadunt, ac bene multos interficiunt. Tum Eustachius furore accensus, in

in ciues crudeliter inuadit, pugnat utrobiq; acriter: sed Eustachius suis passim cadẽtibus, timore perculsus, omisso paulatim certamine, Londinũ ad regem profugit, narratq; iniuriã uiolati iuris hospitij acceptam ab Anglis. Tulit rex eam rem iniquo animo, ac iussit autores facinoris supplicio affici. Cantiani ad Goduinum comitem suum confugiunt, auxiliumq; implorant aduersus Gallos, inimicos Anglici nominis: ita enim uociferabãtur, quòd illi primi interfecto ciue Cantuariensi, iniuriam fecissent, ac idcirco argumentabant, se ut uim ui, non secus ac ius est, repellerent, & suos tuerẽtur, in hostem erupisse. Goduinus indignitate rei permotus, edicto regis haudquaquam obediendũ putat, qui parato extemplò exercitu, suos ab iniuria defendere summè cõtendit. Contrà rex magis atq; magis indignatus, coactas subitò copias in Goduinũ paucis antè diebus, cum tota familia, hostem declaratum, mittit. Iam utrinq; ad conserendas manus parati erant exercitus, cùm Goduinus regijs uiribus territus, desperata uictoria, unà cum filijs in Flandriã fugit. Tum Edouardus affectis supplicio sontibus, uxorem Goduini filiam ablegat, ac illius bona publicat. At Goduinus interim adiuuante Balduino comite Flandriæ, cuius filia nomine luditha cum Tostone eius filio nupta erat, parat classem, raptim q̃ omnem maritimam insulę oram infestam facit, cui subitò classis regia fuit obuia. Hìc prius quàm dimicaret, Dei instinctu, ut credibile est, admonitis duci bus, quàm turpe foret, unam gentem suis uiribus perditum iri, repentè concordiæ reconciliatio secuta est, restituto in pristinum honoris locum Goduino, qui Edouardo Biornonem & Tostonem filios, ut pignus seruandæ fidei obsides dedit: rex itidem uxorem recepit. Verùm Goduinus nullo consilio effugere potuit meritum supplicium. Porrò non intercesserunt multi dies, cùm Haraldus filius, qui regium poculum miscebat, Edouardo prandenti dedit bibere, & fortè uno pede offenso penè lapsus, auxilio alterius pedis sese à casu recepit, stetitq;, uino nequaquã effuso. Tum pater qui cum rege discumbebat: Nunc, inquit, frater fratrẽ iuuit. Ad hanc uocem etsi per iocum emissam, Edouardus turbatus animo (nam in mentem ei uenit subitò interitus Alfredi fratris) in Goduinum conuersus ait: Sic mihi meus frater auxilio esset, si per te licuisset. Tum homo facinorosus iram regis ueritus, cœpit sese excusare, diuinumq; numen ad innocentiam declarandam, iusiurandũ adijciendo, perinde quasi cum ignaro ageret, appellare, dicens: Si unquam, rex, quicquã in necem fratris tui, aut in te machinatus sum, precor, ut Dei nutu, istud panis frustũ me ilicò strãgulet. Quę ubi dixerat, sumpto pane, subitò præclusis faucibus, suffocatur, ac ita paricidium morte compensauit. Talis fuit exitus uitæ Goduini, qui secundũ illud euangelicũ, Petite, & accipietis, petijt, & accepit, nõ scelerũ ueniã, prout debuerat, sed pernicie suis factis dignam. Vtinã multi tali exemplo aliquando uapularent, qui ne pedem quidem inferre sciunt, nisi duce periurio. His temporibus Emma mater regis decessit. Item Gulielmus dux Normanorũ à rege rogatus, uenit in Angliam: quippe desiderabat Edouardus, ut beneficiorũ memor pro ueteri hospitio, quod ei cũ illo fuerat, duci gratificari: quare eum prolixè largeq; accepit, & multis ac uarijs munerib. donauit. Pręter hæc humanitatis officia, sicut autores habeo, Edouardus promisisse fertur se facturũ ducẽ hæredem, si fortè sine liberis moreret, de eaq; re antea promissum fecisse, dum in Normania morabatur, quod, ut alius edocebit

Universidad de Deusto
Biblioteca

locus, patriæ malo fuit. Tradidit rex Gulielmo abeunti Biornonem & Toſto nem obſides à Goduino datos, ut in Normania cuſtodirent. Hîc illud admo nuerim, ſcriptorũ quoſdã perinde hos Goduini filios ac plures alios, uti uetu ſtarum rerum parum ſcientes, neſcio quibus inauditis nominibus indiligen ter appellare, quò ſic hiſtoriam peruertant, obſcurioremq; faciant.

Erat annus duodecimus, cùm regnare cœperat Edouardus, qui cùm terra mariq; iam pacem haberet, non minus ſuorum, quàm ſuæ ipſius ſaluti proſpi ciens, uelut natura propenſus ad diligendos homines, quod fundamentũ iu ris eſt, primũ omniũ putauit leges ſibi conſtituendas, quas utiles duxiſſet. Sa nè in uſu erant multiplices leges, quas olim Britanni, deinde Angli, ac nouiſ- 10
ſimè Daci tulerant: & bene multi quotidie mortales omnia utilitate metiẽda exiſtimantes, ſic eas ad ſuos mores accõmodabant, ut ſæpius pro iuſtitia, iniquitas coleret. Igitur Edouardus ex immenſa eiuſmodi legum copia, optima quæq; & neceſſaria elegit, legesq; paucas & ſalutares uſurpandas ſanxit, quæ deinceps rectum omnibus æquè uiuendi modum præſcriberent. Has leges poſteri cõmunes appellarũt: & cùm à Normanis aliis datis legibus, ſibi adem ptas quererentur, uelut optimam partem uitæ, repetiuerunt armis, ſæpeq; re ges eas in priſtinum uſum reſtituere, ut ſibi minus fructuoſas, negantes, ma gnis affecere incõmodis, ut infrà appoſitè demonſtrabitur. Hoc iuſtitiæ fun- 20
damẽto iacto, rex ut liberalitas, ut pietas, ut charitas ab ſe perinde quaſi à fon te in alios manaret, cœpit miro ſtudio inopes iuuare, religionẽ colere, de cun ctis iuxtà bene mereri. Quibus uirtutibus ita Deo habitus eſt acceptus, ut meruerit miraculis clarere, quæ ſi cõmemorare uellemus, haud dubiè tempo re nimiũ excluderemur: attamen non omittã quædam memorabiliora. Cùm enim exactores tributi populo impoſiti, aliquando ingentem aceruum pecu niæ ex eo tributo collatæ, delectandi ipſius animi gratia, coràm adduxiſſent, ille ſubitò dæmonem circa ipſum aceruum ludentem uidere uiſus eſt, qui ob id huiuſmodi pecuniam, ut rem funeſtam abhorrens, ilicò auferri ab oculis, reſtituiq; populo iuſſiſſe fertur. Inſuper inter ſacra, uidiſſe in euchariſtia pue- 30
rum Ieſum, ac eundem Leofredus Merciorũ comes, uir ſanctiſsimus, qui ade rat, contemplatus, & ſtatim prorupiſſe in riſum, ac interrogatus ecquid eſſet, reſpondiſſe, ſe uidiſſe Dacos infeſtis armis Angliã inuadere, ac continuò præ toria naue demerſa, in Daciam contendere, id quod paulo pòſt accidit, atque inde facilè cognouiſſe regnum ſuum eſſe Deo curæ. Proſpexit etiam ut futu rorum præſcius breui tempore fore, ut Normani per uim, regno potirentur: nam Haraldus per idem tempus, enixè apud eum inſtare cœpit, quò permit teret ſe ire in Normaniã uiſum fratres, qui apud ducem, uti diximus, obſides erant, licet fortaſſe aliud animo deſtinaſſet. Ad ea rex ſic reſpõdit: Eas, quan doquidẽ obſtare nõ licet: ſed, mihi crede, rem & tibi & patriæ nocituram ten tas. Profectus eſt Haraldus, & cùm aliquandiu ducem oraſſet, ut obſides red 40
deret, quos nõ uſquequaq; clam Edouardo rege repetebat, occaſionẽ illi præ buit, aperiendi ſibi conſilij. Enimuero dux qui iampridẽ in ſpem uenerat adi piſcendi regni Anglici, narrauit Haraldo, quemadmodũ Edouardus ſemel atq; iterũ, ſicut ſuprà expoſitum eſt, promiſiſſet ſe facturũ ipſum hæredem, ſi liberos non ſuſcepiſſet: & cũ nulla iam ſpes regiæ ſobolis eſſet, orauit, uti uel let hoc negotium apud eum procurare, & ſi id cõficeret, iam tum poſſet cùm multa

multa præmia, tum ſummos honores ab ſe expectare. Hæc Haraldus iureiu rando fidem dedit ſe pro uiribus curaturũ, atq; inde recepto Toſtone altero fratre, quem dux eius rogatu miſſum fecerat, in Angliã redijt, expoſuitq; ordi ne omnia Edouardo, quæ Normanus ſecũ egiſſet. Tum rex reſpondiſſe fertur: Nónne hæc mala te patriæ inuſturũ prædixi, ſi ad Gulielmũ adires? Sed ita fa xit Deus, ut iſtiuſmodi fatum aut auertatur, aut, ſi omnino futurũ eſt, noſtro non ueniat tempore. Hinc colligere licet, uel Edouardum non ſeruaſſe fidem Gulielmo, quam à principio de hæreditate regni non ſatis conſideratè dediſ ſet, more exulantium, qui ut ne ab amicis deſtituantur, maria & montes facilè
10 promittunt: uel nullum, quod ueriſimilius eſt, feciſſe promiſſum.

Solebat rex Edouardus diuinitus ſolo tactu ſanare ſtrumoſos, hoc eſt, ſtru mam patientes: eſt enim ſtruma morbus, quem Itali ſcrophulã uulgò uocant, à ſcrophis, quæ ea mala ſcabie afflictantur. id eſt humor, in quo ſubtus concre tæ quædam ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur, ac ut plurimũ per pectus, & guttur ſerpit. Quod quidem immortale munus, iure quaſi hæredi tario, ad poſteriores reges manauit: nam reges Angliæ etiam nunc tactu, ac quibuſdam hymnis non ſine cærimoniis prius recitatis, ſtrumoſos ſanãt. His diuinis indicijs Edouardus Deo longè chariſsimus effectus, iam uigeſimum-
quartum propè annũ regnarat, cùm ei, ut conſtans fama eſt, allatus fuit à qui-
20 buſdam Hieroſolymis uenientibus annulus, quẽ ipſe diu antea pauperi clàm dederat, qui pro amore, quem erga diuum Ioannem euangeliſtam habebat, eleemoſynam petierat. Sic iis diuinis monitis mors regis annuntiata eſt, qui haud multo pòſt morbo affectus, per quietẽ à Deo opt. max. illud ipſum edo ctus, animam cœlo reddidit, poſt annum q̃ regnare cœperat, quartum & ui geſimum. Sepultus eſt in templo Vueſtmonaſterij, ac breui pòſt tempore in ter diuos relatus. Ille annulus in eodẽ templo, multa ueneratione perdiu eſt ſeruatus, quòd ſalutaris eſſet membris ſtupentibus, ualeretq; aduerſus comi tialem morbum, cùm tangeretur ab illis, qui eiuſmodi tentarentur morbis. Hinc natum, ut reges poſtea Angliæ cõſueuerint in die paraſceues, multa cæ
30 rimonia ſacrare annulos, quos qui induunt, hiſce in morbis omnino nunquã ſunt. Sanctiſsimus rex filios ex ſe non genuit. Fuerunt id temporis ampliſsi mi uiri, Edſinus Cantuarienſis antiſtes, qui ſedit amplius annos undecim, in cuius locum Robertus epiſcopus Londinenſis, natione Normanus, ſubſtitu tus eſt. Is principio mirè ab Edouardo dilectus, in honoreq; habitus eſt: po ſtea cùm perſuaſiſſet illi, ut Emmam matrem ſtupri accuſatam cogeret, uti ſe per ignem purgaret, & illa diuinitus, ueluti ſuprà diximus, ex periculo euaſiſ ſet, pœnitens, timoreq; ſimul affectus in continentem fugit, ubi breui anno ſe cundo ſui pontificatus, mœrore animi abſumptus eſt: quẽ ſecutus eſt Stigan dus, ordine antiſtitũ trigeſimus ſecundus. Claruit ſanctitate & doctrina Vul
40 ſtanus Vigornienſis epiſcopus, qui poſt uitam ſanctiſsimè actam, inter diuos relatus eſt. Floruit Suardus comes Northumbriæ, homo Northumber, belli cis artibus præclarus: is cum profluuio uentris laboraret, ac ſenſim deficienti bus uiribus, haud dubiam mortem præſentiret, ſeipſum armauit, ſtetitq; pe rinde acer in armis, ut Vergilius ait, ac ſic cum hoſte eſſet congreſſurus, dicti tans, non decere hominem fortem iacendo iumentorũ ritu mori: atq; ſic è ui ta migrauit, imitatus in hac parte Naſamonum Libyæ populorũ inſtitutum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod nos libro de rerum inuẽtoribus tertio, abundè expoſuimus. In Suardi locum ſufficitur comes ab Edouardo Toſto, quem Morcatus eſt ſecutus.

At Edouardi mors ualde ſuſpẽſos dubioſq; tenebat regni principes, quippe qui neſciebant, cui illud regium munus deferrẽt: enimuero non erat quiſquam unus omniũ regendo regno aptus, qui id iure obtineret: tametſi Edgarus cognomẽto Ethelyngius, genitus ab Edouardo filio Edmũdi, cui cognomen fuit Ferreum latus, per eos dies, unà cum matre, & ſororibus, ex Pannonia ubi natus fuerat, in Angliam uenerat: ſed is puer id ætatis nondum regno gubernando maturus erat. Item territi multis oraculis, quæ ſuſpicabant portendere regni mutationẽ, mirũ in modum formidabant ducem Gulielmum, tum quòd Normanus, tum quòd prædicabat ſibi regnum iure euenire, ut legitimo hæredi ab Edouardo inſtituto, propterea quòd illum ſecundo & tertio cognationis gradibus attingeret: nam Ricardus primus dux Normaniæ, genuit ex ſe Ricardum ſecundum, & Emmam: hæc ex Etheldredo Angliæ rege, ſuſtulit Edouardũ: ille filios ſuſcepit Ricardũ tertium & Robertũ, qui Gulielmũ creauit ex concubina. Dum hæc animo optimates agitant, Haraldus Goduini filius ex ſorore Canuti, genere & uiribus fretus ſe regem renuntiat. Non diſplicuit omnino id factum populo, qui plurimum ſpei in Haraldi uirtute habebat. Itaq; more maiorum ſacratus eſt ab Aldredo Eboracenſi archiepiſcopo, ſeu, ut quidam tradunt, ſeipſum nullis cærimoniis, diademate ornauit. Fuit hic annus ſalutis humanæ MLXVI. Is ſtatim initio ſui regij principatus, memor ſe per uim regnũ occupaſſe, ad promerendã ſuorum beneuolentiam, neq; liberalitate, neq; clementia, nec comitate utendi ullam occaſionem omittebat, qui grauiora uectigalia aut ſuſtulit, aut minuit, militibus ſtipẽdia, miniſtris mercedem adauxit: ſed hæc præ religione colenda, non multò accuratius agebat. Dũ hac popularitatis pietatisq; oſtentatione tenetur, ex improuiſo ueniunt legati à Gulielmo Normano, qui iam omnia reſciuerat, quæ de adminiſtratione regni erant geſta, celeriter miſsi, à quibus bene multis uerbis de iureiurando olim ab ſe duci dato admonitus eſt, atq; ſimul rogatus, ut conuentis ſtaret. Ad ea Haraldus reſpondit, ſe Gulielmo gratificaturũ, modò nõ cuperet regnum, quod iam ipſe obtineret. Normanus accepto reſponſo, ut prius conſilio quàm armis omnia experiretur, rurſus per legatos Haraldũ commonefecit, ut ſi in cæteris fidem ſeruare nollet, ſaltem non negligeret cõnubium filiæ, quam licet nondum maturam uiro, ei, uelut quidam prodiderunt, cùm in Normania fuerit, ſponderat. Huius puellæ nomen non ponitur à quopiam, quod ſciam, quia, ut puto, nõ diu ſuperſtes fuit. Haraldus uerò qui malo ſuo genio ducebatur, ſuperbo truciq; uultu legatos intuens, neutrum ſe facturũ dixit, atq; cum hoc reſponſo, eos dimiſit. Secundũ hæc, ne imparatus offendatur, nauale bellum quammaxima ui poteſt, comparat, milites quoque deligit, præſidia diſponit locis opportunis, ut pariter terra ac mari Normanos finib. arceat, ſi eos uexatũ uenerint. Dux ubi à legatis ferox regis reſponſum accepit, ſuos ad colloquiũ uocat, atq; bellũ in Anglũ mouendũ ſedulò agitat. Interea Haraldus cœpit impediri domeſticis ſeditionibus, quod ei negotiũ Toſto frater exhibuit: ſed ut id planius faciamus, nobis altius repetendũ eſt. Erant in Haraldo iam inde à pueritia, permulta cùm corporis tum animi ornamẽta, forma per ætatis gradus egregia, & cui nõ minus dignitatis ineſſet,

ineſſet, quàm gratiq;, præcipuũ robur, docilitas ad omnes ferè artes, armorum & equitandi peritia ingens. quæ res faciebant, ut mirificè ab omnibus, & præſertim ab Edouardo rege diligerẽt. Contrà illi tot amplas uirtutes Toſto minor natu frater, qui paulo antè cum eo ex Normania redierat, uti ſuprà demõſtrauimus, ita inuidebat, ut præſente rege, in eius caput proteruè inſultauerit, cum eoq; aliquantũ conflixerit. Poſt hæc, Toſto à rege acriter increpatus, Hereſordiam diſcedit, ubi male accipit Haraldi cohortẽ, quam ob rem à rege proſcriptus, in Gallias profugit. Is igitur cognita morte Edouardi, cõparatis undiq; nauibus, Haraldo bellũ inferens, Vectem inſulam capit, captamq; diripit: deinde Cantium uerſus tendens, totam illam oram latrocinijs infeſtam reddit. Ea res perincõmodè Haraldo accidit: nam coactus eſt unà cum exercitu reuocare claſſem in Normanos diſpoſitam, ad hanc iniuriam propulſandam. Quo cognito, Toſto territus, iter in Northumbriam confert, ſuisq; in terram expoſitis, omnia cædibus complet: ſed ab accolis locorum, qui eum ut cõmunem populatorem oderant, & pariter à claſſe regia in fugam coniectus in Scotiam non ſine nauium, ſuorumq; incommodo, ſe proripuit.

Bellum inter fratres

Vix tumultus iſte ſedatus erat, cùm aliud mox grauius malũ Haraldo acceſsit. Equidẽ cùm Toſto rebus ſuis nihil auxilij à Scotis expectaret, ſublatis uelis, in Noruegiã profectus eſt, fretus Haraldi regis opibus, & fortitudine, cuius id temporis nomen ubiq; gentium percelebre erat. Hic regem rogat, ut ſe adiuuet, quem multis pollicitationibus eò impulit, ut deſiderio potiũdi regni, inter domeſticas Anglorũ ſeditiones, accenſus, cõfeſtim nõ mediocri inſtructa claſſe, mare ingreſſus ſit, ac ſecũdo uento ad Anglicum litus appulſus penetrauerit in oſtium Tynnæ fluminis, quod flumen Nouumcaſtrum Dunelmenſis agri nobile oppidum alluit. Nõ aſſentior illis ſcriptoribus, qui tradunt Noruegienſem regem, poſtquã cognouit fratres inter ſe diſsidere, ſponte ſua, ac ſola imperandi libidine ductum, hoc ſuſcepiſſe bellum: quod tantũ abeſt, ut ſit uerum, ut ne ueriſimile quidẽ uideatur. Ecquis enim crederet Haraldũ magno conſilio ac ratione uirum, locorum pariter atq; hominum inſolentem & ignarum, quippe cui nihil unquam cum Anglis fuit, nec quicquam ab eis iure repetere poterat, uoluiſſe tam longinquã edicere expeditionem, unde nullum neq; periculũ futurũ, neq; emolumentũ certum cerneret? Proin de conſentaneum eſt, eum euocatum fuiſſe à Toſtone, id quod Saxo atteſtat, cui de rebus, præſertim apud ſuos geſtis, fides utiq; abroganda non eſt. Igitur Haraldus & Toſto poſtquam ad oſtiũ Tynnæ, aliquot dies morati ſunt, donec militem à laboribus reficerent, pararentq; ad bellum obeundum, poſtremò ſimul iter ingreſsi, copias diſponunt, quibus interea Edouinus & Morcatus fratres, comites Merciæ & Northumbriæ, cum exercitu non ſpernendo, obuiam facti ſunt. Hîc dato utrinq; ſigno, præliũ cõmittitur: fuit aliquandiu anceps, ſed ad ultimũ Anglus hoſtium multitudine circumuentus ſuperatur, datisq; obſidibus, deditionem facit. Haraldus qui ſuis opẽ ferre feſtinabat, in itinere de re male geſta certior factus, nihil animũ remittit, ſed citato greſſu, poſt quartũ diem, cẽ pugnatum erat, Stanfordiam peruenit, ubi loci Norueginenſes parum ultra Deruentam flumen conſtiterant, ac pontem occuparãt, ut ne hoſtib. ex improuiſo iter eodẽ eſſet. Altero die inſtructis copijs, rex propius acceſsit, ut pontem exercitũ traduceret, ubi ad multũ diei, uirtute unius

Tosto Haraldi Norwegiæ regis auxilia contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Norueginſis retardatus, priuſquã poſſet pontem tranſmittere. Is loco muni
menti fortè illo die in ſtatione pontis poſitus, cùm Anglos repentino aduẽtu
decurrere in pontẽ uerſus uidiſſet, uadit in primũ aditũ pontis, truces circun
ferens oculos, primũ, deinde alterũ, deinde plures facto impetu pontẽ ſupera
re conantes, aut cædit, aut de loco deturbat. Quo facto, hoſtes ipſo miraculo
fortitudinis, ſtupefacti, cp unus tandiu obſiſtere poſſet, uno momẽto huic u
ni inſidias tendunt, quẽ ui ſuperare non poterant: erat enim pons ligneus, &
eius medius tranſitus multas rimulas habebat. dum igitur alij Noruegiẽſem
in pugna occupatũ tenẽt, unus ſub ponte, lintre clã uectus, telo inguina per-
fodit. Atcp hoc demum pacto, uir ille cuius nomen immortalitati cum primis
mandandũ, nõ ſine ingentis gloriæ damno, memoria nõ habet, poſt multam
factam ſtragem, cecidit. Haraldus ſuperato ponte, hoſtes palantes à tergo cæ
dit, interfectis primo impetu rege Noruegiẽſi & Toſtone fratre: Quo cogni
to, cuncti repẽtè in fugam ſe dant. Cędes inde fugientiũ, qualis ubi ira magis
cp uirtute res geritur, ad perniciem propè hoſtiũ facta eſt, non ſine tamen An
glorũ incõmodo, quandò uictoria haud incruenta fuit. Reliqui uerò Norue
gienſes, qui claſſi præſidio relicti fuerant, ſtatim ut ex curſu ſuorũ, qui ad na
ues fugiebant, de regis interitu cognouerũt, naues ipſas ſoluerũt, celeriterq
è conſpectu terræ ſublati, in patriam curſum direxere: quò ubi peruenerunt,
omnia mœrore oppleuere, reportantes tam calamitoſam acceptã plagã. Qua
re omnis Noruegia in luctu repentè fuit, atcp ita ſuo orbata principe, nõ mul
to pòſt in Dacorũ ditionẽ rurſus cecidit. Cæterũ me piget hoc loco quorun
dam recentiorũ ſcriptorũ notare negligentiam, qui falſo contendunt bellum
iſtuc à Dacis, quos more ſuo, Danos uocitãt, nõ à Noruegienſibus aduerſus
Anglos geſtũ, rege Haruico, licet nemo homo cui id nomẽ fuerit, apud ipſos
Dacos regnũ obtinuiſſe tradat: nam Sueno id tẽporis Dacos regebat, ita do-
mi occupatus, ut foris rem bellicã obire nõ poſſet. Quare dixerim Toſtonem
ob id, nõ iuiſſe rogatũ auxiliũ ab eo. At uel de rebus Anglorũ geſtis, ij dẽ ſcri
ptores, quorũ nominibus libenter parco, ita omnia diuerſa ſæpe produnt, ut
facilè iudicares eos nuncp illius populi annales uidiſſe, id quod in primis no-
minũ tum locorũ tum hominũ uarietas manifeſtè arguit. Hæc commodùm
admonuimus, partim ut ſatis foret de hac re meminiſſe ſemel, partim ne alie-
na inſcitia, ſeu incuria, noſtræ officeret aliquando hiſtoriæ, cùm legentes rerũ
huiuſmodi, nominumq differentiam deprehenderint. Sed reliqua perſequa
mur. Haraldus rex hac uictoria plurimum lætatus Eboracũ perrexit, ut pro-
uinciam tot bellorũ fluctibus adhuc turbatam, redderet pacatã, ordinaretq.

Interea Gulielmus dux Normanię cognouit per exploratores, Anglũ Nor
uegienſi bello teneri, ac maritimã inſulæ oram, quæ ad auſtrum ſpectat, quò
curſum ſuarum nauium futurum ſperabat, nullis præſidijs cuſtodiri: quocir-
ca extemplò iuuentute electa in claſſem impoſita, in Angliam ſpe omnium ac
ſermone celerius, cum triginta & amplius nauibus traiecit, deſcenditq in ter
ram, ad maritimũ uicũ quẽ uocant Haſtyngũ, ac ibi collectis militibus, caſtra
poſuit. Hic omen futuri imperij accepiſſe fertur: confeſtim enim ut è naui e-
greſſus eſt, parum lapſus fixit altè in arena pedẽ. Quo uiſo, miles lætitia exul-
tans & alacer, ait: Iam dux firmo pede Angliã tenes. Cæterũ uicinorũ locorũ
incolę repentino ducis aduentu perculſi, qui tantas cõtra ſe copias eſſe inſtru
ctas

ctas uidebant, haud cunctanter ea omnia per literas regi nũtiant, cui ingentẽ
curam res ſubita atcp inopinata addidit: porrò amiſerat in bello Noruegienſi
omne ferè militũ robur: multi itidẽ propter prędã, quę in bello parta erat, ne-
quacp æqualiter diuiſam, male animati erãt, quos pertimeſcebat. Quib. rebus
Haraldus etſi pungebaẽ, attamen magno, ut erat, animo, ad primũ nuntium
totius itineris conſiliũ mutat, ac cõtinuò coactis copijs, Londinũ neceſſariò
reuertitur, atcp in hoſtem proficiſcit, creſcente paſsim exercitu, illis ſcilicet ad
ſuum regem confluentibus, quibus patriæ ſalus curæ eſſet. Itacp cõfecto itine
re, circiter decẽ millia paſſuum, prope hoſtes caſtra poſuit. Normanus quoq
motis caſtris, in conſpectũ hoſtium uenit, ad pugnam cõmittendam expedi-
tus. Hîc autores habeo, multas utrinq conditiones interpoſitas fuiſſe, ut ſine
cæde pacificarent, quas tamen utercp ut belli fortunam tentandi auidus ſpre-
uit, ac ſimul pro ſe quiſcp ſuos tum hortando, tum monendo, ad certamen in-
ſtigare cœpit. Sed Haraldus prior concione aduocata, huiuſcemodi orationẽ
habuit: Audiuiſtis equidem milites, maiores noſtros hoc excellens atcp nobi- Oratio Haraldi ad Angl.
le regnũ iam inde à principio nõ ſine labore, multoq ſanguine eſſe adeptos,
ac cõtinuis deinde bellis uexatum, ab iniurijs finitimorũ uindicaſſe, & demũ
ita ſua uirtute propagaſſe, ut nunc opes noſtras populi alij formident, alij no
bis inuideant. Formidant autem finitimi, qui nobis quotidie de pace ſuppli-
cant: inuident barbari, qui domi rerum omnium anguſtijs preſsi, aliena appe
tentes, coguntur foris magis more latronum, quàm iure iuſti belli, arma mo-
uere, ſeq periculis obiectare. Sic Dacus per multos annos nobis infeſtus fuit:
ſic nuper, ne plura cõmemorem, Noruegienſes nos inuaſere, quos ueſtra uir-
tute uos profligaſtis: ſic deniq in prẽſentia Normanus nos bello petit, genus
hominũ à Dacis profectum, quos uicimus, quos in turpibus habemus eſſe a-
pud nos, niſi ſeruos. Nunc tamẽ Gulielmus homo ex concubina natus, colle-
cta latronũ manu, bona noſtra rapere, regnum fœdare, nobilitatẽ tollere co-
natur. Quapropter uos moneo, uti forti atcp parato animo ſitis, & cùm præ-
lium, bene iuuante Deo, inibitis, memineritis ueſtram pariter atcp totius po-
puli Anglici ſalutem in dextris ueſtris poſitam eſſe. Si uicerimus, patriã per-
petuò inimicorũ iniurijs liberabimus: ſin ſuperabimur, quod omẽ Deus auer
tat, pro patria moriemur, quod pulchrũ atcp decorum eſt. Hæc ubi dixit, pro
ſe quiſcp promittit dato ſigno, ſe hoſtẽ intrepidè inuaſurũ. Normanus itidem Gulielmi ad Normanos
ſic ſuos hortatus dicitur: Quocunq fideliſsimi atcp fortiſsimi hominũ circun-
fero oculos, plena omnia uideo animorũ, ac roboris: contemplor nõ ſine ani
mi gaudio, uos ſocios bello ſemper ſtrenuos, qui Rolloni generis noſtri auto
ri nauiter uirtute reſpondetis: ſanè quod ille imperiũ quondam hoſtili in ter
ra, multo labore ſibi ac poſteris parauerat, maiores noſtri ſuis uiribus dilata-
runt, uos uerò florentiſsimum reddidiſtis, ad quod nunc, fauente Deo, An-
gliam adiungetis, quæ noſtra eſt, quam nobis rex ille præſtantiſsimus Edo-
uardus conſanguineus noſter ultrò condonauit: cui equidem terræ non bel-
lum inferimus, ſed Haraldũ Goduini proditoris filium eam perperàm tenen
tem è poſſeſsione deturbare enitimur, ac pœnas uiolati iuriſiurandi ab eo pe
timus, penes quẽ nihil fidi, nihil ſancti eſt, qui ijs permagnis peccatis ſibi iam-
pridem, uti credere par eſt, Deum opt. max. iratum fecit. Igitur uictoria futu-
ra noſtra eſt, cuius quo maior ſpes eſt, hoc acrius in eam adipiſcendam in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cumbitote, ut qui pro certo præmio pugnaturi estis.

His adhortationibus cùm utrinq; ad certamen accensi militū animi essent, pridie Iduū Octobris, eductis in aciē copijs, signa prius uetusto more dāt, ac dein maximo edito clamore, cum infestis signis occurrūt: sagittis & missilib. primò præliū initur, inde gladijs conseritᵉ. Angli pristinæ uirtutis memores, ualde instant, Normani haud timidè resistunt, maxima ui certatur. Postq; ali quandiu æquo Marte est pugnatum, multa facta utrinq; cæde, Haraldus cum expeditis equitibus, primā aciem ingressus est: hîc laborantibus suis succurrit, ac integros defessis substituit. Interea Normanus ubi uidit Anglos magna ui contendere, equites in mediā aciem ire iubet, quò ordines perturbent, qui passim cadētes cùm nihil Anglū è loco mouissent, tum dux peritissimus belli optimū factu ratus, si sui fugā simularent, mandat à suis sensim pugnā remitti, pedemq; referri, ut hoc pacto hostes insequētes ordines frangant: nam Angli qui numero pauciores erāt, sese aduersus multitudinē, confertim in unum cōstiparant. Itaq; Normanus ubi conspexit suos paulatim pedem referētes, ab hoste cædis auido urgeri, statim partem equitū peditesq; recentes parum procul à loco ubi pugnabatur, in occulto locat, qui exin hostē obuiū de improuiso inuadāt. Tum uerò coorto tumultu, terga uertere simulantes paulum cessere: quos Anglus tum demum ratus uictoriam in manu esse, omissis ordinibus, effuse insequitur, lateq; currendo ad locum insidiarum perducitur. Hîc Normani Anglos per hūc modum cursu dissipatos, facta corona ac præclusis itineribus, adorti, ingentem stragē edunt. Mirabile dictu est, quanta præsentia animorum quantaq; ui, Angli tametsi turbati atq; à multitudine circumuenti resisterent, qui nihil certamen remittebant, rege suo cùm hortando, tum pugnando, rem sustētante: sed posteaquam eum traiecto ictu teli cerebro, labentem ex equo moribundum uiderūt, tum & ipsi perpauci integri fugerunt: cæteri autem interfecti ceciderunt. At Gulielmus tanta uictoria potitus, immortaliter gauisus est, qui nocte quæ secuta est, per quietem audiuisse dicitur uocē supernè editam: Vicisti Gulielme, regnabis tu, & qui à te creati sunt. Ita quæ auemus, interdum somniamus. Postero die ubi primum illuxit, ad spolia legenda insistunt, corporaq; ex labore reficiunt. Quo facto, dux uictoria uti cupiens, expedito agmine Londinum uersus iter tendit, deditionem interim insulanis quaquauersum ille transibat, timore perculsis facientibus. Sed hæc proximo uolumine locus perappositus enarrabit.

Post cladē acceptam, Edouinus & Morcatus comites, qui ex tanta strage superfuerant, Londinum confugiunt deliberaturi de rebus agendis, ubi solùm luctus audires, tristiaq; omnia cerneres. Hæc est nobilis pugna, & multiplici cæde utrinq; facta, amplius uiginti hominum millibus interfectis, in qua omne Anglorum robur cum imperio cecidit: quem casum portēdit cometes insuitatæ magnitudinis, qui per aliquot dies apparuit. Haraldus inter suorū cadauera repertus est, cuius corpus ab hoste Thirę matri redditum, sepelitur in æde sanctæ crucis, ad Vualthamum pagum, quam ipse ædificare cœperat, aut potius instaurauerat, id quod ex eius breuitate uitæ, uerum esse constat. Erat eo loci cœnobium canonicorum secularium, quos uocāt, distatq; à Londino circiter millia passuū duodecim, quod Haraldus prædijs locupletauit. Vualthamum autem alluit Lea flumen, quod Essexiam ab Herefordiensi comitatu

mitatu diuidit. Fuit Haraldus ordine regum à Cerdicio sextus & trigesimus, qui uix anno regni circumacto, ultimus Anglorum regū uno temporis puncto, & uita & regno spoliatus est: qui fuit annus salutis humanæ MLXVII, & ab aduentu Anglorum, duce Hengisto, in Britanniam, DCXVII. Intra quod temporis spatium uariè regnatum est, primùm fuit regnum Cantianū, quod cœpit anno salutis CCCCL. & inde sex alia regna, alio tempore, ut suprà appositè est declaratum, initium sumpserunt: quæ cùm in ditionem regni occidentalis deinde uenissent, de eiusmodi temporis ratione dicendum est. Cœpit Occidentalium regnum autore Cerdicio, qui primus eorum rex fuit, anno salutis DXXI, ab aduentu Anglorum anno LXXI. ad quod deinde spatio annorum CCCCXVII, cætera regna adiuncta sunt: qui fuit annus salutis nostræ DCCCCXXXVIII, cùm Adelstanus Edouardi Senioris filius post tertiumdecimum annum, quàm regnare cœperat, profligatis Analapho & Gothofredo Sithrici hominis Daci, sicut suprà sexto libro proditum est, regis Northumbrię filijs, Northumbros demum in fidem recepit. Atq; ita primus Anglorū regum totius Angliæ imperiū obtinuit, quod deinceps CXXVIIII circiter annos, usq; ad interitum Haraldi à Normanis deuicti, durauit, nequa quam tamen integrum, quippe intra hanc temporis intercapedinem XXV interceſſerunt anni, quibus Daci in insula regnarunt. Igitur desitum est apud occidentales Anglos regnari, post annum DXLVI, quàm Cerdicius eorum primus rex est rerum in insula potitus, aduentus uerò Anglorum, anno DCXVII. qui fuit annus humanæ salutis MLXVII, quo tempore Gulielmus Normanorum dux uicto Haraldo, est regnum adeptus. Atque res humanæ sic fluunt, ut nihil sit in ijs tam certum, quàm certa mutatio, aut in melius, in peius ue.

PROOEMIVM EIVSDEM IN LIBRVM NONVM.

Hominis causa (ut ait Plinius) uidetur cuncta genuisse natura: ita nempe est, quicquid apud mortales possideri potest, humanum est: nec interest, quales sint homines, boni, uel mali, summi, uel infimi, cuncti promiscuè cuncta habent, non singuli tamen cuncta, licet tāta omnibus innata sit habēdi cupiditas, ut singuli, si fieri posset, omnia possidere uellent. Hinc magnum inter mortales certamen ortum est, ut pro se quisq; quamauidissimè studeat plus habere. Sed ut cætera omittamus, regnandi in primis omnibus est immēsa libido, nec quo modo homines huiusce spei compotes fiant, quicquam pensi habent. Vnde Cæsar Euripidis uersus usurpās, dicere solebat: Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolandū est: alijs rebus pietatem colas. Quo factū est, ut imperia ipsa, magnaq; regna semper prædę exposita fuerint, & illa sæpius tam ignobiles quàm nobiles, seu malis seu bonis artibus quæsita, obtinuerint. Quæ omnia cùm notiora sint, q; ut hoc loco sint explicanda, idcirco particulatim commemorandi labore consultò supersedemus. Quare profectò summæ stultitiæ est dicere, aut credere, regna & imperia necesse esse, ad illos duntaxat perueniant, qui nobilitatē iactare possint, cùm uideamus quotidie nouos homines nō modò uirtute, sed bene multis sæpe uitijs præditos, ad magnos honores atq; imperia perduci. Ita Deo placitū est, ut nos nostra eiusmodi bona hoc nō pluris faciamus, quòmagis cōmunia eadē omnib. & nemini perpetua esse uidemus. Obnoxiū fuit &

Universidad de Deusto
Biblioteca

huic humanæ uarietatis sorti Britannorũ quoq; regnũ, quod primum Romani, uti demonstratũ est, sibi armis acquisiuere, tenueruntq; diu: deinde Angli inuaserunt, ac ad ultimũ deleta cum nomine Britannico ferè gente, deuictum possedere: quod deinde usq; eò uarijs casibus est agitatũ, dũ summa imperij ad unum peruenit. Erat per hunc modum regnũ Anglicũ omnibus formidolosum, cùm sensim fatalis uarietas mutãdi possessoris accidit. Porrò haud ita multo pòst sub Dacorũ iugum redactũ est, quo post quinq; & uiginti annos ceruice depulso, in pristinũ redijt statum: cui tamen ne tum quidẽ quiescere licuit, nam cùm tandẽ aliquando moribus & legibus optimè institutum, iam passim floreret, ecce tibi, in sæuam humanæ sortis necessitatẽ iterum repentè inclinatũ, in Normanorũ potestatẽ cecidit. Hæc gens à Dacia oriunda, ferox statim tãto regno potita mores optimos, leges sanctissimas, diuina humanaq; uertere, ac deniq; genus ipsum Anglicũ perdere conata est. Quòd tamen ista uis in eo mitior, minusq; infesta uisa est, quia quantum in eiusmodi rebus regno ademit, tantũ penè in amplificando, retinendoq; imperio, reddidit: unde ad extremũ obliterato nomine Normanico, paulatim Anglicana res reuiuiscere cœpit, ac sibi restituta est. Talis rerum series iam hinc nobis explicanda est, usq; ad nostra tempora, si mihi id facere licuerit, quibus pace terra mariq; parta, Henricus octauus regnat: si tamẽ illud prius admonuero, me deinceps esse librorum numerum ad uitas regum accommodaturum, facturumq; initium hîc à Gulielmo Normano, qui ut uictor, pro suo arbitratu regnum Anglicum deintegro instituit. Nunc ad ea quæ sequuntur, reuertamur.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER NONVS.

GVLIELMVS post eam pugnam cæde Haraldi claram, castraq; capta, ac direpta, confestim Londinum uersus pergit. Interea Edouinus & Morcatus comites pro conseruatione patriæ, studio & autoritate laborantes, populum solicitabant, ut Edgarũ adolescentem ex regia stirpe reliquum, de quo superiore libro abundè meminimus, regem faceret. In quam rem etsi magna pars inclinabat, dum tamen uarijs desiderijs feruntur, cũcti generatim primùm de aliqua deditione honestè subeunda deliberant, postea timore perculsi ueniẽtem Normanum urbe recipiunt, datísq; obsidibus, cũ eo de pace orant. Ibi Gulielmus perblãdè ac benignè locutus, simulq; magnifica pollicitus, ab omnibus, quãquã nõ pari alacritate, diẽ festũ celebrãtibus, rex declaratur, ac mox octauo cal. Iulmus DUX Norman: Angliæ creatur. A°. 1067 Ian. qui fuit annus salutis MLXVII, ab Aldredo Eboracensi antistite corona redimitus est: Noluit id munus à Stiganto Cantuariẽsi homine improbo accipere: dein iuratos, ut mos est, episcopos atq; populi principes in uerba singulos quosq; obsides dare coegit, eos in optimã spem erigens, q; prę se ferret, identidẽ tum ius dicendo, tũ agendo, nõ dubiũ, sicuti nunc apparebat, probitatis specimẽ. Postremò loca omnia munienda, præsidijs firmanda, maritimã oram classe tuendã miro studio curauit: item domi senatũ constituit, in quem ex suis heroibus, qui alios prudentia uincerent, delegit, ad quem absente se, omnia referrent. His ita confectis rebus, ac conflato exercitu, cum obsidibus in

in Normaniam redijt, reliquitq; præfectum totius regni Odonẽ Baiocensem episcopum, uirum sagacis ingenij, ex matre fratrem, quæ post mortẽ Roberti ducis, ex altero uiro homine parum claro, hunc Odonem & Robertum filios genuerat. Causa autem redeundi fuit, q; cùm prospiceret oportere se in posterum tempus, esse totum in negotio status Angliæ collocandi, uoluit prius ita Normaniæ res stabilire, ut ne domũ facilè reuocaret. Gulielmus Normaniã triumphanti similis ingressus, ubi parum moratus, postq; res omnes ex sentẽtia constituerat, in Angliam confestim remigrauit. Hic cœpit durè in Anglos dominari, arbitrans posse se facilius ita eos in officio continere: itaq; plurimis optimatibus ac priuatis ciuibus bona cum honoribus leui oppidò de causa, adempta Normanis distribuebat, noua quotidie uectigalia imponebat, nobiles nullo habebat numero, ita, ut uniuersis perniciẽ per hoc machinari uideret. Quod ubi Anglorũ heroes, qui fortunis suo immerito spoliabantur, animaduerterũt, ira & indignitate rei permoti, alij aliò clàm fugêre, quidam Daciã, quidã Noruegiã petere festinant. Edouinus & Morcatus comites in Scotiã se receperũt, quò etiã Edgarus cũ Agatha matre, Christina & Margarita sororibus, dum in Pannoniã, ubi loci natus erat, cursum tenebat, tempestate actus peruenit. Quæ res effecit, ut cum Malcolmo rege Scotorũ tertio, affinitatẽ iũxerit, data ei sorore Margarita in matrimoniũ, ex qua ille octo suscepit filios, quorũ tres, Edgarus, Alexander, & Dauid, deinceps post patrẽ regnarunt. Christina uerò altera Edgari soror uirgo cõnubij abhorrens, monacha effecta est. Rex Scotus igitur dolens Edgari uicem, q; regno auito fraudaret, libens Anglos profugos recipiebat, quò partim hoc modo fauorẽ iuueni cõpararet, partim uerò ut beneficiorum acceptorum memorẽ esse se ostẽderet: nam dum Maccabæus tyrannus, de quo suprà libro sexto memorauimus, regnabat, is necato à tyranno Malcolmo patre, in Angliã aufugit, ubi perhumaniterab Edouardo rege acceptus quindecim fuit annos: sed tandem Scoticis pariter nobilibus atq; Edouardi auxilio fultus in patriam redijt, commissoq; cum Maccabæo prælio, insigniter uicit, eumq; occîdit: ita igitur auito potitus regno, nullum non humanitatis officium in Anglos ultrò conferebat.

Odo Epus Baiocen Anglis præfecit

Cõstit. tyrannidẽ in gentem

Edgarus in Scotiam

Gulielmus interea perspiciens Anglos grauatè imperio parêre, & ob id tumultuum metuens, magno studio quatuor arces diuersis in locis construere cœpit, unam ad Notyngamiã oppidũ, proxime Trentã flumẽ situm, alteram Lincolniæ, tertiã Eboraci, quartã prope Hastyngũ uicũ, ubi loci descenderat in terrã, quando primũ Angliã adiuit, quò per hæc loca inimicis peropportuna, huiusmodi munimẽtis firmata, cũcti ab omni nouandarũ rerũ studio deterrerent. Itẽ ut ferociã populi ad otiũ perduceret, omnib. arma ademit, statuitq; ut quisq; paterfamiliãs uesperi circiter horã octauã, post meridiẽ, recto cineríb. igne, dormitũ iret: & ad id signũ uicatim dari uoluit, per campanas, id quod etiã nũc seruat, & Normanicè uulgò dicit Couerfeu. Interim Oxonium ualidũ oppidũ defecit, & Eboracũ cũ Northũbria nouis tumultib. solicitabatur. Quo cognito, Robertũ unũ ex suarũ copiarũ prefectis, uirũ strenuũ, non item cautũ, in Northumbriã cum parte exercitus præmittit, ipse uerò cũ reliquo exercitu Oxoniũ oppugnatũ pergit. Oppidani cùm regem uenire cõperissent, sese intra munitiones recipientes, muros defendere parant: sed ubi uiderunt hostes iam circunsedisse oppidũ, & parato bene magno scalarum, cra

Gul. 4 arces extruit

Diuina hora uesperti dormitorium

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium,harpagonũ numero,uelle illud aggredi, subitò perterriti, armis proiectis,munitionibusq; suis relictis,ueniã precantes se necessariò dedunt.Re feliciſsimè celerrimèq; gesta,Gulielmus uictoriæ fiducia Eboracum contendit. InterimNorthumbri certiores facti ab exploratoribus,Robertũ sine uigilijs, sine magno præsidio,nihil formidantẽ se castris tenere, de media nocte facto impetu castra adoriuntur,interfectoq; duce cum multis alijs,nullo negotio illis potiuntur.Qua re cognita,Edgarus qui cum expeditis equitibus cupidus nouarũ rerũ circumuagabatur,confestim superuenit, palantesq; Normanos crudeliter cædendo infectatus,stragem non mediocrem edidit:qui post hæc Eboraci parum moratus,in Scotiã pari atq; uenerat celeritate se recepit. Eodẽ tempore rex in itinere certior factus,fama passim testante,id quod erat gestũ, iræ & ardoris ulciſcendi plenus in Northumbriã primũ aduolauit,ibiq; post celeriter deuictos hostes,defectionis autores supplicio affecit:reliquos quia ma tulissent,aut captiuos duxit, aut incisis naribus, manibusq; deformauit, quò testatior esset pœna hostium : deinde Eboracũ profectus,pari supplicio affectis qui Edgaro fauissent,Londinum reuersus est.

Dum hæc in insula geruntur,Angli qui in Daciam profugerant,non cessabant Canutum regem quartum,ad arma cõtra Normanos capessenda solicitare,noui belli causas inuenire,dictitãtes regnum Angliæ esse Dacorum, unde illis omni tempore factæ essent honoris & utilitatis maximæ accessiones, qui idcirco pati non deberent illud à nouo homine iniustè obtineri,cùm præsertim tempus idoneũ adesset,quo tantum aberat,ut Normanus ullo suo beneficio,Anglorũ seu finitimorum animos adhuc sibi conciliarit, ut etiam omnibus inuisus iam tyrannũ palàm ageret:sed omnino nõ cunctandũ,neq; cessandum,q; uictoriæ spes iam ostentata esset,si modò loca opportuna antè caperent.His rationibus Canutus motus,bellum sumendũ cõstituit. Haud mediocriter est,in Anglorũ annalibus scriptum reperiri, hũc in Normanos motum nõ à Canuto fuisse factum,sed illo suasore,ab Haraldo eius fratre, qui ante eũ regnarat,id quod Saxo Grammaticus minimè affirmat, nec uero simile est: quandò Haraldus uir fuit laboris admodum fugiens, acuix biennium uixit, postq; fuerat rex creatus,ut dubio procul,neq; tantũ bellum facere ausus fuisset,nec uacasset.Iam ad incœptum redeamus.Itaq; Canutus & exules Angli breui pòst tempore parata ducentarum circiter nauiũ classe,cum magno exercitu ad oram insulæ in orientem solem uersam perueniunt,ostiumq; Humbri fluminis ingressi, in terram descendunt. Hinc Eboracum uersus iter intendunt,ferro & igne omnia depopulãtes:quibus cum Angli omnes qui in Scotia exulabant,duce Edgaro,se protinus cõiungunt . Quod ubi fama ad ciues protulit,miro timore afficiunt, adeò, ut Aldredus archiepiscopus inter alios mœrore animi interierit.Interea Normani qui urbi præsidio relicti erant, ubi per speculatores cognouerunt,hostes uix bidui abesse, & se uiribus præstare,consilium capiunt incendendi suburbana ædificia,ne Dacis usui forent,& se intra urbem tenendi.Iniecto itaq; igne,subortus repentè uentus uagantem flammam adeò in altum lateq; euexit, ut ignis frequentes globi intra mœnia cadentes,maius intra quàm extra incendium fecerint,quo penè omnia ædificia cũ templo diui Petri,absumpta sunt . Quare omne præsidiũ ac ciues exire compulsi,cõfertim fugientes in hostes qui iam appropinquarant, inciderũt.

Ibi

Ibi Normani(ut fit,quando subitus casus affert salutis desperationẽ) acriter aliquantũ pugnarunt:sed ubi se undiq; impeti telis uidêre, uirtutis memores inter hostes,more furentium pro se quisq; irrupit:uerùm iam multis uulneribus acceptis passim cadentes,nihil magis fecere,quàm quòd honestam oppetiuerunt mortem . Cæsa sunt tria millia Normanorum : ex Anglis pauciores desiderati,propterea quòd à Dacis seruati sunt,ut auro uitam redimerẽt.Re præstãtissimè gesta,Canutus in Northumbros iter celeriter uertit,qui ultrò in eius fidem uenerunt:itidem & alij hostium excursiones timẽtes fecere.Iam tota quæ est ad septentrionem, Angliæ pars Daco parebat, qui propédiem Londinum oppugnatum iturus erat, cùm eodem tempore magnitudo hyemis insolita consecuta est,quæ etiam interim Gulielmum accepto nuntio rei malæ gestæ,ira & furore licet ardentem remorabatur, quò minus in hostem cuestigiò properaret:sed haud post multos dies,cœlo iam placatiore,magnis itineribus in Eboracẽsem agrum contendit, ac prope Trentam fluuium,qui Humbrum influit,consedit.Hìc cùm Dacorum qui obuiam uenerant, castra in proximo esse,& opere magno atq; loci natura munita intelligeret,uideretque suos milites itinere fessos,noluit hostes ad pugnã prouocare, sed nõ magno interuallo relicto,haud hoste procul castra posuit, ac postero die egressus cum omnibus copijs,cum Daco qui iam in aciem se expediuerat, manum conseruit.Committitur acerrimè certamen,iamq; diu æquo Marte dimicatũ erat,cùm Normani equites cœperũt in altero cornu sensim effugare,aut hos salutis causa,in Scotiam,aut illos ad naues properantes. Quod simul atq; cæteri uiderunt,timore perculsi passim in fugam se quoq; cõferunt. At Canutus in primis à suis stipatus,ad naues etsi ægrè se recipit.Edgarus uerò celeri cursu in Scotiam cum paucis suorum profugit,reliqui ad unum interfecti dicuntur.Sunt,qui scribant Dacos præda onustos ante aduentum Gulielmi abijsse:in quam sententiam non inclinat omnino animus:nam extremæ dementiæ fuisset Dacum qui tanto belli apparatu aduersus Normanum uenisset,qui regnum recuperare affectasset,qui demum primo statim congressu, uictoriam adeptus fuisset,sola præda cõtentum,latronum more aufugisse, nec belli fortunam periclitari uoluisse. Gulielmus uictoria potitus, postquam in omnes defectionis autores quos capere potuerat,seueriſsimè animaduertit, ne quid ex contagione tantæ noxiæ uspiam integrum euaderet, ita Northumbriam atq; omnem Eboracensem agrum, qui ab Eboraco, ad Dunelmum pertinet, deuastauit,ut toto ferè decennio postea uacauerit. Defendit ab eiusmodi iniuria,prædia collegij Beuerlacensis miles quidã regius,cui tale populandi negotium datum erat,miraculo territus,quòd repentè lapsus ex equo,qui ceciderat,ac fracto collo interierat,facie turpiter deformatus est. Fuit is annus salutis MLXX, & cùm regnare cœpit Gulielmus,tertius.

Hoc cõfecto negotio,rex Londinũ reuersus est, malè in omnes animatus, & præsertim in principes multa suffusus maleuolẽtia:porrò cœpit eius cor obistiusmodi nouos quotidie tumultus,frequẽtissimasq; Anglorũ defectiones, maiorem in modũ ira cumulari:quò accedebat,ut in charitate ciuiũ nihil amplius reponeret,sed existimaret esse sibi regnũ tutandũ metu,quem ut pluribus incuteret,cœpit in exiliũ agere,bonis mulctare non suspectos modò,sed unde nihil aliud nisi prędã sperare posset,Ita pœna sine iudicio in miseros An

Universidad de Deusto
Biblioteca

glos constituta erat, quo nihil crudelius est, nihil quod minus mortales ferre possint, uel debeāt. Quin ciuitates, episcopatus, cœnobia immunitatibus priuauit, ut eas pòst ab se carius redimerent: ac inter cætera sanxit, ut tēpore belli, arbitrio principis, auxiliū ferrent. Et quia per uim, & iure belli, regnum ceperat, illius statum idcirco de integro collocare suo iure uoluit: ac primū omnium legem tulit agrariam, qua se possessionum multarum similiter urbanarum ac rusticarū dominum dixit, quò priores domini eas postea redimerent, quarū bonæ partis proprietatem retinuit, sic, ut qui in posterū tempus possiderēt, uelut fructuarij in singulos annos, aliquid uectigalis sibi & deinde successoribus, dominij causa, persoluerent. Sed excepit præscripto casus aliquot, quibus eiusmodi fundi ad se tanquam dominū redirent, qui quidē casus notiores sunt dominis, quàm ut sint recitandi à nobis. Et id iuris uoluit alios dominos in suos habere fructuarios, quos tenentes uocant. Ex hoc nempe fonte res agraria manauit, quæ adeò aucta est, ut paulatim magnam imposuerit fundis seruitutē. Vnde fit, ut nihil hodie penè incertius sit ipsa agrorū possessione, nec aliunde plus litium existat. Deinde constituit, ut quater quotannis, in multos dies conuentus celebrarentur, eodē loci, quo ipse id fieri iuberet: quibus in cōuentibus iudices sedibus distincti forū agerent, iusq; populo dicerent. Itē alios instituit iudices, qui sine prouocatione, iurisdictionē ac iudicia exercerent, à quibus uti à sinu principis, cuncti litigatores eò cōfluentes iura peterent, & ad eos suas cōtrouersias referrēt. Hæc iuris dicundi forma etiam nunc seruat. Id aūt forum à principio apud Vuestmonasteriū fuit, ubi postea Rufus huius Gulielmi filius basilicā magnificentissimè extruxit, uti alius appositè edocebit locus. Præterea idem prefectos alios cōstituit, qui comitatus regendo, uel maiorum magistratuū mandata exequerentur, uel maleficia uindicanda curarent: hos iustitiarios pacis, illos uicecomites nuncupauit. Posuit & fiscū, fecit præfectos cum potestate magna, qui essent regis procuratores, qui omnia uectigalia caperent, qui ærariū curarent, eiusq; pecunias acceptas & expensas in tabulas publicas referrēt, ac eas tabulas ab se in singulos annos confectas asseruarent, ut per eas ratio omni tempore reddi posset, quantū acceptæ pecuniæ retulissent, & quantū expensæ tulissent: hos barones, locum autem quod corrupta uoce scacarium dicitur, statariū appellauit, quòd esset stabilis, & ibidem firma regni sedes, quandò nihil æquè regnū stabilit, quàm ipsa regina pecunia. Instituit item scribarum collegium, qui diplomata scriberent, & eius collegij magistrum uocauit Cancellariū, qui paulatim supremus effectus magistratus, qualis hodie habetur. His ita constitutis, nouissimè leges penè omnes à superioribus sanctissimis regibus olim ad bene beateq; uiuendum latas sustulit, nouasq; dedit minus æquas, quas posteri non sine suo damno seruarunt: perinde quasi nefas esset, eas malas leges irritas facere, quas parū amicus populi Anglici loco bonarū tulisset. Non possum hoc loco non memorare rem tametsi omnibus notam, admiratione tamen longè dignissimam, atq; dictu incredibilem: eiusmodi nanq; leges quæ ab omnibus intelligi deberent, erant, ut etiam nunc sunt, Normanica lingua scriptæ, quam neq; Galli, nec Angli rectè callebant. Quamobrem uidisses iam inde à principio, quotidie partim iniquitate legum, partim inscitia eorū, qui illas male interpretabantur, hunc bonis auitis priuari, illum iudicio imperitissimorū hominum criminis

criminis damnari, morteq; mulctari, alium litibus inextricabilibus perpetuò irretiri, ac denicq; diuina humanaq; misceri, atq; ea omnia, ne fidē abroges dictis, publicè priuateq; mortales testari, simulq; detestari. Atqui certè quidem Normanus pro suo instituto, nō potuit alias dare leges, quādò nō alia est natio, quæ peritius sciat calumniari, præuaricari, atq; tergiuersari, id est, per fraudem, & cauillationē, ac dissimulationē, frustrationemq; litigare, seu uexare litibus. Modus autē iudicandi erat talis: In omni causa, grauiores uiri, cęterùm iuris ut plurimum nescięntes, eiusdē comitatus, ubi reus litigatorúe habitaret, numero duodecim, instar duodecim apostolorū, ut in numero saltē existeret religio, à iudicibus constituebantur, de causa litis edocebantur, iureq; iurādo obligabantur ad rectè, ac sanctè iudicandū, qui in curiam simul cōuenientes ueluti in custodia claudebantur, usq; dum examinato negotio, uel reum condemnarent, uel absoluerent, seu uni aut alteri litigatorum rem controuersam adiudicarent. Quo facto, ad iudices reducebantur, quibus quale fecissent iudiciū declarabant: tum iudices pro tribunali sedentes, iudiciū eiusmodi reo uel litigatoribus patefaciebant, simulq; grauitatē pœnæ quam lex constituisset, indicebant. Ita duodecim uiri à principio iudicabāt, quorū postea iudicia alijs præiudicia fuere: hoc est, exemplum præbuere ad iudicādum in quacūq; causa. Hæc formula iudicandi hodie utcunq; pariter seruatur. Cæterùm cùm uulgus soleat nobilitatē plurimum sola antiquitate metiri & ponderare, fortasse sunt, uel erunt aliquando, qui posthac cōtenderint, bonam partē istiusmodi legum atq; institutorum introductam fuisse à priscis regibus, qui ante Gulielmū hunc regnarint, quò maior patrijs institutis accedat autoritas. Ego uerò, cùm diligenter omnia ueterum monimenta perscrutatus sim, ad ea non habeo dicere aliud, nisi q; in compendiario quodam libello legum Aluredi regis inueni, ex centū hominibus electos fuisse decemuiros, quos iustitiarios appellabant, qui ruri, de damnis datis, de cōtrouersijs cognoscerent, causasq; definirent, uerùm illos oportuisse de capitalibus criminibus ad maiores iustitiarios referre. Vnde cognoscere licet, penes hos iudicandi de eiusmodi malefactis & eorundē puniendorum potestatem fuisse, atq; illud terribile duodecim uirorum iudicium nondum id temporis natum. Nunc ad lationē legum redeo. Quid, q; illas leges ipsi etiam Normani reges parum iustas esse nō negabant: nam quoties Gulielmus Rufus, item Henricus, huius Gulielmi filij, beneuolentiam populi sibi conciliandā putabant, uti alibi planum faciemus, primùm omnium pollicebantur paternis antiquatis legibus, se meliores latu ros, restituturosq; eas, quas diuus Edouardus utendas decreuisset. Fecit & itidem Stephanus qui secutus est, ac deinde alij reges sic à populo gratiam inire studuerunt. Verùm tantum abfuit, ut omnes Normanicæ leges abrogatę sint, ut etiam bene multis ne derogatum quidem sit, utpote quę ex usu magis principis, quàm populi essent.

Gulielmus post hæc, ad faciendam pecuniam intentus, tributū populo generatim indixit, pecuniasq; à tēplis aut cœnobijs antiquitus depositas, pessimo exemplo tolli iussit, ac à uasis sacris ne manum quidē abstinuit, qui ex alia parte, religionē iuuandā existimauit: nam id temporis, cùm celebris antistitū conuentus Vintoniæ ageretur à duobus Cardinalibus, ab Alexandro secundo pontifice Romano legatis, ad statū rei Christianę apud Anglos recogno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scendum, meliorem q̃ collocandũ, si opus foret, aliquot tum episcopi, tũ abbates de nonnullis criminib. accusati, eius opera, officio priuati sunt. In ijs fuit
* Stigantus Cantuariensis antistes, qui defecratus est. Huic obiecta multa sunt crimina, & illud in primis, q̃ uiuo Roberto archiepiscopo, de quo in uita Edouardi meminimus, Cantuariensem sedẽ occupasset: deinde q̃ unà cum eadem, Vintoniensem episcopatum possedisset: ac postremò q̃ palliũ accepisset à Benedicto, ordine Romanorũ pontificũ decimo, quem ut perperàm electum patres repudiarant. Hanc tamen rem scriptores nonnulli Gulielmo uitio uertunt, asserentes ideo eum procurasse Anglicos antistites honorib. deijciendos, quò eorum in locum substituerentur aut Normani, aut alij externi: quod & factum est. Sedit Stigantus annos decem & septem, qui haud multo pòst, q̃ defecratus fuerat, Vintoniæ in carcere perijt. Succesit illi Lanfrãcus antistitum ordine trigesimustertius, Cadomensis abbas, homo Italus, singulari uirtute, constantia, grauitate præditus, cuius opera & consilio in rebus agendis rex in primis est usus. Per idem temporis Thomas sacerdos Normanus, uir etiam moribus & doctrina clarus, creatur archiepiscopus Eboracensis, ordine antistitũ uigesimusquintus, qui post longam disceptationẽ, quam de autoritate archiepiscopali cum Lanfranco habuit, priusquã consecraretur iureiurando adactus, promisit se deinceps nõ uenturũ cõtra Cantuariensem, in ijs, quæ ad religionem pertinerent. Ab eo optimo patre cõsecratus fuit Michael Glasguensis electus in Scotia episcopus, qui munere consecrationis accepto, more maiorũ, in archiepiscopi uelut totius Scotiæ primatis uerba iurauit. Fecit idem postea Tothadus diui Andreæ episcopus, fecitq̃ ei obediẽtiæ promissum, & id quidem, sicut in annalibus pontificum Eboracẽsium extat, iussu Malcolmi tertij Scotorũ regis multò præstantissimi, ac eius uxoris Margaritæ fœminæ sanctissimæ, qui ita prouidendum putarunt, ut ne contrà q̃ patrum decreta iubent, episcopi inter se, pro suo iure, consecrarent, cæteraq̃ peragerent, sine autoritate Eboracensis archiepiscopi, quæ à principio ex illius uoluntate fieri cõsueuerant. Quãuis, quemadmodũ infrà libro xiij. dicemus, Scoti episcopi deinceps propter bella, quæ frequenter inter utrunq̃ populũ orta sunt, utpote quæ impedimento fuere, quò minus ad suũ primariũ antistitem adiuerint, coacti sint rursus suo eatenus uti parũ legitimo instituto, quoad aliter prouisum fuerit, ut infrà libro xxiiij. suo declarabitur loco.

Interea Angli principes uidentes se pariter bonis ac honoribus spoliari, apud regem nullo esse numero, item Normanis omnibus odio cõtemptui q̃, ac uelut fures passim in uincula duci, statuũt potius relinquere sua omnia, ac permittere prædæ esse regi, q̃ uidere præsentem calamitatem, quia oculi solent augere dolorẽ. Itaq̃ duce Morcato comite, qui tametsi paulo antè ex Scotia reuersus in gratiam cum rege redierat, tamẽ rursum offensus cœpit ab eo animo esse alieno, ac Hereuardo uiro summa animi præstantia, cũ Egeluino Dunelmensi episcopo, clã se fugæ solitudiniq̃ mandant: ad extremũ in Elym insulã perueniunt, ibiq̃ nacti locum natura munitũ, uitam licet miserrimam procul Normanorũ sęuitia, agendam cõstituunt, donec aliqua recuperandæ libertatis occasio daretur. Spectat locus ad ortum solis, & undiq̃ dulcibus aquis paludibusq̃ septus, ut alibi demonstratũ est. At nonnulli alij Angli heroes, duce Eduino, in Scotiã proficiscũtur, ubi breui pòst ipse Eduinus à suis occidi-

Successio Episcopor. Cantuar. & Eboracens.

Lanfrancus

Angli tyrannide offensi proficiscunt in Elym insulam: alij in Scotiã

ditur. Gulielmus ubi cognouit Anglos Elyẽses paludes occupasse, optimum factu ratus, si prius eos opprimeret, q̃ huiusmodi conspirationis uirus longius serperet, parato exercitu, eò subitò cõtendit: & quia paludes ipsæ ita ubiq̃ altæ erant, ut equos facilè uorarent, cœpit pluribus locis, cratibus, & lignis, cum lapidibus dimissis, eas peruias facere, usquequo aquæ altitudo permiserit, & in illis locis milites locare: postea ex ea parte, quæ ad occidentẽ uergit, pontem construxit. Quo facto, superuenere nauiculæ ex Oceani portu, quem uocant Lynum. Hunc portũ aquæ dulces, quæ fluunt ex ipsa insula, efficiunt, abluuntq̃ oppidum maritimũ idem Lynum dictum. Erat hoc pacto insula simul terrestri, simul nauali manu obsessa, & magna ui Angli repugnabant, cùm Morcatus ad ultimum animaduertens non posse resisti, tentato cũ suis animo se aditu, demum nauigio euasit in continentẽ, & inde in Scotiam. Episcopus uerò Dunelmensis & cæteri se regi dediderunt, ex quibus alij alia pœna mulctantur. Rex ex eo cognoscens, Scotiam solam receptaculum esse perfugarum, unde quotidie noui orirentur tumultus, eam quoq̃ armis inuadendam decreuit: itaq̃ Gallouidiam ingressus, quò suos aduersarios se cõtulisse acceperat, aliquot dies in persequendis ipsis exulibus, militem defatigauit: abdiderant enim se hostes, aut in montes, aut in paludes, de industria regem ludificantes, simulq̃ tentantes, si in insidijs excipere possent. Verùm ubi Gulielmus uidit se cùm iniquitate, tum insolentia locorum parum proficere, in Laudoniam transiuit, ac in Malcolmum regem, tanquam inimicorum caput, iram conuertit. Igitur nactus idoneum certamini locum, in hunc hostem aciem instruxit. Malcolmus ubi ante se Normanum prospexit, suis actutùm ad pugnam expeditis, constitit. Hîc Scotus, qui uidebat durum esse cõtra stimulum calcitrare, ut uulgò dicitur, dum multa animo uersat, non dubia sui timoris signa ostendens, legatos de pace ad Normanum mittit, quos ille haud grauatè audiuit, existimans satius esse ad aliquam pactionem uenire, & pacẽ dare, q̃ se in locis ignotis, belli fortunæ committere. Est itaq̃ pax data Scoto sub ea lege, ut in Gulielmi uerba iuraret. At Anglis exulibus rogatu Malcolmi, impunitas conceſſa est. Rex compositis per hũc modum rebus in Scotia, Dunelmum reuertit: unde miraculo territus, haud cunctanter Londinum se recepit: uoluit enim tentare, an corpus diui Cutheberti eo loci esset, quo colebatur: seu potius intentare manus preciosæ arculæ, qua diui corpus ipsum erat inclusum: sed ab inceptо destitit, subita corporis & animi anxietate, defluente sensim sudore, affectus.

Lynus portus

Malcolmus Scotor. Rex

Miracula per reliquias

Cœpit interim Normania propter absentiã principis, ad defectionem spectare, quod ut regi nuntiatũ fuit, quãuis maiores motus domi timeret, q̃ foris cerneret, tamen rem transmarinã domesticæ præuertendã putauit: & quia celeritate opus erat, delectu habito militum, præsertim Anglorũ, quorum uiribus magis foris q̃ domi confidebat, in Normaniã transmisit, ubi domitis coniurationis autoribus, omnia pacata reddidit. In eo negotio præcipuã Anglorũ uirtutẽ perspexit, magnifecitq̃. Quod cum primis bono fuit Edgaro, quippe qui licet bis fracta fide, ad Scotos desciuisset, tamẽ impetrata uenia, deinde magna cum rege in gratia fuit. Dũ Gulielmus in Normania moratur, Rogerius comes Herefordensis cũ Rodulplo comite Cantabrigiæ, & Gualtero filio magni uiri Suardi, de quo mentionẽ fecimus in fine uitæ Edouardi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõiurauit in regẽ. Is homo perdita autoritate, facinorosaq; uita, quippe cuius consilio Gulielmus thesauros ex templis abstulerat, cõtrà atq; rex iusserat, locauit sororem Rodulpho, dum eiusmodi nuptiæ magno apparatu fiebãt, habito clandestino colloquio, multos tum Anglos, tum Vuallos (erat Rodulphus matre Vuallica natus) cõiurationis socios sibi adiunxit, & in primis ad hanc rem maturandam Dacos solicitauit. Cæterũ interim Gualterus memor, cq; alienũ foret à uiro forti quenquam proditione opprimere, extemplò ad regem in Normaniam aduolauit, patefecitq; Rogerij consilia. Quæ res maiorẽ in modum animum regis irritauit, qui ocyus cq; decreuerat, in Angliam reuersus, tantum timoris conspiratis iniecit, ut raptim alij alio fugerint: affecit tamẽ multos supplicijs uarijs, coniecto in uincula Rogerio, & Gualtero: hunc inde magis furore actus, cq; aliqua iusta causa ductus, securi percuti iussit. Interea Daci piratæ ad litus aliquas naues appulerant, sed cùm audiuissent refrixisse tumultum, eò unde uenerant, primo quoq; die redierunt. Quieuit dein parũper Gulielmus: quo tempore, autore Lanfranco habitum est Londini antistitum, reliquorumq; sacerdotum concilium, in quo decretum est, ut aliquot sedes episcopales, quæ in oppidulis ac pagis antea fuerant, in urbibus & locis celeberrimis collocarentur. Quo factum est, ut Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Exonia, Cestria, atq; Cicestria urbes, huiusmodi nouo episcoporum domicilio, nobilitatæ sint: id quod infrà perappositus magis perspicuè indicabit locus. Adfuit in concilio Vulstanus Vigornensis episcopus, uir etsi literarũ nescius, sanctitate tamen uitæ multò clarissimus. Hunc Lanfrancus ut hominem imperitum, & ob id, quemadmodum prædicabat, minimè ea dignitate dignum priuauit: quanq; illud, ut uulgò ferebatur, non ea in primis de causa fecerat, q; rudis ingenij esset, sed ut potius in locũ eius, uolũtate principis, homo Normanus surrogaretur: quod Deus non permisit. Porrò Vulstanus coactus indumenta pontificalia deponere, diuino animi ardore repentè inflãmatus regi inquit: Melior te, his me ornauit, cui & reddam. atq; deinde ad sepulchrum diui Edouardi, cuius beneficio episcopus factus fuerat, profectus, & uestitu insigni se exuens, baculum ita altè in lapide monimenti infixit, uti nulla ui extrahi posset. Quo miraculo rex & Lanfrancus territi, magnopere uirum sanctum orarunt, ut sumptis indumentis insignibus, suo potiretur honore: quorum tamen iniuriam Vulstani singularis sanctitas plurimũ infamauit. Fuit is annus à natali Christi MLXXVIII, Normanorum uerò aduentus XI. Secundum hæc, in eo conuentu, nihil non quod ad conseruationem rei Christianæ pertineret, multò sanctius curatum est: sed ante omnia, mores sacerdotum parum puri quamproximè potuit, ad priscorum patrum regulam reuocati sunt, estq; illis in posterũ tempus, rectè uiuendi modus præscriptus.

Dum Gulielmus domesticis rebus uacat, Robertus maximus natu filius, uir undecunq; præstantissimus, si paulò consideratior ac à leuitate remotior fuisset, ope & cõsilio Philippi regis Francorũ, in Normaniæ fines incursat, aliqua loca capit: nam Philippus Gulielmo, cuius rerum magnitudo iam ei formidolosa esse cœperat, negotiũ exhibere aliquod cupiens, quo eius uictorias infirmaret, ita in patrem clàm filiũ armauit. Promiserat huic pater diu antè, se Normaniam administrandum daturum, quare iuuenis cupidus imperij, ui à patre consequi studebat, quod expectare longum censeret. Quibus nũtiatis rebus,

rebus, rex uehemẽter facinoris nouitate perturbatus, scripsit exercitum, ac in Normaniam confestim traiecit, paratisq; copijs, in filium fertur. Hîc magno utrinq; edito clamore, prælium ineunt: dum pugnatur acriter, Robertus præmittit in hostem pedestri iam turbatum pugna, equites, qui proruptis ordinibus, in nouissimam aciem penetrant, quos ipse insecutus incidit in patrem, quem transfosso brachio, de equo in terram deturbat: sed ubi ex uoce, patrẽ esse cognouit, omisso equo, eum tollit, se ad eius pedes abijcit, petitq; ueniam commissi. Rex motus patria charitate, in amplexum filij accurrit, quem deinde morem sibi gerentem in oculis semper tulit. Amisit rex multos suorum eo prælio, pluribus unà cum Gulielmo Rufo filio saucijs. Res Roberti posthac propter eiusmodi, uti iudicare licet, impietatem, peius quotidie ceciderunt. Exin Gulielmus cum ipso Roberto in Angliã redijt, quẽ in Malcolmũ regẽ Scotiæ, qui fracto fœdere finitimos incursionibus uexabat, protinus misit: sed sub eius aduentũ, hostẽ sese intra fines suos recipientẽ, ille persequi destitit. Rediens igitur Robertus, in itinere statiua posuit ad Tynnam flumen, in ora insulæ ad ortum æstiuum uersa, ubi loci castellum, id est, arcẽ ædificauit, unde oppidum hodie Nouum castrum appellatur. Per id tempus, Odo Baiocensis episcopus ad ulciscendam digna expiatione mortem Gualteri Dunelmensis episcopi, quem Northumbri paulo antè occiderãt, cum bene magna militum manu in Northumbriam mittitur, quam miserabiliter afflixit. Nam in Morcati comitis Northumbriæ paulo antè deuicti locũ Copsius primò, Patritius deinde à rege sufficitur: post quos, cura eius regionis datur Gualtero episcopo, deinde Alberico, & postremò Robertus Mulberiensis uir fortis & sapiens comes creatur. Gualtero episcopo successit Gulielmus, per quem monachi iam palàm tam opum inhiantes, quàm solitudinis fugientes, expulsis presbyteris, quos seculares uocant, in possessionem collegij Dunelmensis uenerunt. Odo autem haud multo pòst in suspitionem cecidit apud regem, à quo in Normaniam ignominiosè ablegatur.

Erat iam annus decimus & sextus, cùm Gulielmus regnare cœperat, quo tempore ei placuit cẽsum haberi, hoc est, quicquid gentium suo parêret imperio, cunctas simul urbes, oppida, uicos, pagos, episcopatus, cœnobia, itẽ quãtum quisq; terræ possideret, quantum quotannis uectigalium acciperet, militesinsuper qui stipendia facerent, ac singula iuga boum passim omnibus locis recenseri, in nouasq; tabulas referri. Quod negotium ubi cõfectum est, facilè cognouit, aliquid adhuc Anglicis ouibus uelleris superesse, quod tondere posset. Quocirca impositio nouo tributo, per singula iuga boum, exegit senos Anglicos solidos: constat enim solidus ex duodecim denarijs, quo etiam nunc utuntur. Habeo autores, illum iugeratim, id est, per singula iugera, uel per singulas hydas, ut Anglico utar uerbo, terræ, talem fecisse uindemiam: quod non affirmauerim. Est autem hyda mensura terræ, quæ XX continet iugera. Anglicanum uerò iugerum quod Acre uulgò nuncupatur, constat in longitudinem, ex perticis XL, in latitudinem quatuor: ac perticæ longitudo est pedum XVI. Atq; ita iugerum patet in longitudinem pedes DCXL, in latitudinem LXIIII. Hyda præterea apud Anglos, ut ne hoc quoque omittamus, corium bubulum dicitur: & quia, quemadmodũ ostendimus, pro mensura accipitur, idcirco uidetur ad illud alluisum esse, quod tradit Vergilius de

Universidad de Deusto
Biblioteca

origine Carthaginis, libro Aeneidos primo:

Mercatiq; solum, Taurino quantum possent circundare tergo.

Nam corium in tenuissimas corrigias sectum, amplũ terræ spatium occupat: ex quo, non temerè pro genere mensuræ ponitur. Sed unde diuerti iam repe demus. At Angli uniuersi suum eiusmodi malum gementes, patriæq; incom moda lugentes, magis fremebant, quàm quisquam unus hiscere auderet, in diesq; singulos, peius omnibus rebus, oderant exteros tam inimicos. Contrà Normanus ratus Anglo sui solius causa, tum primùm cœpisse externas gentes summo esse odio, magis ei succensebat. Cæterùm mala miseris Anglis in dies magis magisq; ingrauescebãt, qui post amissas opes, uoluptatibus quoque honestis priuantur: nam iam tum nobiles perinde in uenatione esse solebant, atq; nunc multum sunt, & pro suo iure, damas & ceruos qui in publicis essent saltibus, passim insectari. Sed cùm Gulielmus eos saltus sibi paulo antè uindicasset, pecuniam per feras, uenandi causa, edixit grauem pœnam, si quis deinde eas caperet occideretue: quam ne quispiam facilè euitaret, simul curauit, ut eiusmodi ferarum maior multò copia foret. Porrò eam insulæ partem, quæ à Sarisberia, ad litus Oceani, in austrũ uersus, spatio triginta circiter millium passuum, pertinet, omni humano cultu uacuam fecit, atq; in lustra ferarũ redegit, complanatis passim templis, domibus, casis, & eiectis accolis uociferantibus, lachrymantibusq;, q; patriam, quòd lares, quòd dulces agros feris relinquerent. Vocant hos saltus Nouamforestã. Igitur quicunq; has feras occidisset, grauiter mulctabatur. Quæ sanè facinora multò immanissima, non modò mortales omnibus precibus detestabantur, sed terra ipsa exhorruit, quod portẽto testata est: nam per idem tempus ita tremuit, uti multa corruerint ædificia: fuit & frigoris præter modum asperitas. Verùm non nemo tradit, Gulielmum idcirco uoluisse ea loca uacare, ut quia illuc ex Normania, accessus est commodus, ne essent, qui suos Normanos litore arcerẽt, si forte aliqua ita usu ueniret, ut aliquando regno expellerentur. Sed fac esse quoduis, fuit omnino importunum facinus. Sunt etiam, qui hãc regis in Anglos sæuitiam non magis eius animi feritati, q; ipsius populi inconstantiæ assignent, q; suis crebris defectionibus principis animum antea mitem, magis magisq; exulcerasset, atq; ad eiusmodi immanitatẽ rapuisset: quibus non esset fortasse temerè credendum, si Gulielmus ipse diritatis finem tandem aliquãdo fecisset, qui omnino ab ineunte ætate mores habuit ingenuos, & iam tum facilis, liberalis, clemens, & uitiorum inimicus acerrimus esse cœpit: sed eas uirtutes postea, partim militando, partim durè regnando, immutauit: tunc nanq; nimia pariter seueritate atq; cupiditate palàm notatus est. Animi uerò magnitudine, ac rei militaris scientia præstans, & fortuna belli sequunda felix, at uitæ continentissimus, ac sine suspitione ullius uitij, ingenio sagax, & gloriæ cupidissimus, laboris omnis, uigiliarum, frigoris atq; æstus patientissimus fuit, licet statura foret procera, & corpore ualde crasso. Quarum uirtutum specimen statim parente orbatus palàm præ se tulit, unde inimicis formidolosus, suis inuidiosus effectus est. Quippe Henricus Francorum rex iam inde à principio, cœpit infesto esse in Gulielmum animo, ob non traditam sibi Tegulariam arcem, quemadmodum Gulielmus promisisset: quam eo studiosius occupare cupiebat, quòd esset loco opportuno ad offendẽdum suos posita, uel ad recipien-

recipiendum agrorum populatores perappositò: & magna nobiliũ Normanorũ pars grauatissimè ferens habere se hominem nothum ducem, in eũ conspirauit, freta ipsius Henrici ope. Sed Francus prior erumpens, Tegulariam arcem ui cepit, captamq; diruit, quam tamen postea sui facti pœnitens rursus ædificauit, præsidioq; firmauit. Quo facto, ne conspirationis Normanorum autor haberetur, néue accepti beneficij immemor diceretur (nam à Roberto Gulielmi patre olim adiutus fuerat, contra Constantiæ matris conatus, uti suprà memorauimus) uenit duci protinus subsidio, & ambo iunctis simul armis, cõiuratos fortiter uicerunt. Secundũ hæc, Henricus adhuc inuidia laborans, cœpit Neustriam, quòd olim Francorum ditionis fuisset, repetere, occasiones quærens, ut honestius ab amicitia recederet: itaq; coacto celeriter exercitu, in Normaniam contendit: cui Gulielmus haud multo pòst obuiam factus, eum paruo negotio profligauit, interfecto bene magno Francorum numero. Ex hoc infelici rei euentu, cognouit Henricus se suo ingrato animo offendisse Deũ: cuius rei pœnitens, per nuntios ducis amicitiam petijt, ac conciliatam deinde constantissimè seruauit, reddita arce Tegularia. At ex recentioribus historicis quidam existimant Normanum non reportasse hanc uictoriam, quòd ille domesticis seditionibus longè infirmissimus esset: quos mihi mè audiendos censeo, quandò eorum etiam testimonio satis constat, ante initium istiusmodi belli, coniurationis Normanicæ furorem extinctum fuisse. Sed unde digressi sumus, reuertamur.

Fuit Gulielmus ætate præsertim iam propè decursa, mira in Christianã religionem pietate: quippe qui tria magnifica cœnobia diuersis locis cõdidit, & ea multis prædijs ac uarijs donarijs locupletauit: duo in Anglia, unum enim eodem loci, quò cum Haraldo conflixerat, pro expiatione animarũ eorũ militum, qui ibi pugnãdo uitam amisissent, quod diuo Martino dedicauit, appellauitq; cœnobiũ de Bello, ut simul monimentum partæ tanto bello uictoriæ perpetuò foret. distat locus ab Hastyngo, quinq; millia passuũ. alterũ prope Londinũ, quod sancti Seruatoris cœnobiũ nuncupatur: tertiũ uerò in Normania, Cadomi, ubi loci Mathildis eius uxor alterũ monacharũ cœnobium extruxit. Quorum ædificandorũ operum causam fuisse ferunt, q; cùm matrimonium inter ipsum regem, & Mathildẽ Balduini comitis Flandriæ filiam, eò minus ritè contractũ esset, quia genere propinqui erant, Rothomagensis archiepiscopus nomine Maugerius, illis ob eam rem sacris interdixisset, & hanc censuram Gulielmus ægrè ferens urgente uxore, ut sunt mulieres uindictæ semper auidiores, bonum antistitem archiepiscopatu priuandum curasset, ac ut facinus culpa uacaret, prædicasset hominem ideo fuisse honore deiectum, q; ad res diuinas minus intentus foret. Postremò igitur uir & uxor dolore affecti q; iustum episcopum uel sibi cõsanguineum (fuit enim frater Roberti patris Gulielmi ex concubina) perperàm damnassent, ad expiandã tantæ impietatis labem, duo hæc cœnobia construxerunt. Aderat iam annus salutis humanæ MLXXXVII, & aduentus Normanorum XXI, cùm rex Anglis iam quietis, miserabiliterq; in ferẽdis tributis exinanitis, in Normaniam cum ingenti auri pondere profectus est, ubi paucis pòst diebus morbo affectus, cœpit se diutius solito, continere cubiculo. Quo ubi Philippus Francorum rex filius Henrici intellexit, per iocum, in eum quòd uentriosus esset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cauillatus, hæc uel eiusmodi locutus esse dicitur: Cubat nunc rex Angliæ Rothomagi, longo quidē puerperio. Hoc scomma mox fama uulgatū, extra iocum Gulielmus accepit, & minaciter ad id respondisse fertur: Cùm ego partu leuatus ad templum me purgatū (sic enim mulieres enixæ faciunt) iero, tunc in Francia mille lucebunt faces. Ita nō intercesserunt multi dies, cùm Gulielmus paululū confirmatus, igne & ferro finitimorū Francorū agros est crudeliter depopulatus: quod ei in primis malo fuit, læsis ex saltu equi intestinis, quorū dolore intolerabili haud multo pòst, VIII Id. Septembris, migrauit è uita, anno ætatis suæ quarto & septuagesimo, & cùm regnare cœperat, uigesimo altero, diebus undecim minus. Atq; talem exitū uitæ habuit Gulielmus uir nempe magnus, atq; longè felicissimus, si illud tantummodo ponderes, quòd in terra Anglia regnum adeptus sit, nouisq; legibus ac institutis in perpetuum, ut apparet, duraturis, firmarit, sic, ut ab eo posteriores seriem regum inchoauerint, perinde ac si deintegro ille regnū ipsum instituisset, regesq; qui secuti sunt, usi similiter sint, ut nunc utuntur, insignibus regijs, quæ dedisset. Nam reges qui ante id tempus fuerant, sua quisq; insignia habuit, quemadmodum nos in codice peruetusto depicta uidimus. Sunt autem tris insignes leones iubati, cum totidem floribus lilijs, & in breui scuto ita affabrè ponunt tris flores suprà, in parte dextera: in loco uerò inferiore leones: contrà in altera scuti parte leones suprà, at infrà lilia totidem. Nūc ad incœptum reuertor. Corpus nobiles Normani Cadomum deportarunt, quod magna exequiarum pompa delatum in templum diui Stephani, quod ipse condiderat, antequam ad sepulturam daretur, necesse fuit pro sepulchro solui pretium cuidā clamanti se loci illius esse dominum, ubi ea sacra ędes extructa esset. Vnde cernere licet calamitatem humanam, quòd principi ditissimo post mortem non esset tantum terræ, qua conderetur, sine alterius iniuria: id quod cæteris cum primis principibus documento esse potest, ut secundum illud euangelicum, reddant semper quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Sustulit Gulielmus ex Mathilde uxore, filios mares quatuor: Robertum, cui Normaniam legauit: Ricardum, qui in primo ætatis flore, morbo interijt: Gulielmum cognomento Rusum, & Henricum, qui deinceps apud Anglos, ambo regnarunt. Huic Henrico fertur pater prædixisse, fore ut post fratres, & Anglis & Normanis simul imperaret, cui bonam thesauri partem testamento reliquit. Filias uerò quinque suscepit: Ceciliam, quæ monacha facta est: Constantiam, quæ Alano Britanniæ citerioris duci nupsit: Adelam, quam Stephanus Blesensium comes in matrimonium duxit, ex qua Stephanus natus est, qui post Henricum regnauit. Nomina reliquarum duarum antiquitas oblitera-uit, quæ antè mortem obierunt, quàm nubiles essent. altera ex illis Haraldo regi pacta fuerat, quam ille suo fato malo, ut suprà memoraui, repudiarat. Aiunt Gulielmum in eo articulo temporis, quo mors appropinquabat, cùm multorum commissorum pœnituisset, in primis indoluisse, quòd ita seuerè tractasset Anglos, sicuti par est credere, cùm apud eos honore & imperio auctus fuisset.

Post obitum Gulielmi, est statim fame & pestilentia laboratum, ac cœlum crebris tonitruis resonare, flāmisq; coruscare mirabiliter cœpit: id quod cum rarò apud Anglos accidat, idcirco prodigij loco habeō. Fuit itidē ferè tota Anglia

glia incendijs passim infesta. Atq; hęc futuræ calamitatis esse prodigia, quam Rufi dominatio postea terræ Angliæ attulit, iam tum uulgus mente cōceperat. Eisdem temporibus fuerunt uiri sanctitate & doctrina clari, Vulstanus Vigornienſis episcopus, Hermannus primus episcopus Sarisberiēsis, qui sedem episcopalem ex Shyreburnia nobili pago, in eam urbem secundū decretum concilij â Lanfranco habiti, transtulerat. Item Osmundus secundus Sarisberiensis episcopus, uir sanctissimus, cui nihil antiquius fuit, quàm summę probitatis exempla passim edere: quippe qui spretis omnibus uoluptatibus, ita uixit, ut usq; ad tempora nostra, nō facilè parem habuerit, nedum superiorem, uel sanctitate uitę, uel diligētia in rebus agendis, uel doctrina ac scriptis: nam horarias preces, hoc est, diuinum officium, quod uocant, digessisse primus fertur, quas tota ferè Anglia etiam nunc usurpat. Item ædem ædificauit opere & ornatu magnificā prope urbem, ad mille passus, intra regiam arcem, cuius hodie tantū uestigia extant, in eaq; sedem episcopalem locauit, quæ ibi mansit annos circiter CXL, usq; ad annum salutis MCCXVI. quando Ricardus episcopus primus, cum suis sacerdotibus illinc iussu Ioānis regis eiectus, intra quatuor deinde annos, templum Sarisberiæ condidit, illucq; sedem inuexit: quò & Osmundi corpus apportatum est, quod etiam nunc bene multis claret miraculis. Incidit in hæc tempora Berengarius Andegauēsis homo, & diaconus omnino in doctrina non improbatus, qui præstigijs dęmonū actus, in hæresim est facilè lapsus: arbitrabatur enim in eucharistia non esse uerum Christi corpus, nisi ut signū mysterij: quem quidem errorem postea urgente Nicolao secundo pontifice Romano, & Alberico diacono persuadente, publicè confessus est, affirmans illud esse uerum corpus & sanguinem integrum. Lanfrancus errores eiusdem Berengarij præclaro opusculo notauit.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER DECIMVS.

GVLIELMVS cognomento Rufus, mortuo patre, summam potestatem nactus, antequam paterno funeri iusta soluisset, confestim omnium opinione celerius ex Normania uenit in Angliam, ac Lanfrancum Cantuariensem antistitem, omnium cōsiliorum participem efficit, in cuius fide & probitate multam spem habebat, atq; rogat, ut apud principes regni agat, quò primo quoque die, perinde ut pater testamento statuisset, rex fiat: ac simul interea ipse heroibus grandia munera pollicetur. Anglis uerò, tametsi pauci admodum id temporis autoritate pollebant, quos generatim paternis iniurijs uulneratos uidebat, ac ob id in primis sibi conciliare studebat, promittit se meliores leges quàm pater dedisset, laturum, ac pristina iura cum libertate, redditurū. Lanfrancus qui adolescentis hominis indolem iampridem amauerat, omni cura & studio nititur, modò hortando, modò pollicendo, beneuolentiam populi captare. Is nimirum uidebat plures inclinare in eam sententiam, ut Robertus maximus natu, Gulielmi frater, uir rei bellicæ assuetus, magnoq; animo ac liberali præditus, rex crearetur: quippe multi formidabant Rufi naturam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ uidebatur eis præsagire illum principem malum esse euasurum. Sed pō-
steaquam Lanfrancus sua autoritate, qua apud omnes maximè ualebat, & as-
siduo studio optimates prouocauerat, ingentibus promissis muneribus, fre-
quentes ad Vuestmonasterium in consilium conuenere, ubi loci post longā
consultationem, Gulielmum Rufum eo nomine secundum, regem fecerunt,
quem Lanfrācus ad quintū calendas Octobris, anno salutis nostræ MLXXX
VIII, Normanorum aduentus XXII, consecrauit. Sic Rufus regnū adeptus,
& iam optatis fortunam respondisse suis gaudens, ut populo gratificaretur,
Vintoniam profectus est, ubi ingenti thesauro inuēto, magnas fecit largitio-
nes, captiuos omnes uinculis pariter atq; custodia liberauit, ac denique omni
genere humanitatis studia hominum incendere conatus est. Cura etiam & di
ligentia Lanfranci nōnihil augebat populi fauorem erga principem. Is enim
iam tum cœpit perspicere subesse Rufo immite ingenium, propēsumq; ad sæ
uitiam, quod uel ipsa ætas insequens declarauit: quare mira diligētia curabat
deterrere iuuenem à uitijs. Rex conciliatis per hunc modum suorum animis,
eo anno Londini multa uarietate, multaq; rerum omnium magnificentia, na
talem Christi diem egit.

Interea Robertus, qui eo tempore quo Gulielmus decesserat, in Germania
aberat, certior factus de morte patris, in Normaniā cōtinuò redijt, estq; ab o-
mnibus principibus, summo cū populi gaudio, dux salutatus. Huic à primo
cùm secum animo sæpius cogitaret, q̄ indecorū foret, ut Rufus minor natu
frater regnum Angliæ possideret, in mentē ueniebat identidem, uim atq; ar-
ma fratri intētare. Defraudauerat Gulielmus pater Robertū regno Angliæ,
partim non oblitus eius in se impietatis & contumaciæ, partim ueritus, si ille
id obtineret, ne eius facilitas, qua p̄ditus erat, ad defectionē paratiores non
redderet Anglos, quos ipse l̄serat: quapropter rē tutiore loco fore putauit,
si Rufo, cuius iampridem morū pariter acerbitatem atq; immanitatē naturæ
cognitā habuerat, cōmitteretur. At simul p̄terea ad meditatū facinus matu
randū, nonnihil etiam ferocem iuuenis animū stimulabant, cùm nobilissimi
quiq; Normani, tum Angli, qui frequētes ex Anglia effugiebant, ad præsens
imperiū Rufi euitandū. Vrgebat & negotiū Odo patruus Baiocensis episco
pus, qui multa quotidie auribus Roberti per literas & certos nūtios inculca-
bat, quamobrē eum incitaret ad suscipiendū bellū in fratrem, cui ipse quoq;
ualde erat infensus. Is uir non minimi usus diu charissimus fuit Gulielmo fra-
tri, quippe qui eius opera aliquot annos usus fuerat: uerū cū deinde animad-
uerteret regem sibi p̄ponere Lanfrancum, ac consiliorū omniū participem
habere, subiratus cœpit primò clàm pecuniam mittere, cuius ingentem copiā
congesserat, deinde simulans se Romam iturū, multos sibi itineris socios de-
legit, cùm re uera aliò profecturus esset, ad moliendum aliquid insidiarū prin
cipi. Quam ob rem iam regi suo meritò suspectissimus effectus, in carcerem
traditur, ubi usq; ad obitū Gulielmi fuit: at eo mortuo, unà cum Rufo in An-
gliam uenit, donatusq; est Cantiano comitatu, ut nouo beneficio nepoti ma-
gis adstringeretur: quanquam sunt, qui tradant illi antea à fratre Gulielmo
eum principatū dono datū. Sed paulo etiam pòst eiusdem perfidiæ nota inu
stus est: ubi enim uidit Lanfrancū à rege sibi præferri, quem peius q̄ morta-
lium quenq; oderat, quòd arbitratus est, eo autore se in custodiam tractum
fuisse,

fuisse, cœpit contra Rufum conspirare. Itaq; iam multis in societatem adscitis,
per literas Robertū ducem Normaniæ admonuit, ut bellum cōpararet, atq;
quamprimū in Angliā ad recuperandū regnum properaret, significans se co-
pias iam expeditas habere, quæ ei ueniēti p̄stò essent. Hęc duci de huiusmo
di bello gerendo prius consilia ineunti, accidere uisa est facultas esse rei bene
gerendæ: itaq; delectatus hoc nuntio quod parato opus erat, confestim para-
re cœpit, & quia pecunia deerat, Hērico fratri, cui ex hæreditate paterna mul
tum pecuniarū obuenerat, partē Normaniæ oppignerauit, ad itineris faciun
das impensas, atq; inde Odoni rescripsit, uti se propēdiem expectaret. Odo
interim, qui non ignorabat magna esse in celeritate rerum momenta, in agrū
Rocestrensem profectus, coniurationis socios, quorū alios auaritia, alios ira-
cundia & temeritas impellebat, ad excursiones quaquauersum faciendas con
citat. Ipse primò Rocestriam urbem ingressus, arcem ualidis p̄sidijs munit:
deinde per Cantiū iter faciens, uillas regias, ac prædia cum pagis, necnō Can-
tuariensis antistitis possessiones hostilem in modū deuastat. Itidem pro sua
quisq; facit parte coniurationis socius. Gaufredus enim Exoniēsis episcopus
se Bristollio mouens, Bathoniā unius horæ momēto capit, nulla re incolumi
relicta, quæ ferro, aut igne uastari potuerit. Rogerius Montigomericensis
Cantabrigiēsem agrū pari iniuria, ac Hugo Northumbriā afficit. At Guliel-
mus episcopus Dunelmēsis, qui regis secretior familiaris erat, Bernardus No
uimercatensis, Rogerius Lacius, Rodulphus Mortimerius (hi enim homines
Franci omnes, aut Normani erant) Rogerius comes Salopiæ, iunctis simul
uiribus, atq; ingenti collecto exercitu, agros ad Vuallià pertinentes ingressi,
omnia cædibus, incendijs, rapinis cōplent, magno numero hominum interfe
cto, aut capto. deinde ad Sabrinā progressi, Vigorniam oppugnāt, suburba-
nis ædificijs primo impetu igne correptis. At ciues clausis portis, quanq; su-
bito rei motu territi, tamen resistunt audacter, delatisq; bonis cum liberis &
coniugibus in arcem, uniuersi deinsuper è turribus & propugnaculis urbem
defensitant. Aderat Vulstanus episcopus omnibus ob integritatem uitæ cha
rissimus, quē oppidani hortabant, in arcem ut se reciperet, ne si grauius immi
neret periculum, caperetur: quandoquidem sanctissimis uiri precibus freti,
ducebant ex re communi fore, ut episcopus in primis saluus esset. Non refra-
gatus est suorū uoluntatibus Vulstanus, qui postremò introiuit & ipse quo-
que in arcem. Post hæc, ciues speculantes hostes passim p̄da illectos uagari
per agros, & oppugnationi negligentius solito diligentiā adhibere, spē bonā
cōcipiunt, iudicātq; tempus esse idoneū erūpendi in eos, si modò Deus adsit,
qui bene agentes semper iuuat. Itaq; delecta fortissimorū iuuenū manu, para-
tisq; armis, priusquā in hostes pergant, Vulstanū cōsulunt, simulq; uelut du-
cem potestatē faciat inuadendi, rogant: quibus pius antistes diuino afflatu cō
citatus, Ite, inquit, filij, ite securi, defendite patriam, freti diuina ope, omnē pel
lite timorē, totis uiribus & forti animo procul pellite hostes: hodierno enim
die, duce Deo, magnum uirtutis uestræ periculū facietis, ac simul ciuitati no-
stræ, & regno, sine incōmodo uestro, saluti eritis: sed tantū oro, à cędibus ab-
stinete manus. Hæc ubi fatus est, patefactis subitò portis, pro se quisq; aduer-
sus hostes irrumpit. Tum Anglica iuuentus memor iniuriarū, quibus à Nor
manis toties affecta fuisset, more furentium inter primos facto impetu inua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dens,non solùm fugat hostes,sed passim cadentes truculẽter obtruncat. Verùm ecce subitò ira simul Dei grauius Normanos oppressit: nãq; Vulstanus execratus fuerat eos paulo antè,cùm admoniti à uastando agro desistere noluissent. Ex quo diuino nutu factum tradunt,ut tanta repentè tabes illos peruaserit,ut alij ea contagione correpti,oculos amitterent, alij imbelles effecti, prostrati iacerent,alij stupefacti & nescientes quorsum irent,in arma hostilia temerè ruerent,nihil interea à cæde Anglo cessante. Cæsa aut capta sunt plus quinq; millia hominum,reliquis uix fuga in uicinorũ oppidorum mœnia abditis. Atq; sic Vigornia,ad limitem ferè Angliæ & Vualliæ posita, quam ab Occidente Sabrina flumen alluit,obsidione liberata est.

Dum ijs tumultibus tota ferè Anglia quatitur, Lanfrancus Cantuariensis antistes qui rerumpublicarũ præcipuus gubernator erat,hominum audaciæ minimè cedendum ratus,amicos regis cõuenit, docetq; eorum esse prouidere,iuuare,defendere,ne suo principi noceatur: quos ubi uidit paratos esse incumbere in salutẽ patriæ,hortatur,ut Rufus primo quoq; tempore,in aduersarios exeat. Ille igitur classe circa loca maritima,aduersus Robertum fratrem dispositã,cum ingenti exercitu in Cantiũ proficiscitur, ubi initiũ seditionis factum erat,& primùm arcem,quæ ad Tumbrigiũ pagum sita est,adortus,nullo negotio Gilbertũ præfectum ad deditionem compellit,reddita arce: deinde Odonem persequens,arcem quam Hornecastellum uocabãt,aggreditur, qua,etsi falso,audiuerat illum se tenere: quippe paulo antè in castrum Penynseum se receperat. Hanc arcem statim captam solo æquat: postea castrum Penynseum circunsidet,ubi erat Odo,qui armis & cõmeatu locum satis abundè muniuerat,propter quod non facilè erat illud capere. Tenebat tamen Rufus obsidionem pertinaciter,cupidus Odonem coniurationis caput in potestatẽ redigendi. Itaq; quinquagesimus obsidionis iam dies aderat,cùm nuntiatum est Robertum eius fratrem in portum Antonensem peruenisse,atque expositis in terram militibus,propédiem belli socijs opem esse laturũ. Hîc diuersa tradunt scriptores: alij scribunt Robertũ non uenisse subsidio suis fautoribus,in Angliam,sed præmisisse partẽ exercitus,& illã à classe regia profligatam fuisse. Alij produnt regem misisse legatos ad fratrẽ ad portũ,qui blandiendo (eius enim facilem naturam cognitã habebat) iram hominis lenirent, cum eiusmodi mandatis: Cupere se in primis inire gratiam à fratre, & idcirco se ad omnia descendere paratũ,ac gerere non regem,sed uicariũ Roberti,atq; eum ipsum ut maiorẽ natu,ut potentia & sapientia longè superiorem, solum colere,& obseruare,ac propterea orare,uti tanq; nobilissimus princeps permitteret se fratrem curam habere regni Anglici,qui ut deditiius Roberto domino suo in singulos annos terna millia marcharum (marcha enim apud Anglos,tres ualet aureos numos,quos uulgò ducatos uocãt) solueret. & ita Robertũ ijs demum uerborũ illecebris pollicitationibusq; circumuentũ,re infecta in Normaniam redijsse. Liberum est unicuiq; in ijs,quæ ambiguè traduntur,credere,quæ uelit: at mihi propius uerum uidetur, Robertũ uenisse in Angliã,& cognita sociorũ clade,suo consilio destitutũ,necessariò inducias in aliquot menses pepigisse. Sed utcunq; res cõposita sit, rex nihilo secius in obsidionem usq; eò intendit,dum Odo deficientibus cibarijs,deditionẽ facere est compulsus,qui à rege uita donatus,quòd episcopus ac eius patruus esset, ad Robertũ se contulit,cui ab eo summa totius Normaniæ administrandæ traditur. Rex per operam & studium duorũ antistitũ Lanfranci & Vulstani, præsenti molestia periculoq; liberatus,in reliquos cõspirationis socios crudeliter animaduertit. Supererat Gulielmus Dunelmẽsis episcopus, qui aquilonales insulæ partes non mediocriter uexauerat,ac tunc audita sociorum cæde, sese intra Dunelmum urbem præsidio satis pro temporis angustia munitam continebat,quã Rufus magnis itineribus profectus obsidione circumsepsit. Verùm cùm oppidani aliquandiu pertulissent,ad ultimum defatigati egerũt,ut Gulielmus impunitate donatus deditionẽ fecerit,qui cum suis assecl[illegible]lium ejscitur. Cæterũ duobus pòst annis, ad pristinum honorem reuocatus, miro studio in gratiam cum principe redire studuit, qui nec eo tamen modo suspitionem ab se depellere potuit,quam cùm purgare conaretur,mœrore animi confectus moritur. Rufus eiusmodi rerum successu,ad liberalitatem utendam erga suos,qui strenuè pugnassent,prouocatus,bona proscriptorum aut suis militibus,aut ciuibus qui in fide permansissent,condonauit.

Iam erat annus tertius,cùm Rufus adeptus est regnũ, insignis morte Lanfranci Cantuariensis antistitis,qui decessit post annum,cq; sedere cœperat,decimumnonum: fuit uir tam diuinis,cq; humanis literis doctus,qui recognouit non minus diligenter cq; emendatè utrunq; instrumentum: scripsit & libellũ admodum utilem,quo Berengarij errores collegit,reuellendosq; curauit. Itẽ in rem diuinam domi forisq; augendam,dum erat abbas Cadomensis, & inde antistes Cantuariensis,gnauiter incubuit: in rebus uerò agendis,nemo homo hoc uno castius consuluit,sanctius egit, impensius quod è Republica esset,omni tempore fecit,quapropter & de regno & regibus mirum in modũ bene meritus est,quasi communis patriæ pater: quippe sua prudentia atq; animi pietate,qua apud omnes apprimè clarus erat,sæpius tum Normanis tum Anglis magno rerum turbine fluctuantibus præsidio adfuit. Leniuit primi Gulielmi regis,quammaximè potuit,semper duritiẽ: fouit Anglos mira charitate,identidem precibus,pollicitationibus,præmijs hortando,ut in fide,in officio permanerent: coercuit feram Rufi naturam, rabiem,furorem,uti postea clarius patuit,eiusq; iuuentutem ratione,consilio,præceptis diligentissimè rexit: conciliauit pari studio Anglorum animos eidem. Quæ res principi saluti fuit: nam ille omnino armis coniuratorum, de quibus paulo antè mentionem fecimus,occubuisset,nisi Lanfrancus fuisset, qui id malũ iuuantibus simul Vulstani precibus,auertit. Non caruit tamẽ Lanfrancus calumnia, cui crimini datum est,cp de Rufo rege creando nimiũ laborasset, cuius peruersitatem naturæ non ignoraret: item quòd autor fuisset priuandi Vulstani pontificia dignitate,quod utiq; non tam mortali homini assignandũ dixerim, cq; diuino consilio attribuendum,quandòquidem licet per id factum, Vulstani integritas longè cũctis notissima facta est,adeò,ut in omni eius uita,nihil propè extiterit ad laudem illustrius, cq; calamitas illa, cùm penè prius ad honorem pristinum fuerit restitutus,cq; priuatus. Ad Lanfrancum redeo. Sunt præterea huius uiri opera, instauratio templi Christi Cantuariæ,& multa prædia monachorũ collegio,quod ibidẽ est,restituta: duo item xenodochia nõ longè ab urbe condita, id est, duæ domus hospitales, ubi pauperes & peregrini acciperent hospitio. Huiusmodi etiam pietatis operum particeps fuit cœno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bium diui Albani, ab eodem antistite instauratum.

Rufus mortuo Lanfranco, perinde ut solutus uinculis, omnia repagula iuris, pudoris, & officij perfregit, præcepsq; in omnem licentiam abijt, qui præ utilitate, quod sibi posceret honestas, haud magnopere attendẽs, à principio illud Hebreorũ uetus prouerbiũ cum primis ob oculos dies noctesq; scriptũ habuisse uisus est, Argento obediũt omnia: quandò honesta simul atq; inhonesta, & humana pariter ac diuina sibi quæstui, prædæq; esse constituit. Itaq; ut facinora illa quæ deinceps editurus erat, leuiora minoraq; iudicarentur, sui cõmodi ex rebus sacris augendi initiũ fecit: etenim tantũ abfuit, ut in locũ demortui Lanfranci quempiã surrogandũ putauerit, ut etiã in quatuor annos, archiepiscopatus ipsius Cantuariensis uectigalia grandi pecunia plus offeren ti locarit. Fecit itidem quoties contigit, ut aliquod cœnobiũ suo rectore care ret, adeò, ut habendi auiditate captus, in publica etiam auctione passim ea uectigalia uenire pateret. Quapropter fuerũt sacerdotes, qui querimoniã de ijs rebus pessimis, apud Vrbanũ secundum Rom. pontificẽ habuerint: sed Vrbanus uexatus domi seditionibus Normanorũ, qui in Apulia de regno certabant, tantũ per literas Rufum reprehendit, admonuitq; officij, quod ab optimo principe prestari deberet, id quod ille paruifecit. Quo fiebat, ut omnis religio labefactaret, sacraq; bona iuxtà dilacerarent. Inter hæc tamẽ extitit unũ Rufi factũ, memoria dignũ, quod demonstrare non tædebit, quò unusquisq; intelligat neminẽ hominẽ omnibus horis malum esse. Cùm enim cœnobium quoddam uacaret, duo monachi semper poscentes, semper rapientes (sanè talibus id temporis, eiusmodi honorũ aditus patebat) & ob id pecunioſi, inter se pactionẽ faciunt, ut se ita inuicẽ adiuuent, quò alter cœnobio præficiatur. Hoc itaq; capto consilio, ad regẽ proficiscunt, ac certatim pro præfectura adiscenda pecuniã offerunt. Interea rex conspicatus coràm alium monachum hominem bonæ frugi, qui comes illis duobus cõpetitoribus fortè uenerat, ad se uocat, quæritq; ab eo, ecquid dare uelit, si abbas fiat. Is respondet se nihil prorsus daturũ, cũ eo animo sese isti uitæ principiò dedisset, ut spretis facilius diuitijs, atq; honoribus, in sanctitate uitæ acquiescens, castius Deum coleret. Ad hæc rex inquit: Tu ergo dignus es, qui cœnobio tuo præsis: id quod fieri statim iussit, illis duobus cõpetitoribus nõ sine ignominia ab se repulsis. Hîc libet cõmemorare rem non certè dignã, quæ in obliuionẽ eat, ut cognoscei liceat reginã utilitatẽ apud homines cupiditate incensos sæpe solere nigra uertere in candida, ut aiunt, hoc est, uetita in consuetudinẽ: Sanè Gulielmus Rufus auaritia inflãmatus, uectigalia ex sacris prædijs capiebat, quã ob rẽ à cunctis ferè mortalib. male audiebat, cp uidereť flagitiũ admittere, qui fenestram patefaceret ad impietatẽ: uerùm ita usu paulatim uenit, ut quò illud ab initio magis ab omni iure, pietate, religione uacuũ existimatũ erat, hoc postea iam cõsuetudine usitatũ æquius sanctiusq; esse receptũ sit, ac ex iniuria ius denicp fasq; factũ. Etenim reges qui succesſerũt, Rufi institutũ secuti, cõsueuerunt tã episcopatuũ uacantiũ, cp cœnobiorũ, quæ maiores eorũ condidissent, uectigal unius anni capere, perinde quasi ista bona Deo consecrata, per hunc modum tantisper ad pristinũ datorẽ iure redirẽt, quoad essent, qui ea rursus possidenda reciperent: estq; eiusmodi cõsuetudo ita deinde rata habita, ut etiam nunc regibus fas sit, uectigal quoddã capere, ex cœnobijs uacãtibus: nã ratio inita

inita est, ut quoties uacent, ex pacto, quędam pecuniæ summa debeatur regi, ut fundatori, qui etiam potestatem faciat monachis nouum eligendi sibi præpositum. Item per idem ius, ipsis regibus licet & episcopatuũ uacantium prædia recipere, ac fructus in sex menses, uel in integrum annum debitos capere, aut ab illis quibus ea sacerdotia dantur, exigere: quemadmodũ interea dum uacant, primas prouinciæ antistes in episcopatibus ipsis iurisdictionẽ habet, & quicquid emolumenti inde est, ei est. Sed ad rem redeamus.

Rufus sacra pecunia locupletatus, atq; per id multò audacior effectus, cùm iam inducíarũ tempus completũ esset, fratri bellũ inferendũ constituit, ad ulciscendas iniurias: itaq; in Normaniam hostili animo profectus, Fanũ Valerij, ac quædam castra capit, agros populatur, ædificia incendit. Sed cùm maiora deinde imminerẽt prælia, Roberto iam iniuriam armis propulsare parato, amicorũ opera pax inter fratres ea cõditione cõuenit, ut castra ui capta regis essent, ac alter alteri tum in Anglia, tum in Normania, prædia & oppida mutuò donaret, quæ & fidei seruandæ, & fraterni amoris pignora forẽt, & ut alter superstes alterius decedẽtis hæres fieret: in idq; fœdus ambo iurarũt. Alij tradunt castra à rege capta, ex conditione pacis, duci fuisse restituta: id quod pro certo habendũ censeo. Interea Henricus minor natu frater, arbitrãs Normaniam ex ea discordia fratrũ, iam prædæ datum iri, comparatis copijs, oppidum quod est ad promontoriũ diui Michaelis, natura munitissimũ, in Oceanoq; contra Normanicũ litus Britanniæ citeriori affine eminet, celeriter occupauit, quò ipse etiam aliquid prædæ faceret. Quod ubi rex cognouit, simul cum duce ad expugnandũ oppidum profectus, multis tumultuarijs prælijs, nõ sine suorũ militũ ac iumentorũ cæde, frustra montem ascendere tentauit: postea positis circa radices mõtis, castris, amplius quadraginta dies obsedit, sed tandem infecto negotio, rerum inopia est coactus abire. Henricus postea ultrò abiectis armis, in fratrũ beneuolentiam & concordiam uenit. De istiusmodi Henrici motu in fratres, non utiq; omnes loquuntur annales. Ego uerò dixerim, aut Henricum nequaq; uenisse cõtra fratrem Robertum, aut si id fecerit, impulsu Rufi, cuius amantissimus erat, fecisse, ut Roberto maius negotium faceſſeret, quo ille implicatus, nõ facilè deinde res nouas moliretur. Rufus compositis rebus cum fratribus per hunc modum inuicem reconciliatis, in Angliã protinus redijt comitatus etiã Roberto fratre, in Scotumq; contendit. Malcolmus enim rex Scotiæ hac fratrum discordia fretus, in Northumbriam interim incursiones fecerat, magnamq; inde omnis generis abegerat prædam: qui postea ubi accepit odium pace & concordia mutatum, ac Gulielmum contra se ire, sponte ab eo pacem petijt, eamq; impetrauit. Discrepant in hac re, sicut solent, scriptores: quidam enim aliter sentiũt, atq; nos prodidimus, tradentes Rufum simul terra, simul mari, ingentes copias in Scotum parasse: sed postquam classis in altum se recepisset, oborta repentè tempestate, omnes ferè naues submersas fuisse, exercitum quoq; terrestri itinere Scotiam petentem multis incõmodis affectum pedem retulisse: ac tunc Robertum ducem nomine regis, opera & consilio Edgari militis Normani id temporis exulis, qui sub Scoto stipendiũ merebat, cũ Malcolmo, qui cum ualidissimo exercitu prope suos fines in armis stabat, operiens Anglorum aduentũ, pacẽ composuisse, ac nõnulla loca ex ea pactione Scoto restituta, quæ ille rege pri

mo Gulielmo, in Anglia possedisset. Quibus rebus peractis, rex redeundo Carlioli aliquot dies substitit, qui oblectatus situ loci, decreuit illud oppidū, ducentis ferè antè annis à Dacis dirutū, instaurare, tanquam uallum firmissimum oppositum Scotis, ad eam insulæ partem tutandam quæ ad Occidentē est, quare urbem primùm muris & arce opportuno loco cōdita muniuit, deinde templis ac priuatis ædificijs ornauit: & quia habitatore carebat, coloniā ex australibus Anglis delectam, eò deduxit. Est, uti opinor, haud quaquam silentio prætereundum hoc loco magnum & memorabile facinus Malcolmi regis, quod & posteritas in cœlum tulit.

Erat uir Malcolmus amicitia facilis, bello clarus, mitis ac liberalis in omnes, ijs tamē uirtutibus nequiuit domesticū odium euitare, quod ex inuidia, quæ perinde solet potētes sequi, ac infelices misericordia, ortū erat. Porrò aliquot Scoti iuuenes in regem suum coniurarunt, magnoq; studio pro se quisq; locū & tempus obseruabat, quo sine strepitu illum ferro aut ueneno opprimeret. dum talia etsi clàm machinabanť, cœpit tamē consiliū cędis, cum multis communicatū, paulatim denudari, sic, ut Malcolmo nō latuerit. Is neq; ira motus, neq; uindicādæ iniuriæ cupidus, nō iussit statim de sontibus suppliciū sumi, sed ut animo magnus, autorē cōiurationis (nomē eius nō ponit à quopiam, quod sciam) hominē natura ferocē, uehemēter manu promptum, inter uenationem de industria, tanq; si quid cum eo secretius acturus esset, separatim ab alijs, in altam syluam duxit, atq; ibi omissis equis, sic fermè locutus fertur: Sumus hîc ambo armis & uiribus propè pares, & neuter nostrûm à suis auxiliū expectat, age igiť, ut fortem uirum decet, cape arma, atq; cum eo nunc manū confere, quē turpiter tu cum cæteris coniuratis, per insidias necare statueras: si me enim pugnando occideris, merebitur uictoria laudem: sin occubueris, nobilem reddet uicti mortem uictoris honor. Hæc ubi fatus est, stricto ferro hominē aggrediť. Ille uerò partim sceleris cōscientia conuictus, partim regis animi magnitudine territus, ei ad pedes subitò iacuit, rogitās ne sibi uel socijs id facinus fraudi esset: quod Malcolmus libens cōcessit. Hoc Malcolmi fortitudinis, sed aliud eius tēperantię plenū accipe factū. Fuit eñ iā inde à principio apud Scotos institutū, seu lex, ut liceret unicuiq; plures pro opib. ducere uxores, & nobilib. plebeiorū uxores habere cōmunes, ac domino loci uirginē nuptā uitiare, antecq; uir cum ea cubuisset. Illa duo superiora religio Christiana, statim sustulit, atq; eā Scoti sunt cōplexi: istud posterius lōgo pòst tēpore, Malcolmus sanctissimę Margaritę uxoris hortatu, uti institutū post homines natos turpissimū, penitus extirpauit, q sanxit, ut uirgo nupta numū aureum pudicitiæ redimēdæ causa, domino loci pēderet, id quod etiā nūc seruaťur.

Eisdē temporibus Robertus, qui aliquot menses apud Gulielmū fratrem, specie simulati magis q̄ ueri amoris manserat, in Normaniā reuertiť. Memoriæ proditū est, statim post Roberti discessum, ad XVI cal. Nouembris, mirā uentorum uim subitò ortam, multas domos præsertim Londini, multasq; ruri casas deiecisse, & turrim Vinchelcumbensis cœnobij de cœlo tactam cecidisse. Et hæc fuisse indicia deterioris in dies magis magisq; Rufi dominatus, iam tum in uulgi animo inhæserat. Equidem cùm ille nihilo melior fieret, uoluit Deus, credo, ut homo aliquo incommodo edoctus, ad se reuocaretur, & quoniā res secundę eum insolentiorē fecerāt, aduersa corporis ualetudine affecit,

fecit, ut destitutus humano auxilio diuinū queritaret, prę q̄ illo in posterū diuitias malo modo partas sperneret, ac iustè atq; integrè omnia ex æquo metiēs disceret gubernare. Igiť morbo afflictatus ubi sensit medicos nihil opitulari, uota facere, opē diuinā implorare, ac promittere cunctis palām se uitā melius instituturū, cœpit: & quia sibi in primis crimini dari intelligebat, q̄ sacerdotū spolijs suas auxisset opes, huic idcirco uulneri primùm medendū ratus, archiepiscopatū Cantuariensem, qui quatuor iam annos suo antistite caruerat, Anselmo abbati Beccēsi uiro longè sanctiss. atq; doctissimo detulit, ac cœnobijs nonnullis quæ diu uacauerant, rectores dandos curauit. Verùm durus princeps eam pietatē nequaq̄ ex syncera animi sententia exercuit, uti pòst manifestè apparuit: nāq; statim ut febre liberatus est, belleq; se habere cœpit, immemor diuini beneficij efficiť, ac ad solitam conciliandæ pecuniæ curā rapiť. Porrò per idem tempus Lincolniensis episcopatus mortuo Remigio episcopo, incidit in eius retia, qua præda delectatus ad rapinas faciendas rursum cōuertiť, pecuniā enim in res etiam uanas ciuibus imperare miro cœpit studio. Labefactabanť omnia, clamoribus miserorū cœlum resonabat, terra criminibus horrebat, cùm Deus ex alto gemitū populi exaudiens, eiusq; calamitatē miseratus, peropportunè Rufum salutari morbo affecit, qui eo repentè correptus, eluendi peccati causa, permisit, ut Robertus cancellarius Lincolniensis episcopus crearetť: item mutaturū se uitæ institutū, & priscas leges à patre antea antiquatas reuocaturū recepit. Ea res populū tot malis fractū, abiecto aliquantulum metu, ad aliq̄ libertatis & pristinæ dignitatis spem erexit, quæ tamen uana fuit: quippe tantū abfuit, ut Rufus in bonitate, quæ omnino fucosa erat, constiterit, ut breui tempore, uelut quem grauior exitus manebat, ubi firmus fuit, uehementer doluerit, q̄ ad Lincolniensem episcopatū procurasset gratuitò Robertū uocari. Quare de industria illū in ius uocandū curauit, eiq; obijciendum, prædia quædam cum ipsa urbe Lincolnia, perperàm ab eo possideri, quæ Eboracensis archiepiscopi essent. A qua ille insimulatione nequaq̄ prius se liberare quiuit, q̄ quinq; millia librarū ei persoluisset. Libra enim paulò plus quatuor ualet aureos. Mulctauit multos principes ob minimam legum transgressionē, & Anselmū cum primis, exacta ab eo pecunia tributi olim indicti, q̄ etsi cōstabat à Lanfranco fuisse solutā, ut quem pœniteret se gratuita liberalitate iuuisse. Atq; sic princeps in dies magis magisq; auaritia flagrās, suis acerbior multò, q̄ hostibus erat, apud quē nullius quisquā delicti accusabať, quin idem continuò condemnareť. Delatoribus præmia proposita erant, si quempiā quouis modo circūuenirent, quò sic denique fortunis omnibus cuncti iuxtà spoliarenť. Item erāt procuratores creati, qui antistitū, heroum, ac ciuium morientiū bona uelut proscripta statim raperēt, omnesq; in posterū tempus episcopatuū atq; cœnobiorū uacantiū uectigalia in ęrariū efferrēt. Atqui ut ne ijs malis remedio esset, ex insula aliquò terrarū migrare, quandò leuiora sunt ea quę audimus, q̄ quę uidemus, ut ait Cicero, publico edicto uetuit, unumquēq; sine licētia sua, ex Anglia egredi. Hinc sunt, qui suspicenť ortum esse eum morem seu legem interdicēdi cuipiā exitu regni, qui mos lex ue diciť, Ne exeas de regno, quæ adhuc, cùm ita res requirit, usurpať: quia exemplis, si quęstuosa sint, facilè inhęremus. Id temporis Rufus magno prælio uicit Vuallos, ad Brechenotū oppidū, ubi loci eorum præfectus, quē

Universidad de Deusto
Biblioteca

regem appellabant, positis castris, obuius regi fuit, ac re male gesta, perijt.

Venerat eodem tempore negotij gratia, Malcolmus ad regem, qui morabatur ad Gloceſtriam oppidum, quod Sabrina fluuius præterfluit, qui ut inhumanus, nō modò Scotum amicū alloqui noluit, ſed ne uidere quidē, quin etiam uehementer deſpexit. Ferens id iniquo animo, ut par erat, Malcolmus, in Scotiam reuerſus, exercitum properè coegit, atq; in Northumbriam inuaſit, eſtq; agros uſq; ad oppidum Alneuichum, crudeliter populatus, ubi duce Roberto comite Northumbriæ, à regijs copijs inſidijs exceptus occiditur, unà cū Edouardo filio maiore natu, cæteris Scotis aut cæſis, aut fugatis. Corpus Malcolmi ſepulturæ datum eſt, ad Tynmuthū pagum. Margarita uxor, mulier ſanctiſsima, quæ tunc fortè ægrotabat, cognito uiri & filij interitu, duplici perculſa dolore, dicitur poſt ſumptam euchariſtiam, ſibi quoq; precata mortem, quæ aliquanto pòſt è uita migrauit, quam ferunt ob ſanctitatem uitę, in diuorum numerum relatam. Scoti mortuo Malcolmo, Dunaldum eius fratrem, tertium regem creant, quem Duncanus filius nothus ipſius Malcolmi, auxilio regis Gulielmi Rufi, apud quem adoleſcens obſes erat, intra paucos dies regno deiecit: at ipſe quoq; breui à populo expulſus eſt, qui bifariam diuiſus, hinc Dunaldum, illinc Duncanū petebat regem: ueruntamen plures fauebant iuueni, quem ea conditione in regnū receperunt, ut nullū neq; Anglum, neq; Normanū militem haberet: nam cùm ille paulo antè Rufi beneficio regnum recuperaſſet, in eiusq; uerba iuraſſet, homines apprimè Anglos & Normanos diligebat, quod Scoti iniquo animo ferebāt: ſed nulla ratione aut ſtudio fatum uitare potuit: haud enim multo pòſt per inſidias à ſuis Scotis occiditur, ac in eius locum iterum Dunaldus ſubſtituitur. Regnauit is parum admodum temporis: Edgarus enim filius Malcolmi, cum Alexandro & Dauid fratribus, qui ſuperſtites erant, ad Rufum regem confugit, à quo non multo pòſt, ui & armis deturbato Dunaldo, in regnum paternū reſtituitur. Fuerunt per idem tempus in Anglia imbres maximi, & quidem aſsidui, unde ingens aquarū inundatio manauit, ac frigoris magnitudo tanta ſecuta eſt, uti fluuij congelati plauſtra tranſeuntia ſuſtinerent.

At dum res Scotorū componunt̄, Robertus dux Normaniæ laborans cōtinenter de regio honore ſibi prę̄repto, per legatos fratrem de periurio crimi natur, cp non ſeruaſſet conditiones pacis. Rufus uehementer ob eam rem indignatus, in Normaniam cum magnis copijs extemplò nauigauit, habens in animo ita fortunā belli aduerſus fratrem tentare, ut potius ſemel ſubiret periculum, cp aut caueret ſemper, aut tali moleſtia perpetuò uexaretur: tamen ira temporis momēto lenita, nō ad arma ſtatim conuertitur, ſed facta una uel altera leui excurſione per agros, in colloquiū cum fratre uenit. Ibi poſt longā altercationem, amicorū rogatu, ſumma omniū iniuriarū quorundam grauiſsimorū uirorū arbitrio cōmittitur. Illi cognita cauſa, ſecundū ducem iudicantes, regem mulctandum decernunt, cp pacem excurſionibus uiolaſſet, contrà cp paulo antè conueniſſet. At rex audita arbitrorū ſententia, protinus ira accenſus, eorum iudicio ſtare minimè uoluit. Quapropter iratis animis utrinque, à colloquio ad arma concurſum eſt. Rex Burenſe caſtellum ui capit. Robertus regis Philippi prę̄ſidio auctus, aggreditur ea loca, quæ Rufus in Normania ex fœdere, quod ſuprà demōſtrauimus, poſsidebat, ac primo impetu Argen-

Argentoniū expugnat, capto Rogerio Pictauienſi præfecto, cum octingentis armatis: dein pari fortuna caſtrū Vlmenſe occupat. Tum rex uidens opus eſſe maioribus uiribus, ad bellum quod ſupra caput erat maturè cōficiendū, primo quoq; tempore circiter uiginti millia armatorū in Anglia cōſcribi, ad ſeq; duci iuſsit. Cùm aūt ſtatuto tempore ad naues prope Haſtyngum in anchoris ſtātes, omnis militū multitudo cōuenerit, & trāſmittere uellet, ecce regis procurator occurrit, ſignificauitq; centurionibus, ut multitudini dicerēt, principem eorū laboribus parcere cupientem mandare, ut ſinguli denos ſoli dos ſoluerent, ac eo pacto præſente negotio ſuperſedētes domum redirent: quod bona pars facere maluit, cp ſe nauigationis periculo cōmittere. Sanè cōſtituerat auarus princeps nō ferro, ſed auro cum hoſte dimicare, confidens ſe eius belli nomine, tantū pecuniæ à ſuis exacturū, quantum ſatis eſſet ad redimendam pacem, & oblectandam ſuam habendi cupiditatem: qui tamē ex altera parte, nō uidebat ſibi dedecori eſſe, ſi diuitias militari gloriæ, ac emptum rapina otium bello præponeret. Itaq; cùm utrinq; inſtructæ ſtarent acies ad pugnam ineundam, Philippo muneribus placato nō iuuante, omnis uis belli ilicò cecidit: nam Robertus per hunc modum ope Philippi deſtitutus, neceſſariò, tametſi inuito animo, à fratre pacem petiuit, & impetrauit.

Hac re ex ſententia geſta, Rufus in Angliam redijt, qui in grauius repentè bellum incidit. Vualli enim audita fratrū renaſcente diſcordia, more ſuo prædabundi arma arripiunt, in finitimorumq; agros egreſsi, uicos ac ædificia incendunt, pecora abigunt, Normanos pariter atq; Anglos aut capiūt, aut obtruncant, arces, oppida complanant. Hæc ubi regi nuntiata ſunt, ſuis ſubueni re, & agros uaſtitate prohibere maturans, itinere celeriter confecto, inimicos de improuiſo hoſtili manu adoritur. At Vualli non modò impetū ſuſtinent, uerumetiam eum detrimento non mediocri affectum repellunt. Quare rex qui tridui uiam iam progreſſus erat, fortunæ in præſentia cedens, ad parandū fortiorem exercitū, Londinum diſcedit. Poſt Rufi diſceſſum, Vualli animo elati caſtrum Montigomerienſe in Vuallia munitiſsimum obſidēt, quod per aliquot dies à præſidio regio acriter defenſum demoliri incipiunt, ac ita muris demum nudatum capiunt, cunctis qui intus erant immaniter interfectis. Cæterùm rex domeſticis inſidijs interim impeditus, præſenti bello prætendū ratus, in Northumbriā proficiſcitur, ubi nouæ conſpirationis autores arma in eum parauerant. Porrò Robertus comes Northumbriæ, propterea cp ſe duce, Malcolmus rex Scotiæ per inſidias interemptus fuerat, idemtidem fructū ac præmiū tanti officij poſtulabat: & quia illud eius deſiderio tardius proueniebat, uſq; eò permotus eſt, ut accitus à rege per literas, palàm negarit ad eum ire, ac interim conſilia occultè agitarit, de regno illi abrogādo. Sed forte quadam patefacta coniuratione, rex nonnullos eius conſilij participes minimè opinantes opprimit, & Robertū qui ex cōſcientia, digna factis timebat, fugientē perſequit̄. Is ſe cum filijs & uxore, in arcem quā hodie Bamburgum appellant, recepit, quam rex confeſtim obſidione cinxit: & quoniam locus natura & opere munitiſsimus armis uidebat̄ inexpugnabilis, eum tabulatis includere inſtituit, quò prohiberentur cuncti introire, uel exire uolentes. Tum Robertus rebus ſuis, ſeu ſuorū fidei diffidēs, ubi uidit tabulata inchoari, noctis ſilētio aufugit: ſed militibus regijs perſequentib. Tynmuthū petere

Universidad de Deusto
Biblioteca

coactus,illic in ædem diui Osuuini martyris se recepit, ex qua mox uiolenter extractus,ad regem captiuus ducitur.Reliqui qui in arce erant,cùm constanter adhuc resisterent,rex ad maiorem terrorem illis faciẽdum, pro foribus arcis Robertum in conspectum adduci iussit, edictumq; proposuit, ut ei in uestigio effoderentur oculi,nisi ilicò arx redderetur. Quo uiso,inclusi sibi atq; comiti pariter timentes, in deditionem ad extremũ uenerunt,quorũ pars in exilium acta,pars auribus defectis, aut singulis effossis oculis,deformata est, ut esset reliquis documento,ac domum remissa.Robertus ad Vindesoriũ castrum ductus,in carcerem conijcit.Hoc cõfecto negotio, Rufus omnes uires in Vuallos sine modo furentes conuertit,& primo quoq; tempore cum robore suarum copiarũ in Vuallíam profectus, ubi uidit hostem nullã pugnandi dare facultatem,sed consultò sese in syluas abdere,cœpit populari proximos agros,& omnia loca etiam aditu difficilia tentare,quò cum hostibus conseret manũ. Vualli cõtrà aut montes aut syluas frequentabant,qui pro tempore parati & instructi,derepentè modò hinc,modò illinc in regiũ exercitũ prorumpentes,bene multos mortales uel uulnerabant,uel occidebãt. Qua re fiebat,ut rex ulciscendi auidus,cupidè magis q; cautè per mõtes & paludes,maiore sua q; hostium iactura,persequeretur:qui ita demum compluribus tum uiris,tum equis amissis,cùm uideret nihil esse,quòd speraret posse se proficere,non sine nominis nota,bello supersedens,iterum ab incœpto destitit.

Per idẽ tẽpus,celebre erat apud Italos Normanorũ nomẽ,qui duce Guiscardo,in Apulía rerũ potiebant. Quare cùm Rogerius & Boemũdus fratres post obitũ Guiscardi patris, inter se de principatu, alijsq; causis ex discordia ortis contendentes,totã diuexarent Italiã, eumq; motũ Henricus Imperator cum primis augeret in dies singulos, Vrbanus secundus pontifex Romanus cernens ob id ipsum haud uspiam tutam sibi sedem esse, posteaq; Placentiæ antistitum conuentũ,ad corrigendos malos sacerdotũ mores fecerat,in Galliam profectus est,atq; ibi rem in primis Reipublicę Christianę utilẽ agere est aggressus,memor q; miserabili seruitio Hierosolymorum urbs, quæ Terra Sancta dicitur,à Saracenis premeretur,quod præsertim à quoddam eremita homine Gallo ciue Ambianensi,cui fuit Petrus nomẽ,acceperat, qui superiobus annis Hierosolyma profectus,omnes iniurias quas nostri ab idolorum cultoribus paterẽtur,à Symeone Hierosolymitano episcopo edoctus fuerat, Bonus enim pastor,cui suus grex summę curę erat,ad Claromontẽ Aruernorum urbẽ,quæ olim Gergobia appellata est, Christianis antistibus principibusq; conuentũ celebrandũ edixit: quò cùm ad diem cõstitutum frequentes cõuenissent,ipse habita longè luculẽtissima oratione, bellũ sacrum decreuit, idq; rebus omnibus anteuertendũ esse docens,ita principes Gallię cæterosq; Christianos duces ad recuperãda Hierosolyma à Saracenis diu occupata incendit,ut anno salutis humanæ MXCIIII, ad CCC millia hominũ nomina dederint.Designati sunt ductores Gotthofredus, Eustachius, & Balduinus fratres cognomento Boliones,uiri altitudine animi & sapientia illustres,atq; in omni fortuna principes bello paceq;,Raimundus Tolosatium comes,Hugo cognomento Magnus,Philippi regis Francorũ frater, Robertus dux Normaniæ,Robertus alter comes Flandriæ, Stephanus Carnutum comes: duo item duces sacri,Hugo episcopus Podiẽsis,& Petrus eremita, qui pro populo Chri-

lo Christiano iter faciente,perinde orarent, ac olim Moses & Aaron precando apud Deum,adiumento fuerint Hebræis ex Aegypto in Iudæam redeuntibus,quò diuina similiter atq; humana ope munitus,res feliciter gereret.Itaque Robertus dux,cui deerant nerui bellorum, hoc est, pecunia, coactus est quamprimùm mutuari à Ruso fratre millia librarum decem, ad impensas in id bellum faciendas,offerẽs se oppigneraturum ei Normaniam.Fuit pergrata duplici de causa,ea res Ruso:primùm, q; specie charitatis erga fratrem,nactus esset occasionem iterum imperandi suis ciuibus pecuniam, deinde q; do mestica molestia liberaretur,qua quotidie afficiebatur à fratre. Porrò ille nõ mouebatur exemplo aliorum principũ, qui pro Republica Christiana,in eo bello nedum res,sed uitam in discrimen offerre decreuerant:non pietate tangebatur,qua nimirum tot millia hominũ,totq; præstantissimi duces sese bello religionis causa susc ipiendo deuouerãt:nec honoris deniq; sui rationis habendæ,ulla tenebatur cogitatione:sed auaritia cæcus,minimè omnium de ea re laborandum ratus,omnia ad commodum suum referebat, si commodum tamen rapinis comparatum dici debeat, quod possidenti semper solicitudini,& illis à quibus uenit,malo est.Certè quidem Rufus iampridem ad studiũ auaritiæ animum adiunxerat,nihilq; eo habebat potius, à quo illum reuocare postea non poterat:itaq; statim tributo propè intolerabili imposito,ingentem à populo pecuniæ summam exegit.Quid,q; eo plus adhuc exigere omnibus modis nitebatur,quò ratio & causa sacri belli,honestior uidebatur,honestiusq; eiusmodi nomine res longè turpissima tegi iudicabatur? Quocirca nonnullis episcopis ac monachis conquerentibus de tributi grauitate, affirmantibusq; se non esse soluendo,quanquam uasa quoq; usui sacro dedicata in pecuniam conflarant,sic respondisse dicitur: Nõ habetis capsas ex auro & argento confectas,mortuorum ossibus plenas? Innuebat scilicet parum sanè pius princeps,ut arculæ quibus diuorum reliquiæ continebãtur,in usum pecuniæ redigerentur,quò simul humana diuinaq; prædæ essent,atq; ipse solus possideret,quicquid ante id tempus,longa hominum ætas in unum congessisset.Ita Rufus regnum Anglię prædę potius,q; curæ habere uidebatur, qui confecta ingenti pecuniæ summa,in Normaniam traiecit, ubi cõuenta pace, datisq; fratri Roberto decem millibus librarũ, eius ditionis Normanicæ administrationem suscepit,eatenus eam possessurus quoad ea pecuniæ summa reddita foret,atq; confestim mox in Angliã rediit. Robertus cum delecta fortissimorum iuuenum manu, alios ductores cruce insignes secutus est,cuius inclyta uirtus cum in Antiochena, tum in Hierosolymitana oppugnatione, magno sæpissime nostris usui fuit.

Rex secundum hæc,memor accepti biennio antè detrimenti à gente Vuallorũ,in id bellum rursus sibi sedulò incumbendũ statuit:itaq; nouũ ueteri exercitum maturè coniungit,copias duplicat,ac positis ad fines Vuallię castris, consilium capit,de nouo genere pugnæ faciẽdæ,quò feroces homines domare deniq; possit. At Vualli interea nequaquã ignari auctarum uirium hostis, qui plus locorum iniquitatibus,q; armis confidebant,sparsi more suo per syluas,locis opportunis insidias ponunt. Hæc ubi nuntiata sunt,exercitum educit,atque diuersis in locis armatos locat, turresq; uarias ædificat:non enim audebat loca amplius inuia,quorum insolentia iam terrebatur,tentare,unde

Universidad de Deusto
Biblioteca

detrimentū acceperat, ut per hūc modū, obsessis omnib. Vualliæ itinerib. aduersarios ad deditionē tam infestos cōpellat. Cæterū cùm ea res magis regios milites defatigaret, cōp hostes diuexaret, qui intra syluas euagantes Normanū Anglumq; ludificabant, negotio rursus infecto discessit. At aliquāto pòst ira inflammatus, quòd à suis opprimeretur, decreuit continuo bello Vuallicam gentem atterere, atq; in primis aggredi Angliseam insulam, quòd ei perfugiū esset. Hocigitur bellum gerendum Hugoni Salopiæ, & alteri Hugoni Cestrię comitibus, uiris bellicę artis peritis, dedit. Ii statim profecti, & primo aduentu insula potiti, ut quæ nullo certo firmata esset præsidio, quòd terra tantum pecore abūdat, homini cùm pastum fermè nullum ferat, crudelitatem in omni memoria penè inauditam exercent: nam alios effossis oculis, alios incisis naribus, alios desectis brachijs aut manibus, alios testibus abscisis, deformant, fœminis simul passim stupro coinquinatis. Est memoriæ proditū, cuidam sacerdoti post oculum erutum, & linguam præcisam, Dei nutu sermonem fuisse restitutum. Adfuit auxilio insulanis classis ex Hybernia, seu ut alij sentiunt, ex Noruegia, quæ ad litus appulsa, armatos in terram exposuit: quibus Hugo comes Salopiæ obuiam factus, ex ictu sagittę perijt. nullo alio memorabili euentu, res ibi gesta est. Alter Hugo in Vualliam profectus, atrociter incolas iam longo bello fessos affecit, atq; perdomuit.

Rex deinceps uacuus à bellis, ad publica opera facienda animū adiecit: cinxit enim turrim Londinensem nouis muris, & basilicam ad Vuestmonasterium miro apparatu ædificauit: quæ tametsi magna est, tamen amplificare decreuerat. Hanc hodie aulam appellāt, in qua quater quotannis in multos dies iudicia exercentur, forumq; frequenti litigatorum conuentu agitur. Sed hæc est merces malorum, ut eorum benefacta, aut crimine corrumpantur, aut in deteriorem capiantur partem. utrunq; in Rufum cecidit, qui dum ad eiusmodi res intentus erat, imposuit nouum tributum, unde uulgò rumor manauit, ideo illum hæc inchoasse opera, ut honestius per eam occasionē, rapinas rursum faceret. Transiuit illo ipso tempore Rufus in Normaniam, ad cognoscendum illic statum rerum suarum. In Anglia, post eius profectionem, ferūt fontem manantem sanguine prope Abyndoniam, tres continuos dies ebulliuisse, & uisum esse cœlum ardere. Regi deinde reuerso subitò nuntiatur Cōstantiam uetustam urbem, hæc olim Augusta dicta est, quam deinde Cōstantius Cæsar, ita ex suo nomine appellauit, à Francis obsideri. Quo rumore nonnihil perterritus, impigrè cum paucis ad mare aduolat, nauemq; ingressus dat se uento. Erat tum mare flante austro, ualde turbatum, quare nautæ admonebant, non esse tutum, ut se pelago committeret. Ad ea rex inquit: Date protinus uela uentis, rarò enim audiui regem aliquem undis submersum. Ita soluit, ac repentè quasi diuinitus mutato uento, pacatoq; mari, in Normaniam tanta celeritate peruenit, ut longè famam aduentus sui præcesserit. Hostes subitò regis accessu territi, confestim obsidionem soluerunt, in pedes se latè dantes, quos ille insecutus atrociter profligauit, capto autore tanti tumultus, cui nomen erat Helias. Is cùm à Rufo tanquam uecors illuderetur, magna animi audacia in eum conuersus dixisse traditur: Cepisti me fortuitò rex, qui si liber essem, facerem, ut intelligeres me haud contemptui habendum. Cui ille misso statim facto, Vade, ait, ac quampessime potes, cōtra mè agito.

Sic

Sic Helias custodia liberatus, nihil quod cōstet, postea in regem molitus est. Sunt tamen, qui eum non uenisse in potestatē uictoris, sed fuga euasisse prodant. At Rufus ea uictoria sublatus, postq; in Angliam reuertit, cùm militiæ omnia iam tuta putaret, domi more suo debacchans totū regnum ad exitum & uastitatem uocare non nolle uidebatur, cùm interim Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, unus omnium ad cōmunem salutem uigilans, uicemq; patrię incredibiliter dolens, ausus est principem admonere, ut tandē aliquando manū ab alieno abstineret, illudq; recordaretur, regis in primis esse, rēpub. bona, fortunas ciuium tueri, defendere & conseruare. Verùm tantum abfuit, ut Rufus uoluerit monitorem officij pati, ut in Anselmū omnem stomachum eruperit: nam inde succēsendi occasionem nactus, grandem eidem mulctam dixit, sed postea mitius agens eam remisit, solū rogitans, ut ille sibi impedimēto ne esset, sed potius faceret, quod ex eius re quoquo modo esset. Quæ ut parum æqua cùm uir sanctissimus abhorreret, ac præsenti animo se facturū negaret, tum eum prius bonis omnibus spoliauit, exin in exiliū egit. Vir multò innocentissimus patiēter omnia ferens, Romā perrexit, ubi à Paschali secundo pontifice perbenignè accipitur, quem de miserrimo Angliæ statu abundè docuit. Rufus aūt interea auaritiæ stimulis in dies magis magisq; punctus, ubi uidit Anselmo electo, neminē unum in suo regno esse, qui aduersus sua facta iam mutire auderet, tum quasi deintegro ad cōp magnam faciendā pecuniam rursus animū intendit: & quia iam degustarat pinguē esse panē Christi, & delitias præbere regibus, secundū Iacob oraculū, idcirco lætas sacrorū prædiorum segetes metere cum primis libuit. Itaq; publicani postremò nouem, seu, ut quibusdā placet, decem, & duorū cœnobiorū quę præfectis carebant, item Vintonensis & Sarisberiensis episcopatuū, ac Cantuariensis archiepiscopatus uectigalia magno pretio redempta habuerūt. Ad hoc cōmune ac luctuosum religionis malum, aliud inde grauius accessit: sacerdotū enim uita quę rectorib. & magistris morū carebat, multò solutior facta est. Cui morbo, ut ne medicina ulla adhiberetur, rex ipse nunc̄p est passus, ut episcopi concilium aliquod haberent: id eò fecerit, ut ne in se cōspiraretur, an ut sua cōmissa minus publicè dānarentē, parū exploratū est. Atqui uulgus more suo, credidit Deū eodē tēpore uoluisse admonere regē prodigijs futurę cędis, quò prius mores corrigeret: nā paucis antè diebus uisus est per quietē, abruptis brachiorū uenis, sanguinē mittere: simulq; ferunt monachū quendā somniasse, se uidere regem de cruce pendentis Christi imaginē mordere, ac crura rodere dentibus, & postea ab ipso Christo pedibus in terrā proiectū. Quod simulatq; ei narratum fuit, cachinnū sustulit: quippe ad sedandā praui ingenij naturā, mors opus erat, quę animorū uitijs sola medetur. Ad extremū Rufus urgente fato, uenatū iuit in eos saltus, quos uulgò Nouamforestam uocant, ubi uenando à quodā Franco milite, nomine Gualtero, cui cognomen fuit Tyrello, dum ille parum cautè in ceruū, seu nimis accuratè in regem iacularetur, sagitta transfixus est, atq; uno gemitu sine uoce edito, animam efflans ex equo in terrā cecidit. Gualterus nemine persequente, fuga euasit. Cadauer uehiculo impositū Vintoniā apportatur, ac ibidem in æde apostolorū Petri & Pauli sepelitur.

Cognita morte Rufi, gaudium ingens est ubiq; ortum, sic, ut populus uelut carcere eductus, aut uinculis solutus, renascente iam libertate, frequens ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

templa adire,& uota Deo soluere quæ antea pro libertate feciſſet, perinde festinaret,ac ſi ille dies qui regis uitæ extremus fuit, ſempiternam patriæ salutē peperiſſet.Hinc principes cum primis degendæ uitæ documēta hauriant.Ec quid enim cuiuis homini infelicius contingere poteſt,quàm in uita male sem per audire,& poſt mortem,nomen eius in perpetuam uituperationē uenire? Hunc uitæ exitum princeps habuit,cui nihil potius fuit,q̄ religionem negligere,q̄ aliena rapere,quàm ſuos generatim perſequi,ac exinanire:cui præterea nihil minus cordi,q̄ regis officium facere,quod eſt populi commoda ſuis anteponere,amare cum primis bonos, odiſſe malos, & ut hos pœna,ſic illos beneficio afficere.Quę equidē mala,per quæ nō licuit Ruſo uiro eſſe probo, exuno duntaxat auaritiæ riuulo manarūt: quippe ex altera parte nō deerant uirtutes,quæ ornamēto eſſe potuiſſent:erat enim militiæ peritus,laboris patiēs,ſui bene gerens negotij,fidei datæ obſeruātiſsimus, in obeūdis bellis tā diligens,q̄ felix,& à principio liberaliſsimus.Quas ſanè uirtutes auaritia ſola,ut dictū eſt,partim in uitia uertit,partim fœdè cōtaminauit.Interijt IIII nonas Auguſti,anno ſalutis humanæ MCI. Vixit annos tres & quadraginta,regnauit decem & tres.Statura corporis paulò minus iuſta fuiſſe tradit,capillo ruſo,id eſt,rubro,unde cognomen inuenit:uentre paulò proiectiore,oculos habuit quibuſdā maculis aſperſos,linguā nequaq̄ expeditam,quę hæſitaret, præſertim intumeſcente ira,corpus ad omnia incōmoda toleranda ualentiſsimū:filios aūt ſpreto connubio nō genuit.Fuerunt ea tempeſtate uiri præſtantes,Remigius Lincolniēſis epiſcopus,ſanctitate & doctrina clarus.Is ex Dorceſtria oppido,quod ab Oxonio ſeptē millia paſſuū aberat,trāſtulit ſedē epiſcopalē Lincolniā,quæ nondū eo in loco cōſtituta erat,quemadmodū in cōuentu Londinēſi fuerat primo Gulielmo rege decretū.Et Hēricus,qui quanquam aliquando peccarat,q̄ dum Remenſienſis cœnobij abbas erat,cùm omnia uenalia cerneret,emiſſet epiſcopatum Nordouicenſem,ſed tamen reliquam ætatem integerrimā uixit,quippe quem adeò pœnituit, ut delictorum eluendorum cauſa Romam profectus,ſponte ſe dignitate abdicauerit,traditis indumentis inſignibus in manū Vrbani ſecundi pontificis,à quo mox omnis peccati labe iam deleta,munus ſpretum obire iuſſus eſt,qui poſtea domū reuerſus,ſedem epiſcopalem ex oppido Thetfordia, Nordouicum,hominū conuentu & negotiatorum copia maximè celebre, inuexit:ubi loci collegiū monachorum ordinis diui Benedicti doctrina & religione excellentium inſtituit,qui ibi dies noctesq̄ Deo hymnos canerent,quibus omnia ad uictum neceſſaria abunde ex ſuo ſuppeditauit,ut ne diceretur imminuiſſe epiſcopatus ſui uectigalia:templum uerò Thetfordienſe Cluniacēſibus monachis donauit. Ioannes itidem Vuallenſis epiſcopus,homo Gallus, per idem tempus cœnobiū Bathonienſe rectorū incuria penè labefactatum,ad ſuum Vuellenſem epiſcopatū adiungendum curauit,auctis uectigalibus, quibus monachi uiuerent:atq̄ ita anno ſalutis humanæ MXCVI, Bathonia urbs pari honore acceptæ Vuellenſis epiſcopalis ſedis ornatur. Ad Ceſtrenſem quoq̄ ſedem, autore Roberto eius diœceſis epiſcopo,Conuentrenſis adiungitur. Vulſtanus uir ſanctiſsimus,de quo ſuprà abūdè meminimus,id temporis uitā cum morte cōmutauit.Florebat doctrina & ſanctitate Anſelmus,is acceptis à Paſchali pontifice literis ad regem,quibus ille uehementer increpareť, admoneretur q̄,

retur q̄,ut mutato uitæ inſtituto,melius deinceps de religione mereri uellet, ac mitius cum ſuis,& prę ſertim cum ipſo Anſelmo ageret,cùm iter in Angliā haberet,de infelici uitæ Rufi exitu cognouit, qui magnum ob id dolorem accipiens,orauit ſuppliciter Deum,ut illi cum primis remitteret,quæ in ſe commiſiſſet.Id pietatis ante omnia,credo,ipſi Deo cordi fuit,quandòſtatim pòſt Henricus rex Rufi frater bonū antiſtitem ab exilio reuocauit,in omnique præcipuo honore habuit.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER VNDECIMVS.

RVFO ſine liberis mortuo,& Roberto Normaniæ duce nondum ex Hieroſolymitano bello reuerſo,Henricus natu minor frater per hæc occaſionem adipiſcendi regni nactus, primùm in omnes fortunas fratris inuadit, quibus male partis ille uti, frui non potuit,ac ut auarus neſciuit:deinde ſumma ope intendit hominum ſtudia in ſe uertere,partim dando,partim grandia pollicendo munera:ſed quia leges quas tulerat pater eius Gulielmus, neutiquam æquas populus iudicabat,illas in primis tollere promittit.Quo factum eſt,ut perducta ad ſuam ſententiam maxima heroum parte, nonis Auguſti, anno à natali Chriſti MCI, & Normanorum aduentu XXXV, poſt factum fratris funus, ab omnibus rex conſalutatus ſit,quem Mauricius Londinenſis epiſcopus in æde ad Vueſtmonaſterium,more maiorum conſecrauit, eiusq̄ capiti coronam impoſuit.Henricus igitur eo nomine primus dictus, & per hunc modū regno potitus,ab initio ſacerdotalis ordinis dignitatem, quam frater maximè corruperat,reſtituendam,ſimulq̄ rempublicam ſubleuandam,conſeruandam,tuendam ſibi conſtituit.Itaq̄ Anſelmum antiſtitem Cantuarienſem ab exilio reuocat,epiſcopatum Vintonienſem miſerabiliter uaſtatum Gulielmo Gyffardio uiro graui dat,ac cœnobijs quæ diu uacauerant, probatos monachos præficiendos curat,uectigalia publica noua ac grauia auſert,& Ranulphum Dunelmenſem epiſcopū hominem ad quodcunq̄ flagitiū promptū, illius rei ac aliarum rapinarum præcipuum ſuaſorem,impulſoremq̄,in carcerem conijcit:leges quas Edouardus tertius utendas dederat, in priſtinum uſum reuocat,quę tamē ſenſim obſoluerūt,Normanis pro cōmodo principis, ad incōmodum Anglorum,leges à Gulielmo primo cōditas conſtantiſsimè uſurpantib.Ita populus tantis leuatur oneribus,ac tot uno tempore acceptis beneficijs,lætus agebat,adeò ut meritò illud Eſaię ſcitum iam prouerbij uice receptum canere poſſet:Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributū? At per hęc officia,atq̄ beneficia in populū collata,regno iam pacato, rex habito ſuorum principum concilio,poſtq̄ ea quæ ad Remp. pertinebant prouidenter tractauit,poſtremò de uxore ducenda cum ſuo domeſtico ſenatu, quem ſibi ex grauiſsimis quibuſq̄ uiris conſtituerat,agit. Erat Edgaro regi Scotorum ſoror nomine Mathildis,puella cùm forma elegātiſsima,tum ingenuis moribus nutrita,quæ poſt mortē parentum,ut procul ab omni eſſet iniuria, inter monachas uitam degebat,eius uirginitate,uti quidā prodidere, Deo dicata. Hanc Henricus de ſuorū conſiliariorū ſententia, ſibi uxorem depoſcit:quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

puella quæ à cõnubio abhorrebat, facilè repudiauit. Qua repulsa cœpit iuue
nis magis magisq; insano amore flagrare, ita, ut iterum Edgarum per legatos
rogarit, ut suam affinitatem ne aspernaretur, quæ utriq; commodo foret. Ed-
garus qui non minus magni regis iram timebat, q; amicitiam concupiebat, so
rorem etsi inuitam Henrico ad extremum in matrimonium dedit. Dicit hæc
puella cùm uidisset sibi uotum uirginitatis esse uiolandũ, omnibus precibus
execrata esse prolem, si qua ex se crearetur: quod omen haud fuisse uanũ, per-
appositus infrà demonstrabit locus. Sunt qui tradant hanc puellam non ab
Edgaro fratre, sed à parentibus Henrico regi locatam fuisse, quanquam ijdẽ
in uita Rufi, de illorum obitu abundè meminerunt, adeò, sicut aiunt, oportet
mendacem esse memorem.

Interea recuperatis à nostris ducibus Hierosolymis, Robertus dux in Nor
maniã optatissimus cũctis mortalibus redijt. Legimus in omnibus ferè An-
glicis annalibus, duces Christianos in eligẽdo rege Hierosolymorũ, ad rogã-
dam Dei sententiã cõstituisse, ut singuli in templo ante principẽ aram, cereas
candelas ardentes tenerẽt, orantes Deum, quò sibi mentẽ donaret bonã, ut il
lud munus homini digno deferrẽt: & accidisse, ut Robertus diuino nutu rex
designatus fuerit, q; eius candela subitò extincta, ac mox accensa est: sed illum
spreto oraculo, id minimè cæteris ducibus patefecisse, imò, ut non nemo affir
mat, id decoris à cunctis sibi delatũ temerè repudiasse, ut qui ad regnum An
gliæ opulentius ac quietius iampridem adipiscendum animũ adiunxisset. Ex
quo ferunt ex eo die, nunq; Roberto posthac fortunam, hoc est, sequundũ re
rum euentũ fauisse. Cæterũ alij autores non contemnendi, qui cum primis di
ligenter istud Hierosolymitanũ bellũ scripserũt, Gotthofredum uirum post
hominũ memoriam excellentissimũ, tradunt de cõmuni omnium sentẽtia re-
gem creatũ, nulla facta mẽtione, neq; de Roberto, neq; de eiusmodi modo re-
gis optandi. Vbi autem in Angliam fama aduentus Roberti perlata est, non-
nulli quibus Henrici imperiũ graue iam uidebatur, & innouandi omnia ma-
gnum studium erat, crebris literis eum solicitant, ut ad regnum suum recupe
randum primo quoq; tempore ueniat, ac opes & auxilia pollicentes, omnia
cum eo se gratissimis animis consociaturos esse affirmãt. Quibus rebus licet
dux satis ad bellum faciendũ inclinatus esset, non perinde motus est, q; Angli
cos principes generatim accusabat, qui dum ipse reip. Christianæ causa, longè
gentium abesset, passi essent ut à fratre regno paterno fraudaretur: sed dissi-
mulandum ratus, haud multo pòst plus fidei habuit nuntio à Ranulpho Du
nelmẽsi episcopo, qui paucis antè diebus clàm & noctu ex carcere aufugerat
missо, adeò ut tũ suis, tum auxiliariũ fultus uiribus, exercitũ magna cum cura
& diligentia cõflarit. Quod cùm Henrico nuntiatũ est, nihil segnius tam na-
uales q; terrestres copias cogit, & ut hostes à finibus arceat, properè classem
in locis opportunis locat, ducesq; iubet speculari à longè, & quà naues hosti
um cursum tenere uiderint, eas à litore propulsare. Ipse uerò non longè ab
Hastyngo uico castra ponit, uti, si fortè Normani in terram descendant, ilicò
obuiam fiat. Robertus pari celeritate impositо in naues exercitu, in Angliam
uersus iter facere incipit, premissis nonnullis nauibus speculatorijs, quę locũ
eligerent ad descendendũ in terram idoneum, ac tutũ. Hæ fortè inciderũt in
classem regiam, quæ tamen nullo tentato certamine, ad ducem reuersæ, signi
ficarunt

ficarũt in proximo hostes adesse. At Robertus nihil formidans, sed cõfidens
naturæ animi omnibus gratæ, qua facilè sibi hominum fauorem conciliabat,
propius classem regiam accessit, cœpitq; milites blandè alloqui, pollicendo,
ac dando dona, quorum ad se bonã partem allexit. Illis igitur ducentibus, in
portum peruenit, ad oram Oceani australem, quem Portimuthũ uocant: ubi
postq; exercitũ per aliquot dies à labore refecit, Vintoniã uersus pergit pas-
sim ad eum socijs cõfluentibus. Rex certior factus de aduentu pariter hostiũ,
ac suorum defectione, cõtinuò copias eduxit, & non longo ab illis interuallo
consedit, quid agerent, molirenturq;, expectaturus. Parabãt se fratres ad præ
lium committendũ, cùm haud minimi usus principes quidã utriq; parti ex
æquo fauentes, ac ob id, tam nefariam discordiam in primis abhorrẽtes, age-
re de pace cœperũt, quibus demum autoribus, ad pactionem uentũ est. Itaq;
placuit, ut Henricus qui patre rege natus esset (nam eũ Gulielmus pater post
regnum adeptum genuerat) Angliæ regnum obtineret, & quotannis in sin-
gulos annos, terna millia marcharum Roberto daret, & qui prior sine liberis
decederet, alterum hæredem testamento scriberet: insuper ut Anglis ac Nor
manis ne fraudi prorsus esset, quòd uel Henrici, uel Roberti partes secuti fu-
issent. Hoc negotio maturè confecto, dux qui erat homo fortis, non item uir
constans, satis huiusmodi pacto fœdere contentus, non multo pòst in Nor-
maniam reuersus est.

Ast rex externo bello liberatus, tum seditiones domesticas sedare cupiẽs,
Robertum Salopiæ comitem, Hugonis (de eius interitu proximo libro me-
mini) filium, hominem perfidiosum in exilium eiecit, capto castello Arundel
lo, ubi ille cum sui similibus, noua consilia turbandi regni conferebat. Quo sa
cto, pacatissimus secutus est regni status: quod tamen ipsi Henrico bono nõ
fuit. Is nimirum hac præsenti felicitate elatus, tantum sibi sumere cœpit, ut sua
duntaxat autoritate, & episcopos faceret, & factis episcopatuũ possessionem
daret. Porrò circiter hęc tempora, principes ubiq; gentiũ cœperunt illud sibi
ius declarandorum episcoporum uindicare, quod & hodie mordicus tenẽr,
quemadmodum nos in nostro de Inuentoribus rerũ opere, libro quarto, ca-
pite decimo, demonstrauimus. Hos Anselmus Cantuarienſis antistes, ut ab-
ortiuos religionis filios, quos uocant, consecrare recusabat, imò quicquid de
eorum electione actum foret, pro nihilo habens, principem summè admone-
bat, ne sanctos ritus, néue religionis iura, & cærimonias uerteret, polluereтq;.
Veruntamen tantum abfuit, ut rex ijs moueretur monitis, ut etiam in senten
tia obstinatius permaneret: quippe paulo antè Thomas Eboracensis archi-
episcopus è uita migrauerat, & in eius locum surrogatus fuerat Girardus, ho
mo sagacis ingenij, sed honoris & gloriæ ultra quàm par erat, cupidus. Hunc
igitur Henricus rogauit, ut episcopos ab se renuntiatos non repudiaret, qui
protinus ei morem gerẽs, quamuis illud contrà esset, atq; liceret, omnes eius-
modi episcopos consecrauit, præter Gulielmum Gyffordium Vintoniensem
episcopum electum, qui id consecrationis munus ab eo accipere abnuit, pro-
pter quod facultatibus priuatus, in exiliũ ablegatur. Affectus est etiam mul-
tis contumelijs Anselmus acerrimus causæ defensor, qui cùm uideret eam la-
bem in dies magis magisq; multis locis fieri (nam cæteri etiam priuati homi-
nes, exemplo regis, suo arbitratu presbyteros sacerdotijs præficiebãt) & bre

Universidad de Deusto
Biblioteca

ui omne ordinis robur esse euulsuram, nisi remedium adhiberetur, statuit potius uitæ periculum adire, q̃ Reip. unquam deesse, secundum illud euangelicum, Pastor bonus animã suam dat pro ouibus suis. Itaq; nunc orando, nunc urgendo, nunc minitando, Deũ non esse talem impietatem laturũ, eò regem perpulit, ut sponte dixerit se rem omnẽ cõtrouersam ad Paschalem Romanũ pontificẽ relaturũ, eiusq; decreto staturũ, ac ad id maturè agendum missurũ cum literis legatos, qui primum, ut mos est, pollicerentur ipsum fore ipsius Romanus perbenignè, atq; animo libenti audiuit: sed in primis summum habuit honorem Anselmo, quippe cuius probitatem, modestiam, grauitatẽ iam pridem nouerat. Legati functi primo legationis officio, proponunt causam orte controuersiæ inter regem & Anselmum, eamq; acriter defendunt: contrà Anselmus & cæteri æquis rationibus ut iniquã confutant. Quare pontifex cùm illud quoq; pontificio iure cõstitutum sit, ratã non esse adepti sacerdotij possessionẽ, quam episcopus non dedisset, mandauit, ut in posterũ tempus, neq; rex neq; quisquã alius eiusmodi ius sibi esse contenderet, sed episcopos antea factos confirmauit, ne illud seminariũ foret discordiarum, si repudiasset. Ita peracta, legatos regios dimisit, & Anselmũ magnis muneribus, Girardũ uerò archiepiscopũ Eboracensem pallio donauit, qui paulo pòst in Angliam reuersi, pontificis decretũ regi renuntiarunt. Ille qui à malis sacerdotibus subornatus, iudicauerat sacerdotalẽ ordinem esse debilitandũ, nec libenter id audiuit, nec prius manum abstinuit, q̃ multis Anselmi cùm precibus, tum rationibus uictus, ad extremum grauatissimè apostolicum præscriptum admiserit. Anselmus per hunc modum animo regis ab errore reuocato, celebre episcoporum concilium toto sacerdotũ cœtu coacto, Londini habuit, in quo multa sustulit quæ religioni obesse uidebantur, multaq; salutaria constituit: quãobrem status rei sacerdotalis multò florẽtissimus esse cœpit. Sed illud in primis non magis iustè q̃ piè egit, quòd aliquos de religione male meritos, aut contra ius fasq; sacerdotia consecutos, partim detestandos, partim ipsis sacerdotijs priuandos decreuerit: uerùm cùm bonam illorum partem postea pœnituisset, misericordia motus pari studio apud pontificem Ro. egit, ut ad pristinam dignitatẽ ritè restituti fuerint. Rex etiam nonnulla in eodẽ conuentu constituenda curauit, quæ ad bene beateq; uiuendum conducerent. Sũt, qui scribant hunc conuentũ antè peractum fuisse ab Anselmo, quàm Romam peteret, & ipsum postea redeũtem Lugduni aliquot dies moratũ, ibiq; ab Henrico exulem denuntiatũ fuisse, ac paulo pòst archiepiscopatu priuatũ, propterea quòd fuisset autor, ut pontifex Ro. contrà q̃ ille cuperet, de re controuersa iudicauerit. Multa præterea à uero longè aliena tradunt, quę si uerbis persequi uellem, multò quàm par sit, longius me à proposito traherent.

Per idem temporis Robertus Normaniæ dux in Angliam uenit, Huncui-

rum sanè q̃ facilem æquè ac liberalem. Henricus qui iam sedulò suis commodis studebat, ita blãdis uerbis affatus est, ut sponte sua, illa tria millia marcharum, quę quotannis ex fœdere persoluebat, in perpetuum ei remiserit, qui ita uacuus paucis pòst diebus in continentẽ reuersus est. Pœnituit secundũ hęc, Robertũ liberalitatis, qua erga fratrem minimè indigentẽ, & tempore nõ necessario usus fuisset: quare teneri nõ potuit, quin animo inimicissimo diceret se ab eo fallaciter circumuentum. Hæc ubi Henricus resciuit, pari atq; ille flagrans ira, confestim bene magnam armatorũ manum in continentem misit, quæ Normaniæ fines uexaret. Milites profecti latè cũcta profligant, quibus tantũ abfuit, ut quisquam se opponeret, ut etiam propè faueret: nam nobiles iuxtà atq; infima multitudo leuitate Roberti ducis offensa erat, q̃ ille antea Henricum ut sui regni occupatorẽ infestis armis petiuisset, & cùm nihil propius esset, quàm ut rem suã recuperaret, festinanter ac incõsideratè cũ eo pace se coniunxisset, ac postea eidẽ uectigal, de quo suprà mentio facta est, insipienter cõdonasset. Igit regij milites quaquauersum ibãt, impunè omnia deuastabant, tametsi Roberto duce pro uirib. resistente. Interea rex cognito tali rerũ statu, tum in spem erectus potiundæ Normaniæ, cũ ingenti exercitu illuc traiecit, ubi primo aduentu, deficientib. à duce fortissimis quibusq; Normanis, nullo fermè negotio, Cadomũ & Eburouicũ ciuitatem agro circunquaq; populato, in suam ditionem redegit: quas urbes cùm præsidio firmasset, prę cipitante iam æstate, hac uictoria in præsentia contentus, in Angliã redijt. At Robertus interim cogitans secum q̃ longè uiribus impar esset fratri, deficientibus passim ad illum Normanis suis, uel in quo periculo res suæ forent, & q̃ difficile esset illis remediũ inuenire opportunũ, cùm præsertim Britanni atq; Andegauenses populi finitimi, quos Cæsar Andes appellat, cum rege starẽt, decreuit sine armis, spem omnem pacificationis in charitate fraterna ponere: & quia parum spei in legatorũ missione habendũ existimabat, ipse cum paucis in Angliam ad fratrẽ uenit, qui id tẽporis Northantoni morabat. Hîc dux supplex pacẽ à rege petit, oratq; per omnes deos, per nomen propinquitatis, ut si non sit memor fraterni amoris, at suæ humanitatis, si non gratiæ & misericordiæ, at cogitet quemadmodũ neq; bellũ inter fratres sine dedecore geri, neq; uictoria laudi honoriue esse possit, & propterea nolit oblatã ab se pacẽ, amicitiam, beneuolentiam concupitam repudiare, cùm etiam se ac omnia sua ultrò dedere paratus sit. Rex ad hęc nihil motus, sed indignatus, quædã presso ore minaciter locutus sese auertit, ut qui uel antea experimẽtis nouerat fratrem ingenio esse mobili, uel destinauerat in eum ad internitionẽ sęuitiã exercere. Robertus fratris superbiam auersatus, detestatus, execratus, maturè domum reuertit, sese aut mortis aut seruitutis periculo cõmissurus, sui decoris ulciscendi causa, quippe qui uidebat nihil esse, quod amplius quicq; in fratrem amore poneret: itaq; summa ope bellũ cõparat, undecunq; auxiliarijs copijs conquæsitis, quanq; Henricus parum spatij ad arma parãda dederat, qui eum abeuntem in Normaniam secutus est, cum nouo militũ supplemento. Hîc haud longo inter se interuallo, castra ponunt, impigrè sese ad pugnã cõmittendam expedientes. Rex qui præstabat numero armatorũ, prior militẽ in aciem educit: dux itidem nihilo segnius facit. Sic alteros alteri stimulãtes, dato utrinq; confestim signo, prælium ineunt. Regij milites plus nimio multi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tudine freti, sine ordine egressi, quacunq; libet prorumpentes, hostem ferro maximè urgẽt. At Normani à suo duce militaris disciplinæ optimè gnaro instructi, in suo pro se quisq; gradu obnixi instant, ipso interim Roberto nunc præliando, nunc hortando, suum officium faciente, ac simul Gulielmo comite Moritonij acriter inter primos dimicante, ita ut acies regia, quę, ut dictum est, sua sponte erat ordinibus egressa, iam penè suis diffisa uiribus, sensim fugæ se mandaret. Stabat tamen contrà dux, suos in ordine tenens, ac continenter presso pede hostẽ feriens: iamiamq; uictoria in manu erat, passim cadentibus hostibus, cùm rex animaduertens suos iam manifestè fugere, magno clamore in fuga continuit, ac subitò uniuersos equites in hostium aciem à lateribus prorumpere iussit, qui tanto impetu inuaserũt, ut eam fregerint. Quo facto, omnis regius peditatus simul cum ipsis equitibus undiq; emergentibus, se quanta maxima potuit ui, in Normanũ concitauit. Tolerauit hostis conatum aliquantisper, donec magna ex parte circunfusus fugã quærere cœpit, sicuti fieri solet, quãdo pauci cursu dissipati à multis undiq; ferro petunt. Deinde rex uictor ita fugientes insecutus, ingentẽ ędidit stragẽ, nõ incruento tamen milite, Normanis desperata iam salute, ferociter etiam urgẽtibus in persequentes. Robertus cum comite Moritonij inter confertissimos hostes, etsi maximè omniũ pugnans, capit, seu à quibusdã suis pretio corruptis prodit, ut non nemo tradit. De numero utriusq; partis occisorũ nõ est, qui planè meminerit, cùm tamẽ prodant non aliã ad eum diẽ pugnã in Normania pugnatam maiore cæde insignẽ: propter quod, apud uulgus fama est, cometẽ eo loci aliquot per dies apparuisse, & aliquanto pòst duas lunas suo orbe plenas uisas, unã ad orientẽ, alterã ad occidentẽ solem coruscantẽ. Henricus tanto bello perfunctus & Normania tota continuò peragrata, ac præsidio firmata, cuius demũ imperio potitus est, perinde ac pater olim futurũ esse prædixerat, cũ fratre captiuo in Angliã rediens more triũphantis, à suis accipit. Fuit is annus septimus cũ regnare cœpit Hẽricus, & salutis humanæ MCVIII, Roberti ducis calamitate nobilis, qui honoribus, fortunisq; omnibus exutus, in carcerẽ datus est, ad oppidũ Vualliæ, quod Cardiffum dicunt, ubi loci uigesimosexto pòst anno, partim senio, partim animi mœrore cõfectus mortẽ obijt, uir certè pręstãtissimus, & cũ quouis belli duce cõparandus, si aut paulò cautior, aut in sententia cõstantior fuisset. Sunt, qui scribãt fortè uulgi opinionẽ secuti, regẽ post aliquot annos eum missum fecisse, mãdasseq;, ut intra quadraginta dies, & duodecim horas (eo em̃ tẽporis spatio, bis se æstus Oceani ex alto incitat) Anglia & Normania patria iureiurando repudiata, cę primum nauẽ cõscenderet, in perpetuũ exiliũ iturus, & inde nescio qd insidiarũ in regẽ molitũ captũ fuisse, luminibusq; priuatũ, ac rursus in custodiã traditũ. Hęc forma exilij indicẽdi olim à diuo Edouardo, cuius lex de ea re extat, introducta, hodie etiã seruat, quoties quis delicti reus ad templũ confugerit, excepto, q; usq; ad litus crucem manu gestat ueluti signum seruatæ uitæ, per religionem. Ac Robertus hunc habuit miserabilem uitæ exitum, quo eum dignum dicunt, propter impietatẽ, qua patrem persecutus est. Vxorem duxit in Sicilia, ex Hierosolymitano bello rediens, filiam Rogerij Apuliæ ducis, & ipsius insulæ comitis, hominis Normani, ex qua suscepit unicum duntaxat filiũ, nomine Guliel-
mum, quia uxor paucis pòst diebus, quàm enixa est, interijt. Nomen mulie-
ris,

ris, quod sciam, non ponitur. De hoc Gulielmo clara indole puero, aliàs plura memorabimus. Atq; sic Normania ad Angliæ regnum adiuncta est.

His temporibus inundante prẽter naturam Oceano, multi ex Flandris, ipsius maris accolæ, patrijs sedibus pulsi, in Angliam peruenerunt, qui ab Henrico locum ad habitandũ petentes, insulæ partẽ occuparũt, quæ ad orientem solem spectat: sed quadriennio pòst, loco coloniæ, inde in Vualliã ducti sunt. Eo etiam anno, qui fuit octauus, cùm Henricus regnare cœpit, moritur Edgarus Scotiæ rex, uir integritate, constantia, modestiaq; singulari, cui, Henrico fauente, Alexãder frater successit. Excessit etiam à uita per id tempus, Philippus rex Francorum primus, quem Ludouicus filius cognomento Crassus secutus est, iuuenis sagacis ingenij, & militaris artis nõ imperitus. Quę res Henrico dubitationẽ attulit, ne in Normania noui motus à suis fierent, Gallis instigantibus, qui eò primo quoq; tempore profectus est, ubi licet omnia pacata essent, tamen ad omnem nouarum rerum euentum ualidioribus præsidijs locos omnes firmauit. Quo facto, in Angliam redijt: cui statim fuere obuiã legati Henrici quinti, paulo antè Imperatoris designati, quos ille miserat, ut poscerent sibi in matrimonium dari Mathildem eius filiam quamuis nondum nubilem. Audiuit eos rex perbenignè, & nequaquã affinitatem aspernatus, filiam Henrico despõdit, factisq; uaria ludorum celebratione sponsalibus, legatos non illiberaliter donatos domum dimisit. Iam aderat annus, cùm Henricus regnare cœperat, decimus, nobilis morte Anselmi Cantuariẽsis antisti tis. Is homo Italus Augustæ, quæ urbs est ad radices Alpium sita, claris parentibus natus, in Normaniam fortè peruenit, dum admodum puer, & literis pro ætate satis eruditus, patris sæuitiam fugiebat, quam nullo neque officio, neque humanitatis genere lenire potuerat. Hic itaque suapte natura bene institutus, Lanfrancum magni nominis & doctrinæ uirum audire cœpit, quo doctore, multò peritissimus modestissimusq; breui euasit, adeò ut lõgè suos condiscipulos anteiret: quem postea quinque & uiginti iam natum annos, Lanfrancus ad institutum uitæ monasticæ cultusq; æmulationem duxit, qui inde Beccensis abbas creatus, non magis piè quàm diligẽter suos monachos instituit: postremò Cantuariẽsis antistes factus nihil antiquius habuit, quàm de religione, de republica, mirum in modũ bene mereri, quamuis passus multas à Rufo, uti alibi diximus, iniurias, quem sacerdotalem ordinem labefactãtem inclyta uiri sanctitas omnibus modis coercuisset, si eius aures aliquando salutaribus monitis patuissent. Anselmus præter cætera pietatis officia, quibus iugiter inseruiebat, cùm multa doctrina clareret, omnem studiorum suorum rationem ad religionis usum contulit: scripsit enim libros de Meditationibus, Cur Deus homo: de Libero arbitrio, de Similitudinibus, de Cruce, de Ioanne Baptista. Et ad extremum, ut tradunt, condidit Cœnobium Cestriæ, monachorum ordinis diui Benedicti. Moritur post annum, quàm sedere cœperat, decimum sextum: uixit annos septuaginta sex. Fuit ille annus salutis humanæ MCXI. Sepultus est in æde Christi Cantuariæ, & inter diuos haud multo pòst relatus. Illo ipso anno, mortuo Gerardo Eboracensi archiepiscopo, Thomas regis domesticus sacerdos successit, ordine Eboracensiũ antistitum uigesimus septimus. Id quoq; temporis episcopatus Elyensis institutus est: quippe cœnobiũ monachorũ ordinis diui Benedicti in insula Ely

Universidad de Deusto
Biblioteca

opulentissimum, abbas nomine Ricardus regebat, illudq; unà cum insula, ac Cantabrigiensi comitatu, Lincolniensis erat diœcesis. Huic itaq; eius dignitatis cupido in mentem uenit, ibidem pontificiam locare sedē, quò & locū & se celebraret: qui primū cum rege, deinde cum Lincolniensi episcopo agitauit, de nouo instituendo episcopatu: quibus demū consentientibus procurauit, ut ipse comitatus Cantabrigiensis unà cum insula, Elyensi futuræ diœcesi, & monachis ac præfecto quem Priorem uocant, qui illis loco abbatis præesset, possessiones nō mediocres assignatæ fuerint. Quę ita peracta, Paschalis Romanus pontifex sua autoritate comprobauit. Verùm inter hęc, Ricardus abbas mortè obita, destinati honoris compos fieri nequiuit: quare Henricus Bangoriēsis antea antistes, primus Elyensis episcopus creatus est. Atq; ita usu uenit, ut alius fuerit qui seminauerit, & alius qui messuerit, ut prouerbiū est. Cæterū ea res bono fuit tā ipsi cœnobio, quod hac noua sede ualde honestatū est, q̄m Lincolniensi episcopo, qui cùm latam habeat diœcesim, nonnihil hoc modo cura leuatus est. Per idē tempus, multa prodigia nuntiata, sanè memoria proditū est, flumen Trentam per totum integrū diem, spatio mille passuum non fluxisse, sed perinde quasi aliò cursum flexisset, eam partem aluei adeò per id interuallū uigintiquatuor horarū deseruisse, ut homines ultro citroq; per siccam arenam graderent: at postea more suo fluere cœpisse. Item porcam enixā esse fœtū facie humana insignē, & pullum gallinaceum quadrupedē natum.

In partibus transmarinis, interea Fulco Andegauensis comes, qui reb. Anglicis iam palàm inuidebat, dolebatq; Roberti ducis uicem, & in armis erat, Constantiam occuparat, conciliatis pecunia ciuibus. Quod ubi ad regē perlatum est, statim in Normaniam profectus, urbem amissam recuperauit, raptis ad suppliciū nonnullis ex ciuibus, multisq; incōmodis comitem affecit: quo ex sententia expedito negotio, in Angliam reuertit. Restabat adhuc aliud bellum conficiendum, hoc est, studium pecuniæ dirimendum, quod bene multos angebat, torquebat, diuexabat, uidentes principē sensim alienis fortunis imminere. Siquidem quintus iam erat annus, cùm Cantuariensis archiepiscopatus uacaret, cuius rex interim uectigalia capiēs, cùm admoneret ut ad eam dignitatē aliquē grauē uirū euocandū curaret, respōdere solitus erat, se quærere hominē, qui doctrina, qui probitate, qui prudentia nō longè inferior esset Lanfranco, aut Anselmo: & quia nullus talis occurrebat, propterea pati illam usq; eò sedem uacare, dum Deus uirū quempiā offerret idoneū: perinde quasi eam rem magis curę, q̄m cōmodum haberet. Sed tandem sentiens sibi palàm id uitio dari, ut ea careret infamia, Rodulphū uirū probū Roffensem episcopū, ordine antistitū trigesimūquintū, archiepiscopū dixit. Obijt mortem eodem ferè tempore Thomas Eboracensis archiepiscopus, quē Thrustinus uir magno animo & doctrina singulari sequit. Is statim de autoritate cū Cantuariensi certare cœpit, & quamuis à rege rogaretur, ut seruaret, quod cæteri archiepiscopi Eboracenses ex officio fecissent, acquiescere tamen noluit, cùm præsertim Rodulphus morbo implicatus, causæ corporis curā præuerteret eo gereret. Thrustinus nonnullos consecrauit episcopos Scotos, & ante alios, Gillam Aldanū Candidęcasæ electum episcopū, qui mox dixit coràm, se paratū ei omni tempore obedire, iusq; iurandū, uti moris est, cōceptis uerbis dedit. Per eos dies, Vigornia incendio rota ferè absumpta est, quæ cùm ad Vuallią pertineat, eam putarunt flammā prodigiū fuisse Vuallici motus, qui secutus est. Porrò Vualli quibus magna fiducia orta erat, ex infelici euentu bellorum à Rufo contra eos gestorū, & qui pacē atq; otium iuxtà fastidiebāt, Anglicos agros populari, finitimos populos eodē momento ad arma concitare cœperunt. Quapropter ingens Henricum libido inuasit eos domandi, ut ne ita à suis turpiter ob oculos quotidie tumultus fierent. Itaq; conflato ad punctū tē poris ualidissimo exercitu, in Vualliā proficiscit: & quia Vualli magis locorū iniquitatibus q̄m armis cōfidentes, passim per syluas, & loca deuia errabundi hostem expectabant, idcirco omnes saltus milite circunsidet, ac mox intra syluas immittit, qui Vuallos more ferarū uagantes insequant. Quo facto, nulla adhortatione regis opus fuit, quādò suus cuiq; animus memor ignominię notę antea inustę adhortator aderat: igit̄ strictis gladijs, rapido cursu in hostem undiq; ferunt: nihil illic imperatorię artis in ordinibus, aut subsidijs disponē dis fuit, omnia ira militari agente. Itaq; Vualli ex omni parte ferro impulsi atrociter cædunt. Ex quo nō facilè tantū aliàs sanguinis atq; cędis factum fuisset, nisi armis temperatū foret: ubi enim Henricus uidit Vuallos passim cadere, & omissis armis, latè fugientes in ipsa fuga trucidari, iussit milites parcere. At qui ex hac cladis flāma euolauerant, postea ueniā orantes ultrò sese dediderunt. Rex per hunc deniq; modum, Vuallis populis ferocissimis domitis, postq̄ loca omnia præsidio firmauit, summo gaudio triūphans Londinū redijt, post annū q̄ regnare cœperat, quartū decimū. Quo tēpore cùm Mathildis regia puella iam uiro matura ab Imperatore Henrico, cui pacta erat, peteret, rex causa dotis illi parandæ, tributū iugeratim, hoc est, per singula iugera terræ, soluendū populo indixit: ex quo ubi multū pecuniæ exegerat, puellam cum grandi dote, ad uirum primo quoq; tempore deducendā curauit. Secuti sunt istud institutum quærendarum dotium ad collocationem filiarum, cęteri deinde reges, adeò posteritas suorum commodorum tenax semper fuit.

Henricus post hæc in Normaniam profectus, eius regionis Gulielmum filium ducem fecit, uniuersumq; populum in eius uerba iurare iussit. Hinc mos serpsit, ut reges deinceps filium maiorem natu quem sibi successorem optassent, Normaniæ principatu donarent. At rex postquam statum Normaniæ pacatissimum reddidit, in Angliam statim reuersus est. Ipso eo anno sexto Iduum Octobr. adeò magnam in Oceano circa insulæ oram, diminutionem aquarum factam tradunt, ut per longum spatium unda sese in altum recipiens, siccum litus in æstuarijs reliquerit, idq; durasse totum integrū diem, ac pro miraculo habitū. Præterea ferunt aliquot flumina, quæ ex æstu Oceani bis semper horarum duodecim spatio augentur, minuunturq;, ita decreuisse, ut bene multis locis facilè transirentur. Henricus cùm domi foris q; uacaret à rebus bellicis, conuersus hinc ad confirmandū regni statum, tam sacerdotum quàm reliqui populi principes Sarisberiam conuocauit. Hīc habito concilio, quod è Republica esset, maturè prouisum. Item si quid publicè aut priuatè discordiarum aut litium inter optimates erat, simul compositū sedatumq; est, præter causam inter Cantuariensem & Eboracensem diu antea agitatam, cùm Thrustinus decreto stare noluisset, propter quod rex uehemēter iratus, iussit eū aut parēre, aut episcopatu se abdicare, qui, uti quidā produnt, neutrum fecit, sed à Calisto secūdo Ro. pontifice defensus, pertinaciter cōtra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cantuariensem in sententia perstitit. Alij scribunt eũ maluisse de dignitate cedere, cp̃ sibi cum Cantuariẽsi iurisdictionis cõmunitatẽ esse. Cæterũ satis constat illũ post multa accepta ob eam pertinaciã detrimenta, & archiepiscopatũ retinuisse usq; ad senectã ætatẽ (nam tunc se sponte pontificatu abdicauit, monachusq; effectus est) & cũ Cantuariensi semper de iurisdictionis iure decertasse. Hinc cernere licet, iam tum episcopos cœpisse delirare cupiditate ac ambitione cęcos, qui non uiderint suũ officiũ esse, spretis omnibus, quæ uulgus miratur, hominũ animarũ saluti tantũmodo cõsulere. Postremò in eodem concilio omnes principes regni suo more cõceptis uerbis ipsi regi pariter, ut Guilielmo eius filio, iusiurandũ dederũt. At illud appositè dicere habeo, reges ante hęc tẽpora, non consueuisse populi conuentũ consultandi causa, nisi perrarò facere, adeò ut ab Henrico id institutũ iure manasse dici possit, quod tã altis defixũ, uti etiã nunc, radicibus semper stetit, ut deinceps quicquid ad rem pub. bene gerendã, eusq; conseruationẽ deliberandũ foret, illud ad conciliũ referret: & si quid aut regis aut populi iussu decretũ factũq; esset, id totũ pro nihilo haberet, nisi eiusmodi cõcilij autoritate foret comprobatũ. ac ne imperitæ uulgi multitudinis, cuius propriũ est nihil sapere, iudicio consiliũ impediret, certa lege exceptũ fuit à principio, qui ex sacerdotũ cœtu, quiue quótue ex reliquo populo uocari deberẽt ad conciliũ. More Gallico, uulgò parliamẽtũ appellãt, quod unusquisq; rex initio sui regni, habere solet, ut ibi si quid ex antiquis institutis, legibusúe tollendũ, ac rursus condendũ sit, id de consilij sententia fiat: qui & deinde quoties res postulat, suo arbitratu, illud ipsum conuocat. Modus aũt consultandi est eiusmodi. Cùm enim de principũ pariter atq; cæteri populi cõmodo, in concilio agatur, ut æqua unicuiq; loquẽdi potestas fiat, alteri ab alteris disiuncti consulũt: nam rex, põtifices, principes, & abbates in unũ conueniunt locũ, ibiq; considẽt: at procuratores ciuiũ populiq; in alterũ proximũ, ubi de rebus agẽdis inter se disputant. Isti ex se unũ uirum grauẽ optant, quem prolocutorẽ uocant, is proponit res agitãdas, rogat singulorũ sententias, de ijs quę decreta statutaq; sunt, ad principes refert: etenim nihil ratũ habet, nisi quod maior pars utriusq; consessus senserit, idq; rex comprobarit, qui idcirco postremus omniũ sententiã rogat à cancellario regni, qui apud principes prolocutor est. Hanc formã uel episcopi habent in suo conuentu, quippe illi, abbates, priores, id est, monachorũ præpositi unà considẽt, alibi uerò decani quos dicũt, archidiaconi, ac reliqui sacerdotũ cœtus procuratores se congregãt, quorum prolocutor de rebus actis patres docet, apud quos archiepiscopus ex sententia maioris utriusq; partis eas definit, legesq; simul facit. Ex istiusmodi igitur regum populiq; decretis autoritate concilij sancitis, ius constat proprium gentis, ac municipale, quod uocant, caputq; legum omnium, quandò illa ius aliud quod ciuile dicunt, nõ admittit.

Talis erat status Angliæ, cùm bellum Gallicum cùm periculo, & militum robore, tum ducum uirtute maximè nobile, ex parua admodũ discordia, inter Ludouicum Crassum Gallię regem, & Henricũ ortum est: cuius quidem belli initium fecisse tradunt Theobaldum Campanorum comitem ex familia Blesensium comitum natum, ac per hoc Henrico affinitate coniunctũ, quòd Adela eius soror Stephani Blesensis comitis uxor esset. Porrò hunc uel ex ducia generis, uel opum, eò audacia impulit, ut impetrato ab Henrico auxilio,

lio, aduersus Ludouicũ arma tulerit, uarieq; diuexauerit. Quod ille qui antè ab Anglo alijs de causis alienus erat, suprà cp̃ dici possit, indignè ferẽs, cœpit consilia inire cum Balduino Flandriæ, & Fulcone Andegauiæ comitibus, de adimenda per uim, aut proditionẽ, Normania regi Anglo, & illa restituenda Gulielmo Roberti ducis filio, ut per hunc modũ sociatis armis, iniuriam uindicaret ab eo sibi illatam. Quæ ubi rex Henricus persensit (persensit autem à principio) primùm omniũ populo imponit graue tributũ, causa noui belli gerendi, id quod apud posteriores reges in consuetudinẽ uenit: deinde in Normaniam profectus, adiuncto sibi Theobaldo, bellũ parat. Crassus qui spem omnem bene gerendæ rei in celeritate posuerat, sub aduentũ Henrici, noctu Normaniæ fines ingressus, decreuerat lucescẽte sole, derepentè latè agros populari, & loca nonnulla ad defectionẽ compellere: uerùm cognito hostis aduentu, nec satis suis uiribus confisus, in aliud tempus differendũ certamen ratus, infecto negotio pedem retulit: sed non multo pòst fortunã belli tentandi auidus, sæpe tumultuarijs prælijs cum Anglo cõflixit, nullo memorabili pugnæ euento, præterquam mortis Balduini comitis, ut quibusdam placet, qui bus non assentior, quandò satis constat, illum post id tempus interisse, uti infrà perappositus locus id planum faciet.

Anno qui insecutus est ingens prælium inter ipsos reges cõmissum est, de quo priusquam memoremus, esse operę pretium putamus, docere, cp̃ parũ autores utriusq; populi inter se consentiãt: & ne uetustissimos citemus, ea satis erit in mediũ adducere, quæ recentiores de rebus Francorũ gestis perscripsere. Ii enim aliam huiusce belli causam fuisse, alioq; exitu rerũ finitum tradunt. Aiunt enim Henricũ regem post captũ Robertũ fratrem, & Normaniã adeptam, in uerba Crassi tanc̃p̃ eius terræ domini iurasse, cp̃ Rollo primus dux Normaniæ accepta Neustria, quã Normaniã appellauit, nomine dotis uxoris, ut in quinto huius operis libro meminimus, iussus est annuũ uectigal regi Frãco ut domino loci pẽdere, ne terra bello quęsita diceret: & inter eos cõuenisse, ut qui prior recepisset à Pagano uiro forti arcẽ Gisortij oppidi, quod est ad Heptã flumen positũ, uelut limes Franciæ & Normaniæ, is intra quartum diem arcẽ ipsam cõplanaret: ac Henricũ quia Gisortiũ occupasset, & per nuntios missos, atq; remissos admonitũ, demoliri ex fœdere arcẽ noluisset, leuibus quibusdã prelijs à Frãcis lacessitũ, & hostes demũ facta ex oppido eruptione, ipsum Francũ repulisse: atq; eam rem initiũ fuisse magni belli, ac illud ita inchoatũ, secundo deinde anno confectũ, non sine graui utriusq; partis incõmodo. Nam, uti ijdem autores sunt, Henricus uno tẽpore à Francis tripartitò inuasus est, Fulcone comite à Cenomauis, Balduino à Pontino comitatu erumpentibus, ac Crasso è medio urgente, qui ut hosti grauius negotiũ exhiberet, palàm Gulielmũ Roberti ducis filiũ, Normaniæ ducem renũtiauit, ac Hugonem regiũ cubiculariũ cũ nonnullis alijs perpulit, ut illum necaret: sed patefacto scelere, proditores ilicò pœnas morte soluerunt. Ex illo Henricus multò cautius rebus suis prospicere cœpit, cui tamẽ in tanto periculo ac mœrore, præsens adfuit solatium, quippe cùm nihil dimisso animo, acriter resisteret. Balduinus accepto uulnere, prælio excesit, & simul Fulco ad eum desciuit. Deinde uerò uariè inter eos bellatum est, modò in unam, modò in alterã partem inclinante fortuna. Arx uerò Gisortiana integra stetit, permittente

Universidad de Deusto
Biblioteca

Crasso,qui id Gulielmo Henrici filio sibi dicto audienti concesit. Hanc primus Gulielmus rex eo loci cõdiderat,ut aduersus Francorũ incursus esset moles munitioq; ualida. Quo fiebat,ut illi tantopere optarẽt eiusmodi opus cõplanatũ iri. Cæterũ Angli autores quos sequimur,haud dubiè uerius de euẽtu huius belli scribunt. Iam agebat annus decimusoctauus,cùm Henricus regnare cœperat,quando Crassus gliscente in dies ira,ad fines Normaniæ ualidissimo munitus exercitu profectus,castra posuit,atq; per dolũ, Nicasianum oppidũ cepit:cui nihilo segnius infestis armis Henricus obuiam factus. Itaq; conueniunt ducũ copiæ,hinc Normani cũ Anglis,illinc Franci cum auxiliaribus:prœliũ faciunt,pugnatũ est amplius horas nouem utrinq; acerrimè: nusquã Angli maiore ferè animorũ robore congressi sunt, nusquã maior cædes obstinatione animorũ facta est:nã prima utrinq; acie disiecta, adeò cominus ferro dimicabat,ut Henricus ex uiictuũ,quos crebrò in capite etsi galea bene munito accipiebat,sanguinẽ ex ore miserit. Quod ubi uidit,nõterritus,sed ut leo in percussores animo percito incitatus,in terram aliquot primò sternit,ac inde in extremam hostiũ aciẽ irrumpens,post ingentem editã stragem,Francos profligat,Nicasiano oppido cum primis recepto. In eo prælio multa hominũ millia cæsa,captaq; sunt. Balduinus comes Flandrię ex uulnere interijt, cui successit Carolus Canuti Dacorũ regis filius, ex sorore Roberti comitis Balduini patris creatus,q; ille nullos reliquerit ex se filios. Henricus uictore cum exercitu Rothomagũ profectus,in urbẽ triumphans longo ordine præcedentibus sacerdotibus,ac pro uictoria adepta, gratias Deo agentibus, introiuit. De Crasso post acceptã plagã, Angli scriptores nõ meminere,sed Gallici, qui autores sunt illũ,ut aduersus Henricũ iram quoquomodo exploret, in Carnutes,qui Theobaldi ditionis erant,impetũ fecisse,animo ciuitatis delendæ:sed occurrente ei uenienti cum diuorũ reliquijs, sacerdotũ cœtu, religione motum sese collegisse,animumq; placasse. Videtur idem fecisse Theobaldus,& cum Crasso in gratiam redijsse: nam cùm Crassus parasset ingentẽ exercitũ aduersus Henricum Imperatorẽ, qui per idem tempus iratus Francis,q; fauissent Calisto secundo pontifici Romano,Rhemos delere constituerat, Theobaldus opem tulit Crasso regi,etsi mox Imperator tanto belli apparatu territus,ab incœpto destitit. De hac controuersia inter Calistum & Henricum Imperatorem,nihil est quod hoc loco dicamus,quandò Platina qui uitas pontificum scripsit,omnia planiora facit,ẽq; ut sint à nobis repetenda. Eodem anno Mathildis uxor Henrici castissimis moribus,& uitæ sanctitate illustris,mortem obijt. Post deuictos prælio Francos, intercessit Henrico affinitas cum Fulcone Andegauię comite,locata illius filia Gulielmo filio. Interea dum ista gerunt,& Francus rex Rhemis solicitus de nouo bello cum Germano Imperatore gerendo detinet,tradunt Henricum Franciam derepentè ingressum latè agros depopulari cœpisse:uerũ pari celeritate facto obuiã Almerico Montisfortis comite,qui tuẽdę regioni præerat,nõ sine incõmodo repulsum fuisse. Sed illud satis cõstat,Fulconẽ uirũ optimũ,post iũctam cum Henrico affinitatẽ,cũ existimaret utrũq; regẽ iam fortunã belli,licet nõ pari euentu,expertũ pacẽ ut in rem cõmunem maximè futurã nequaq; aspernaturũ,ita egisse,ut inter eos cõcordia cõglutinata fuerit, equis cõditionibus,quibus in primis exceptum est,ut sine fraude essent, qui Francorũ aut Anglorũ partes secuti

secuti fuissent:multaq; præterea acta sunt,quamobrẽ pax inuiolata maneret.

Compositis per hunc modũ ex animi sententia Gallicanis rebus,rex Henricus in Angliam ex Normania secundo uento delatus, magno cum gaudio triumphãtis more à suis accipit:uerùm huiusmodi cõmune gaudiũ est statim pòst ingẽti mœrore mutatũ, cognita morte filiorũ regis. Gulielmus eñ dux ex Mathilde genitus,& Ricardus, ut quidam sentiũt, ex concubina natus,ac Maria soror aliquanto post patris profectionẽ,nauem ingressi soluerũt,inde Austro leuiter flante,dũ cursum in Angliã tenebant,ecce tibi, subitò per nautarũ incuriam,naui scopulo illisa,ac pertracta,perierũt,cũ omni comitatu, numero ad centum & quinquaginta,uno duntaxat incolumi, qui malum nauis tenaciter cõplexus,ad terram,quæ nõ procul aberat,postero die delatus est. Euasisset etiam Gulielmus,si pietatem saluti non pretulisset:nam fracta naui, euestigiò in scapham descendit,ad terramq; contendebat,cùm eius opem sor ror,quæ iamiam cum morte luctabat,fœmineo ululatu implorauit:qui protinus charitate motus, reuersus est, ac scaphã naui admoueri iussit,ut sororẽ exciperet:quæ ubi appropinquauit,tanta fuit præcipitantiũ sese in eã multitudo,ut momento submersa sit. Hunc Gulielmi interitum haud dubiè Mathildis mater prædixit,uti suprà ostendimus,cùm inuita matrimonio obstringeretur,quæ uelut furore acta maledixerit stirpi generis ac seminis, quæ ex suo corpore produceret. Facta est & Mathildis filia, quæ Imperatori nupta erat, materni ominis particeps,quæ, sicut infrà perappositè dicet, aduersis nimiũ rebus afflictata est. Casum itẽ eiusmodi uulgus ferebat interuenisse, propter immanitatem regis in Robertũ fratrem,quem in custodia pateret cõplongissimam miserrimè uiuere uitam. Ob tam acerbam filiorũ mortem, Henricus accepit dolorem incredibilẽ,ut qui successore priuatus erat:quare haud multo pòst,alteram uxorem duxit nomine Adeliciam, ex ueteri Lotharingiæ ducũ prosapia,puellam moribus & forma ornatam,ex qua tamen nullũ sustulit filiũ. Dum his Henricus distinebat curis,per literas cognoscit Vuallos, quos rapinas facere maximè iuuabat,in finitimorũ agris prædari,uicos & uillas incendere,ac pecora passim rapere. Quæ res ita eũ mouit,ut coactis statim copijs,in Vualliam eo animo sit profectus,ut in prædones crudelissimè inuaderet. Verùm ubi fama de regis aduentu per Vualliam peruasit,tantũ abfuit,ut Vualli ad manus uenire uoluerint,ut etiam legatos miserint obuiam,qui ueniam criminis orantes,pacem suppliciter peterent. Rex illorũ precibus motus,acceptis obsidibus,ueniam haud grauatè dedit, quoniã in eiusmodi bello cum prædatoribus gerendo,minorem emolumenti spem,ẽq; dispendij metum inesse cernebat. Veruntamen ne finitimi populi Vuallorũ incursionib. rursus uexarent,negotiũ retinendi illos in officio,mandauit Vuarino comiti Salopiæ. Is optimus princeps summaq; pietate clarus, præter cætera memoratu digna facinora,duo posuit Benedictinorũ cœnobia, alterũ in suburbijs Salopiæ,alterũ ad pagũ Vuenelochũ nuncupatũ,& hoc diuæ Milburgæ,illud uerò diuis apostolis Petro & Paulo dedicauit. Est aũt Salopia uetus oppidũ ad limitem Angliæ & Vualliæ positũ in monte non paruo, cuius radices Sabrina à septentrione alluit. Eo qui secutus est anno,qui fuit uigesimus secundus,cũ regnare cœpit Henricus,nihil memorabile gestũ,præterẽq; q; ipse totam eam regni partem,quæ ad Scotiam pertinet,diligẽter obiuit, de sin

Universidad de Deusto
Biblioteca

gulis locis,ac de rerũ statu,hominũq; moribus, institutis, legibus prouidendo. Eodẽ anno Thrustinus,uti quidã tradũt,in gratiã redijt cum rege,& Rodulphus Cantuariensis antistes è uita migrauit, post annum ęp̃ sedere cœperat,octauum:cui successit Gulielmus ordine Cantuariensium pontificum uigesimussextus. Est etiam Hẽricus nepos regis, Stephani comitis Blesensium filius,Glasconiensis abbas, Vintoniensis episcopus creatus,qui singulari bonitate & modestia præditus,semper Anglis acceptissimus fuit.

Interea cognita morte Gulielmi ducis filij regis,cœperũt in Normania,autore Roberto comite Melani,noui motus fieri. Quod ubi ad Henricũ delatũ est,statim inNormaniam profectus,castrum quoddam ipsius comitis Roberti obsedit,& cepit. Non quieuit Robertus interim acceptæ iniuriæ memor, sed quęsitis undiq; auxilijs,unà cum Almerico Montifortis comite,Normaniam hostiliter ingressus est,omnia ferro & igne deuastãs. Hoc ut primũ Gulielmus Heluinus homo Normanus copiarum regis pręfectus cognouit,obuiam ilicò factus hostibus insidias tetendit,in quas Robertum, qui per iram & cupiditatẽ omnia agebat,simul cum Almerico incautè delapsum, post longum certamen cepit,regiq; captiuum tradidit. Moratus est magnam partem anni Henricus in Normania,quo tempore Henrico Imperatore ex humanis rebus adempto,Mathildis filia quæ nullos ex eo uiro genuerat liberos,ad eũ uenit,quam anno qui secutus est, compositis Normaniæ rebus,in Angliam rediens,secũ duxit. Mathildis postea ex eo Cæsaris toro,ut sunt mulieres honoris appetentiores,Augusta dicta est. Sunt,qui tradant eam à uiro adhuc uiuo,ad patrem confugisse,atq; Gaufredo, uti infrà dicetur, nupsisse,in familiã Andegauensium comitum. Per idem temporis,Carolus comes Flandriæ qui Balduino successerat,cùm Brugis in templo diui Donati sacris interesset,per proditionem à suis occîditur:cui cùm nulli essent liberi, Crassus rex qui infesto in Henricum erat animo,in illius locum Gulielmum Roberti ducis Normaniæ filium substituit,quòd etiam paterno genere à Balduino Pio comite originem duceret: nam Mathildis comitis filia primo Gulielmo,uti suprà docuimus,matrimonio iuncta fuerat,qui Robertum huius Gulielmi patrem ex ea susceperat. Item Crassus omnes Caroli percussores diuersis supplicijs affecit. At Henricus ubi cognouit Gulielmum nepotem esse factum Flandriæ comitem,illud iniquo animo tulit,cùm præsertim iuuenis ferox palàm cõminaretur se patris iniurias esse ulturũ:attamen præ bello,quod sibi cum Franco futurũ prospiciebat,facilè nepotis iram negligebat:quare quamprimùm cõuocato Londinũ tam antistitum ęp̃ principũ suorum concilio,post multa,de nouo bello,ac militum supplemento, de statu totius regni deliberatum est,nouissimè de cõsilij sententia,Mathildem Augustam filiam eiusq; filios, si quos deinceps crearet,hæredes sibi instituit. Quod factum iureiurando ab uniuersis generatim comprobatũ est. Adfuit in concilio Dauid Scotorum rex,qui paulo antè Alexandro fratre sine liberis mortuo, ob suas egregias uirtutes, Henrico annuente,rex factus fuerat. Interfuit & Stephanus comes Bononiensis,filius Stephani Blesensium comitis, & regis Henrici ex Adela sorore nepos. Is quoq; ambo conceptis uerbis in uerba Mathildis iurarunt. Post hæc, cùm Henricus nullam spem procreandorum filiorum ex se haberet,ad propagandum genus Mathildem filiam Gaufredo cognomento Plantagenetæ,filio

lio Fulconis Andegauorum,Turonum,& Cenomanorum comiti locauit.

Interim Gulielmus Flandriæ comes, ut nouus princeps minimeq; diues, grandem suis populis pecuniam quotidie imperabat,atq; à publicanis nondum debitam exigebat, ab amicis mutuabatur, & denicq; undecunq; sedulò quærebat: quippe cui certum erat, Normaniam armis recuperare,uel patrẽ ipsum captiuũ liberare custodia,in qua à fratre Henrico rege tenebatur. Ob has pecuniarũ exactiones,bene multi Flandrorũ taciti indignabantur, sic,ut pars nobilium clàm cœperit ad Theodoricũ Alsatiæ comitem Roberti comitis ex filia nepotem,pars uerò ad Arnoldũ Caroli paulo antè interfecti comitis fororis filiũ confugere,illisq; narrare & ostendere, quanta in uastitate res Flandrica esset,& quisq; pro se hortari,multaq; polliceri,si modò libêret debitum principatum à Normano repetere,quem iniustè possideret. Hæc atq; alia huiusmodi ita utrunq; mouerunt,ut ambo summo studio præpararẽt,quę futuro tumultui usui forẽt. Sed Theodoricus ut genere propinquior, ita prior rem aggrediẽ,& primo accessu Brugas,Hypras,atq; Gandauũ oppida occupat,ultrò dedentibus sese oppidanis. Perculit ea res uti inopinata mirũ in modum Gulielmi animũ,attamen maturè occurrendũ ratus, sumptis repentè armis,eò contendit,oppidanosq; blandè appellando ad officium reuocare nititur:quod quia non procedebat,statim per literas à Crasso auxilium petit, atq; impetrat. Inter hæc Arnoldus adfuit,& Flandriam tanquam prædę expositam ingressus,Fanum Odomari oppidum munitissimum cepit:uerùm subito Francorum aduẽtu,qui Gulielmo comiti auxilio ibant,territus, incolumitate pacta,perinde ac uictus domum abijt. Hæc confestim atq; Henrico regi qui nepoti infensus erat,per nuntios nota facta sunt, in Normaniã transgressus Franciam inuasit,cæde & luctu omnia complens,neq; inde pedẽ prius retulit,ęp̃ Crassus copias suas exFlandria reuocare sit coactus,ne suis deesset,dũ alienos iuuare studebat. At Gulielmus etsi auxilio destitutus, nihilo segnius cum Theodorico manum conserit,ac post longum certamen fugat,& fugientem usq; ad Alustum oppidum persequitur. Hîc oppidani accepto mœnibus Theodorico,se acriter defendũt. Cõtrà Normanus uictor nihil sibi amplius inexpugnabile ratus,magna ui oppidum oppugnat. Sed (uide hominem nil equidem aliud esse,nisi bullam, ut in ueteri prouerbio est)dum tantus multusq; est circa expugnationem loci Gulielmus,ecce subitò ex muro percussus telo,in terram mortuus cadit. Creditum est uulgò potissimam Gulielmi interitus causam fuisse, Henrici regis felicitatem, quæ frangi non poterat. Tum Theodoricus qui iamiam uictus erat,mutata per hunc modum subitò fortuna,Flandria potitus est. Rebus in Gallia sic expeditis, rex Henricus primo quoq; tempore in Angliam reuertitur.

His temporibus Honorius secundus Romanus pontifex, misit in Angliã Cardinalem quendã(nomen uiri nullo certè eius damno,minimè editũ est)legatum ad cognoscendum sacerdotalis ordinis statum. Is celebrem antistitum conuentum Londini egit, in quo inter cætera seuerè corrigenda, de uita & moribus sacerdotũ summo omnium studio cœptum est agitari, de eaq; re legatus acerrimè cõcionatus,duriter inuectus est in sacerdotes, qui in aliqua libidinis infamia essent. Quod cùm nõnullos tangeret,& illi iam antea odoriti essent Cardinalem hominem esse impurũ, ac semicæcum, qui secundum il-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lud uerbum euangelicũ, Festucam in alterius oculo uideret, in suo trabẽ non animaduerteret, putarunt nihil minus esse ferendum, q̃ rationem ab alijs uitæ reposcere eum, qui suæ non posset reddere. Itaq; cœperunt eum ita obseruare, ut breui pòst in peccato deprehenderint. Quo ille probro affectus, aliá ue de causa reuocatus Romam abijt. At episcopi qui cõuenerant, post discessum legati nihilominus conciliũ continuarunt: in quo postquam multa sanctè decreuerant, unumquenq; sacerdotem rationem uitæ reddere coegerunt: ex quibus cùm aliqui inuenti essent, qui aliàs moniti adhuc minus castam uitam degerent, statutum est, ut illi omnibus modis pœnas luerent meritas. Quo audito, rex ratus posse se inde pinguem facere prædam, cœpit iustitiæ seruandæ specie, perinde quasi ad suum cõmodum nihil respiceret, cũ episcopis agere, ut darent sibi potestatem pœnæ illis constituendæ: id quod antistites facilè concesserunt, arbitrantes regem & mitè cum eis acturum, & ita usu uenturũ, ut sacerdotes posthac metu regiæ castigationis, continentius uiuerent. Rex igitur suscepto negotio, singillatim cunctos criminis conuictos, bene magna pecuniæ summa mulctauit, nulla habita cura, ut concubinas ablegarent. Qua propter episcopos principes gregis Christi pastores cognoscentes se temerè oues suas lupo commisisse, ualde huiuscemodi facti puduit, pœnituitq;.

Aderat iam annus salutis humanæ MCXXXI, cùm Henricus in Normaniã transmisit, ubi crebris uisionibus per quietem agitatus est: nam modò uisus est uidere multitudinem agrestiũ cum instrumentis rusticanis, modò militũ cum armis, ac demum antistitum cum baculis, in se ruentiũ, unde mox expergefactus arreptis armis, amenti similis clamitare solitus erat: cui cùm de ea re maturè consuleret, responsum est, ut pœnitendo, largiendo, abstinendo, commissa dum liceret, sedulò dilueret. Quare ille initium quoddam alterius uitæ ordiri cœpit. Ferũt eodem tempore Mathildem à uiro suo Gaufredo reiectã, ad Hẽricum patrem uenisse. Causam dissidij, quod sciam, nullus est qui prodat, quę haud dubiè parui fuit momenti, cùm aliquanto pòst uir eam ultrò receperit. Idem quoq; temporis, Honorio secundo demortuo, Innocentius secundus Romanus pontifex renuntiatur, qui continuò post initũ pontificatũ, Rogerio bellũ facit. Fuit is Rogerij Siciliæ comitis filius, q̃ à Gulielmo Apuliæ duce, in quo omnis Guiscardi defecit progenies, hæres factus, sibi Apuliã repetebat. Posuerat Rogerius castra ad Fanum Germani, quem pontifex primo impetu loco depulit, tantũ ualuit Romani exercitus robur. oppido inde dedito, Gallutium obsedit. Venit eò Gulielmus Calabriæ dux, qui patri auxiliũ tulit, unoq; prospero prælio non solũ patrẽ periculo exemit, sed pontificẽ, & cũ eo aliquot cardinales cepit. Is casus satis utiq; docuit, non licere sacerdotibus esse belligeratores. Atqui dux põtificem & cardinales habitos summo in honore missos fecit. Quam ob rem deinceps quod uoluit, uicissim à pontifice obtinuit, præter regni ius integrum, quod maximis præmijs & pollicitationibus impetrare contendebat. At interim ut Romano pontifici plus exhibeatur negotij, Petrus quoq; dicitur pontifex, Petri Leonis filius, homo Romanus, natus clara illustriq; familia, qui Anacletũ se nominat. Quod prodigio præscitũ ferunt: nam per id tempus, in Gallia innumeræ aues aperto cœlo dimicantes, exanimes ad terrã defluxerunt. Is templorũ thesauros spoliat, & in ijs aureũ Christi simulacrũ ex cruce pendentis, & coronas ex eadem materia

teria ex templo apostolorũ principis aufert, unde ingenti conflata pecunia, sacrilega largitione studiũ populi sibi cõparat. Mutato per hæc ciuitatis statu, cùm omnia ad uim & arma spectarent, Innocentius nuper Romam reuersus, nam eo absente, est illud incendiũ in urbe factũ, furioso homini necessariò cedendũ ratus, Pisas primò, inde Genuam, postremò in Galliam transijt. Anacletus interea ad studiũ principũ habendũ intẽtus, ut supra domesticas opes, Rogeriũ quoq; in suas partes traheret, eum utriusq; Siciliæ, quod ab Innocentio fuerat denegatũ, regem creat. Innocentius conuentu ad Claromontem facto, quo Anacletũ & eius factionis socios damnauit, Aurelianum quod olim Genebum est dictũ, iuit. Hîc Ludouicũ Crassum, si modò uera est apud Francos putata temporũ ratio, non Philippum, prout Platina & cæteri scriptores sentiunt, uidit, benigneq; ab eo acceptus, Carnutes inde petijt. Factus est illi obuiã in itinere rex Henricus, atq; ut uero pontifici omnẽ operã, opes, studiũ ultrò pollicitus est, ad iniurias inimicorum propulsandas. Egit pontifex regi gratias, pro tam singulari erga se beneuolentia: uerùm quia sanctissimũ pastorem maior cura dominici gregis conseruandi, q̃ rerum domesticarũ tenebat, eum duntaxat magno studio hortatus est, ut in Saracenos bellum pararet, qui Christianorũ fines crudeliter uexarent. Innocentius nõ ita multo pòst in Italiam profectus, iuuante Lothario Germanorum rege, qui cum ingenti exercitu ei subsidio uenerat, Romam deuictis inimicis se tutò recepit.

Secundùm hæc, Henricus rex in Angliam rediens, subitò oborta aduersa tempestate, penè submersus est: qui id cõmissorum causa accidisse ratus, multa uota fecit, atq; deinde ad cœnobiũ diui Edmundi profectus, ibi piè orauit. Inde reuersus multò melius in omnes animatus, tributa minuit, ac iustitiam erga infimos diligentius seruauit. Item reddendã curauit Mathildem filiam uiro suo, quæ nõ multo pòst grauida Henricum filium enixa est, qui postea regnum Angliæ obtinuit: nam ipse cùm liberis careret, habito suorum principum concilio, eum puerum unà cum Mathilde matre, hęredem rursum fecit, cunctis generatim in utriusq; uerba iurantibus. Post hæc curauit, ut Carlioli noua sedes episcopalis poneretur, in qua Arnulphus antea prefectus diui Buthulphi, primus episcopus creatus sedit. Prodigia uaria eo anno, qui fuit trigesimusquartus, cùm regnare cœpit Henricus, & salutis humanæ MCXXXV. uisa dicuntur, quæ principis mortem, quæ paulo pòst consecuta est, portendisse uulgò creditũ est: nempe terra tam horridè mota est, ut ædificia passim corruerint: defectus solis & lunæ, quem Græci eclipsim nominant, præter modum factus est: ignis in plerisq; locis per rimas terræ aliquot dies spirans, neq; aqua, neq; alia materia extingui poterat. Henricus postremò in Normaniã, ut quotannis, aut tertio quoq; anno facere cõsueuerat, proficiscit, ubi toto eo anno animi causa, regionẽ omnẽ peragrauit, suos passim aut munerib. donando, aut mira beneuolentia cõplectendo, amiceq; appellando, quippe qui iam consecutus ea fermè omnia, quæ ei in optatis fuerãt, sibi de omnibus bene merendũ existimabat: sed nihil animũ lætum maiore affecit lætitia, q̃ q̃ Mathildis filia, alios duos filios Gaufredũ & Gulielmũ peperisset, unde sibi hæredes minimè defuturos iam certò sciebat, licet ij filij ex paterno genere, alterius essent familiæ. Dum ita se gerebat Henricus, cœpit sensim morbo tentari, nec causa satis apparebat, quamobrẽ langueret: quare relaxãdi animi gra

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia,uenatū iuit,atq; eo secessu paululū leuatus grauedine,& domum reuersus, muræna,etsi medico uetante,uesci uoluit,q; eius cibi quamuis ei maximè noxij,auidissimus esset:itaq; uitio ipsius piscis læso stomacho, in febrem incidit, qua breui tempore absumptus occidit,Cal. Decembris,seu, uti quibusdā placet, III. Nonas eiusdē mensis,annū agens ætatis septimū & sexagesimum,qui fuit trigesimusquintus,& amplius tribus mensibus, diebusq; undecim, cùm regnare cœperat.Corpus deportat in Angliā,ad Redyngium oppidum,magnaq; funerali pompa sepulturæ dat,in cœnobio monachorū ordinis diui Benedicti,quod ipse iāpridē ædificarat, opulētissimisq; prędijs locupletarat.Genuit ex priore uxore Gulielmū, q in mari interijt,& Mathildē,quā unà cū filijs hæredem testamento fecit.Ex concubina filiā nomine Mariā, & Ricardū, qui eo quoq; naufragio interierunt:ex altera concubina Robertū,quem fecerat comitē Glocestriæ.Corpore fuit robusto,crassoq;,atq; statura penè iusta, crine nigro,& circa frontē raro,oculis amplis & ualidis,facie honesta, atq; intuentibus iucunda,uultu hilari suapte natura, sed præsertim cū in iocis esset. Virtutibus animi tribus in primis floruit,prudētia,fortitudine,& gratia fandi:hæc illi studium populi auxit,cæteræ duæ in rebus atq; bellis gerendis gloriā & decus attulerūt.Verū sunt,qui scribant,has tantas Henrici uirtutes totidem uitijs quibus irretitus esset,uicissim comitatas:nonnihil enim earū candorē suffecit auaritia,crudelitas,& libido:nam pecunię studio inseruiens,alsi duis tributis suos populos oppressit.Habitus est crudelis,præsertim propter Robertū germanum fratrē,quem in carcere finem uitæ facere coegit. Itē nōnullis fœminis stuprum intulisse traditur.Veruntamen non ijs uitijs ita se dedit Henricus,quin uirtute bene longè præstaret, quandoquidē fuit omnino uir animo magno,amicitiæ potius q̄ odij memor,facetus,mira naturæ gratia præditus,in bello gerendo imperator strenuus,atq; felix. Tulit initio sui principatus aliquot leges,quas nec ipse,nec reges qui secuti sunt,bene seruarunt. Eius opera sunt cœnobia aliquot,tum in Normania,tum in Anglia,& præsertim illud unū Redyngiense,& uilla opere magnifica,procul Oxonio, circiter septem millia passuū,ad Vodestocū pagum,ubi loci condidit uiuarium muro circūseptum,quo uiuæ feræ tenerent.Hæc uulgus Parcos appellat,in quibus damæ & cerui in primis clausi seruātur,quæ propriè apud Anglos,roboraria,sicuti antiqui dixerunt,nominari possunt,q; eiusmodi loca roboreis sudibus ferè ubiq; circundent.Atq; hæc uita, factaq; sunt Henrici Normanorū regū ultimi,quippe in quo omnis Gulielmi nothi uirilis sexus legitima prosapia defecit,quasi q; secundū illud uetus Sapientiæ uerbū,Adulterinæ plantæ non dabunt radices altas.Regnatū est in Anglia ab aduentu Normanorum, ad initiū principatus Stephani,qui successit Henrico,annos nouē & sexaginta,ac menses tres.Ita breue fuit eius gentis apud Anglos imperiū,ob uirilis sobolis inopiam,quod ad Francos,seu Gallos homines postea peruenit.Sed reliqua explicemus.Vixerunt cum Henrico uiri bonarum artiū studijs eruditi, Anselmus,de quo suprà abundè memoratū est:Rodulphus, qui Anselmum secutus est:Thrustinus Eboracēsis antistes, qui in Stephani tempora incidit, & scientia rei militaris ac fama illustres Vuarinus Salopiæ,Theobaldus Campanorū comites,Heluinus dux copiarū egregius,& postremò Fulco Andegauiæ comes homo pariter probus,atq; maximè sapiens.

Poly-

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER DVODECIMVS.

POST mortem Henrici,Stephanus homo Francus siue Gallus, eius nepos ex sorore Adela, Stephani comitis Blesensis filius, qui paucis antè annis,mortuo Eustachio socero,Bononiensem comitatum dotis nomine assecutus erat,partim Theobaldi fratris Blesensium comitis potentia fultus, partim alterius fratris Henrici Vintoniensis episcopi & Glasconiensis abbatis opibus fretus,regnū occupat,licet ipse cum alijs heroibus in uerba Mathildis Augustæ ac filiorū qui ex ea nascerentur,iampridem iurasset. Quapropter perturbatis uehementer ferè omnium animis,alij facinus perhorrescebant,detestabanturq;,alij admodum pauci periurij immemores audacius quàm honestius probabant,atque eius partes sequebantur.Stephanus uir solertis ingenij,& militaris artis peritissimus,ubi uidit diuersum esse aduersus se populi studium, cōfestim eius animum explere muneribus,grandia polliceri,leges longè meliores se laturum,ac omnibus æquè pro uirili parte plena manu gratum facturum, promittere cœpit,usus ad hæc patrocinio Henrici fratris sui Vintoniensis episcopi,qui rebus omnibus ornatus, cunctis gratissimus erat. Quo factum est,ut ultra quàm credere par sit,sibi multorum principum ac reliqui populi beneuolentiam conciliauerit.Ex quo mox ad VIII. Cal. Ianuarij, anno salutis humanæ MCXXXVI, ad Vuestmonasterium in amicorum principum consessu,rex creatur,atque à Gulielmo Cantuariensi archiepiscopo more maiorum consecratur.Tum demum propè omnes eum regem una mente consalutantes appellarunt,adeò ut uoces in uulgus passim iactatæ sint, Nimis turpe est fœminæ parêre.In Mathildem enim id dictum erat, cui quidam qui rectius sentiebant,administrationem regni eatenus dandam putabant, quoad Henricus eius filius esset maturus imperio. Stephanus aūt ex sententia summum consecutus imperium,Oxonium proficiscitur, atq; ibi principum conuentū facit,quo in cōuentu,inter cætera,ut suorū animos sibi deuinciret,illud tributi genus quod alij reges per singula iugera terræ,sæpe exigere à populo solebāt,prorsus sustulit,atq; promisit se curaturū,ut deinceps episcopatus & aliæ præfecturæ sacerdotales ne pūcto quidem temporis uacarent, nec recepturū alienas syluas,licet priuati homines in illis uenati fuissent.Sanè genus eiusmodi aucupij ab Henrico excogitatū fuit,ut illi agrorū possessione regi cederēt, qui in ijs eius damas ceruósue cepissent,adeò uenatio id temporis quæstuosa fuerat.Item statuit,ut unicuiq; liceret castellū,uel arcem quo uellet loco, condere,& hoc ob id præsertim concesit,q; sperabat ea munimenta sibi aliquando præsidio fore,quippe qui pertimescebat aduentū Mathildis in Angliam, cui optimè sciebat præstò fore,qui opē ferrēt.Ita in Stephani imperio nihil erat acerbū,nihil crudele,sed omnia plena māsuetudinis,humanitatis,clementię.Interim dum ista gerebant,nōnulli nobiles Angli à præsente Reipub.statu abhorrentes,in Scotiam ad Dauid regē iuerunt,narrarunt q;,quantū in se scelus concepissent optimates Angli, qui omnis iusiurandi olim Mathildi Augustę ac eius filijs dati,rupta religione, Stephanū fecissent regē, atq; ideo eum hortabant,rogabant,& etiam orabant,ut armis hanc iniuriā uindicaret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

simulq; Mathildi regnum restitueret, quod tam Deo, quàm hominibus gratissimū foret. Mouit eares ita Dauid animū, ut nihil segnius quàm fide optimi regis dignū erat, cum ualido exercitu in Angliam inuaserit, ac primo impetu Cumbriam comitatum, in quo est urbs Carliolum, ac deinde Nouumcastrum, loca utrinq; ad fines Angliæ sita, & maximè opportuna, ceperit. Quod ubi Stephanus cognouit, ad ulciscendū ardens, Armis, si Diis placet, inquit, recuperabimus, quod insidijs ab hoste raptum est. Itaq; confestim iam satis omnibus instructis comparatisq; copijs, ad hostē pergit, cuius ut prius cognoscat uires, cū periculo ultimo tentet, haud longè à Carliolo, uesperi castra ponit, manè prælium initurus. Scotus tamesi ferox & auidi ingenij ad pugnam, tamen ubi procul signa Anglica uidit, haud omnino grauatè amicos utrinq; de pace coagmētanda agentes audiuit, qui ad regem Stephanum profectus, in eius amicitiam uenit, ac reddito Nouocastro, eius permissu Cumbriam retinuit. Fecerat id Stephanus, ut Scotum sibi fideliorem redderet, in qua tamē re eum spes frustrata est. Nam cùm aliquanto pòst ab eo iusiurandum exigeret, tantum abfuit, ut ille obtemperauerit, ut etiam palàm dixerit se illud Mathildi prius dedisse: attamen ut morem gereret regi, iussit Henricum filium id facere, propter quod Stephanus iuuenem Huntyngtona comitatu donauit. Atq; tunc primùm Scotus per hunc modum, Cumbriam & Huntyngtonam comitatus sibi acquisiuit, in eorumq; possessionē uenit, quemadmodum cuncti Anglici testantur annales. Hoc negotio celeriter confecto, rex Londinum reuersus, multa animi hilaritate, ac rerum omniū apparatu splendidissimo natalem diem Christi colit, qui ut tempus poscebat, dum in uoluptate erat, ecce tibi, subitò fama per omnem Angliam peruasit, eum esse mortuū. Ea res quanquam uana & nullius in præsentia momenti, multorū tamen malorum postea causa fuit: nā latius dissipato hoc rumore, magna per inimicos populi seditio excitata est. Nonnihil etiam amicorum animi alienati sunt, & in primis Normanorum, qui iam palàm periurijs & proditionibus fœdati, omnia sibi facinora audacter facienda rati, alij alia loca occupāt: Hugo enim Bigotus uir strenuus Orientaliū Anglorū comes Nordouicū, Balduinus Reduersus Oxonium, seu Cestriā, Robertus Quisquerius arces nonnullas. Quę ubi Stephanus cognouit, quāuis repentina fortuna permorus, nihil tamē territus, Viuimus, ait, idq; diu inimicis non latebit: qui insidiarū tantūmodo metuens, omni celeritate & studio incitatus, in aduersarios contendit, quorum conatus quanq; statim compressit, loca tamen amissa, non paruo negotio recepit. Qua re contentus, uti uictoria nesciuit: nam cùm ipsos aduersarios persecutus nō fuisset, illi postea animosiores effecti, ut infrà dicet, plura in eum sunt machinati.

Quieuit aliquantisper Stephanus, & dū domesticis rebus uacabat, perfentiēs bene multos in dies singulos in se male affectos animo fieri, cœpit sensim ea populo adimere, quæ initio principatus ultrò concessisset, ac simul negare quæ promisisset, secundū illud adagiū: Quod dedi, datum nollem, quod reliquū est, non dabo. quod causa fuit, quamobrē magnā sibi apud omnes cōflarit inuidiā, cùm interim maiores in Normania motus fieri cœpissent, Gaufredo Andegauēsi comite omnia turbante. Sed antecq; in Angliā ista nuntiarent, rex exercitū duxit in Balduinū, qui paulo antè eiectus ab Oxonio seu Cestria, egrè se in insulā Vectē proripuerat, atq; ibi nouas insidias moliri nō cessabat.

Itaq;

Itaq; in insulam delatus, eam primo impetu cepit, Balduino in exilium extra regnū acto. Re feliciſsimè gesta, & fama iam passim diuulgante nouos tumultus, qui in Normania fiebant, sumptis quamprimū armis, eò traiecit: cui statim obuiam fuit Theobaldus frater, cum ualida armatorum manu. Hîc habito de inuadendo hoste, quem bidui abesse intelligebat, cōsilio, suum equitatum tripartitò diuisum præmittit, ut si uspiam facultas detur, prælietur ilicò. Equites uix unius diei uiam progressi, Gaufredum uenientem offendunt, leui præsidio munitum, subitoq; adorti profligant, magna passim cede effecta. Qua re percommodè confecta, Stephanus iunxit amicitiam cum Ludouico septimo rege Galliæ, cui ex more iusit Eustachium filium nuper Normaniæ ducem creatum, iusiurandū dare. Per hunc modum cōfirmatis rebus in Normania, rex in Angliā reuertit, qui uix in terram descēderat, cùm factus est certior de nouo belli in Scotia apparatu. Scoti enim specie seruādæ fidei Mathildi, quotidie nouos motus in Anglos faciebant. Quare Stephanus optimū factu ratus, si continuo tumultui rem aliam non præuerteret, Bedfordiā, quod oppidum ad fines Huntyngtonæ comitatus, quem paulò antè Henrico filio regis Dauid dono dederat, pertinet, & id tēporis à Scoto tenebatur, copias duxit, atq; oppidū circunsedit, sæpe ui, sæpe muneribus, ad deditionē nequicquā solicitando oppidanos: & ne pūcto quidem temporis spatium hostibus daretur, sese reficiēdi à laboribus, ipso etiam die natali Christi oppugnationē respirare nō permisit: ita iam oppidū trigesimū diem oppugnabat, cùm illud ui paulo pòst ceperit. Quod ubi Dauid rex ex literis suorū cognouit, qui iam in armis erat, maximè cōcitatus sine mora, in agrum Northumbricū exercitū traducit, datāq; potestate militibus prędandi, nullo habito ætatis aut sexus discrimine, ita in omnes inuadit, ut etiā mulieribus grauidis minimè parcendū puret, simul pecora rapit, ædificia incendit, uicos & quicquid hominū uel iumētorū usui erat, igne ac ferro deuastat. Interea Stephanus de aduētu hostiū edoctus, maximis itinerib. profectus suis auxilio fuit, qui ea itineris celeritate tantum terroris Scotis intulit, ut sese intra suos fines cōsestim receperint. Sed dū externā uim propulsat, domestica petit, iā manifestè Deo periurij pœnas ab eo expetēte, utpote qui cōtra ius fasq; in regnū sibi minimè debitū inuasisset, ac ita acceptum nō retulisset Henrico regi, q; per eum honore pariter atq; opibus auctus antea fuisset: nam Robertus Glocestriæ comes, de quo libro proximo meminimus, ut par erat, nō aberat à consilijs sororis Mathildis, qui dies noctesq; tacitè obseruabat, quid res, quid casus, quid tēpus ferret, studebatq; quomodo apud principes uocaret Stephanū in inuidiā, quò illorū beneficio, regnū Mathildi, & Henrico eius filio, tandē aliquando restitueret, coram exponens acerbū esse, ab aliquo circūueniri, at acerbius, à propinquo: calamitosum esse, bonis priuari, at calamitosius, regno fraudari: indignū esse ab alieno superari, at indignius, ab eo quē auxisses beneficijs multis. Ita eiusmodi uocibus amicorū animi cōcitati sunt, ut dum rex Scotico bello tenebatur, eo autore, multi ex nobilibus, quos memoria beneficiorū quæ ab Henrico accepissent, simul stimulabat, cupidè cōiurauerint, primūq; capto Bristollio nobilissimo oppido, alij alia deinde loca natura & opere munitissima occidētis plagę repētè occuparint. Hæc statim ut Stephano nūtiata sunt, ualde eius animū solicitū habuere, decreuerat em Scotū pri⁹ subigere, q̄ illinc copias reduceret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut ne toties à finitimo hoste diuexaretur: contrà domesticę pesti occurrendū quamprimū existimabat, ne si moram faceret, frustra deinde aduersus coniuratos potentiores effectos arma moueret: itaq; præsenti negotio domesticū bellum quod instabat, anteuertendū sibi esse ratus, in Angliā properè redit, magnoq; animo aduersarios prosequitur, aliquot locis primo aduentu recuperatis: qui tamen optimè gnarus Scotos nō esse quieturos, rediēs adit Thrustinum Eboracensem antistitem, eiusq; fidei patriam commendat: maiorem in modum rogitans, ut si quid ab inimicis innouetur, uelit suis præsidio esse: id quod ille se facturum ultrò promittit.

Erat per hoc Stephanus parumper metu liberatus, atq; eodē animi robore ea passim loca obsidebat, quæ per insidias amissa essent: sed aduersarij perterriti nequaq; resistere ausi, alij aliò turpiter fugiebant, quos regius equitatus quacunq; per uiarum difficultates licebat, insecutus, à tergo cædebat. Ita iam res bene gesta erat, & loca propè omnia recepta, cùm Scotus audiens Anglū domestico tumultu teneri, infestis armis in Angliā contendit, dimissosq; quaquauersum equites, omnem agrum deuastare iussit. Interim uenit ei in mentē Eboracū oppugnare, & ibi, si urbe potiretur, belli perpetui aduersus Stephanum sedem locare. Quocirca reuocatis à præda equitibus, instructo agmine Eboracum uersus proficiscitur, atq; non longè castra ponit. Thrustinus interea, in quem maximè omnium absente rege, incumbebat tuendæ regionis officium, cōsilio hostium cognito, nobiles Anglos ad arma capessenda, pro patria seruanda, quanto maximo potest studio accendit, identidem commemorans uillas exuri, agros uastari, pecus abduci, castella & oppida dirui, & demū ciues aut interfici, aut in catenis teneri impunè à Scotis, & illos peiora inde molituros, nisi armis uim arceant. Mouit ita antistitis adhortatio principū animos, ut confestim Gulielmo Albermario, altero Gulielmo Nothyngamio, Gualtero & Gilberto ex Lasciorum familia uiris fortissimis electis ducibus, cuncti qui per ætatem arma ferre poterant, ultrò sese ac suam salutem in discrimen pro defendenda patria offerentes, nomina dederint, atq; ita in apertum campum exiuerint proxime hostem. Hîc quanq; nullus in exercitu erat inactus cupiditate pugnæ, summi enim infimiq; homines æquè intenti erant ad prelių faciundū, Rodulphus tamen episcopus Dunelmensis missus ad exercitum hortandi gratia, à Thrustino tūc aduersa ualetudine laborante, sic cōcionatus esse fertur: Tametsi nobilissimi Angli atq; Normani uideo uos satis animorū habere, ad hostes repellendos, tamē ne eam uim cùm resistendū fuerit, aliquo casu remittatis, ego uicem patrię dolens, cuius uos incōmodis mederi cupio, pauca uerba faciam, non q̄ horter, ut cuiquam iniuriā faciatis, sed atq; adeò, ut uobis faciētes depellatis. Igitur scitote uos cū eo hoste esse pugnaturos, quē sæpius uicistis, quē sæpius periurij maculis notatū pœnis affecistis, quē denicq; ritu latronis truculentissimè in omne genus nostrū furentē, tēplaspoliantē, bona nostra rapientē, sese fugæ mandare nuper coegistis. In hūc igitur pro tot criminib. puniendū uos immittite, fortiq; animo eum finibus prohibete: nā, ut uideo, uictoriā in manu tenetis: certè iuuabit Deus, qui diutius huiusce populi peccata tolerare non potest. Quapropter q̄ perdiderit animā suā in hoc tam iusto bello, haud dubiè, sicut Seruator noster docet, inueniet eam. Inter hæc, appropinquabat hostiū agmen, & iam aliquot equitū turmæ

præmissæ erant, quæ locum pugnæ superiorem caperent. Quod ubi Anglus conspexit, non expectat dum ab hostibus prius lacessitus, prius clamor inciat, sed bellicum repentè canit, Scotumq; nihil etiam pugnam extrahentem aggreditur. Initur prælium missilibus, dein cominus pedites manum conserunt: pugnatur utrinq; acriter, cùm Henricus Dauid filius qui alterum cornu in acie Scotica habebat, cum parte equitatus, in primam aciem hostiū irrumpit, turbatq; eam primo impetu: sed illa statim in unum conferta hostē intrare prohibet, factaq; ala, Scotos equites intercludit, atq; passim fossis equis interficit, & qui resistere conātur, in uiam se dare cogit. Quod ubi reliqui uiderūt, consternati animo fuga salutem quærunt. Defertur huius fugæ rumor ad alterum cornu, ubi rex Dauid acriter hostem urgebat, incutitq; tātum timoris alijs, ut passim fugere incipiant. Nititur hinc rex suos in pugnā reuocare, instat illinc Anglus infestis cuspidibus cædem longè ingentissimam faciens: ex quo Dauid coactus est suos sequi fugientes. At Henricus eius filius Huntyngtonę comes nihil fuga patris aut suorū motus, ut gloriæ appetētior extremā fortunam magna animi ui tentat. Itaq; iuuenis equo prouectus suis iam effuse cedentibus, Quo pergis, inquit, miles? & hîc arma & uires inuenies, nec uiuo duce tuo, cui operā dare debes, nisi uictor abibis: proinde elige, cum hoste pugnare, an turpiter supplicio affici malis. Hęc dicente duce, Scotus in pugnam redit, redintegratoq; prælio, magnam stragem edit: sed pauci urgente à frōte Anglico pedite, & à tergo equite, circūuenti in medio, aut ceduntur, aut capiuntur. Henricus ubi rem inclinatam uidit, fortunam aduersam incusans se in fugam itidem dedit. Dicā de numero interfectorū, quod scriptū reperio, etsi non facilè est fidem habere, cùm utrinq; fortiter sit dimicatum. Occisorū itaq; numerus fuit amplius decem millia, extra captiuos, & qui uulnerati diuersis in locis, procul ab eo loco ubi est pugnatū, interierunt. Ex Anglis, solum Gilbertum unum ex ducibus ferunt eo prelio cecidisse, cum paucis equitibus, & modica peditū manu. Stephanus certior factus de uictoria adepta, immortali ter gauisus est, atque magnis laudibus cùm suos Anglos & Normanos, tum Thrustinū ad cœlum extulit. Ipse etiam eadem fortuna suos aduersarios partim domuit, partim in Galliam fugere compulit. In ijs fuit Robertus comes Gloceſtriæ, qui ad sororem Mathildem se recipere coactus est. Rex his rebus præclarissimè gestis, cùm intelligeret Scotorū uires, post acceptam tam insignem cladem, ita debilitatas esse, ut facilè subigi possent, eodem anno qui fuit tertius cùm regnare cœpit, traducto exercitu in Scotiā, primū peruastat agrū: deinde cum egressis ad tuēdos fines dum depugnare parat, Dauid qui se longè uiribus imparem sentiebat, legatos de pace mittit, quā tandē dato obside Henrico filio, impetrat. Re Scotica per hunc modū composita, Stephanus lætus Henricum secum ducens, cùm in Angliā reuerteretur, iter flexit in Vualliam, ubi Ludlollium oppidū totius regionis princeps, ab aduersarijs occupatum expugnauit. In ea oppugnatione Henricus obses dum prope muros pugnabat, fortè ab oppidanis adunco ferro ex equo abstractus, nutu omnino Dei à rege statim accurrente præsenti periculo liberatur.

Post hæc Stephanus Oxonium pergit: dum illic moratur, incipit passim diuulgari rumor de aduentu Mathildis, ac Roberti eius fratris, quod ipse prę cipuè formidabat. Quæ res effecit, ut minus multò suis deinceps confide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, utq; eum ualde pœniteret, à principio cõcessisse, uti unicuiq; liceret arces condere: quas cùm multi diuersis in locis ædificassent, omnes apud eum in suspitionem uenere, inter quos in primis fuerunt Rogerius Sarisberiẽsis, & Alexander eius nepos ex fratre Lincolniensis episcopi, ambo multę autoritatis & potentiæ. Porrò Rogerius binas arces munitissimas extruxerat, alterã ad Schirburnũ pagũ, alteram opere magnificam apud uicũ, qui Visis uocat. Alexander uerò arcẽ ad Neuuarcũ oppidũ posuerat, longè à Lincolnia urbe, circiter millia duodecim. Itaq; misso utroq; antistite in carcerẽ, & Nigello Elyensi episcopo eiusdem Rogerij nepote in exiliũ acto, ea omnia loca occupauit, ubi thesaurosRogerij ad quadraginta millia marcharũ reperit. Ob q̃ rem, tantus Rogerio infixus animo dolor hæsit, ut breui pòst tempore à uita excesserit. Per idem temporis GulielmusCantuariensis archiepiscopus post annũ q̃ sedere cœperat decimũquintũ, è uita migrauit: cui successit Theobaldus abbas Beccensis, antistitũ ordine septimus & trigesimus. Nõ multò etiam pòst Thrustinus Eboracensis mortuus est, post quẽ Gulielmus Stephano propinquitate cõiunctus electus est: sed Henricus Murdacus monachus Cisterciensis uir ambitiosus, affirmãs eam electionẽ esse uitiosam, per dolũ archiepiscopus ab Eugenio pontifice Rom. creat: quo septimo pòst anno ex humanis rebus adempto, Gulielmus meritũ honorẽ assecutus est, de quo plura alibi dicemus. Henricus tamen suo diligenter functus est officio, sicut Eboracẽsis prouincia nullũ fecerit damnũ. Is consecrauit Ioannẽ Optatũ episcopũ Orcadum insularũ, cui ille obedientiæ promissum secundũ solitam uerborũ formulã conceptum fecit. Tractabat nimis asperè interea Stephanus omnes & speciatim suos adiutores, dũ omnes timebat, id quod bona pars mortaliũ diuinitus fieri arbitrabat, ut scilicet illi periurij pœnas luerent, qui eum regem contra ius fasq; fecissent. Neq; aliud nempe pessimorũ consiliorũ autoribus prẽmiũ debetur. Pertimescere insuper Stephanus externam uim, cùm audiret Augustã undecunq; sibi auxilia adiungere: quapropter ratus in rem suam potissimum fore, si Ludouicum regem Galliæ in amicitia contineret, quamprimum dedit ad eum literas, simulq; legatos cum muneribus misit, qui Cõstantiam eius sororem peterent nuptum dari Eustachio filio. Non abnuit Ludouicus Anglì affinitatem: collocata enim sorore Eustachio, operam & studiũ suum Stephano ultrò pollicitus est. Confirmauit ea affinitas animum regis spe quadã sempiternæ pacis exultantis. At Constantia puella extincto paucis pòst annis Eustachio, nupsit Raimundo Tolosatium comiti: quod solum attendentes quidam recentiores scriptores, de hac cum Anglo affinitate minimè meminerũt.

Sextus iam erat annus ab eo, quo regnare cœperat Stephanus, cùm Mathildis Augusta traiecit in Angliã, ac se rectà contulit Arundellũ, quod quidem oppidũ cum Suthsexia comitatu, tenebat Adelicia eius nouerca, sibi nomine dotis assignatum. Venerant cum Augusta, Robertus frater, & Hugo Bigotus, cuius suprà mentionem fecimus. Hîc non consentiunt scriptores: alij tradunt Mathildem duxisse magnum exercitũ, ut coniunctis copijs cum Ranulpho comite Cestriç, qui partes Roberti generi sui sequebatur, quoties opportunũ esset, cum Stephano manũ cõsereret. Alij scribũt, quibus cum magis stamus, eam cũ parua manu uenisse, fretã primũ ope diuina (nam Deus iure pugnantib. semper adest) deinde amicorũ auxilio, qui patris deuincti beneficijs contra

contra Stephanum uenire parati essent. Quare Robertus ut maturè exercitũ faceret, & aduentũ sororis omnibus nuntiaret, relicta Mathilde in arce Arundellia cum duodecim equitibus, & totidem sagittarijs equestribus, facto per terras hostiles itinere, Gloceſtriam peruenit: & licet oppidũ regio præsidio teneretur, oppidani tamẽ ubi Robertũ uiderunt, eiectis qui in præsidio erant, ultrò ad eum defecerunt. Hîc Robertus partim nouum exercitũ conflat, partim uicina loca ad uoluntariã deditionem solicitat. Stephanus interim cognito hostium aduentu, properè Arundellũ profectus arcem circunsidet, ubi aliquot diebus uana spe consumptis, qui clàm Augustę adiutores erant, eius auribus instillant eam arcem esse inexpugnabilem, & ideo nihil esse, cp amplius instet, sed potius optimum factu, si soluta obsidione permittat Mathildem exire ac aliò fugere, ubi facilius eam opprimere possit. Eo adductus consilio rex, non animaduertens latêre anguẽ in herba, ut uulgò dicitur, cùm nihil propius factum esset, q̃ ut hostis fame propè suffocatus in manus ueniret, milites ab obsidione ita procul traduxit, ut hostes cognoscerẽt se tutò posse aliò uersum conferre. Quo uiso, Mathildis quæ more fluminis, uires eundo acquirebat, nihil cunctata, de media nocte ex arce exiuit, ac maximis itinerib. Bristollium perrexit, quod iam in fratris potestatem uenerat. Quod ubi cognitũ est, certatim principes regni ad eam deficiunt, quippe qui memores erãt, se olim illi & filijs per iusiurandum obligasse. Obsidebat interea rex arcem Vallinfordiensem, quæ in Oxoniensi agro, ad Thamesim sita est, cùm intellexit Mathildem uiribus auctam Bristollij considere, qui mali consilij serò pœnitẽs, omissa arcis obsidione, Bristollium uersus ire maturat, ut eo loco hostẽ includat. At Augusta cognito regis consilio, primùm Gloceſtriam, deinde Lincolniã contendit, ubi statim cõmeatum parat, urbem præsidio firmat, propugnacula bello tuta facit, ut se tandiu ea urbe tenere tutò possit, usq; dum aut fortuna belli à fratre tentetur, aut sine armis per adiumentum populi, eiecto Stephano, regnum sibi ac filio restituatur. Rex eam secutus, Lincolniã corona militũ circundedit, simul omnes aditus tentans, qua parte posset muros aggredi. Interea Robertus & Ranulphus obsessis auxiliũ ferentes, instructo agmine Lincolniã ueniunt, castraq; prope hostẽ ponunt, ac postridie eius diei ubi primũ illuxit, suos in aciẽ ducunt, atq; prius ad pugnandũ acriter hortati iubent intentos esse, & signũ ad erumpendũ spectare, idq; ilicò dant. Tum milites multò incitatissimi in hostem sublato clamore incedũt. Nec rex distulit certamẽ, qui itidem edito signo, suos in hostes eduxit. Ingẽtibus animis uario euentu pugnatũ est primo concursu, dein adeò res regia inferior fuit, ut eius milites partim caderent, partim fugerent, & in primis equites. Quæ ubi ipse cognouit, nihil animo tardatus, sed suos centuriones ac pedites qui ipsum circunstabant cohortatus, in hostes erumpit: hîc quotquot obuios habet, sternit, atq; ferro uiam inter medios hostes facit. Adæquant pedites, qui pauci præ hostium numero erant, ducis uirtutem, adeò, ut pugna rarò ulla magis sæua, & cũ utriusq; partis pernicie clarior fuisset, si prior regia acies, quæ primo congressu non sine suspicione proditionis dissipata est, parumper impetum hostium tolerasset. Ad ultimum rex cum comite Ceſtrensi congressus, à multitudine circũuentus capitur, eius itidem peditibus aut captis aut cæsis, ac cõtinuò ad Augustam ducitur, ut mulier uiso hoste captiuo, sciret se satis iniuriam esse ul

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam, quæ licet magnam animo conceperit uoluptatem, eum tamen turbato spiritu aspexit, ac statim Bristollium in carcerem misit. Gaufredus uir Mathildis certior factus de re prosperè gesta in Anglia, Normaniā repentè armis adortus, eam occupat, atq; fama capti regis diuulgata, principum simul studiū in se uertit. Dauid itidem Scotorum rex Northumbriam ingressus, eam sibi Mathildis iussu possidendam capit.

At ipsa Augusta suapte natura mulier prudentissima, uictoria sibi utendū iudicās, nihil suæ causæ indormit, sed uigilanter omnia curans, primū Vintoniam proficiscit, ubi autore Hērico episcopo, licet frater esset Stephani, honorificè accepta, urbem præsidio firmat, deinde Oxoniū reuersa totā mediterraneam partē lustrando in potestatē suam ultrò uenientē recipit, ac ad Fanū Albani iter tendens Londinū uenit, à ciuibus generatim libentissimis animis accepta, qui ei summos honores habuerunt. Hīc autē dum de statu regni collocando agitat, rogatur à Mathilde uxore Stephani, ut uiro parcat, detq; ut reddito sibi regno, uitā cum bona pace priuatā degat. Quod tantū abfuit, ut illa concesserit, ut etiam nihil ad rogatum, sed cum uerborū contumelijs responderit. Quare regina, quæ etsi animo tristi saucioq; erat, animaduertens nō precibus, sed lacertis & uiribus ac armis pacem petendam esse, confestim Eustachium filiū, qui in Cantio erat, admonuit, ut exercitū pararet, quod ille impigrè agebat. Augusta item Londinēsibus de iniurijs ab Henrico eius patre acceptis cōquerentibus, ac more suo leges diui Edouardi repetentib. palàm fuit censuit: quapropter populus uehementer cōmotus, ei insidias q̄primum faciendas statuit. Quod ubi illa persensit, clàm & noctu Oxonium aufugit, adeò mulier fortunę uarietatis minimè patiens principibus infesta erat, & ante omnes regi, quem iusserat compedibus teneri, ac uili & perparco cibo ali. Henricus Vintonienſis antistes ubi iram Mathildis in suos in dies magis renasci cognouit, seruiendum tempori ratus, arces omnes suæ diœceſis quas ipse apud Vualthamū, & Farnamū pagos, ac alijs in locis condiderat, ualido firmat præsidio, ac cōtinuò postea sese in arcem Vintonienſem recipit, spectaturus quorsum fœmineus furor euaderet. Quo cognito, Mathildis arcessit Dauid regē Scotorū suum auunculū, qui ad eam subitò aduolat, ac ambo simul cōiuncto exercitu, Vintoniam proficiscuntur, arcemq; obsident. Adfuit statim Mathildis regina & Eustachius filius cum potenti bellatorū manu. Properarūt illuc & Londinenses, qui muliebrē animū sibi infensum formidabant, ac deniq; omnes qui Stephani sequebant partes, ad reginā ierūt, atq; uno momēto facto impetu, hostes uiriliter superarunt. Augusta simulata morte, ut cadauer Gloceſtriā delata est: Robertus eius frater unà cum multis alijs capitur, qui regem captiuū tenebat Bristollij, in oppido suo. Hic à regina duriusculè accipit, quòd forsitā probè sciret illud euangelicū uerbū ueriſsimū esse: In qua mensura metimini, in ea metient uobis alij. Nam ille de Stephano nihil bene meritus erat.

Regnum itaq; in has duas factiones iamprídem abiuerat, iamq; inde ciuitates ac populi tabifico diuersarū partium ueneno imbuti, tanto ardebāt odio, ut breui ciuilibus armis regnū ipsum perditū, funditusq; euersum iri uideretur. Quorū malorū causa, Stephanus qui iniustè sibi dominatū uindicauerat, & Robertus qui iure sorori opitulabatur, in primis erant, qui cùm captiui ambo forent, in eam spem uniuersi erecti erant, ut tum demū Deus miseratus labores

populi, huiusce modi calamitatib. finē imponeret. Quare principes regni qui boni consulebant, ut reconciliatio concordiq; per captiuorū permutationem, inter partes tandem aliquādo sequeretur, summopere agitantes, conditiones pacis statuebant, ut rex libertate donatus regnū retineret, Robertus uerò comitatū suū haberet, consentiretq; cum rege, & se ab eo nō amplius secerneret. Respuit comes eas cōditiones perinde ut si sui iā iuris esset, nec Augusta nisi regno sibi restituto, ad pactionē aliquam descendebat. Ex quo negotio, inimicitiæ magis atq; magis inter utranq; factionē gliscere cœperunt, ita ut ad extremū rex ac comes carceris molestia defatigati, & fortuna belli cōfisi, nulla amplius facta pacis mentione, se inuicē custodia liberauerint, ac consestim mutuis offensis, atq; capitali odio accensi bellū redintegrarint. At non nemo parum rerum gestarum peritus, tradit hīc per eiusmodi mutuam regis & comitis permutationem, pacem conuenisse, id quod falsum esse perspicuè arguit bellum, quod consestim est inter eos secutum. Rex Vintoniam profectus arcem quandam loco opportuno ædificare incipit: quem Robertus qui simulatq; dimissus fuerat, non muris extruendis, sed numero militum augendo studebat, de improuiso adortus in fugā coniecit, multis captis cęsisq; ex eius militibus. Stephanus hac ignominiosa fuga commotus, ac farciendæ insamiæ cupidus, statuit nullum amplius aduersarijs laxamentū dandum, at continuo bello insultandum. Itaq; euocata magna militum copia, & omnibus rebus paratissimus Oxoniū contendit, ubi se Mathildis continebat, atq; subitò circunsidet, ac ut oppidanos uel ad deditionem compellat, uel aditu eos prohibeat, qui obsessos auxilio iuuare tentarēt, in agrum cum parte copiarū exit, omnia ferro & igne deuastans. At Robertus interim arbitrans oppidum munitius esse, q̄ ut citò expugnari posset, & uidens supra uires suas esse, cum tā immenso hoste congredi, tempus & locum quærebat, quo illud tutius faceret. Erat iam propè tertius obsidionis mensis, cùm consumptis ferè cibarijs, nulloq; præsidiū ferente, intra oppidum titubari cœptum est. Quod ubi Augusta sensit, consiliū fugæ necessariò capit, cùm præsertim esset hyems summa, nixq; omnem campū oppleret, adeò, ut milites hostium frigore torpentes segniter uigilias agerent. Mathildis igitur albis uestibus induta, ut specie niuei coloris hostes falleret, noctis silētio egressa est oppido, & scapha per Thamesim uecta, ad arcem Vallinfordiēsem peruenit, atq; ibi à suis in arcem accepta est. Oxoniēses post discessum eius desperato subsidio, se atq; oppidū regi dederunt. Quo negotio ita confecto, rex ad arcē expugnandā dum ire properat, occursu aduersariorū subitò repellitur, cogiturq; aliò diuertere, qui in itinere ex altera parte inuasus, à Roberto fugatus, ægrè se in locum tutum recipit. Ibi Gulielmus Marcellus uir strenuus captus est, quem rex non prius liberare potuit, quàm aduersarijs reddiderit arcem Schirburnensem.

Post hæc, aliquantisper armorum furor consedit. Interea rex Londinum uenit, ubi celebrem principum ac antistitum cōuentum peregit, in quo talia uerba fecit: Cùm principes fidelissimi me hactenus uestrę libertatis defendæ ducem secuti fueritis, quæso, ut ne in posterum deseratis: mihi enim nunquam animus defuit, tempora defuerunt, per quæ non licuit officium præstare, quod ne nunc etiam præstare sine uestro auxilio possum. Sed ne mediocrem rem factā arbitremini, hostes ita debilitati sunt, ut uelint nolint, manus

Universidad de Deusto
Biblioteca

breui sint daturi. Tantum restat, ut uestris opibus uelitis pro parte uestra, iu uare bellũ, quod Reipublicæ nomine, uestro cùm consilio, tum cõsensu susce ptum est: nam à principio abhorruistis à fœminæ imperio, nunc illud aliqui uestrũ experti multò magis horrent, quod uelut graue iugum tandem ab om nium ceruicibus perpetuò depelleť, si collibuerit me unũ libertatis uindicem studio, cõsilio, patrocinio denicp tueri, sequi, amplecti. Quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi fortiter pugnauerimus futurũ esse, ut turpiter fœminæ ser uiamus: quo homini, præsertim libero, nihil calamitosius accidere potest. Igi tur cũ gratissimis animis arma sumite, & ne populus tributo prematur, pro se quisq; depugnet, & quibus pugnare aut per ætatem, aut per leges non licet, dent pecuniam, dent uicarios, dent arma ad patriã tutandam. His dictis cun cti præsidium salutis ac libertatis defendendæ se laturos pollicentur. At epi scopi cum suis sacerdotibus, quia pugnare fas non est, pecuniã conferre pro mittunt, quibus ut aliquid gratiæ referretur, in eodem conuentu cõstitutum est, ut quicũq; deinceps sacris initiatos percuterẽt, aut alicuius criminis reos episcoporum iniussu caperent, impiũ importuniq; haberentur, nec ab aliquo præterquam à Romano pontifice, in piorum cœtum restitui possent, quem admodum iure põtificio iampridem sancitum esset, sed apud Anglos ante id tempus minus seruatum. Quod idcirco decretum est, quoniam quotidie sa cerdotes inter ciuiles tumultus, aut interficiebantur, aut capiebãtur, & ita ca pti grandi pecunia se redimere cogebantur. Sub idem tempus, ad Fanum Al bani, Gulielmus seu Gaufredus (utrunq; scriptum reperio) comes Magniuil læ, dux belli ueteranus, qui Augustæ partes sequebatur, captus est, non sine multa militum regiorum cæde, quem Stephanus bonis ferè omnibus mulcta uit. Quare ille inopia ductus, ad rapinas se conuertit, & primò cœnobium di ui Albani, deinde Ramesiense eiectis monachis spoliauit, ac passim quocũq; ibat, omnem agrum depopulabatur, donec inter prædam faciendam, sagitta transfixus inglorius periit, ut ita sacrilegij pœnas persolueret. Aderat nonus annus cùm regnare cœperat Stephanus, quo tempore Ranulphus comes Ce strensis Lincolniam tenebat, nequaquam magno præsidio munitam. Ex quo rex spem cõcipit loco facilè potiendi, nec moram ullam faciens intempesta no cte urbem obsidet, atq; uallo includere maturat. Comes improuiso hostis ac cessu aliquantulum primò perculsus, dein ubi de muro speculatur hostẽ esse rarũ, suos se armare iubet, ac mox apertis portis erumpit. Non expectauit rex impetum, sed raptim aufugit. Comes qui hostem sequi nequiuit, adortus il los, qui uallum faciebant, octoginta homines obtruncauit. At uerò post bien nium, quàm ista gesta sunt, & uarias tumultuosasq; pugnas, Ranulphus cum rege in gratiam redijt, & cùm ad eum libere se conferret, perfidiosẽ captus, nõ prius dimissus est, quàm omnia loca quæ regiæ ditionis fuerant, modis omni bus restituisset. Peperit ea res Stephano nouas cũ dedecore inimicitias, quip pe quẽ bene multi perinde ac si fœnũ haberet in cornu, uti in prouerbio est, diligentius postea sibi cauendum statuerunt. Ille uerò uisus præclarum quip piam fecisse facinus, sibi triumphum perinde quasi iure non fraude partũ de creuit, ac Lincolniam unà cum alijs locis receptam corona redimitus, multa pompa triumphantis more ingressus est. Sunt tamen, qui tradant Stephanũ idcirco eam pompam duxisse, ut nouam religionem ex hominum mentibus tolleret,

tolleret, qui cùm multis antè annis, in ea urbe regem ornatum corona non uidissent, eum arbitrabantur non sine sua noxa introire posse, atq; ita ingressum superstitionem ludificasse.

Per idem tẽpus, Gaufredus uir Mathildis è uita excessit. Quo audito, Henricus filius, qui apud Dauid regem Scotorũ erat, quò sine periculo, præstò esset, ut matrem uictricẽ sequeretur, cõfestim domum reuertitur, & paternum dominatũ assecutus, inde in Normaniã proficiscit. Is cùm adolescens optimæ indolis esset, atq; eam animi magnitudinẽ præ se ferret, qua facilè quisq; prudentissimus iudicaret eum uirũ magnũ euasurum, Normani ultrò sese in eius fidem & potestatẽ permiserunt, cùm præsertim animo cernerent omnes Stephani conatus male breui tempore casuros. Rebus felici auspicio ita composi tis, maior cœpit iuuenem cupiditas regni Angliæ recuperandi, fretum præci puè maximis amicorum opibus: itaq; cum centum quadraginta equitibus, & peditum tribus millibus, primo quoq; tempore in Angliam trãsgreditur, ad quem cuestigiò ex tota insula, magnus cõfluxit bellatorũ numerus ex ijs, qui matris adiutores erant, atq; ita ingẽtibus copijs auctus, ad Marlebrigiensem arcem (est enim Marlebrigius pagus in Vuilceria comitatu, quã hodie uocãt Malmisburiã, Sarisberiensis diœceseos) proficiscitur, ubi Stephani præsidiũ erat, ac positis nõ procul castris, locum obsidet, tormentis dies noctesq; uerberat, cuniculos intrò agẽdos summopere curat. Quibus cognitis rebus, rex suis auxilio adfuit: quos ubi repẽtino aduentu obsidione leuauit, magno studio, ut ulciscendi cupidus, hostem ad pugnã prouocat. Verùm Henricus qui hostem præstare numero militũ cognoscebat, & cõfluentibus quotidie ad se nouis belli socijs, utile in præsentia ducebat prælio abstinere, intra castra hostis ferociã cõsultò eludebat, deinde cum eodem infestis armis decertaturus. Habeo tamen autores, Henricũ arcẽ Marlebrigiensem primo accessu cepisse, & non multùm inde cunctatũ per fines Conuentrensiũ, Northantonensium, Lecestrensium, Stanfordiã instructo agmine peruenisse, ac eo loco in potesta tem accepto, Nothyngamiam oppidũ natura & opere munitũ, hostiliter con tendisse, & eo confestim capto, arcem summa ope connixum esse expugnare: quæ cùm in loco edito sita sit, & præsidio illius non facilè expugnabilis, atq; demũ pertinaciter defenderetur, infecto negotio, ne tempore frustra exclude retur, ad alia loca occupãda properasse, ac ad ultimũ ad matrem in Vallinfordiensem arcẽ se recepisse. Stephanus interim parato ingenti exercitu, tempus & locum obseruabat, quo posset iuuenem nondũ aduersam fortunã expertũ, & ob id ipsum suis uiribus nimis confidentem, ad singulare prælium trahere, ut una demum pugna, de uita & regno cum hoste decertaret.

Cæterùm cùm Anglia tam multos annos intestinis motibus fluctuaret, essentq; matres familiãs passim uiolatæ, uirgines raptæ, templa spoliata, uillæ & oppida direpta, greges ouium reliquiq; pecoris cæsi, in quibus potissimũ populi uita consistit, homines sine numero interfecti, Deus tandẽ uoluit tot miseriis liberare Anglos, quorũ iam uicinas gentes mirum in modũ miserebat, adeò eorum uulnera omnibus nota erant: & quia omnis causa mali Stephanus erat, qui confidenter in alienas fortunas inuaserat, idcirco fecit, ut ille pacem concupisceret, à qua semper antea abhorruisset. Itaque dum Stephanus tantopere cum Henrico confligere parabat, ecce tibi, Eustachium filium im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

matura morte extinctum amisit, quē casum omnino acerbissimū eò grauius tulit, quò magis omniū iudicio, adolescens uidebatur ad laudem esse natus: par quoq; omnes principes qui eius sequebant partes, repentè luctus occupauit. Sed ante omnes, Constantia uxor ipsius Eustachij dolorem accepit incredibilem, cruciataq; est miserè, q; ille nullum ex se suscepisset filium: quæ paucis pòst diebus cum dote ac uarijs locupletata munerib. ad Ludouicū fratrē honorificè remittitur. At Stephanus ubi uidit se filio unico, cui regnum parauerat, & simul affinitate regis Galliæ, quæ ei magno erat usui, esse priuatum, cœpit sensim animū remittere, à rebusq; bellicis simul auertere, ita ut uideret iam sua sponte ad pacem inclinari. Quod postq; aliqui ex optimatibus, quib. pax cordi erat, animaduerterunt, Mathildem & Henricum cōfestim adeunt, monēt, hortanť ad concordiā, multis rationib. affirmātes tutius esse, ui depositis utrinq; armis, æquis cōditionib. cum Stephano cōsentirent, q; expectare, dum libertas ciuiū, dum ipsorū salus in grauius discrimē adduceretur. Assentiunť consilijs amicorū mater & filius, ac primo quoq; die, ad colloquiū faciendum cum rege ad Vallinfordiā uicum, ex arce descendūt. Hìc post multas & uarias utrinq; conditiones oblatas, ad extremū inter eos pacificatio cōsecuta est, quæ ut stabili perpetuoq; maneret fœdere, rex antistitum pariter atq; heroū conciliū conuocauit, cuius autoritate pactio facta est, ut Stephanus deinceps tanq; legitimus rex usq; dum uiueret, regnū Angliæ eo iure, quo qui optimo, obtineret, & Henricus Normaniā possideret, atq; ueluti uerus hæres ei succederet: Robertus uerò comes alijq; principes qui unā uel alterā partē secuti fuissent, sine fraude suis fruerenť possessionibus. Has pacis cōditiones ita libenter uterq; princeps amplexus est, ut Stephanus sibi Henricum adoptauerit, licet Gulielmū filium superstitem haberet admodum puerum, ex concubina, ut aiunt, genitū, quem in uerba Henrici iurare iusserit, & ipse Henricus Stephanum publicè regem Angliæ salutauerit, patremq; appellauerit. Fuit ea pacificatio summæ toti populo lætitiæ, qui ob utriusq; factionis simultates, permultis antea calamitatibus affectus, diu in mœrore fuerat. Atq; hęc omnia anno salutis humanę MCLIII in acta relata sunt, ut posterioribus nota perpetuò forent. Est insuper Gulielmi regis filij ratio habita, qui Northfolchiæ comes creatur, nonnullisq; prædijs donatur, in agro Nordouicensi, quod suo assensu Henricus maximè omnium ratum habuit. Post hanc cōcordiam, Dei optimi maximi nutu, omnis factionum ardor sic refrixit, ut res Anglica mirabilē in modum deinceps per aliquot annos floruerit, pace ubiq; parta. Sunt, qui tradant aliam fuisse causam, qua Stephanus flexus sit ad pacē, aientes Mathildem amicam potius q; inimicam Stephani fuisse, & eam cùm uideret rem inter ipsum Stephanū, & Henricum filium eò deductā, ut armis finienda esset, clàm ad Stephanum adiuisse, atq; sic eum allocutam: Ecquid impiè ac tui generis immemor facere tentas? decétne patrem perdere filium? an fas est, ut filius patrem occîdat? Amabò te, des locū iræ, proijcias q; tela manu, nam Henricum, uti probè scis, ex te enixa sum. Et his dictis, ordine cōmemorasse, quē admodū paulo antè q; Gaufredo nuberet, ab eo grauida fuisset, ac ijs uerbis Stephanum motum pacem fecisse. Sed hæc uel altera fuerit causa pacis, nihil obstat, quin illud ipsum diuinitus factum esse credendū sit: quāuis de istiusmodi stupro facto cū Mathilde à Stephano, fabulā uulgi esse, ac falso id utriq; crimini

crimini datum dixerim. Fac porrò ita esse, attamen credibile est, nihil ambobus potius fuisse quàm cunctos mortales in perpetuum de ea re cęlare, ne tātum labis Henrico filio, qui pro legitimo habebatur, uel ipsi Mathildi aspergeretur, quod qui sana essent mente, homines magnopere curassent.

Rebus igitur ita felicissimè cōpositis, Henricus dux cum matre in Galliam ad principatū suū remigrauit, quem rex Cantuariā usq; deduxit, dein toto eo anno omnē ferè Angliā peragrauit, multa comitate & beneuolētia omnis ordinis uiros passim cōplexus. His temporib. Ludouicus rex Francorum reuersus ex Hierosolymitano bello, de quo Platina in uita Eugenij tertij pontificis Ro. subtilius scribit, q; ut nos hoc loco id replicare necesse habeamus, cū Aleonora, ex qua duas filias, Mariam & Alisam susceperat, quibusdam de causis, quæ nequaq; liquidò produntur, diuortiū fecit, quæ filia fuerat unica Gulielmi ducis Aquitaniæ & Pictonū comitis, ex quo à patre hæres facta est. Henricus igitur qui infesto erat animo in Ludouicum, q; Stephanum iuuisset, hanc Aleonorā in matrimoniū duxit. Quæ res materia fuit multorū bellorū, quæ postea ille cum Francis gesit: nam cùm ob eas nuptias, illa pars Galliæ, quæ hodie Aquitania & Pictauia nuncupatur, iure uxorio ei uenisset, & materno Normaniā obtineret, expectaretq; Angliæ regnū, ac paterno, comitatus tris, Andium, hoc est Andegauensiū, Turonum, & Cenomanorū possideret, est admodum potens cum quouis ad bellandū effectus. Interim Ludouicus periniquo animo ferens Aleonoram nupsisse inimico, & ob id illi multò maleuolentior inimiciorq; factus, Henrico ipsi bellum facit, ac Nouummercatum oppidum obsidet. Quod ubi dux cognouit, licet suis opem laturus statim sumptis armis in hostem profectus sit, tamen Ludouicus prius oppido potitus est, quàm ille accessisset. Quo in itinere audito, in Francorum fines exit, secundumq; Ligerim iter tendens, omnem agrum latè populatur. Inde inter eos aliquandiu uariè bellatum, donec concordia secuta sit, restitutis Nouomercato & Vernone oppidis, quæ rex antea duci ademerat. Iisdē temporibus rex Scotorum Dauid, uir tam armis, quàm animi uirtute clarus uita excesit, cui Malcolmus quartus nepos ex Henrico filio successit, & Mathildis Stephani uxor è uita migrauit, fœmina multis uirtutibus ornatissima. Ita res regis paulatim male cadebant, ut quæ erant eius maturæ mortis instar præsagionis, perinde ac contigit: nam ipse post aliquot menses, quàm omnes ferè partes regni animi causa lustrauerat, uenit in Cantiū, ubi in morbum incidit, quo paucis pòst diebus ingrauescente consumptus est, octauo cal. Octobris, annum ætatis agens nonum & quadragesimū: regnauit autem undeuiginti, amplius undecim menses, diesq; septem. Fuit is annus à natali Christi MCLIIII. Corpus ad cœnobium quod ipse in Cantio ædificarat, prope uicum quem Feuersamum uocant, delatum est, ibiq; funerali pompa sepulturæ datum, ubi loci & filius & uxor sepulti erant. Genuit ex Mathilde uxore unicum filium Eustachium, & Gulielmū ex cōcubina, de quibus suprà abundè meminimus. Statura corporis decentissima, optimo habitu, maximisq; uiribus fuisse traditur. Animi uirtutes multæ, atq; illæ quidē egregiæ fuerūt: bellandi peritia summa, clemētia, & lenitas, ac aduersus omnes liberalitas maxima: nam licet in cōtinuis fuerit bellis, parua uel nulla à populo tributa exegit: mulctauit tamen de uoluntate Dei aliquot in primis episcopos, qui apud ipsum in suspicionem cecide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant, ut hoc modo periurij pœnas luerẽt. Vitia uerò quibus facilè notatus sit, non reperio, præter illud, quòd regnandi gratia, ius uiolasset. Viri illustres ea tempestate fuerunt, Thrustinus Eboracensis archiepiscopus, qui cum pro salute patriæ, tum pro dignitate tutanda, & multa incommoda perpessus est, & sæpissimè in periculo uitæ fuit. Itẽ Henricus Vintonienſis antistes ipsius Stephani frater, uir unicus in omni fortuna princeps, qui in rebus aduersis æquè atq; in secundis constantissimus fuit. Ornatus est eximijs laudibus diuus Gulielmus Eboracensis archiepiscopus, utpote cuius tam uiui quàm mortui rogatu miracula edita constat: is enim exclusus episcopatu ab Henrico Mordaco, uti suprà scripsimus, post illius mortem, rursus archiepiscopus designatus Romam perrexit, ubi ea lectione ab Anastasio quarto Ro. pontifice rata habita, ritè est archiepiscopus creatus: cui paulò post in Angliam reuerso, tantus honos ab omnibus habitus est, ut quacunq; pergeret, passim mortalium concursus ad eum fierẽt. Quare ita accidit, ut cùm Eboracum uir sanctus peteret, & eundo parum ultra Pontifractum, transiret pontẽ, qui in flumine est, quod Hayream appellant, tantus hominum numerus secutus sit, ut fracto repentè ponte, ligneus enim erat, bona pars in profluentem ceciderit. Quod ubi Gulielmus, qui iam ad alteram ripam erat, ex morientium clamore cognouit, euestigiò conuersus ad flumen, & uberius lachrymans, manus cum oculis in cœlum sustulit, atq; Deum suppliciter precatus, diuinum auxilium implorauit: quod ita celeriter cum morte luctantibus in undis adfuit, ut ne unus quidem perierit. Ille eodẽ ipso anno mortuus est: postea uir sanctissimus inter diuos relatus, per cuius preces, etiam nunc mortales subleuãtur: eius autem corpus in æde principe Eboraci religiosissimè seruatur. Successit illi in archiepiscopatum non multo pòst Rogerius Henrici regis familiaris, ordine episcoporum Eboracensium trigesimus alter. Incidit in hæc tempora Bernardus Castellionensis, homo Burgundio, nobili loco ortus. Is duos & uiginti annos natus, cũ triginta alijs insigni modestia uiris, Cistercienſis monachus factus, tantũ inde nomẽ eruditionis & sanctitatis est adeptus, ut cum omni Christiano orbe, & præsertim cum Anglia, eam uirtutem atq; illud ducendæ uitæ institutũ partu uerit. Fuerunt quoq; permulti militari arte clari, & in primis Robertus Glocestriæ, Ranulphus Cestriæ, Rainaldus Cornubiæ, Robertus Lecestriæ comites, Hugo Bigotus, Gualterus & Gilbertus in Lasciorum nobili familia nati, item Gulielmi tres Albermarius, Nothyngamius, & Marcellus, atq; complures alij fama uirtutis insignes uiri.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XIII.

DVX Normaniæ Henricus, homo Francus, hoc est Gallus, amplissima Andegauensium comitum familia natus, de quo superiore libro abundè meminimus, certior factus de obitu Stephani, statim in Angliam uenit, quem populus faustis plausibus accepit, atque uniuersi heroes regem consalutarunt. Dein conuocato ad Vuestmonasterium concilio, XIIII calendas Ianuarij rex creatur, & à Theobaldo Cantuariẽsi archiepiscopo sacratur. Is ordine antistitum trigesimus septimus Gulielmo successit, sicut in uita Stephani suprà ostendimus

stendimus. Sunt tamen, qui tradant Gulielmum in huius Henrici tempora incidisse, eumq; consecrasse. Henricus qui post primum Gulielmũ Normanum eius proauum, secundo loco id nomẽ habuit, rex creatus uerba fecit ad populum plena optimæ spei, simul plebeios simul nobiles publicè priuatimq; benignè appellando, ex quo beneuolentiam sibi fidemq; omniũ conciliauit. Post hæc, inito principatu, uiros graues & iurisperitos sibi consiliarios delegit, quibus cum primùm leges recognouit atq; correxit, dein ex ipsius consilij sententia, ut ne ius fasq; passim uiolaretur ab illis, qui per licentiã bellorũ nullũ non audebant facinus admittere, publico edicto omnes exteros homines qui præ dam secuti superioribus annis in Angliã, dum bellis ferueret, certatim aduolassent, extra regnũ exegit, inter quos magna fuit multitudo Flandrorũ, quos peius alijs oderat. Itẽ arces quasdã, aut à priuatis nõ inuito Stephano, prout suprà dictum est, conditas, aut minus loco idoneo positas cõplanauit, quasdam uerò muniuit, possessiones urbanas & rusticas, quarũ proprietas ad regem olim pertinuisset, quoquomodo priuatis hominibus datas, à possessoribus recepit. Quæ res multis animũ uulnerauit, utpote quæ facilè declarauit nihil Henrico fore in posterũ tempus utilitate pluris. Iam initiũ erat alterius anni, ab eo quo regnare cœperat Henricus, qui fuit humanæ salutis MCLV, cùm Aleonora eius uxor enixa est filium, quem ille nominauit Henricum. Eo illo anno rex Eboracum cõcesit, ubi aliquot arces à priuatis uiris diu possessas, & in primis Scarboreiam recepit, eripuitq; Scoto Cumbriam: deinde in Northumbriam profectus, eam quoq; prouinciam totam recuperauit, quam Dauid rex Scotorum sibi donatam à matre eius Mathilde, cuius partes secutus fuerat, primùm tenuerat, unà cum Cumbria comitatu iampridem capto de rege Stephano, & dein Malcolmus nepos qui ei successerat, id temporis possidebat: sed ut ne uideretur iniquus, aut beneficiorum immemor, permisit eum comitatum Huntyngtonam retinere, quem iampridem Stephanus, uti suprà diximus, Henrico filio Dauid dono dederat, qui ob id, cõceptis uerbis etiam iusiurandũ sibi daret. Atq; ita Henricus à principio bona regni sui dissipata recipienda, conseruandaq; curauit. Dum ad res suas domesticas augendas Henricus incumbebat, nuntiũ defectionis Vuallorũ accepit: in quos cùm repentè arma mouisset, nullo negotio domuit, excisis passim syluis, angustijsq; uiarũ patefactis, quę illis profugio erant. Sunt tamen, qui scribant non aliter Henricum in domandis Vuallis laborasse, atq; cæteri reges sæpe fecissent, & primo cõgressu locorum iniquitate ita eius milites ab hostibus repulsos, ut diuulgatũ fuerit, eum cecidisse, atq; huiusce rei famã Vuallis spem, Anglis metum attulisse: uerùm ad ultimum cùm rex terra mariq; parasset eos inuadere, tum territos pacem petentes manus dedisse.

Iam erat tota Anglia pacatissima, cùm regi nuntiatũ est Gaufredũ fratrẽ in partibus transmarinis seditiones facere. Sed causam rei proponere libet. Gaufredus enim pater moriens tris reliquit filios, Henricũ, Gaufredum, & Gulielmum: ac testamento constituit, ut posteaquam Henricus assecutus esset cum Normania, regnũ Angliæ, tunc comitatus Andegauensis Gaufredo cederet, cui interim tria oppida, Chynonẽ, Leudunũ, & Mirabellũ dedit, ut cũ illi hæreditas eius comitatus uenisset, ne facilè possessione prohiberet. & ueritus ne Henricus qui aberat, testamẽtum rescinderet, episcopos nõnullos ac nobiles

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui aderant, iuratos adegit, ut promiserint se non prius passuros eius corpus humari, cẽq; filij iureiurãdo recepissent se patris facturos imperata. Quod Henricus, etsi grauatè, cum primis fecit, ne corpus inhumatũ remanens, sibi dedecori foret: Atqui regno deinde Angliæ potitus, maioreq; ex copia rerum, ita ut sępe accidit, habendi cupiditate incensus, nescio quibus rationibus cũ Hadriano quarto põtifice Ro. homine Anglo egit, ut ea ꝑmissi obligatione absolutus fuerit: qui ita ab æquitate, ab lege, à iure recedendi licentiã cõsecutus, neglecto patris mandato, in fratrẽ inuasit: quo ad punctũ temporis deuicto, Andegauenses in deditionẽ recepit. dedit tamen prędia quædã Gaufredo, ut ne egẽret: qui haud multo pòst ita male acceptus, mortẽ obijt. Per idem tempus, quidã malefici doctores ex Germania numero circiter triginta, uerè malorum dæmonũ cultores, in Angliam uenere: hi licet Christianos esse se profiterentur, attamen baptismum, eucharistiam, ac coniugium detestabantur: sed anteq; suũ uirus latius funderent, maleficij cõuicti meritas dederunt pœnas.

Gliscebat interim odium inter Henricum & Ludouicum regem Francorum, ad quod restinguendũ amicitia uni cum altero intercesserat omnino fucosa, quandò ne eo quidẽ modo ita leniri aut sedari potuit, quin ex noua causa, facilè renouatum sit. cùm enim Gulielmus Aquitanorum dux, auus paternus Aleonoræ, in matrimoniũ duxisset unicam filiam & hæredem Tolosatũ comitis (nomen comitis pariter atq; puellæ non ponitur, quod sciam) & per idem temporis, iturus ad Hierosolymitanum bellum obeundum, eum comitatũ Raimũdo Fani Aegidij comiti oppigneraſſet, ac eo inde mortuo Gulielmus eius filius, pater Aleonorę, seu ob inopiam, seu rerũ suarũ negligẽs eum principatũ nõ redemisset, comes ipse Fani Aegidij illum uetustate possessionis, suũ fecit, atq; dein moriens, Raimundo filio possidendũ reliquit. Ex quo cùm postea Ludouicus rex Franciæ Aleonorã hæredẽ Gulielmi ducis Aquitaniæ in matrimonio haberet, & statim repetisset comitatum, Raimundus comes Fani Aegidij primũ restituere palàm negauit, deinde ut uiribus impar sibi timens, ita regem blandis uerbis appellauit, ut ille nuptũ collocata ei Constantia sorore, quæ Eustachio Stephani filio nupta fuerat, ipsum continuare possessionẽ permiserit. Henricus igitur postq; Aleonorã in matrimoniũ duxerat, dotis nomine comitatũ sibi repetendũ cõstituit, quod per nuntios primùm fecit: sed exin cùm comes Ludouici affinitate fretus reddere denegasset, illi bellum intulit, atq; Vasconiã ingressus, in Tolosatem agrũ contendit. At comes cognito regis aduentu, timore perterritus, uiarum peritos ad Ludouicum cum literis mittit, qui orẽt, ut sibi subueniat. Ludouicus acceptis literis, comiti subsidio ire festinans, die ac nocte cõtinuato itinere Tolosam peruenit, eamq; ingrediẽ. Hoc ubi Henrico nuntiatũ est, statim iter cõmutat, ad agrũ populandũ se cõuertit, ac in aliud tẽpus oppugnationẽ illius urbis differendã ratus, interim aliqua loca finitima recuperat, quę ab eo antea defecerãt. Quo confecto negotio, in Normaniã reuersus maiorem exercitũ parat. Francus quoq; stimulante ira, copias adauget, adeò ut uterq; longè infestissimis animis haud multo pòst sibi obuiam facti, ad pugnã capessendã iamiam se expedirent, cùm amicorũ monitu similiter atq; rogatu adducti pacem fecerunt, q̃ eodem momento noua affinitate confirmarũt, data Margarita filia Ludouici nuptũ Henrico regis filio maiori natu. Atq; per hunc modum, Raimundus comes

comes præsenti periculo liberatur. Fuit iste annus eiusmodi pace felix octauus, cùm regnare cœpit Henricus, & salutis humanæ MCLXIII. item memorabilis morte Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi uiri multò præstantissimi. Is ex abbate Beccensi Cantuariensis antistes creatus, Romã protinus perrexit, ubi accepto de more pallio, legatus ab Innocentio secundo Ro. pontifice factus est, in quo muneris genere religionem plurimum iuuit. Manauit id munus postea ad omnes Cantuarienses archiepiscopos, qui legati nati dicti sunt. Dilexit Theobaldus uiros doctrina & probitate claros mirum in modum, & cum primis Thomam cognomẽto Bekettum, qui ei succesit, in quo cùm optimam cerneret indolem, ita in oculis ferre cœpit, ut eum primo archidiaconum Cantuariensem fecerit, deinde magni regni cancellarium (sic enim appellant) creandũ curauerit. Is ciuis Londinensis, patre Gilberto, matre natione Syra, siue Saracena natus. Sedit Theobaldus annos duos & uiginti: uacauit archiepiscopatus amplius uno anno, quẽ postea Thomas Bekettus consecutus est, antistitum ordine trigesimus octauus.

Eo anno Aleonora regina enixa est filiam, cui nomen fuit Mathildis. Tum rex concilium ad Vuestmonasterium habuit, ob nonnulla quæ è Republica erant negotia agenda, in quo simultas & odium aliquanto antè inter regem, & Thomam Cantuariensem antistitem ortum, cœpit ualde concitari. Eodem anno calendis Octobris, per tres ferè horas, uisi sunt tres circuli circa solem, quibus subinde euanescentibus, duo soles oriri uidebantur. Quo prodigio, dissidium regis & Thomæ pronuntiatum iam tum uulgus credidit, quod in dies magis crescẽs simultas in apertũ protulit: nam cum Thomas uir summa integritate atq; prudentia, cerneret regẽ quotidie sacerdotes minus idoneos, aut eligere episcopos, aut ad alia perducere sacerdotia, ac ex præscripto Normanicarum legum iure, ut ille aiebat, suo utendo, nihilq; à maiorum consuetudine atq; concessis alienũ faciendo, omnem sacerdotalis ordinis autoritatem dignitatemq; frangere, & demum ius fasq; conari trahere quò uellet, primò eum amicè admonuit, ut de negotio desisteret, æquiusq; se aduersus populũ suum gereret: deinde in ea re cùm se parum proficere animaduerteret, statuit suas non remissius agere partes, ut de laboris præmio satis certũ habens. Itaq; omnis uitæ periculi oblitus, communis causæ tuendæ gratia, propalàm Henrico resistere, multisq; eum argumentis ab incœpto deterrere conatus est. Verùm post multas disceptationes, tantum abfuit ut antistitem bene monentem audiuerit Henricus, ut postquam aliquot episcopos in suam sententiam traxerat, eum quòd cerneret nihil cedere, nullo in honore iampridem ab se habitũ in exilium egerit. Tulit Thomas iniuriam æquo animo, profectusq; in Galliam, ad Alexandrum tertium pontificem Romanum, qui tũc Senone erat, se contulit, eiq; exilij causam exposuit, quã hoc loco omnino me puderet ostendere, si talis esset, qualem etiam nunc bene multi amentiæ pleni prædicãt, qui inuidiosas opes, inanes honores, inutilem potentiam, lubricã dominandi cupiditatem anteferunt ueræ gloriæ, deblaterantes Thomam cõseruandarum possessionũ sacerdotalis ordinis causa, tantum accepisse iniuriarũ: quod si ille fecisset, quis non uidet, non consensisse cum Christo, qui res huiusmodi spernendas docuit? Isti, inquam, isti sunt, qui eum ordinẽ dedecorent, cùm uolũt eius decus consistere in diuitijs, per quas omnes uitæ rectæ degendæ sæpenu

Universidad de Deusto
Biblioteca

mero leges dissolui constat. Igitur Thomas non in conseruandam rerum co-
piam, qui apud Alexandrum pontificem, ut infrà demonstrabitur, sponte se
episcopatu abdicauit, sed in dignitatẽ, in autoritatẽ sacerdotalem, in disci-pli-
nam bonorũ morum tuendam incumbebat, quòscilicet Henricus & alij prin
cipes eius imitatores, non introducerent pessimos quosq; in sacerdotum col
legia, non imponerent illis suo iure & arbitratu leges, non uterentur alienis
opibus pro suis, sed contenti suis imperijs, sinerent episcopos ritè cõstitui, &
cõstitutos suas obtinere prouincias, officioq; fungi. Hoc agebat, hoc pugna-
bat bonus antistes, hoc fuit quamobrem ad extremũ mortis periculum subie
rit. Ad rem redeo. Misit in Galliam ad eundem Romanũ pontificem Henri-
cus legatos, qui apud eum causam tuerentur: sed cùm illi nihil profeciissent, tũ
ira inflammatus omnia bona archiepiscopi atq; eius domesticorum publica-
uit. Thomas uerò benignè acceptus ab Alexandro, cùm iudicaret se ab homi
nibus potius, quàm à Deo archiepiscopatum consecutum, & ob id eiusmodi
calamitatibus merito suo affici, dicitur sponte apud Alexandrum se dignita-
te archiepiscopali abdicasse, quam tamen ei mox pontifex ultrò restituit, ius-
sitq; ut ad Pontiniacum cœnobium se conferret, illicq; usq; eò maneret, dum
res inter ipsum & Henricum componeretur. Est cœnobium istuc monacho-
rũ ordinis Cistercienſis, ac Altisiodorensis diœceseos. Paruit Thomas libens
pontifici, & ad id cœnobium profectus, accepto ab ipso Alexandro nouo ue
stitu, monasticam uitam degere instituit.

Dum eiusmodi controuersia Henricus agitabatur, nuntiatũ est Vuallos
iterum ad arma iuisse, finitimorumq; fines ingressos, prędam undiq; abigere,
ferro & igne omnia deuastando. His accensus omnium immemor difficulta-
tum, uadit aduersus inimicos magnis itineribus, eosq; ad mõtes & loca inuia
ad primũ eius aduentum fuga lapsos, undiq; circumuenit. Fuit paululum la-
boris, cùm enim Vuallus sensit se ab agmine septum, uersus extemplò est ter-
ror in ipsum, ac dum nulli effugium patet, confestim abiectis armis, ad sanita-
tem necessariò redijt. Cædes haud magna facta est, sed eius consilij principes
ita mulctati sunt, ut sponte in fide permansuri iudicarentur. Iam annos decem
& duos Henricus regnarat, & liberos ex Aleonora uxore susceptos habebat
Henricũ, Ricardũ, Gaufredũ, Ioannem, Mathildem ac Ioannam, cùm Malcol
mus rex Scotiæ, uir militari gloria & animi omniũ uirtutũ ornamẽto clarus,
moritur: cui Gulielmus frater succesit, qui statim ut est rex creatus, Londinũ se
cõtulit, ac in uerba Henrici, prout etiam Malcolmus fecerat, iurauit. Is postea
cœpit reposcere Hẽricum in primis Northumbriam, quam eius mater dono
dedisset Dauid regi. Henricus multa excusauit, quamobrem minus sibi lice-
ret id facere. Scotus cognito regis animo, domum redijt, rem suam aliquãdo
armis repetiturus. His quoq; temporibus Conanus Britãniæ citerioris dux,
sine uirili prole, unica duntaxat filia nomine Constantia relicta, uita excesit,
Hanc puellam Henricus tametsi nondũ maturã uiro, in matrimoniũ dandam
curauit Gaufredo filio suo. Quæ res cùm sub manus rectè succesisset, fuit
magnæ ipsi Henrico regi lætitiæ, quòd filius esset totius Britanniæ potitus
imperio. Secundũ hęc, Mathildis Augusta mater regis decesit, mulier ultra
fœmineũ sexũ bellicis rebus & animi robore insignis. Illo ipso anno rex Ma-
thildem filiã Henrico Saxoniæ duci locauit, quæ tres genuit filios, Hẽricum,
Otho-

Othonẽ, hic Imperator electus, ab Innocentio tertio imperij insignia accepit,
& Gulielmũ. Item Robertus Lincolnienſis antistes moritur, in cuius locum
nullus est substitutus, sed episcopatus Lincolnienſis deinceps decẽ & septem
uacauit annos, rege interim illius uectigalia capiente, exemplo post homines
natos pessimo. Exin toto biennio otium fuit ab externis bellis, quod Henri-
cus ut ne in conuiurijs, aut luxu à suis militibus tereretur, in Britanniam cum
Gaufredo filio profectus est, ubi eam regionẽ obeũdo, nouũ quodammodo
rerum fundamentũ iaciendo, arces, castella, & urbes muniendo, ac cũctos ge-
neratim principes amicè appellando, maiorem eius temporis partem cõsum
psit, deinde in Normaniã reuersus, res ibi domesticas composuit. Quibus re-
bus ad nutum confectis, ineunte uere, in Angliam mala actus maris tempesta
te redijt, amissa una naui, quæ fluctibus obruta submersa est, in qua fuisse fe-
runt trecẽtos homines, qui omnes ad unum periere: & reuersus eo anno, qui
fuit salutis humanæ MCLXX, ad Vindesoriũ castrum, natalem Christi diem
egit, ubi omnes principes regni simul fuere. Rex itidem Scotiæ Gulielmus,
cum fratre Dauid eò uenit gratulatũ Henrico, de rebus feliciter in Gallia ge-
stis: quos ille multa humanitate complexus, uarijs donauit muneribus.

Hoc tempore, dum alij ludos qui semper id temporis, apud Anglos multò
magnificentissimi apparatissimiq; fiunt, frequentes spectabant, quandò tũc
fas habent honestis uoluptatibus operam dare, extra cõsuetudinem aliarum
gentium, quæ paulò ante quadragesimæ initium, id longè lasciuius faciunt,
rex ipse Henricus auidus perpetuandi inter filios imperij, rem sibi anxiferam
ac exitialẽ, ut postremò eius euẽtus docuit, animo agitare ingressus est. Porrò
cùm secũ cogitaret, nulli ferè animantiũ, præterq; homini uitam esse fragilio-
rem, ac tantam mortalibus suapte natura innatam regnandi cupiditatem, ut
quoties animũ ad imperiũ adipiscendũ adiungerent, nihil pensi habentes, fas
omne iusq; omne optati potiũdi causa uiolarent, atq; peruerterẽt, nõ iniuria
facturũ se arbitratus est, si metueret, quod contingere posset, ut scilicet & ipse
aliquo fortuito casu animam ederet, ac filij admodum iuuenes, atq; perætatẽ
nondum bellicæ artis periti, regno fraudarentur. Igitur ut fortunæ casibus oc
currerer, Henrico filio maiori natu, qui septemdecim habebat annos, imperiũ
se uiuo impartiendum putauit, ut per hunc modum adolescenti per suas ma-
nus regnum præberet. Itaq; primo quoq; tempore Londinũ uenit, habitoq;
tam antistitum q̃ principum concilio, Henricum consortem regni dixit: cui
deinde Rogerius Eboracensis archiepiscopus ad XVII calendarũ Iulij coro-
nam imposuit. Solebat id munus Cantuariẽsis antistes obire, sed cùm adhuc
exularet, Rogerio à rege demandatum est, quod ille sine ipsius Cantuarien-sis
permissu, & in aliena prouincia, exequi nõ debuisset. De qua iniuria Thomas
Cantuarien-sis apud Alexandrũ pontificem cõquestus, ita eum mouit, ut per
literas suas Rogerio Eboracensi, & Gilberto Londinensi, ac Ioscellino Sari-
berien-si episcopis, qui istiusmodi cærimonijs nõ interfuissent modò, sed præ-
fuissent, administratione sacrorum interdixerit. Quæ res suprà q̃ dici possit,
apud Henricum inuidiam in ipsum Cantuarien-sem cõmouit. Dedit eo ipso
die rex quo filius regia insignia accepit, epulum, in quo honoris gratia, primũ
ferculum, ipse iuueniliter exultans filio discumbenti apposuit. Ex quo facto,
adolescens aliquanto superbior effectus, cùm insolentius solito circunstantes

Universidad de Deusto
Biblioteca

intueretur, Eboracenſis antiſtes qui aſsidebat, ioci cauſa, ad eum conuerſus, Gaude, inquit, optime fili, non eſt enim alter in toto orbe princeps, qui talem habeat in menſa adminiſtrũ. Ad ea ille ſtomachatus reſpõdit: Quid mirariſ? non putat pater id facere, ſuæ minus eſſe dignitatis, quãdoquidem ille materno duntaxat genere clarus mihi adminiſtrat, qui & patre rege & matre regina natus ſum. Ita Henricus filius malo prauoq; ingenio præditus, in patrem ex tempore cauillatus eſt. At pater Henricus hæc audiens, ingenti affectus dolore, antiſtiti dimiſſa uoce ait: Pœnitet, inquã, pœnitet extuliſſe hominem. Iam inde proſpexit futurũ, ut filius ſibi aduerſaretur. Veruntamẽ etſi ſe male feciſſe cruciabatur, cùm factum infectum reddi non poſſe uideret, curauit, ut omnes principes regni unà cum rege Scotorum in uerba eius more maiorum, iurarint, ſed noluit illos iureiurando liberatos, quo ſe iampridẽ ei obligarant. Habeo autores, qui ſcribant Henricũ non cõmunicaſſe imperiũ cum filio, ſed ſeſe prius abdicaſſe corã populo regia dignitate, ac dein eum regem creandũ curaſſe. uerùm in re incerta, id propius fidem eſt, quod ex ſerie rerum geſtarũ colligitur. Henricus enim pater quandiu filius uixit, ſe modò conſortem, modò regem geſsit: poſt mortẽ uerò filij, cõtinuauit imperium, quod nullo feciſſet iure, ſi ſe antea ea poteſtate exuiſſet. Sed unde digreſsi ſumus, reuertamur. Ludouicus rex Franciæ ubi cognouerat generũ corona regali decoratũ eſſe, ſine ſua filia illius uxore, uehementer iratus, ad Henricũ patrẽ ſatis aculeatas literas dedit, minatusq; eſt ſe bellũ ei facturũ, niſi primo quoq; tempore Margarita regijs ornaretur inſignibus: quod idcirco omiſſum fuerat, quia puella admodũ tenera, nondũ uiro coniuncta erat. Quare intellecta, Henricus properè in Normaniam adnauigauit. Hîc dum bellum utrinq; paratur, Theobaldi comitis Bleſenſis ſingulari opera, reges apud Vernoliũ, in colloquiũ ueniũt. Ibi poſt longũ ſermonẽ, Henricus qui iam tum regis Hẽrici filij indolẽ ſuſpectam habebat, ac nihil minus uolebat, cq; neceſsitatem ſibi aliquã imponi decertandi cum eo, pollicitus eſt ſe breui tempore daturũ operam, ut rurſum filius Henricus cũ uxore corona redimiretur. Hac pollicitatione Ludouicus cõtentus, à colloquio diſceſsit. Henricus uerò Vernonẽ redijt, ubi paucis pòſt diebus incidit in grauem morbũ, qui ita eum breui contriuit, ut repentè per totã Galliã fama peruaſerit, eũ mortẽ obijſſe: & ipſe quoq; ualetudinẽ planè perditã arbitrans, teſtamentũ fecerit, quo Ricardo filio Aquitaniã reliqueret, quinetiam locum ſepulturæ deſignarat. Rex Henricus filius nepos luxuriosus interim in Anglia à recta honeſtaq; uiuendi diſciplina ad uoluptates dilapſus, profuſe paterna bona dilapidabat. Quod ut pater audiuit, qui iam ſe cõfirmauerat, in Angliam continuò reuertit: ſed paucos dies in regno moratus, unà cum filio Normaniam rurſus petijt.

Iam penè ſex annos Thomas Cantuarienſis antiſtes exularat, qui tot ac tantis toto eo tẽpore affectus fuerat moleſtijs exagitato in dies magis in eũ Henrici furore, ut omnes æquè eius miſereret, & in primis Ludouicũ regẽ, qui unà cũ Theobaldo comite Bleſenſi uiro integerrimo, dies noctesq; nõ ceſſabat literis ac nuntijs modò Henricũ hortari, ad pacẽ conciliandã, modò Ro. pontificem rogare, ut ſua autoritate regem cogeret ad id, ut æquum & iuſtum, deſcendere. Sanè Francus currentem, ut dicunt, incitauit: nam pontifex ſponte in rem ſedulò incumbebat, qui tandem partim multis nuntijs ultro citroq; miſsis,

miſsis, partim ſacrorũ interdictionem per literas & ipſos nuntios interminatus, Henricũ eò traxit, ut pacificatoria monita iam nõ ſperneret. Quare haud multo pòſt, huiuſce rei maturandæ cauſa, Ludouicus rex & Gualterus Rothomagenſis antiſtes cum Thoma, ac nonnullis alijs epiſcopis, ad locũ ſecundum Normaniæ fines utriq; parti commodum conuenere, quò etiam Henricus uenit. Ibi poſt longas diſceptationes, rex uidens nullum eſſe amplius dilationibus locum, fide data & accepta, ſanctiſsimum antiſtitem Thomam in gratiam ad ultimum recepit, promiſitq; ſe quamprimùm ei de iniurijs plena manu ſatisfacturum, atq; omnes fore ſine pœna, qui eum ſecuti fuiſſent. Igitur per hunc modum, rex & antiſtes in gratiam reconciliati, eodem die ad cõgreſſum colloquiumq; uenerunt: ubi Thomas ut nihil poſthac eſſet, quam obrem memoria præteritorum refricaretur, poſtulauit, ut per eum ſibi liceret in eos epiſcopos animaduertere, qui contra ſacras leges feciſſent. Hoc rex nõ abnuit, id quod poſtea fuit recrudeſcendi odij ſeminarium. His atq; alijs dictis à colloquio receſſerunt. Cantuarienſis non multo pòſt cùm bis intra paucos dies ad regem adiuiſſet, ille in primo eius aduentu, de induſtria cauit, ne cogeretur inter ſacra, uti moris eſt, optimi patris oſculũ pacis accipere, quod fucoſæ reconciliationis indicium fuit, etſi poſtea eum benignè accepit, ac poſtremò diſcedentem in Angliam, mira comitate proſecutus eſt. Interea Thomas quamuis à ſuis ad maturandum iter ſolicitaretur, iuit tamen prius ſalutatum Ludouicum regem de ſe bene meritum, à quo poſtquam beneficiorum memor gratias egit, abeundi poteſtatem ſibi fieri rogauit. Rex diuino, ſicuti credere par eſt, afflatus ſpiritu, eum primò dehortatus eſt redire ad inimicos male reconciliatos, perſpexerat enim Henricum animo adhuc faucio ueniſſe in id concordiæ fœdus: ſed poſtremò cùm ille diceret neceſſariò ſe ad ſuſceptã curam reuocari, quãquam dolebat eum quem magnopere obſeruabat, cuiq; à cũctis Francis principibus magnus habebatur honor, regno ſuo decedere, quam honorificè ab ſe dimiſit. Tum Thomas ex Gallia diſcedens poſt annum ſeptimum, cq; in exilium actus fuerat, incolumis in patriam redijt, nõ ignarus futuri martyrij, quo paulo pòſt affectus eſt, ideoq; lætus uenit, ſummo gaudio atq; animorum lætitia ab omnibus bonis acceptus, à malis uerò prauisq; hominibus ſtatim probris contumelijsq; affectus, quorum princeps fuit Rogerius Eboracenſis archiepiſcopus, uir ſanè improbus. Iſte cui ſimul ſacrorũ uſus meritò interdictus erat, & Gilbertus Londinenſis, ac Ioſcellinus Sariſbe rienſis epiſcopi, cum aliorum infinito numero, Thomam tanquam Ro. pontificis legatum adeunt, petunt, efflagitant, ut ſibi per eum liceat ſuo officio uti. Iis fertur antiſtes Thomas & ueniam & abſolutionem non negaſſe, ſed iuſſiſſe, ut ſponderent ſe ipſius iuſto iudicio ſtaturos, quod autore Eboracẽſi, facere reliqui recuſauerunt. Non conſentiunt inter ſe hoc loco ſcriptores: alij tradunt Cantuarienſem ſimulatq; in Angliam uenerat, ipſum Eboracenſem archiepiſcopum cum Londinenſi & Sariſberienſi epiſcopis, prius uſu ſacrorum priuatum, impium denunciaſſe. Alij ſcribunt eum duntaxat illis publicè interdixiſſe adminiſtratione ſacrorum. Quæ cùm ita eſſent, Rogerius ut homo facinoroſus, cum ſui furoris ſocijs epiſcopis, continuò in Normaniam aduolat, atq; ibi ſimul ad ulciſcendũ ardentes, regem adeunt, apud eum nomen Thomæ deferunt, eundem accuſant, culpant, criminantur, quòd ſacerdotij

Universidad de Deusto
Biblioteca

libertatem, quòd ius humanũ pariter atq; diuinum, quòd instituta maiorum euertere, corrumpere, delere denicq; conetur, qui sibi tantum sumat, ut uelit episcopos suo arbitratu Christianorum cœtu excludere, exclusosq; perpetuò exterminare: item regiæ prærogatiuæ derogare, ac cunctis ius ciuium tollere. Præterea si quos sentiant in aula esse, qui inimico sint in ipsum Thomam animo, eos ardentes similiter inflammant, inflammatos armant, concitant ad machinandum illi perniciem. Sed ne plura, hæc & talia eiusmodi ita regem Henricum mouerunt, ut ira uehementer accensus, aliquando exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cum uno sacerdote habere? nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare uelit? Ex huiusmodi uocibus, fuerunt improbi nonnulli, quibus uisa est occulta uoluntas regis esse, ut Thomas è medio tolleretur, qui propterea uelut hostis regis habitus, iam tum cœpit sic uulgo negligi, contemni, ac in odio esse, ut cùm uenisset aliquando Strodum, qui uicus situs est ad Medueiam flumen, quod flumen Roceſtriam alluit, eius loci accolæ cupidi bonum patrem ita despectum ignominia aliqua afficiendi, non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret, seipsos perpetuo probro obligantes: nam postea, nutu Dei, ita accidit, ut omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Sed ea infamiæ nota iampridem unà cum gente illa eorum hominum, qui peccarint, deleta est. Cæterùm aliter decus regis ulcisci deliberant satellites nõnulli, & cum primis Hugo Moriuilla, Gulielmus Tracius, Ricardus Britto, & Reginaldus Vrcius, quos turpitudo morũ iampridem coniunxerat: iq; quamprimùm mortem Thomæ meditantur, & arbitrantes gratum se facturos regi, si meditatum facinus primo quoq; tempore ederent, protinus in Angliam ueniunt, Cantuariamq; profecti, Thomam interficiunt, in eiusq; fortunas inuadunt, ac diripiunt, eaq; omnia impunè faciunt, q; satellites regis essent: postea ita nefaria cæde fœdati, ac impijs spolijs onusti, in agrum Dunelmensem se proripiunt, expectaturi dum intelligant, quã rex gratiam sibi referre uelit, quem se optima fide defendisse prædicabant. Atqui secus accidit, atq; illi cogitarãt: Henricus enim tam nefarium maleficium pro beneficio non accepit, adeò ut importunissimi percussores desperata uenia, alij aliò fugerint, ac intra triẽnium malè perierint. Ita Thomas archiepiscopus est palmam martyrij adeptus, post annum octauum, & mẽses sex, quàm sedere cœperat, qui fuit salutis humanæ MCLXXI.

At regi Henrico ac cæteris omnibus ea res luctuosa & molesta, dolorem inusit incredibilem, quippe qui ut oues dominici gregis, meritò dolebant se pastorẽ suum amisisse. Sed rex cum primis in summo angore erat, quòd coniectura prospiceret futurum, ut huius tanti flagitij facilè à nonnullis haberetur affinis perinde ac contigit: nam Ludouicus rex & Theobaldus comes Blesensis, statim cognita morte Thomæ, pari atq; reliqui amici dolore afficiuntur, ac pro certo quasi habentes id facinoris iussu Henrici esse factum, certiorem faciunt per literas & nuntios, pontificem Alexandrum de cæde, eiusq; culpam in Henricum conferunt, atq; rogant, ut tantam iniuriam religioni illatam maturè ulciscendam decernat. Doluit Alexander supra modum casum tam tristem, & pro sua dignitate, & pro sceleris atrocitate, quæstionem habẽdam statuit. Dum ista fiunt, Henricus qui aliquot dies Argentonij ob rem acer-

acerbissimam mœrens, nulli mortalium de quauis causa agitãda, potestatem sui conueniendi fecit, præ doloris magnitudine, cùm se infamia commissi criminis aspergi sentiret, legatos Romam misit, partim purgatum facinus, partim ueniam impetratum à Rom. pontifice, quòd ex eo, quia temerè ira percitus, ita Cantuariensem probra iactasset, sui causam arripuissent ad cædem: partim deniq; oratum, quò ille uellet in Angliam legatos mittere, qui de morte antistitis Thomæ iuxtà atq; de sacerdotalis ordinis statu cognoscerent. Post hæc, Henricus destinauit animo domare Hyberniam, tum q; Angliæ propinqua est, tũ quia Gallis inde administrata sæpius auxilia intelligebat: ideoq; è re sua maximè fore ducebat, si insulam nunquam ferè antea externis armis uexatam subigeret. Itaq; accitis undiq; militibus, ac nauibus simul in unum coactis, ut ad certum diem classem instructam haberet, ingens bellum comparat. Perueniunt interim legati Romam, & inde Tusculum, ubi tũc pontifex erat, profecti, eo loci audiuntur: exponũt mandata regis, eum in primis expurgantes, quòd falso diceretur non alienus consilij cædis Thomę fuisse. Sed tantum abfuit, ut eorum uerbis pontifex fidem habuerit, ut etiam contrà atq; illi dixerant, esse omnia propè senserit. Quapropter duos Cardinales, ut ipsi etiam oratores petebant, in Angliam misit, qui rem ipsam præsentes cognoscerent. Illi in Normaniam profecti, ab Henrico humaniter & prolixè accipiuntur hospitio. Hìc cùm non satis constaret, in quo culpa cædis resideret, post longam disputationem, calumnia sic discussa est: rex iureiurando se purgauit, multoq; afflictus dolore fassus est se tantum peccasse, quòd in Cantuariensem olim aliquod odium habuisset, unde nefariæ illius cædis causa orta uideri posset. Cæterùm legati pœnam ei indixerunt, ut ducentos milites Hierosolyma mitteret, ad rem Christianam tuendam, atq; intra triennium, ipse in Syriam cum aliis Christianis principibus exercitum duceret, facturus communi hosti bellũ, quod postea Ricardus eius filius gesit, & de sacerdotali ordine deinceps optimè promereri studeret. Quæ omnia ille se præstaturũ iureiurando affirmauit. Sunt item, qui prodant regẽ esse passum ita lege sanciri, ut ipse & Henricus filius sic Angliæ regnum obtinerent, ut nemo post illorum mortem, regis nomen ferre intelligeretur, nisi quem Romanus pontifex designasset. Huiusce rei annales Anglici neq; meminerunt, nec reges qui secuti sunt, obseruãtes fuerunt. Cœpit interea memoria Thomæ, ut qui religionis causa mortem occubuisset, crebris miraculis clarior fieri, ex quo populus undiq; frequens ad illius sepulchrum uenerationis causa, iam tum concurrebat. Legati uerò postquam mandata quæ ad Henricum habebant, executi sunt, ac eius rogatu absoluerunt omnes episcopos ueniam suppliciter petentes, qui uel, ut suprà est dictum, Christianæ religionis hostes iudicati, uel sacrorum usu priuati fuerant, ad pontificem reuersi legationem renuntiant, simulq; docent eum de benemultis ac magnis miraculis, quæ circa Thomæ sepulchrum edita dicerentur, post illius mortem: quibus Alexander permotus, eum in diuorum numerum retulit. Ac diuus Thomas non solùm apud mortales per martyrium sanctitatis, sed etiam census nomine auctus est, quandò illi posteritas mausoleum posuit, quod hodie est princeps Angliæ spectaculum, ubi omnis generis donariorum messis in dies singulos crescit, perinde quasi bona pars uulgi fortasse credat Deum magis auro, argento, uel gemmis, quàm precibus lita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri. Fuit is annus cùm hæc gesta sunt, à natali Christi MCLXXIIII.

Est nobis commodùm aliquanto altius repetendum, ut ordo gestarum rerum quem hactenus tenuimus, appositè seruetur: nam ne res prophanas diuinis misceremus, cõsultò eas præuertimus descriptioni belli Hybernici, quod antè gestum est, quàm Thomas in diuorum numero collocaretur: quod hîc propterea commodius explicabitur. Henricus itaq; parato ualidissimo exercitu, cum classe non mediocri, quæ fuit, ut tradunt, quadringentarum nauiũ, circa hyemis initium, celeri cursu in Hyberniam traiecit, qui postquam in terram descenderat, parum progressus non longè à Vatfordia castra posuit, ac illic de modo belli gerendi cõsilium capturus, milites paratos esse iussit, ne incautè ab hoste inuaderetur. Dum ille his occupatus erat, cognito interim ab incolis eius aduentu, à compluribus insulæ ciuitatibus ac regulis ad eum legati uenerũt, pollicentes obsides se daturos, ac ea quę imperasset, facturos. Hos & alij pariter suis uiribus minimè confisi sequuntur. Atq; ita dum singuli timent, fermè omnes ultro deditionẽ faciũt. Euenit ea uictoria sine armis Henrico, præter spem, quippe cùm insula parêret pluribus regulis, ac factionibus & studijs diuersis traheretur, non aliud magis gentem indomitam impediebat, quò minus resisteret, nisi quòd commune consilium non haberet, ad propulsandum Reipublicæ periculum. Quocirca dum singuli aduersus tantũ regem pugnare formidarant, uniuersi ferè uicti sunt. Accepit Henricus libenti animo, insulanorum deditionem, exegitq; ab eis iusiurandum. Rodoricus autem rex Connaciæ solus ab nuit in fidem Henrici uenire: is uir animo ferox, se regem Hyberniæ nominabat, qui cùm imperium totius insulæ obtinere contenderet, continuum bellum cum cæteris regulis gereb[illegible]. Quæ certè seditio effecit, ut alij, prout diximus, sese Anglo dediderint. Tenebat regulus iste syluestrem insulæ partem, quæ ad occidentem spectat, quæ quoniam altissimis montibus munita, ac syluis & aquis, hyemali præsertim tempore, undiq; clausa est, id in primis fuit, cur Henricus Connaciæ regulum non sit confestim bello aggressus: nam exploratum habebat, sub tempus hybernum, quod instabat, nullum bellum posse conflari. Igitur omisso in præsentia eo bello, insulæ præsidijs firmandæ, eiusq; statui collocando summa ope sibi studendũ ratus, Dublinum, quæ est insulæ princeps urbs, proficiscitur, ubi conuocatis regulis ac episcopis, agitat de imperio insulæ sibi ac suis posteris regibus perpetuando. Id Hyberni posse fieri, nisi autoritate Ro. põtificis negabant, q̃ iam inde ab initio, post Christianam religionem acceptam, sese ac omnia sua in eius ditionem dedidissent: atq; constanter affirmabant, non alium habere se dominum, præter ipsum pontificem, id quod etiam nunc iactitant. His auditis, rex per legatos quamprimum Alexandrum orauit, ut Hyberniam quam ipse nuper domuerat, ad regnum Angliæ sua autoritate adiungeret, quod haud grauatè fecit pontifex: nam cùm nihil inde emolumenti haberet, & Hyberni rudes atq; syluestres matrimoniũ (singuli enim pro opibus, quisq; quamplurimas uxores habebant) multaq; alia quæ nostræ religionis sunt, nõdum rectè seruarent, est arbitratus illos cultiores, rerumq; diuinarum peritiores fore, si uni duntaxat regi Christiano potentissimo parêrent. Igitur Henricus intelligens his potissimè de causis à pontifice imperio Hyberniæ se donatum esse, postq̃ pacatum reddiderat insulæ statum, curauit, ut celeberrimo antistitum conuen-

uentu, qui Cassilli in urbe nobili actus est, omnia emendata sint, quæ antea minus ritè secundum Christianum dogma fiebãt. His peractis feliciter rebus, rex ineunte iam uere in Angliam reuersus, properè in Normaniam profectus est obuiam legatis à pontifice missis, quos eò iam acceperat ad se uenire: cum quibus quid egerit, suprà abundè explicatum est.

Quoniam autem ad hunc locum peruentũ est, non alienũ esse uidetur, de Hyberniæ situ, moribusq; gentis exponere. Hybernia insula in Oceano inter Britanniã atq; Hispaniã posita, ab ortu habet ipsam Britanniam unius diei nauigatione propinquã, & Galliam ab austro, Hispaniam trium dierũ, ut aiunt, nauali cursu affinem, ab occidente, Oceanũ infinitũ à septentrione: nõ multũ distat à Scotia. Forma eius oblonga ad similitudinẽ oui, ac à meridie, uti etiã Britannia est, in septentrionẽ protensa, ubi latior est. Hyberniam ab Hybero duce homine Hispano nominatã ferũt, qui primus magna hominũ congregata multitudine, eam occupasset: siue, ut alij sentiunt, id nomẽ tulit ab Ibero fluminæ Hispaniæ celeberrimo, q̃ illius accolæ primi insulam habitassent: aut ab hyberno tempore, quia ad occidentẽ uergit. Sed illud uerisimilius est, ut uel à duce Hispano, uel à flumine Ibero dicta sit, quãdò Hyberni cùm habitu corporũ, tum uiuendi ritu atq; moribus nõ ualde discrepant ab Hispanis uicinio rib. Insulam ipsam Scoti à Scythia, seu ab Aegypto, ut ipsi prædicãt, profecti, & in tertio huius operis uolumine memorauimus, expulsis prioribus incolis, aliquandiu tenuerunt, ab seq; Scotiã appellarũt. Sed posteaq̃ illi longo pòst tempore Pictis suę nationis hominibus fœdere iuncti supremã Britanniæ partem, quæ ad septentrionẽ uergit, occuparũt, & ipsi Hyberniæ sensim pristinũ nomen redditũ, & pars illa Britanniæ à Scotis occupata, Scotia dicta est. Spatium Hyberniæ dimidio minus q̃ Britanniæ æstimatur, quòd non amplius milliarijs CCC in longitudinẽ, & LXXXX in latitudinẽ pateat. Cæterùm solum & cœlũ haud multũ differt, nisi q̃ Hybernia montosior est, & aquis abundantior, quippe quæ in editissimis etiam montibus passim paludes & stagna habet. Mira cœli temperies, fertilitas terræ insignis, etsi Hyberni agriculturæ parũ studeant. Nullum gignit uenenatũ animal, nec aliunde illatũ nutrit. maleficum habet lupum, & uulpem: reliqua omnia animalia mansueta, & corpore minora, q̃ alibi. Apes etiam passim reperiuntur, quod falso quidam negant. Fert Hybernicus Oceanus margaritas, sed subfuscas ac liuentes. Hybernia autem est omnis diuisa in partes quatuor, quarum unam quæ ad austrum spectat, Momoniam appellant, alteram aquilonalem Hultoniam, tertiã quæ ad solem orientẽ uergit, Laginiam, quartã quæ est ad Occidentem, Connaciam: & has Hyberni pariter ciuiliores atq; syluestres sparsim incolunt. Cæterũ ciuitates à cultu minus absunt, quòd regi Anglo parẽt, unde mores imbibũt honestiores. Momoniam à Laginia Suirus flumen, qui ad Vatfordiam oppidum portum facit, quò ex Anglia breuior est transmissus, & à Connacia Sinneus diuidit, cuius principalis urbs occidentis oræ est Limiricum, quod Sinneo omnium totius Hyberniæ fluminum maximo alluitur. Oppida uerò celebriora Vatfordia, & secundum Suiri ripam, Charygium, Clomellum, Charis, ac Cassellum, & in angulo Corcagia, contraq; eam in septentrionali ora, Cherriũ, ubi insula in austrũ uersus angustior esse incipit, magisq; syluestris. Altera sequitur Hultonia, quæ contrà est, spectatq; ad septentrionẽ, quam à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liginia discludit Boandus flumen, quo Druda oppidum maritimũ, ac Midia urbs alluitur, cuius emporium est Armachum. & in ora aquilonali Stranfordia oppidum, à quo ad Scotiam, quam ex ea parte finitimã insula habet, breuior est traiectus: & quædam alia paruula oppida, atq; insulæ complures, per eam oram septentrionalẽ, usq; ad alterũ angulũ, Occidentẽ uersus. Itẽ interius amplissimus lacus, quem uocant Logfoylu, unde manat Sinneus, qui latè fluens interiores Hybernos qui ad Occidentẽ sunt, ab eis, qui in Orientẽ uergũt discriminat, ad Limiricũq; portũ facit multarũ nauium capacẽ. Iam tertiã pomamus partem Liginiam: hæc à Druda oriẽtis oræ oppido incipit, pertinetq; ad Rosium oppidum eiusdem oræ, quod ad austrũ uergit, in longitudinem circiter millia passuũ CXC. Vrbes habet Dublinum totius insulæ caput, Midiam, Forneum, ac oppida munita Childariam, Childennium, Tostonũ, Benettibrigium: & huius quoq; bonam partem Hyberni Sylueſtres tenent. Vltima pars Connacia, quæ ad occidẽtem solem spectat, multò incultior, quàm in austrum uersus, ut suprà diximus, Sinneus à Momonia disiungit, illinc̃q; protenditur parum ultra Slygarium oppidum oræ septẽtrionalis, cuius principalis urbs est Galuia, item portus frequentes, insulæ admodum paruæ, ac lacus. Hæc uerò crebris montibus, atq; paludibus plena, ferè tota sylueſtris, à pluribus regulis possidetur, administraturq; : quorum princeps unus, qui se Connaciæ regem nominat, cuius incolæ ut longè durissimũ hominum genus non multùm frumento, sed maximam partem lacte atq; pecore uiuũt: panem quando ueſcuntur, ex farina auenacea conficiunt. Ii Sylueſtres uocitantur, q; fermè ferarum ritu uitam degant, quanq; in ea feritate Christianam religionẽ castè colunt. Statura sunt non indecenti. tunicam ex panno lineo confectã induunt, & eam non mutant, donec contrita sit, quam ne sordescat, croco inficiunt, cui cùm in publicum exeunt, aut frigoris uitandi causa, palliũ laneum, & illud quidem uillosum, atq; in superiore parte iubatum imponunt: & hîc pariter uiris ac fœminis cõmunis ueſtitus. Nobiles uerò ueſte talari amiciũtur, tegmen à posteriore parte ad caput inducunt, & id usq; ad calcem pendet. calciamentum etiam usurpant. At reliqui aperto capite, ac nudis pedibus incedunt. porrò ita pedũ cutis suapte natura callet, ut pueri, quorum pedes nondum longo usu, aut labore obdurarint, mira quadam pernicitate per loca etiã aspera currant. Capillum parum supra aures circuncîdunt: aliqui tamen more uetusto, capillo usq; ad occipitium reciso, in parte capitis quæ antè est, longos gerunt crines. Barbam frequenter radunt, labio duntaxat superiore ad terrorem, ut credere par est, intõso. At gens continuis seditionibus agitatur, ac ob id prælijs & rebus gerendis assueta, solers est, ad omnia momenta rerum, imperiumq; accipiendum præstò. Inermes corpore pugnant, idq; pro fortitudine animi & robore uirium æquè habent, atq; ferre arma, pro onere ducũt: etsi paulatim suo periculo sapientiores effecti, arma iam nunc induere incipiunt. Sine ephippijs equitant: licet nunc stratis quambreuissimis, sine ullis phaleris, utantur: equos uerò magna cura nutriunt pabulo herbaceo, ac sub diuo. Arma habent, iacula, gladium, securim, & lapides, quibus cùm alia arma amiserint, se defendunt. Quæ inter se nihil distent, apud eos, hęc sunt: Lingua omnibus eadem, quam balbutientium ac gementium more pronunciant. subita ingenia, ferocia, & ad uindictã prona, non item fida, sed mendacio gaudentia, literarum

literarum nõ expertia, nam à pueris grammaticę & iuri tam pontificio quàm ciuili operam dant: præterea sobrij, & inediæ patientissimi: comiter & perbenignè colunt hospites. In delicijs habent à laboribus uacare: agriculturam cæterasq; artes nõ magnopere exercent, præter musicam, cuius peritissimi sunt, canunt enim cùm uoce, tum fidibus eleganter, sed uehementi quodam impetu, sic, ut mirabile sit, in tanta uocis linguæq; atq; digitorum uelocitate, posse artis numeros seruari, id quod illi ad unguẽ faciunt. Domos habent aut lapideas, aut ligneas, muris è luto confectis. Demortuos magnis clamoribus diu lugent: si summi sint uiri, conducunt mulieres, quæ circa funus plangant. Miracula autem Hyberniæ quæ uulgò prædicantur, quoniam eò remotius fugere solent, quò diligentius inquiruntur, repetere superuacaneum duximus, arbitrantes nos satis de ea insula, hîc appositè dixisse. Cæterùm unde digressi sumus, iam reuertamur.

Henricus in Normania postq; omnia cum legatis Alexãdri pontificis maturè peregerat, rebus domesticis uacans, ut simultatẽ & odiũ Ludouici regis in se tandem aliquando restingueret, regem Henricũ filiũ cum uxore, ad coronam iterũ sumendã in Angliã misit, qui haud multo pòst Vintoniã conuocato tam antistitum q; principum cõcilio, à Gualtero archiepiscopo Rothomagensi, unà cum Margarita uxore coronam redimitur. Interim rex Henricus pater, si mens non læua fuisset, facilè potuisset & prospicere, & consilio auertere discordiam, quæ mox inter ipsum atq; filios orta est, ex qua tam magnum c̃q; nefarium bellum exarsit, quod ægrè intra biennũ dirimi potuit: nam ferunt ei fuisse diuinitus prædictum, nisi sanctius iustitiam, quæ in se uirtutes continet omnes, generatim erga cunctos mortales seruaret, futurum esse, ut in magnas breui tempore calamitates incideret, quibus tandẽ confectus infelicem uitæ exitum haberet. Henricus rex filius, sumptis rursum regni insignibus, in Normaniã ad patrẽ reuertitur, ac inde officij gratia, ad Ludouicũ socerũ cum uxore proficiscit: quod sanè iter præcipuũ fuit seditionis seminariũ. Accepit eos Ludouicus amanter, uariosq; ludos quibus illi delectarẽt se, faciẽdos curauit. Hîc, ut quidã prodiderũt, Ludouicus immemor recentis amicitiæ, memor ueteris odij, cùm inter iocos & uoluptates odoraret Henricũ adolescentem summã nactũ dignitatẽ, ad dominandũ sua sponte niti, putauit regi Henrico patri negotium exhibendũ, quò ad nocendũ impotens fieret. Itaq; cùm nihil esset, quod moueret adolescentem, tantùm consulentẽ se nõ est dehortatus, ne repudiata patris societate, rem solus gubernaret. Quid, quòd signum quoq; dedit suum consiliũ cum auxilio ei non defuturum? Sed multò magis adulatorum turba ad deprauandam flexibilem ætatem parata, iuuenẽ stimulabat, assiduisq; uocibus obstrepebat, clamitans eum ad imperiũ natum, non ad parendũ alteri, & propterea nõ decere, ut precariam diutius haberet potestatem, sed liberã. His agitatus stimulis Henricus, iam tum cœpit alieno à patre esse animo, ad quem tamen properè reuertit, qui eum iam acciuerat, uerius quod erat, atq; ob id ratus est sibi conducibile nõ esse, filiũ diu abesse, quẽ sciebat facilè posse corrumpi, cùm sapientia nõ cadat in eam ætatẽ. Eodem anno qui fuit salutis humanæ MCLXXV, Ricardus ordine antistitum trigesimusnonus, Cantuariensis archiepiscopus creatur. Fuit ante eum electus Rogerius abbas Beccensis, qui eam dignitatem recusauit, id quod ambitiosi ho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mines eius ſocordiæ potius q̄ ſapientiæ aſsignarunt: adeò difficile eſt placere uulgo, qui omnia honeſta, tantùm utilitate metitur. Id quoq; temporis Raimundus comes Fani Aegidij uenit in fidem Henrici, eius potentiam pertimeſcens, ut ſic rebus ſuis maturè conſuleret. Et Hubertus comes Moritonij, filiā quam unicam habebat, Ioanni filio regis deſpondet. Nomen puellæ non editur à quopiam autore, quod ſciam, etſi prætereundum non erat, quandò per eiuſmodi nuptias, Ioannes mortuo Huberto, eum comitatum dotis nomine conſecutus eſt, qui in Normania non mediocris habebatur. Atqui ea res cauſa regi Henrico filio fuit, cur citius effunderet uirus in parentem, quod paulo antè apud Ludouicum ſocerum imbiberat: cùm enim pater uellet quædā oppida in Normania Ioanni filio aſsignare, in quibus dos eius uxoris locaretur, prout prius comiti Moritonij ſe facturum promiſerat, ſi filiam ei nuptum daret, prohibuit id filius fieri, dictitans ſe regem eſſe, ſuaq; eſſe omnia.

Inter hæc, qui à Ludouico ſubornati, aut odio moti erant quod in regem Henricum patrem conceperant, auribus adoleſcentis iam male cōſulentibus ſatis patentibus inſtillare non ceſſabant, non eſſe eius dignitatis, ut filius ſamiliâs diutius haberetur, & idcirco tempus eſſe, ut eiecto patre, ipſe pro ſuo iure regnum regeret: & quò id præcipitantius faceret, auxilium, operam, & ſtudium omne pollicebantur. His itaq; amicis & ſocijs rex Henricus filius confiſus, regnum Angliæ cum Normania palàm à patre repetijt. Offendit ea res animum regis Henrici patris grauiter, qui tamen non ignarus tantum temeritatis non tam à filio, quàm ab inuidis male ſuadentibus proficiſci, leniter eum reprehendit, ſperans ſe mitigaturum iuuenilem furorem, iuſſitq; æquo animo ferre moram, quæ ſuo tempore ei bono eſſet. Ad ea iuuenis nequicquā à pertinacia deſiſtens nihil eſt inclinatus, quæ pater monuerat, quippe cui certum erat, regni gubernacula à manibus paternis quouis modo eripere: Quapropter clàm ad ſocerum confugit, ac illi exponit ordine omnia, atque orat, ut ſe iuuet ad regnum recuperandum: quem rex bono animo eſſe iubet, ac beneficiarium ſuum effectum, Normaniæ ducem declarat. Beneficiarius uulgò dicitur, qui poſſeſſor eſt dominatus aut terræ, cuius proprietas ad alterum pertinet: item qui ad militiā Imperatoris beneficio ſcribitur, autor Cæſar: uel miles, qui muneris beneficio uacat, ut Feſtus ait. Sed in uiam repedemus. Pater cognita filij fuga, miſit repentè equites aliquot, qui eum remorarentur, ſed cùm ille iam plurimum uiæ proceſsiſſet, conſequi nequiuerunt. Quare nulla facta mora, ut morbo naſcenti maturè mederetur, legatos ad Ludouicum miſit, qui rogarent, ut adoleſcentem ardentis animi, malorum conſilio à patria pietate alienatum, commonefaceret, ac ita amanter hortaretur, quò ad ſe primo quoq; die reuerteretur: & ne occaſionem amplius quicquam tale tentandi ei deinceps datum iri ſuſpicaretur, etiam ſuis uerbis polliceretur, ſi quid antea erratum eſſet, illud ipſum eius arbitratu ſe quamprimùm emendaturum. At Ludouicus ubi audiuit Henricum nominari ab oratoribus regem, ſpiritu turbatus, ueluti ex oculis & uultu apparebat, Ecquid hocrei, inquit, eſt? qua audacia uiuo filio, qui rex eſt, ſe regem gerit Henricus? nónne ſe maieſtate regia iandudum abdicauit? porrò quod tale quid audet, contrà facit, quàm ius faſq; eſt: & his dictis, oratores domum dimittit. Redeunt illi celeriter, acta q; edocentes, omnia ad uim ſpectare affirmāt. Quo cognito Henricus tam domi

domi quàm foris omnia timere cœpit, nam malo malum aliud acceſsit, quòd uxor Aleonora inſignis petulantiæ mulier, ut filijs eſſet cum patre certamen, prout pòſt diluxit, temerè fecerit. Itaq; rex maximopere anxius, exercitum cogere, fidem hominum diligentius experiri, loca præſertim finitimis Gallis uicina præſidijs firmare, ſumma ope nititur. Non ceſſabant interim complures, quos circa ſe, ipſe rex Henricus filius longè ſui ſimilimos habebat, hortari, ut gere, impellere ad bellum gerendum cum parente, ut quem ratio nulla mouebat, ad regnum reſtituendum, ui deniq; atq; armis ab eodem deturbaretur, & ad id efficiēdum Francus arma largiri promittebat. Quibus ſtimulis inſolens iuuenis inſtigatus, nihil iam dubitans quid ageret, magno cum armatorū numero in Aquitaniam deſcendit. Henricus pater non ſe ſtatim opponit iuueni furori, ſed ut qui morte magis bellum longè importuniſsimum enixè uitandum iudicabat, indulgentia ac officio tentat ferum animum lenire. Itaq; cùm ita uſu ueniſſet, ut nonnulli uiri graues, qui ſibi timebāt, ne apud eum in offenſa eſſent, ſi aliter facerent, filium relinquendum ſtatuerint, clamq; ſignū retulerint, quo ille literas obſignabat: tantum abfuit, ut eos receperit, ut etiam protinus ad filium remiſerit, iuſſeritq; principi ſuo diligenter operam dare, atq; ſimul nuntios miſerit, qui de concordia ſuo nomine cum eo agerēt. Verùm interea quò ipſe pater magis ſtudebat iram filij ſedare, eò mater uehementiorē reddebat: dicitur enim Aleonora ob pellices ſuas furijs agitata, multis uerborum contumelijs, ita apud Ricardum & Gaufredum filios, de uiro eſſe cōqueſta, ut eos continuò ſocietatē coire cum fratre rege, & ei in Aquitaniā auxilian di cauſa, ire contra patrem compulerit. At rex Henricus filius gaudens ſocios belli ſe habere fratres, & ob id lōgè ſuperbiſsimus factus, nuntijs à patre miſſis reſpondit, ſe exercitum depoſiturum, ſi ſibi integrum relinqueretur imperium, atq; confeſtim milites, qui ita uellent, per iuſiurandum promittere coegit ſe fideliter ſequi, fortiterq; cum hoſte pugnare: illos uerò quibus cordi fuit alterius eſſe partis, permiſit impunè ad parentem adhæreſcere. At Henricus pater, ubi tam contumax à filio per nuntios reſponſum accepit, plurimū doluit, q; iam proſpiceret rem omnem ad ultimum eſſe nefarijs armis committendam, qui ut ne imparatus offenderetur, copias ſuas armatas tenebat. Principes qui filios ſequebantur, interim certiores facti per exploratores, de conſilijs Henrici patris, qui, ut dictum eſt, paratus erat, ſi cogeretur, pugnare, ac filios, ſi id cuperent, ultro atq; libenter in gratiam recipere, ualde ſoliciti erant, quonam pacto filios eatenus in odio contra patrem tenerent, quoad eum regno deijcerent. Itaq; nullum neq; diem neq; noctem intermittebant, quin iuuenes ad arma incitarent: ſed ante omnes, Ludouicus rex geſtiebat finiri bellum armis, ad quod ſe antea adiutorem profeſſus erat, qui ob id confeſtim regem Henricum filium ad ſe Lutetiam uenire rogauit.

Hîc cum principibus totius regni uocatis, cum Gulielmo rege Scotiæ, Hugone comite Ceſtrenſi, qui Ranulpho patri, de quo meminimus in Stephani uita, ſucceſſerat, Rogerio Mombraio, Hugone Bigoto, atq; pluribus alijs cōſpirationis ſocijs eōdem accitis, qui regis Henrici filij fidē ſequebantur, reges conſilia conferunt, de bello conſultant, & ubi initium belli faciendū ſit, ſimul explorant. Poſtq; de his eſt maturè deliberatum, ne aliquid ſit, quamobrem Henricus de ſociorum fide ſuſpicetur, Ludouicus primus ac deinde omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

iureiurando pollicẽtur,eum ſe pecunia & armis uſq; eò coadiuturos,dum regnum recuperaret.His pollicitationibus iuuenis confirmatus,mox ſuis mili-
tibus ut eos ſibi deuinciat,agros,oppida condonat,ſuisq; chirographis dona
tionem comprobat.Iſtiuſmodi peractis rebus,pro ſe quiſque ad comparan-
dum bellum diſcedit.Henricus pater de noua coniuratione interim certior fa
ctus,in Normania morabatur,ſummo affectus dolore,q; non magis externis
hoſtibus,q; domeſticis laboraret:ſed quia tempus minimè aptũ bello gerẽ-
do uidebat(hyems enim iam obrepſerat,& ſperabat interea uſq; dum uer,ad-
uentaret,filiorum mentes pacificatorijs legationibus ac promiſsis ad ſanitatẽ
reducere)non omnia eo ſtudio,quo par erat, ad bellum tam magnum para-
bat.At Franci non multo pòſt, qui conſerendi manum cum hoſte auidiſsimi
erant,uix adhuc primo ueris tempore inſtante,iunctis armis cum rege Henri
co filio,uno eodemq; die Normaniã,Aquitaniã,atq; Britãniam, quam etiam
Henricus pater inuito Gaufredo duce filio obtinebat,inuadunt, omnia deua
ſtando,ac in primis arces,oppidaq; ualidiora munitioraq; oppugnando.Per
idem quoq; tempus,ut hoſtis ubiq; gentiũ uno momento diuexetur,Guliel-
mus Scotorũ rex in Anglia nouos facit tumultus:is eñ donatus paulo antè in
illo nouiſsimo concilio Lutetiæ habito,Northumbria ab Henrico,illuc pro-
tinus cõtendit,ac totis uiribus in poteſtatem redigere nititur:ſed quò acrius
inſtat,ut ea potiatur,hoc incolæ qui eius imperium tam maximè oderant,q;
minimè omniũ ferre uolebant,fortius reſiſtunt,omnibusq; locis hoſtem infe
ſtis telis petunt.Quo factum eſt,ut non ſine ſtrage, Scoti inde terga dare ſint
compulſi.At in Normania dum alij prædam faciunt, Ludouicus ad oppidũ
Vernoliũ expugnandũ proficiſcitur: & quia altum & munitũ,neq; ſcalis aut
alijs bellicis machinis capi poterat,nec in breui obſidione ſpes ulla erat,quòd
ex captiuis cognitum eſſet,frumentũ exante conuectũ in multos dies fuiſſe,
primũ caſtra ante oppidũ ponit,deinde uallo circundat,ut ita demum oppi-
danos ad deditionem cogat,quod haud multo pòſt ex ſententia ſucceſsit. Inte
rim Henricus pater audiẽs Vernoliẽſes in officio manere,ac ſatis tutos eſſe,tu
multuoſis prælijs reliquam partem hoſtiũ in agros effuſam perſequitur:ſed
dum ita paſsim cum hoſte confligit, Vernolienſes citius quàm putarant,de-
ficiente iam annona,inducias trium dierum à Ludouico his cõditionibus pe
tere coacti ſunt,ut intra illud triduũ,ſi ſibi ignoſceretur,deditionem facerent,
niſi ab Henrico auxiliũ mitteretur.Annuit Ludouicus conditionibus, acce-
ptisq; obſidibus, ac promiſſa uenia inducias paciſcit. Oppidani uerò miſsis
nuntijs opem implorãtes,de re in extremo diſcrimine geſta, Henricũ docẽt.
Magna affectus ſolicitudine hoc nuntio rex Henricus, q; nihil tale futurũ me
tuerat,nulla interpoſita mora, cùm res in celeritate poſita eſſet, ſuis ſubſidio
uenit,atq; non procul ab hoſtium caſtris,caſtra ponit. His cognitis, Francus
ueritus ut occaſionem potiundi oppidi,ſi armis certaret,in præſentia amitte-
ret, dolo hoſtem deludit:mittit enim legatos ad Henricũ, qui dicant ſe de re-
conciliatione filiorum acturum,cupere cum eo ſermonem habere,& ſi Henri
cus nõ abhorreat,tum rogent,ut colloquio poſterum diem dicat,quo ſcilicet
die inducię datæ oppidanis exituræ erant.Audiuit rex libenter,atq; dictis in-
fidioſis fidem habens,promiſit ſe præſtò adfuturum: ltaq; poſtridie eius diei
ad locum uenit,quo Ludouicus quaſi promiſsi ſummam cõpleturus,miſsis
ſubinde

ſubinde nuntijs,ſe uenturũ ſimulans,penè diem cõſumpſit,atq; interim Ver-
nolium corona militum cinxit, ac ſuos centuriones iuſsit ciuibus declarare,
Henricum eſſe profligatum,ut ſpe auxilij habendi amiſſa,oppidani pacto ſta
rent. Quod oppidani uerũ eſſe exiſtimantes,quia intellexerant regem aduen
taſſe cum magno exercitu, & promiſſum ſubſidiũ nullũ eo die ſuperuenerat,
deſperata iam ſalute,ſeſe hoſti tradunt:qui diffidens poſſe ſe locũ retinere, cõ
trà ac promiſerat,oppidũ diruit atq; incendit,captiuis principibus in uincula
datis:ſed inde hoſtium impetum ueritus,ſilentio noctis abijt.Henricus frau-
de perſpecta,complures mittit raptim equitũ turmas, qui hoſtem perſequan
tur:uerùm cùm Ludouicus iam ſe in tutum intra ſuos fines recepiſſet, quem
in primis infeſtis telis petebant,ad alios qui ultimi fuerant uerſi, tam equites
quàm pedites iam itinere feſſos conſecuti occîdunt,nec prius finem cædis fa-
ciunt,quàm à perſequendo nocte,quæ tunc obſcuriſsima erat, prohibeãtur.
Rex autem ſuos ſecutus Vernoliũ uenit,ac magna celeritate reparat:dein Ro
thomagum profectus,cùm intellexiſſet Hugonem comitem Ceſtriæ, & Ro-
dulphum Fulgeriũ uiros ſtrenuos,qui ad Henricum filium iampridem defe-
cerant,capta in Britannia arce Dolenſi,bello omnia turbare, miſit confeſtim
aliquot belli duces ſubſidio ſuis,qui commiſſo prælio, hoſtes profligarũt,ac
Hugonem & Rodulphũ cum multis alijs captos,ad regem præmiſerunt. Pa-
ri fortuna ijſdem ferè diebus in Anglia pugnatum eſt:magna porrò hoſtium
multitudo Leceſtriam cõuenit,cuius etiam loci Robertus comes regis Henri
ci filij partes ſequebatur,ut nacta temporis opportunitatem,derepentè Rai-
naldum comitem Cornubiæ,ac Ricardum Laſciũ regij exercitus præfectos,
armis adoriretur. Sed illi cognito hoſtium conſilio, nihil cunctati iunctis ar-
mis Leceſtriam properant,obuiumq; hoſtem factum facilè fundunt: deinde
oppidum oppugnant,quod ab oppidanis impetrata prius recedendi cũ bo-
nis,atq; fortunis omnibus facultate,ſtatim traditum ſolo æquaſſent, ſi arcem
natura loci tutiſsimam capere potuiſſent.

Paucis deinde interiectis diebus,audiẽs Ludouicus rem Henrici incipere
melius ire,q; putarat, ut aliquo pacto eius animũ debilitaret,ſi non cederet,
aut in ſpem pacis,ſi cederet,erigeret,illũ cui certũ decretumq; eſſe ſciebat om-
nia malle incõmoda pati,q; cum filijs dimicare armis,apud Giſortium conue
nit,ſicq; altera manu uidelicet panem,ut aiũt,oſtendere, altera lapidem ferre,
decreuerat.Hîc Henricus ut pacis alumnus tot cõditiones obtulit,ut penè fe
ros filiorũ animos iam ad concordiam flecteret,cùm nonnulli turbatores pa-
cis ita cum illis egerunt,ut nullis cõditionibus poſtremò contenti,infecto ne
gotio à colloquio abiuerint.Quamobrem cùm in diſceſſu,uerba utrinq; con
tumeliæ plena iactata eſſent,orto ueſtigiò clamore, Angli qui illam ludifica
tionẽ æquo animo ferre nequibant,repentino tumultu Gallos inuadunt:qui
tamen à rege Henrico ſtatim reuocati,plus terroris iniecere,quàm cædis fece
runt. At regi Ludouico qui ſui conſilij eſſe iudicabat generũ à periculo ſerua
re,nihil alienius fuit,q; in præſentia ad manus uenire: ſed paucis pòſt diebus
Robertum comitem Leceſtriæ, qui paulò antè copijs nudatus in continen-
tem profugerat,cum magno armatorũ numero in Angliã remiſit, qui ſe cum
Hugone Bigoto coniungeret,ac ambo partim agros percurrẽdo, partim ho
minum animos muneribus ſolicitando, omnem Angliam in poteſtatẽ regis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Henrici filij redigere ſtuderent. Comes conſiliũ Bigoti ſecutus, Nordouicũ proficiſcitur, atq; à præſidio uacuũ primo acceſſu capit. Interim hoſtium aduentu ab inſulanis cognito, magnæ ex finitimis locis copiæ in unum conueniunt. Adfuere etiam non multo pòſt Ricardus Laſcius, ac Humfredus magiſter equitum bellicę artis peritiſsimus cum regio equitatu, qui excurſionibus Scotos paulò antè uexarant. Hîc conſilio capto, Ricardus cui ſumma imperij ab Henrico patre delata erat, cohortat, ut quę imperabit, diligẽter induſtrieq; adminiſtrent. Quo dicto, cunctis una uoce clamantib. ſe præſtò eſſe, ac ultrò imperata facturos, extemplò in hoſtes contenditur. Tum Robertus qui iam caſtra poſuerat ad Buriam Suthfolchiæ oppidum, ex tanta rerum mutatione longè aliud ſibi capiendũ conſilium atq; antè ſenſerat, intelligens, non iam aliquid acquirere, ſed incolumem exercitum ſeruare cogitabat. Itaq; cùm fugere ignominioſum, ſimulq; periculoſum foret, ac caſtris ſe continere per anguſtiã rei frumentariæ, quæ in diem parabatur, nõ liceret, cõmunem ſalutẽ in uirtute animorũ ponendã decreuit: quocirca appropinquantibus cõfeſtim regijs copijs, iam ſuis in aciem eductis, obuiam factus pugnam nequaq; refugit. Committitur prælium atrox: Galli quos Robertus de induſtria in hoſtem primos emiſerat, q; ea gens in primo congreſſu, penè inuicta eſſe ſoleat, ingentem edunt ſtragem: contrà Angli optimè gnari naturæ Gallorum, tandiu eum impetum ſibi tolerandum ſtatuunt, donec hoſtium uires longo certamine langueſcere incipiant: cuius rei ubi indicium fecit, q; iam feſsi pedem ſenſim referebant, tum ipſi Angli cùm pro ſe quiſq; collegiſſet animum, magna ui in hoſtem erumpunt, ac primùm ordines frangunt, deinde diſsipatos paſsim cædunt. At Robertus cognita ſuorũ fuga, quanta maxima poteſt diligentia annititur militem diſperſum ad ſe reuocare, atq; certamen redintegrare: illudq; eò accuratius agit, q; hoſtem uidet perſequẽdi ſtudio, ſuum itidem ordinem reliquiſſe, & iam feſsis corporibus, impetum remittere: ex quo ſpem bene gerendæ rei facilè concipiebat, ſi modò ſuos in unum reduceret: quod eum non fefelliſſet, ſed in omnes partes iam ſparſa multitudo, atq; ab hoſtibus oppreſſa, nequaquam reuocari potuit. Ipſe dum ita optimi imperatoris officium facit, circumuentus capitur. Cæſa ſunt eo die ad decem millia hoſtium, capta ferè totidem. Qui ex clade euaſere, recta uia Leceſtriam cõceſſerunt, ut pariter oppidum atq; ſe hoſtiũ iniuria prohiberent. Huius pugnæ fama perlata protinus non in omnes inſulæ partes modò, uerùmetiam in Galliam, cæteris hoſtibus terrorem addidit: ſed in primis Ludouicus diffidere cœpit, qui paucis pòſt diebus inducias in ſex menſes cum Henrico pactus eſt, quẽ iam tædebat tot labores cum detrimentis, alterius cauſa ſubire.

Henricus accepto uictoriæ nuntio immortaliter gauiſus, iuſsit captiuos ad ſe in Normaniã deduci: deinde in Andegauẽſes profectus, ubi loca omnia præſidijs firmauit, quo omni tempore à metu inſidiarum uacuus eſſet. Interim in Anglia etſi animi ferè omnium extaq; paucorũ ad pacem intenti erant, attamen ita Rogerius Mombraius & Hugo Bigotus qui ex illo prælio euolarũt, quo Robertus Leceſtrenſis captus eſt, cùm Scotos, tum Anglos ſolicitare, pecunias pollicendo, item dãnatos ac exules promiſſa uenia, ad ſe allicere cœperunt, ut non mediocri coacto exercitu, unà cum Dauid fratre regis Scotiæ, ſeſe effuderint in agrũ Eboracenſem, & Gulielmus ipſe rex Scotorũ in Cumbriam

briam uno tempore contendens eruperit. Rex primũ circũmuallat Carliolũ, quod cùm diutius obſidionem toleraturũ uideret, q; ut citò expugnari poſſet, relicto præſidio ad oppugnandũ idoneo, ipſe in agros egreſſus, arcẽ parũ citra Edenã flumẽ ſitam, quam incolæ Burgthũ, & alterã in eiuſdẽ fluminis ripa poſitã, quam Appelbiã uocant, cum nõnullis aliijs capit. Inde flumẽ tranſgreſſus, ac per Northumbriã populabundus Alneuicũ oppidũ munitiſsimũ petit, atq; expugnare, licet fruſtra, nititur. Interea Duncanus ſiue Rotholandus, ut alij uocant, uir crudelitate in omni memoria inaudita inſignis, regiarum copiarum præfectus, cum altera parte exercitus Candaliã, quam Kendalã appellant, ac omnem Occidentis oram quæ ad Scotiam pertinet, percurrit, deuaſtat, in cunctos mortales pariter ſæuè ſe inferẽs. Nõ parcit impius hoſtis neq; ſexui neq; ætati, etſi matresfamiliâs, ſenes, pueriq; plorantes paſsis manib. de feneſtris obteſtant, rogant, ut ſibi parcat. Sed ne à templis quidem manũ abſtinet: cùm enim ſacerdotes ac multi alij ſeſe in ędes ſacras paſsim abdidiſſent, ſubitò fractis undiq; muris, eos itidem crudeliter obtrũcat. Celeriter hæc Nouum caſtrum deferuntur: cõuenerant enim huc undiq; equites Angli poſtea quam uiderant nullam eſſe ſpem bene gerendæ rei in peditatu, aduerſus hoſtium turmas, ut ſi eos prædandi cupiditas diſſepararet, de improuiſo adorirentur. Illorum principes erant, Robertus Scoceus, Ranulphus Granula, Gulielmus Veſcius, & Bernardus Baliolus. Vbi igitur intellexerunt alibi regem eſſe, alibi Duncanum præfectum debacchari in ſuos, tum alius alium increpantes, uociferãtur, Eequid deniq; reſtat, ſi neq; pedites quicq; momenti habere poſſunt, nec nos equites hoſtẽ inſequimur? His inter ſe uocibus concitati, clamore ſublato in regẽ properant, qui haud bidui aberat: uerũ ubi aliquantulũ itineris progreſsi ſunt, orta repentè nebula denſiſsima, cõſiſtunt deliberaturi utrũ procedãt nec ne: nam cùm neſcirẽt, ubi loci hoſtis eſſet, ne in eum incauti inciderent, uerebant. Atq; ita cùm animi quiſq; pendens hæſitaret, & quidã redeundum eſſe ſentirent, donec caligo illa ſole excuteretur, tunc Bernardus Baliolus, uir prælio ſtrenuus, Quid, inquit, ſocij acceptæ nuper à Scoto iniuriæ ignominioſius addi poteſt, quàm ut nos prius terga demus, quàm hoſtẽ uideamus? leuiq; aeris obſcuritate turpiter terreamur, quæ nobis commodo eſt? etenim nos, uti opinor, inter hoſtes palantes, haud dubiè nunc uadimus, qui eiuſmodi nebula ſepti eò forſitan tutò perueniemus, ubi hoſtẽ impruden tem, atq; imparatũ offendemus: ſed nolo uti uates futura prædicere, quandò unũ ſcio, nos oportere omnibus modis culpam ac infamiã qua nuper reſperſi ſumus, q; noſtris paſsim pereuntibus minimè ſubſidio iuimus, uirtute redimere, delereq; nauiter. Igitur quia longè præſtat, honeſtè mori, quàm cũ decore uitam ſeruare: & ſi pedem referamus, nouiſsimus error peior priore futurus eſt, quicunq; uoluerit ſaluã eſſe patriam, me ſequatur. & his dictis, incœptum iter continuat. Sequuntur cæteri, concitatis ſingulorum animis ora tione huiuſmodi in hoſtes. Erat iam multum diei, & aquilo uentus ſubitò coortus, nebulam paulatim deijciens, loca omnia uicina aperiebat, cùm proſpexerunt Alneuicum, quod quia ignorabant an à Scoto teneretur, lentiore gradu incedere cœperunt, identidem circunferentes oculos, ſi uſpiam hoſtem uiderent: at ubi cognouerunt ab agricolis, regem Scotum uictoriam deſperantem eo illo die indidem receſsiſſe, ad ipſum oppidũ diuertunt, acceptiq; à ſuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea nocte de inuadẽdo hoste cõsultant. postero die omnes bene mane armati, refectis cibo equis, in hostem ad prædas abigendas ualde dispersum exeunt, ac dextra sinistraq; per agrum currentes, corona prædatorum multitudinem cingunt. Scotus Anglos equites procul conspicatus, milites suos quanta maxima potest diligentia atq; celeritate à præda reuocat, quorũ pars maior longius auiditate prædæ euagata signum nequaq; audiuit: nihilo tamen secius rex magno animo cum suis equitibus, quos colligere potuerat, obuiam fit hostibus mirabili uelocitate in se uenientibus. Cooritur ex improuiso singulare certamen, pugnatur aliquantisper æquo utrinq; Marte: uerùm Anglo acriter instante, Scoti equites iam antea in populando agro defessi, & idcirco impetum minus tolerantes, aut passim concidunt, aut fuga salutem quærunt. Rex cum nonnullis alijs, qui primi prælium fecerant, eodem puncto temporis capitur. Multi præterea ex Scotis, qui ab initio pugnæ, bene longè à suis aberant, & audito equorum hominumq; fremitu, concurrerant, incautè capiuntur. Fuit ille annus salutis humanæ MCLXXVI.

Hoc cõfecto negotio, Angli magno affecti gaudio, postridie Nouũcastrũ petentes, regẽ Scotũ secum captiuũ abducũt, atq; celeriter Henricũ de adepta uictoria certiorẽ faciunt, qui per eos dies, Pictones qui antea defecerãt, domabat. Interim Hugo Bigotus nulla calamitate uictus, cõtracta nõ parua armatorũ manu, Nordouicũ rursus capit, atq; diruit. Item copiæ Roberti comitis Leceſtriæ qui captiuus tenebat, quas suprà ostendimus Leceſtriã profugisse, ad Northantonũ oppidũ, quod à Leceſtria spatio uigintiquinq; milliũ passuum distat, duce Roberto Ferryso, uiro magnitudine animi & rei bellicæ scientia præstanti, feliciter pugnant, atq; ducentos oppidanos capiũt, interfectis aut uulneratis ferè totidẽ, ac re bene gesta, eò unde uenerant, raptim se recipiunt. Adfuerunt haud multo pòst regij equites, qui fugientẽ hostẽ secuti nõ potuerunt consequi. Robertus Ferrysus decẽ ad summũ dies Leceſtrię moratus, aucto equitũ numero, repentè Northyngamiam aggrediť, atq; capit, pręsidioq; regio inde eiecto, incẽdit, oppidanos necat, & eorum bona militibus donat. Quæ res ita finitimorum animos infregit, ut multi in hostium fidem ultrò uenerint. Quod ubi rex Henricus filius ex crebris Roberti literis cognouit, animum ex ea uictoria capiens, atq; spe inflatus, bellum iterum parare constituit. Itaq; impetrato auxilio à Ludouico, qui exactis iam inducijs, illud sibi nõ iniuria genero ferendum iudicauit, ad Grauelingam oppidũ oræ Gallicæ contra insulam recto cursu situm castra ponit, atq; ibi classem ad exercitum traducendum opperitur. Cuius rei fama, ut ad Henricum patrem perlata est, iussit continuò festim milites naues conscendere, nactusq; idoneam ad nauigandũ tempestatem, in Angliam redijt. Hîc primò ad diui Thomæ sepulchrũ adijt, & semper timens ne uox sanguinis eius clamaret de terra, multis precibus ibidẽ ueniam orauit: deinde militibus loca dispertiuit, qui hostes uenientes litore prohiberent: postremò in Suthfolchiam profectus, atq; ad Fremyngamiã arcem Hugonis Bigoti contendens, nõ longè à loco castra fecit. Quod cùm Hugo qui ea arce cum magna Flandrorũ manu se tenebat, ex captiuis cognouisset, nescio quo uir aliàs magnus permotus fato, postero die impetrata ægrè pro se ac suis uenia, subitò arcem Henrico tradidit, seq; eius fidei commisit. Fecerũt itidem Rogerius Mombraius, Robertus Ferrysus, ac cõplures alij, qui Henrici

rici filij partes sequebantur: adeò semper minimis momentis rerum mutationes fiunt. Atq; rex ita uictor Londinum redijt, qui non multo pòst, uel paulò antè, Aleonoram uxorem in carcerem coniecit, q; illa nouum sibi negotium facesserat, Ricardum & Gaufredum filios alienando, uti suprà ostendimus.

Ludouicus rex interea ex profugis intelligens Normaniam nequaquam ualido præsidio firmatam, fines regionis derepentè ingressus Rothomagum obsidet: quò haud etiã multo pòst Henricus filius cũ Philippo comite Flandriæ, qui mortuo Theodorico patri successerat, præuertens hoc bellũ Angli co tumultui, conuenit, ibiq; coniunctis armis, urbem oppugnare deliberant. Ciues contrà nihil territi, pro se quisq; munera militaria obeundo, alij per muros dispositi, ut si usus ueniat, suum quisq; locum teneat, alij arma parant, munitiones faciunt, alij pontem qui è regione castrorũ in Sequana est, tenent, ut si opus sit, auxilium admittant. Dum ita Rothomagenses se ad defendendum parant, hostes de media nocte castris egressi, ad muros accedunt, admotisq; scalis, urbem oppugnant. At ciues re cognita, subitò se ad defensionem accingentes, scalas proijciunt, fundis, sagittis, lapidibus hostem deturbant, ubique impetum, ubicq; prælium dies noctesq; continuum faciũt. Dum oppugnatio continuatur, ecce dies diuo Laurentio sacer adest, quem Ludouicus multis cærimonijs ac ueneratione solennẽ habebat: hunc igitur diem à labore intermittit, iubetq; militem ab armis cessare, ac hostibus pariter dat ultrò in id spatium inducias. Illud ciuibus tam gratum fuit, q; parum abfuit, quin malo fuerit: nam illi insolito labore defatigati, percupidè depositis simul armis, sese quieti ac uoluptatibus eo die dant: sed dum lasciuius q; par erat, ludis ac iocis se delectant, causam præbent hostibus insidias sibi faciendi. Quippe cùm notarent Franci, ciues otium trahere, perinde quasi nihil impendêret periculi, rogant regem, ut permittat se facere de improuiso in urbẽ impetum, quo oblata fortuitò potiendæ uictoriæ occasio non omittatur. Ad ea rex, Nũquam, inquit, hunc diem tanto scelere insignem, apudq; posteros memorabilem faciam. Milites tamen, ut qui prædæ auidi erant, nequaquam eo responso contenti, adeò principem precibus defatigarũt, ut ipsos ad extremum fortunam experiri permiserit. Itaq; Franci sumptis repentè armis, admotisq; ad eam partem murorũ scalis, quam sine præsidio esse rebantur, muros ascendere conantur, & iam nonnulli intrò se coniecerant, alios sic deinde suscipientes, cùm diuinus continuò fauor adfuit. Fortè ita casus tulit, ut duo ex collegio sacerdotum, animi causa, turrim principis ædis illo temporis momento ascenderint, qui cognitas hostium insidias, ciuibus subitò indicarunt. Tum Normani diuum Laurentium inuocantes, ad tantam perfidiam ulciscendam concurrunt ad muros, Francos introgressos obtruncant, scalas deijciũt, telis ac lapidibus eos qui propius accessissent, pugnaciter obruunt, adeò ut reliqui multis unliud ciuibus eodem die auxilium: rex enim Henricus pater qui dudum noue rat suos obsidione premi, ex Anglia maximis itineribus profectus, in urbem tumultuãtem sub noctem accipitur. Francus cognito Henrici aduentu, nihil territus, sed multitudine fretus obsidionem continuat. Anglus interea emisit silentio noctis Vuallos equites, qui quotidie cum hostium turmis præliabantur, commeatumq; interdum in castra apportari prohibebant: ipse autem ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

altera parte,reſeratis ſæpe portis,in ſingulos propè dies leuibus pugnis hoſtem uexabat. Quocirca Ludouicus quem iam tædebat tantum bellum alterius nomine ſuſcepiſſe,cùm animaduerteret oppugnationẽ longius opinione extrahi,quamprimũ Gulielmum Senonenſem antiſtitem, ac Theobaldũ Bleſenſium comitem ad Henricum miſit, qui per inducias ſponſionem facerent,ſe ita acturum,ut tandẽ pax cum filijs conueniret. Henricus eius rei percupidus,inducijs factis,diem dixit,quo Giſortium cum Ludouico pro negotio conficiendo,conueniret.Francus confeſtim atq; ab oratoribus intellexit inducias initas eſſe,ſublatis caſtris,domum diſceſsit,ac paucis pòſt diebus Giſortium allocutum Henricum uenit,ubi cùm de pace nihil certi cõfici poſſet, res in aliud tempus reiecta eſt.

Henricus poſt hæc manẽtibus inducijs cum Franco & Henrico filio,in Pictones proficiſcitur,quos Ricardus filius dum ipſe bello Gallico tenebat,maiore ex parte in ſuam ditionem redegerat. Ricardus cognito patris aduentu,ac certior factus de inducijs cum Franco & fratre pactis, incertus agitabatur:nam neq; tantum bellum ſine ſocijs poſſe geri, nec in tanta amicorum uterũ perfidia,tutum nouorum fidem in eo diſcrimine experiri ducebat:ad ultimum tamen nihil animo debilitatus,in armis ſpem habens, patri reſiſtendũ conſtituit.Itaq; oppida paſsim quà hoſtis tranſiturus erat, præſidio firmat,ſtataq; non modica armatorum manu,ac poſitis non procul caſtris,tempus obſeruat pugnandi idoneum.Henricus interea quacunq; iter faciebat,loca omnia partim ui,partim timore incolis iniecto,occupabat, uidebaturq; idem facturus,quocunq; ſe uerteret.Quæ res ita Ricardũ terruit,ut uiribus ſuis diffidens cuagari cœperit,nec uſpiã hoſtes ſequentes expectare auderet:quinimò cùm uideret ad extremũ,res eſſe in diſcrimen adductas,cum primis ſociorum ingratos animos incuſans,quòd immemores datæ fidei ſe deſeruiſſent,ac nõnihil ſibi de patria pietate pollicitus,ſtatuit mutare ſententiam, ſeq; totum ad parentis uoluntatem nutumq; cõuertere,id quod ei ſaluti fuit:quippe ſic poſteriores cogitationes,ut aiunt,ſapientiores eſſe ſolent. Itaq; ſubitò depoſitis armis,ultrò ad parentem Henricum acceſsit,atq; ſupplex ueniam petijt.Accepit eum pater placidè,ad miſericordiam adductus,quòd ex animo rogare uidebat,multaq; charitate cõplexus perinde tractauit,ac ſi nihil peccaſſet: quare ne ullum quidem iræ ſignum dedit,quod fecit, ut eiuſmodi clementiæ exemplo alios filios ad reconciliationẽ alliceret:quod ut maturè fieret, Ricardũ ad Ludouicum regem & Henricum miſit,qui cum eis de pace ageret. Is tandem utrunque ad concordiam flectit,conſtitutoq; die colloquij in Turonibus habendi,ad patrem reuertitur.Gauiſus eſt Henricus,cùm audierat Henrici filij animũ à nomine pacis minus abhorrere,qui ad diem dictũ, ad colloquium uenit,ubi etiam Ludouicus cum Hẽrico & Gaufredo adfuit. Hîc demum pater filios in gratiam recepit,ad pactionesq; uentum eſt,quę his conditionibus conflatæ ſunt,primò ut captiui utriuſque partis incolumes reſtituerentur,& reliqui quòd alij patrem,alij filium bellãdo ſecuti fuiſſent, nulla tenerentur pœna,ac arces tempore belli conditæ diruerẽtur:deinde Henricus ſuppeditaret largiter ad cultũ & uictum facultates filijs,quibus honeſtè, non prodigè uiuerent,& ipſi filij deinceps in omnibus agendis rebus morem patri gererent. Atque ita ſimul Henricus & Ludouicus reconciliati ſunt in gratiam.

tiam,quæ ut ſtabilior eſſet, renouata eſt inter eos affinitas,pacta Adela Francí regis filia Ricardo ipſius Henrici filio Aquitaniæ comiti:& quia puella nõdum nubilis erat,deducta eſt in Angliam,& regis commiſſa curę, quoad puberet.His peractis, rex Henricus pater iniuriarum omnium oblitus, filios per hunc modum reduxit domũ. At ipſi filij quibus ea concordia pariter cordi fuit, in Normaniam patrem proficiſcentem ſequuti, primùm Ricardus & Gaufredus,ac nouiſsimè Henricus in eius uerba iurarunt. Exin Henricus pater Faleſiam profectus, Gulielmum regem Scotiæ, Robertum Leceſtriæ, & Hugonem Ceſtriæ comites, cum nonnullis alijs nobilibus, qui ibi cuſtodiebantur,modicè mulctatos carcere liberauit, acceptis à ſingulis obſidibus, & iureiurando dato. At Gulielmus rex cùm ſoluendo nõ eſſet,coactus eſt quatuor munitiſsima caſtella:Beruicum,Caſtellum Puellarum,Roxburgum, & Sterlyngum Anglo tradere,ut ſi fidem in poſterum falleret,& mulctam centum millium librarum redemptionis nomine impoſitam ad certum diem nõ ſolueret,eius ditionis in perpetuum tempus eſſent. Qui præterea mulctatus eſt Huntyngtona comitatu, conuenitq;, ut nullo unquam tempore perfugas Anglos in ſuum regnum reciperet. Fuit hic annus quo hæc geſta ſunt, humanæ ſalutis MCLXXVII,& à gubernatione regni Henrici XXII. Quibus rebus feliciter confectis,Henricus relicto Henrico filio Rothomagi,Argentonium proficiſcitur,& inde omnem regionem quaquauerſum peragrando, ad Sequanæ fluminis oſtium,quod in Normania portum effecit multarũ nauium capacem,peruenit.Hîc dum claſſem parat ad tranſciendum in Angliam,per literas Henricum filium ad ſe aduocat,quem ſtatuerat unà ſecum ducere.Noluit filius à principio patris imperio parêre,quippe qui non putabat ſe in tanta gratia cum parente eſſe,ut illum iam offenſionem penitus depoſuiſſe pro certo haberet,ac propterea ab eo inſidias ſibi metuens negabat in Angliã ire: erat enim ab inuidis ei perſuaſum,ita futurum, ut ſi Angliam peteret, ſubitò in carcerem mitteretur. Veruntamen ita pater filio eblanditus eſt,ut ille poſtremò ultrò Areflorum,quod eſt oppidum ad Sequanæ oſtium ſitum, uenerit,unde paucis pòſt diebus in Angliam ſimul adnauigauerunt: ad quos Londinum ex Portimutho,quò appulſi ſunt,proficiſcentes,toto itinere congratulantis multitudinis concurſus factus,& cùm ad urbem peruenerũt,maximo clamore & plauſu totius ciuitatis accepti ſunt. Ipſo eo anno eſt antiſtitum conuentus frequentiſsimus celebratus, in quo multa pro conſeruatione religionis acta ſunt,& in primis prouiſum eſt, ut præfecturæ monaſticæ, & alia ſacerdotia quæ hactenus per eiuſmodi nefarium bellum, non licuerit cuipiam obeunda dari, uiris probis deferrentur: quod haud multo pòſt factum eſt.

Erat per hunc modum,pacato undiq; regno, tam ab externis quàm à domeſticis bellis otium:quod ne per ignauiã traheretur, rex ut ſtatus regni meliore loco eſſet,omnem Angliam luſtrauit, qui ubi Eboracum uenit,regem Scotiæ cum nonnullis comitibus eius regionis ad ſe accerſiuit,in uerbaq; ſua iurare iuſsit:quo facto,Londinum redijt. Aliud in eo regum cõgreſſu actum annales Anglici loquuntur præterea nihil. Sub eoſdem dies, uenerunt oratores pacis ad Henricũ,miſsi à Rodorico regulo Connacẽſi ex Hybernia,quos ille audiuit nõ grauatè,quippe qui malebat cum fero populo rem cõponere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm bellum parũ gloriæ ac minus utilitatis allaturũ gerere, ut ne aureo hamo piscaretur. Itaq; impositò in singulos annos uectigali, quod in bubulis coriis penderet, pacem petenti regulo dedit. Idem annus in Anglia pestilẽtiam & famem habuit, quo morbo nõ multo pòst sedato, Henricus ad res suas inuigilans, concilium tam antistitum q̃ cæterorũ principum Northantonum conuocandũ curauit, ubi interfuit cardinalis quidam nomine Hugo legatus Ro. põtificis, paulo antè ab Alexandro missus, ad dijudicandas dirimẽdasq; cõtrouersias, inter Cantuariẽsem & Eboracensem archiepiscopos. Is eò quoque loci conuocatis tam Anglicanis q̃ Scotis episcopis, cõuentum fecit, quo in conuentu post transactionem litium, ac decreta quædã ex Reipublicæ usu, atq; ad bene uiuendũ facta, contrà q̃ fas erat, non abnuit ratum habere, quod in regio concilio lege sancitũ erat, ut cuncti etiam sacris initiati, qui ceruos aut damas intra septa regia, seu saltus occidissent, à iudice prophano mulctarent. Quæ res nõ modò tunc, sed in posterũ quoq; tempus, ita ius infregit, ut etiã nunc sacerdotes in multis causis, perinde ac cæteri apud prophanos iudices conueniantur, atq; pro noxa puniantur. Adeò ius semel uiolatum facilè dissoluitur: atq; ordo sic magnum fecit detrimentum. Postremò agitatum est, ut Rogerio archiepiscopo Eboracẽsi qui id temporis eam tenebat sedem, ius in episcopos Scotos restitueretur: quandoquidem Romani pontifices iam inde ab initio sanxerant ipsum Eboracensem antistitem totius quoq; Scotiæ atq; Orcadum, cæterarumq; insularũ primatem. Quam sanè datam legem eorum locorum episcopi per multos deinde annos seruarũt, quemadmodum suprà appositè ostendimus. Atqui postea cùm illi ab officio discessissent, simulq; eã iniuriam Eboracenses archiepiscopi continenter quererentur, tum Romani pontifices, Paschalis secundus, Calistus itidem secundus, Honorius, Innocentius, Eugenius tertius, Hadrianus quartus, causam eam susceperunt, crebrisq; missis literis, illos sub Eboracensis prouinciam rursum redigere conati sunt. Sed Scotis generatim reclamantibus, res demum controuersa ad Alexandrũ pontificem relata est, qui tamen eius decisionem non fecit. Ipsæ autem pontificum Romanorum literæ etiam nunc integræ ab Eboracẽsi collegio custodiuntur, quarum ego exempla uidi in codice longè antiquissimo, cuius legendi copiam mihi fecit Edouardus Leeus, paucis antè mensibus Eboracensis archiepiscopus factus. Cæterùm ius istuc ab Eboracensi bellorum in primis causa, quæ sæpius inter utrunq; populum inciderunt, amissum constat, cùm per illa minus licuisset Scotis episcopis qui consecrandi forẽt, ad suum omni tempore adire principem pontificem, uti libro xxiiij. clarius demonstrabitur, de nouo primate Scotis antistitibus dato. Edouardus uerò Leeus uir natura frugi, sanctus, religiosus, Latinis pariter atque Græcis, Hebraicisq; literis eruditus, ac summè in nostra theologia probatus, ut qui scit ueri sacræ scripturæ sensus delectum habere, cùm maximè omnium ob eas uirtutes sit tanto munere dignus habitus, idcirco statim cœpit reputare rationem rerum sui episcopatus, ac ita reperit ea monimenta, quibus armatus aliquando acturus esse uidetur de eo negotio in pontificum concilio, si quod nostro tempore per principum nostrorum discordias, haberi aliquando tandem licuerit. Dimisso hoc concilio, rex Henricus filius in Normaniã traiecit, nõ multo pòst iturus uoti causa, ad diui Iacobi ædem, in Hispaniam, quod mox prohibente patre, non est exe-

est executus. Illo ipso anno Ioãna filia regis data est in matrimoniũ Gulielmo regi Siciliæ. Interim dum Henricus filius in Normania morabatur, qui infesto in patrem animo à sui similibus subornatus rursus esse cœpit, noua quotidie cõsilia ineibat, quibus electo parente, ipse regnum obtineret, suiq; iuris esset. Hęc cùm Adam eius minister secretior Henrico patri significasset, magna ignominia ab illo ob id est affectus. At pater perspiciens malum filij animum causa pristina non desistere, dissimulanda omnia statuit, ut qui uidebat iuuenem non posse corrigi: & ut ne imparatus offenderetur, primo quoq; tempore similiter in Anglia ac in Normania, omnia loca diligenter præsidio firmauit. Fuit hic annus salutis humanæ MCLXXVIII, cùm Oceanus ita excreuit, ut multos absorbuerit mortales.

Iam aduentabat hyems, & ab armis cessatio erat, quando rex subitò factus est religiosior, quippe magnopere rogare cœpit Hugonem legatum Romanum, & Ricardum Cantuariensem, ut episcoporũ ac reliqui ordinis sacerdotum conciliũ edicerent, quod illi Northantoni maturè habuerunt. In eo cõcilio dum multa ac uaria pro Christianę religionis statu agitabantur, Henricus ut ne amplius male audiret, primò Lincolniensem episcopatũ, quem penè comederat, Gaufredo filio ex cõcubina deferendum curauit: sed ille adolescens haud bonę frugi postquam aliquandiu bona dilapidauerat, neglecto tali munere, eam sedem rursus uacuã fisco reliquit. Deinde quia iampridem expiandæ cędis diui Thomæ causa, uouerat nouum cœnobiũ, exposuit se cupere autoritate patrum, locum dari, ubi uotiuum Deo cœnobium conderet, ac propterea rogabat, ut inter se de ea re deliberarent. At ipse interim qui cogitarat ex alieno, uotum factum persoluere, egit priuatim cum legato, atq; nonnullis episcopis, ut electis sacerdotibus, quos uocant seculares, ex collegio Sanctæ Crucis, quod institutũ erat ad Vualthamũ uicum, qui, uelut antè in extremo libro viij. dictum est, à Londino millia passuũ duodecim abest, sibi liceret in illud regulares canonicos, quos appellãt, inducere: & ne id uideretur magis parcendi pecuniæ, quàm loci causa petere, quàm grãdia huiusmodi collegio donaria pollicitus est, quę postea nulla ferè dedit. Episcopi uerò nequaquam abnuerunt petitioni principis, qui sic electis canonicis secularibus, ac in eorũ locum regularibus subrogatis, nihil aliud dignum memoria egit, nisi q̃ mutatis in templo Dei ministris, exemplum reliquit posterioribus regibus, quò auderent superiorem suorum monimenta euertere: nam rex Haraldus illud sacerdotum collegium, uti suprà docuimus, antea instituerat. Sub idem tempus uenerunt legati ab Alphonso Castellæ & Garsia Nauarræ regibus, qui nuntiarunt Henrico, reges suos post longas controuersias de agrorum possessione, qui circa fines utriusq; regni erant, ortas, tandem datis utrinq; obsidibus, rem omnem ad eum retulisse, atque eius iudicio se staturos iureiurando promisisse, ac propterea orare, ut uellet sua autoritate eiusmodi litem finire. Audiuit libenti animo legatos Henricus inter reges disceptator factus, & de re controuersa quamprimùm ad suum domesticum senatum retulit, auditisque singulorum consiliariorum sententijs, ita postremò secundum alterum iudicauit, ut alter eius iudicio steterit. Nõ multo pòst Philippus comes Flandriæ uoti causa, ad mausoleum diui Thomæ Cantuariam uenit, cui rex obuiam factus est, atque discedenti, quia iturus erat Hierosolyma, quingentas

Universidad de Deusto
Biblioteca

marchas dono dedit. Exin Londinū reuersus, atq; inde Oxonium profectus, dum ibi moratur, Roberto comiti Leceſtriæ comitatū reſtituit, ac Ioannem filium totius Hybernię regulum facit. Quo tempore, ſanguinis imbrem è cœlo fluxiſſe tradunt: quo quidē prodigio uulgus more ſuo permotus, iam tum formidare cœpit Ioannis imperium. Per eos dies Margarita uxor regis Henrici filij enixa eſt filium, qui non longius triduo uitam uixit. Erat ea tempeſtate per omnem Angliam, ingens Iudæorum multitudo, quibus cùm alibi niſi Londini non eſſet ager ad condenda demortuorū cadauera, neceſſe habebāt ad eum locum ex toto regno, fœda hominum ſuorum corpora deferre. Quare ut ab eo incommodo uacui eſſent, ab Henrico impetrarunt, ut ubicunque degerent, eo loci agrum ſepulturæ ſuorum aſsignatum haberent. Eodem anno corpus diui Amphiboli martyris, qui præceptor fuerat diui Albani, non procul à Fano ipſius Albani repertum, multa cęrimonia in cœnobio eiuſdem diui collocatur.

Henricus interea in Normaniam traiecit: audiuerat enim priſtinam ſimultatem aliàs ſedatā, ſenſim inter ſe & Ludouicū regem renaſci: cuius rei cauſa erat, q̄ Henricus Adelam eius filiam iampridē Ricardo filio deſponſam, quā ipſe penes ſe, ad ſpē coniugij ſeruabat, noua quotidie impedimenta excuſans, filio iungere de induſtria differebat. Porrò ſenex turpiori intemperantiæ deditus, mirificè puellam amare, ac multorū uerborū illecebris ſtuprū illi offerre cœperat, ſic, ut ei pudorem paulatim ſoluerit, ſecundum prouerbium illud decantatiſsimū, Corrūpunt bonos mores mala colloquia: atq; eius uti rumor erat, poſtremò uirginitatem uiolauerit. Hanc igitur morā fraudis pariter atq; ſceleris plenam Ludouicus rex ferendā nō ducebat, qui ubi Henricus in Normoniam uenit, antec̄ odiū palàm erumperet, longum ac familiare cū eo colloquium habuit, cui ille promiſit intra paucos dies, ſe filiæ nuptias facturū. In eo etiam congreſſu ambo ſpoponderunt ſe iunctis armis, opem laturos Guidoni Hieroſolymorū regi, quē id tēporis Saladinus rex Aegypti bello premebat. Qua re ita compoſita, rex relicto Henrico filio in Normania, & Ricardo in Pictones miſſo, in Angliam redijt. Agebatur iam annus ſalutis MCLXXX, cùm Ludouicus rex in Angliam uenit, ut mauſoleū diui Thomæ uoti cauſa adiret, quem Henricus in litore obuiam factus, magno & gaudio & rerum apparatu accepit, atque inde ſimul Cantuariam profecti, diui martyris corpus multa ueneratione uiſerunt. Ludouicus perſoluto uoto, atq; uarijs donarijs ibidem collatis, in Galliam reuerſus paucos dies ſuperſtes fuit, relicto unico filio, cui Philippus nomen fuit, quem ipſe uiuus regem creauerat. Bellatū eſt ſæpius inter Henricū & Ludouicum, uti ſuprà demonſtrauimus, egregiè, ac nō parum multa alia facinora memoratu digna facta ſunt. Annus deinde proximus nulla memorabili re domi militiæúe inſignis fuit, præterquā immatura regis Henrici filij morte, cui ſuo merito negatū fuit diutius uiuere, qui ab impietate c̄ ab officio dominandi initium facere maluit: is partim ob breuitatē uitæ, partim quia ſub paterna tutela ferè ſemper fuerat, nō ponitur in ordine regum, utpote qui rex deſignatus nunquam regnauit. Cæterùm adoleſcentis mors ſeminarium fuit creandi odij inter Henricum & Philippum, ac ſæpius bellandi materiam ſubminiſtrauit: quippe Vellocaſsinū quę eſt pars Giſortini agri citra Heptam flumen, datum fuerat nomine dotis, Henrico filio Margaritæ

garitæ uiro, quo mortuo, Francus Vellocaſsinum repetebat, contrà Anglus retinere contendebat, uti alius locus magis appoſitus id planū faciet. At Margarita uidua ſtatim pòſt ad Philippum fratrem reuerſa eſt, quæ nupſit Belæ Pannoniorum regi, eam per legatos petenti ſibi in matrimoniū dari. Annus item deinde tertius dum otiū ab rebus omnib. militaribus erat, celebris fuit pontificatu Hugonis Cartuſiani præfecti Vithamij cœnobij dicœceſeos Bathonienſis & Vuellenſis. Is Lincolnienſem epiſcopatū per annos ferè decem & ſeptem, rectore orbum gubernandum ſuſcepit, uir ea tempeſtate ſanctiſsimus. Fuit ante eum deſignatus epiſcopus Gualterus Conſtantius, qui cùm Rothomagenſis prius antiſtes factus fuiſſet, quàm eo fungeretur munere, id circo ei locus non datur in ordine antiſtitū Lincolnienſium. Hunc etiam annum nobilitauit obitus Ricardi Cantuariēſis antiſtitis, qui ſedit annos decē, quem Balduinus Vigornienſis epiſcopus ordine antiſtitum quadrageſimus ſecutus eſt. Exceſsit è uita & per illos ipſos dies, Rogerius Eboracenſis archiepiſcopus, poſt annum quàm ſedere cœperat, uigeſimumſeptimum. Sedes Eboracenſis deinde cōtinuos octo annos uacaſſe dicitur, cuius uectigalia interim, ne perirent, fiſcus capiebat.

Eiſdem temporibus Saladinus Saracenorū rex uir fortiſsimus, mirū in modum rem Chriſtianam in Syria affligebat, nactus occaſionē bene gerendę rei, ex diſcordia noſtrorū principū in Syria: nam Balduinus quartus rex Hieroſolymitanus cùm elephantiaſi morbo afficeretur, cœlebs uiuere uoluit, qui ut rebus ſuis conſuleret, Sibyllam ſororem Gulielmo Montiferratenſi locauit, ſperans ex ea affinitate Gulielmū uirum ſtrenuū ad quencūq; caſum ſibi præſtò futurū. Genuit Gulielmus ex Sibylla puerum Balduinū nominatum, atq; ita non multo pòſt moritur: poſt cuius mortē, Balduinus Sibyllam Guidoni Luſiniano ex Pictonū gente in matrimoniū dedit, ea conditione, ut poſtquā ipſe uita exceſsiſſet, tutorio nomine eatenus regnū adminiſtraret, quoad Balduinus imperio maturus foret. Verùm cum Guido nimis ſe ſuperbè gereret, Balduinus Raimundū Tripolitanū comitem tutorē in locum Guidonis ſurrogauit. Moritᵛ haud multo pòſt Balduinus rex, & Tripolitanus comes à Sibylla & Guidone prohibitus, curā pueri ſuſcipere nequiuit: at puero etiā breui pòſt uita priuato, Guido rex creaᵗ. Tulit eam rem iniquo animo Tripolitanus, confeſtimq; cum Saladino maioris in Guidonē concitandæ inuidiæ cauſa, inducijs pactis, turpiter ab officio diſceſsit, atq; ita hoſtis ferocior factus, magnas quotidie clades noſtris inferebat. Quare ferūt duces noſtros cernentes animo quantū religioni à ferociſsimo hoſte periculi impēdēret, & cupientes maturè rebus proſpicere, primo quoq; tēpore Heracliū patriarchā Hieroſolymitanū, uirū ſingulari pariter bonitate atq; prudentia præditū, primū ad Luciū tertiū Ro. pontificē, dein ad reliquos principes ſupplementi militū habendi cauſa miſiſſe, & eum poſtq̄ de re tanta cum Ro. pontifice egiſſet, uenisſe in Gallią ad Philippū regem, ac poſtremò in Angliā ad Henricū, cœpiſſeq; rogare, orare, obteſtari, ut tandem aliquando pro re Chriſtiana tuenda, ſicut iampridē uouiſſet, arma caperet, ac noſtris in Syriā ducibus laborātibus ſubſidio iret, cùm pro certo haberet, tanti laboris fructū ſe ab eo accepturum, qui bene meritos præmio ſemper remuneratur æterno. Henricus ad hæc dicitur reſpondiſſe, ſe tempore ualde excludi, ac propterea non licere ſibi, cùm per

Universidad de Deusto
Biblioteca

domeſticas,tum per externas ſeditiones abeſſe, atq; idcirco pollicitus eſſe in ſtipendiũ militum pecuniam. Ad ea patriarcha ſubiunxit:Nihil agis rex, non egemus pecunia,quam abundè multi ſuppeditant, ſed imperatore, qui bellũ gerat ſuis fortiſsimis militibus,quales te habere,ſatis omnibus conſtat. Tum Henricus multas occupationes excuſans,quamobrem non poſſet rem in præſentia militarem obire,bonis ac blandis uerbis Heraclium uſq; Douerum deduxit,unde in Galliam tranſiturus erat, ac ibi poſtquam onerarat magnificis promiſsis hominẽ dimiſit. Sed antiſtes prius q̃ digrederetur, in hunc fermè modũ aperto,ut aiũt,pectore,locutus fertur:Ingratiſsimus es princeps, quippe qui non modò non uis operam nauare Deo opt.max.pro tot acceptis beneficijs,ſed etiã uerba das,qui te,mihi crede,meritò deſeret. Et quia,ut uideo, iſta nequaq̃ libenter audis(rex enim ſubiraſcebaẽ)non ea tamen ſilebo:quãdoquidem nihil refert,an hîc à te Chriſtiano impio occîdar,an in Syria à Saracenis. Cui rex ſubitò reſpondit:Si una duntaxat lingua omnibus meis populis eſſet,haud dubiè talia mihi ea lingua non auderet proferre. Verum ais, inquit antiſtes,cùm ſis charus nemini, nemo te commiſſorum commonefacit, quò malam ſemper uiuas uitam,malamq; poſtremò mortem obeas. Hæc ſatus in continentem tranſmiſit Heraclius. Sunt tamen,qui tradant Heraclium accepto primo regis reſponſo,& abiecta auxilij impetrãdi ſpe, ſtatim abijſſe: quibus magis aſſentior.

Eodem anno Gaufredus filius regis Britanniæ, dux Lutetiæ,morbo interijt,ſepultusq; eſt in ea urbe,ad diuæ uirginis ædem, qui Arthurum unicũ filium ex ſe genitũ,reliquit hæredem. Ita in Anglia otium erat,& iam annus ſalutis MCLXXXVII agebatur,cùm Hieroſolymorũ urbs morte Chriſti Seruatoris noſtri nobilis,à Saladino capta eſt, poſt octauũ & octogeſimũ annum, quàm à Gotthfredo,& alijs Chriſtianis ducibus fuerat recepta. Cuius rei triſti nuntio in Italiam allato,cum primis dolore animi confectus Vrbanus tertius optimus pontifex,dum ſubmittere noſtris ſubſidium parat, Ferrariæ in itinere moritur. Deinde Clemente tertio pontifice de bello in Saracenos gerendo edictum proponente,multi nomẽ dederunt,inter quos Ricardus filius regis unus fuit. Flagrabat interim odium inter Philippũ regem & Henricum, partim ob non redditũ Vellocaſsinum,partim ob nõ datum iuſiurandum à Ricardo,quod ille dare differebat Philippo debitũ,ex eo,quòd Aquitaniam teneret. Quare Philippus,ut anteueniat hoſtem, magnis copijs Anglicos fines ingreſſus,agrũ ad Caſtrum uſq; Rodulphi populatur,atq; eum locũ obſidet. Quod ubi Henricus cognouit,coacto repentè exercitu, unà cum Ricardo filio,ſuis auxilio fuit,poſitisq; in cõſpectu hoſtiũ caſtris,ſuos ex itinere feſſos reficit,facturus ſtatim pòſt copiam pugnandi Franco. Verùm antequã ad certamen uentũ ſit,interuentu Ioannis Cardinalis legati Romani pontificis, qui à Clemente ad reconciliandos hos reges,miſſus paulo antè fuerat,pax æquis conditionibus inter eos conuenit. Aduenerũt ſub idem tempus nuntij ex Aſia,qui ſignificarent Saladinũ,poſt captam urbem ſanctam, omnia apud noſtros deuaſtare,& pauca admodũ loca in fide permanere. Quo nuntio,reges Philippus & Henricus in primis mœrore affecti, nõ longe à Giſortio in colloquiũ uenerũt,atq; ibi more noſtro,cruce in cõmunes hoſtes deſumpta, ad parandũ exercitũ maturè digreſsi ſunt. Sed malus quidam,ut reor,dæmon rebus

rebus Chriſtianis nimiũ inuidit:nam conſilium aliter cecidit, quandò pax inter reges paululum inuiolata permanſit. Cuius ſceleris perfidiæq; notam ſcriptores Galli in Anglum cõtorquent,tradentes Ricardũ fœderis ruptorem, bellum intuliſſe Raimundo Toloſatiũ comiti. Econtrà Angli eam culpam in Franco reſedíſſe uolunt,prodentes Philippũ tanquã impiũ turbata pace,bellum mouiſſe,ut Henricũ auerteret ab exercitu cõflando,quem ille in expeditionẽ Hieroſolymitanã educturus eſſet. Atq; ita eiuſmodi ſcriptores magis patriæ q̃ ueri amantes, dum alteri in alteros inuehuntur,nõ equidẽ hiſtoriã ſcribunt,ſed per diſceptationes,inimicitias gerunt,ſimultates exercent,quo fit,ut neſcias,quem uti ueriorẽ ſcribendo ſequare. Verùm quicũq; id fœdus uiolarit,ſatis conſtat Philippũ regem ſumptis actutũ armis,caſtrum Rodulphi,Buſantalum,Argentoniũ,Montricardum,Monteſoriũ, Vindocinũ,Leporoſum,& Paluellum de Anglo cepiſſe,& eodem temporis articulo,Ricardum ademiſſe Toloſatium comiti Moſacum,cum nonnullis alijs oppidis.

At Henricus qui eo tẽpore in Anglia exercitũ belli Hieroſolymitani gerẽdi cauſa conflabat,accepto nuntio de rebus à Philippo geſtis,ſubitò in Normaniam trajcit,atq; finitimorũ agrũ ingreſſus,multa loca ferro igneq; deuaſtat:ſed quia hoſtis numero militũ præſtabat, ac cognito eius aduentu, intra caſtra ſe tenebat,ratus pro tempore differendũ eſſe,ad iniuriã ulciſcendã,Gifortium reuertit. Hîc dum moratur Henricus,ad priora accepta à Franco incõmoda aliud longè grauius acceſsit:Ricardus emẽ filius appetebat,ut Adelã Philippi ſororem diu apud eum ſeruatam,ſibi iam in matrimoniũ ducere liceret,quam amator ſenex multa excuſando,multumq; procraſtinando tradere negabat,utpote qui illam puellam iam ſecretò ſtupraſſet, uti ſuprà oſtendimus,ſtatueratq; facto cum Aleonora diuortio,uxorem ducere,atq; illa affinitate fretus,ſi ex Adela liberos ſuſciperet,filios ex Aleonora genitos abdicare. Igitur Ricardus haud patiens moræ,ac patri ſupra modum iratus,ad Philippum ſe contulit,quem non multo pòſt Ioannes frater ſecutus eſt,maximaq; pars militũ cum illis ad hoſtem defecit. Quæ res tantũ doloris Henrico inuſſit,ut ſtatim pòſt ex mœrore animi ægrotare cœperit. Philippus autem per hunc modum nactus feliciter bellandi opportunitatẽ,primo quoq; tempore omnibus copijs in Cenomanos proficiſcitur,agroq; paſsim direpto,eorũ urbem circumuallat,in qua Henricus tũc erat:qui ſiue ut longè impar uiribus, ne uita periclitaretur,ſiue coactus incendio,quod ipſe in uicis ſuburbanis fecerat,ut ne Franco ea loca cõmodo eſſent,& uento adauctũ in urbem irrepſerat,repentè Chinonem diſceſsit. Atq; ita Cenomani puncto temporis præſidio deſtituti,nõ multo pòſt hoſti ſe dediderunt. Hac uictoria Philippus elatus,traiecto flumine Ligeri, Turones in poteſtatem redigit, eorumq; urbem præſidio firmat. Quibus rebus feliciter geſtis,exercitũ præda locupletem reducit. Henricus totincõmodis uno tempore affectus,ubi cognouit Cenomanorum urbem in hoſtis poteſtate eſſe,quia præ ea reliqua cõtinentis oppida non magnopere curabat, ita commotus eſt,ut cõtinuò temerè clamauerit, ſe deinceps à Deo reuocaturum cor,hoc eſt,amorem qui ei debetur,propterea q̃ permiſiſſet urbem ſibi tam charam ab hoſte occupari:attamen ſtatim pòſt ſe collegit,agnouit errorẽ,ac depoſuit. Sed cùm animo pariter ac corpore ægeret, de rebus ſuis iam planè diffideret, neceſſariò placuit pacẽ pro tempore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& pro re,per legatos à Philippo petere,de qua nihil ab hoste impetratũ.Hęc autẽ ille mala quæ Heraclius patriarcha Hierosolymitanus,paucis antè annis ei uentura prædixerat,si magnitudinẽ potestatis parcius peccãdi licentia meritus fuisset,quemadmodũ Hugo Lincolnienſis episcopus iugiter monebat, haud dubiè facilè euitasset.quapropter desperata tam rerũ suarũ,cę corporis iam salute,calamitatum concursu magis oppressus, quàm morbo confectus, pridie Nonas Iulias occidit,annũ agens ætatis sexagesimũ alterũ,qui fuit trigesimusquintus,amplius menses nouem, cùm regnare cœperat, & humanæ salutis MCLXXIX.Et hic Normanorũ,Francorũ,id est,externorũ hominum principatus in Anglia finis fuit,post annos CXXII, quàm Gulielmus primus regno Angliæ potitus est:nam qui inde regnarunt,Anglos iure appellemus licet,cp in Anglia nati,& lingua & morib. Anglicanis imbuti, more gentis uixerint.Atcp ita post Normanos,Francosćp,Anglia tandẽ sibi reddita est.Nũc ad Henricũ reuertor.Sepultus est Chinone,ubi uitam finiuit.Sunt tamẽ, qui scribãt delatũ esse corpus funerali pompa ad nobile cœnobiũ diui Ebrulphi, ordinis diui Benedicti,Sagiensis diœceseos,quod est positũ prope Aquilam oppidũ,ad uiginti milliaria,in Alenconiẽsi principatu,ibićp humatũ,& in itinere Ricardo funeri patris obuiam facto,sanguinem è naribus demortui subitò manasse,quasi indignantis,propter impij filij aspectũ. Mors eius mirabili prodigio pręcognita dicitur,sicut in credulũ uulgus iam tum exijt:paucis diebus ante mortem,ex quodam lacu in Normania pisces noctu in terrã exilientes,tanto strepitu ferũt congressos,ut multi mortales accurrerint illuc uisum miraculũ,nullumćp piscem in lacu superstitẽ inuenerint.Henricus ex Aleonora uxore sustulit liberos,uti suprà perappositus edocuit locus,Henricum, Richardum,Gaufredũ,& Ioannẽ. Aliqui his addunt binos præmatura ętate mortuos. Item Mathildem,quæ nupsit Henrico duci Saxoniæ,Aleonoram deinde locatam Alphonso octauo regi Castulonensiũ,quorũ hodie patriã nominant Castellam,ex qua Blanca orta est diui Ludouici Francorũ regis mater, & Ioannam,quam Gulielmus rex Siciliæ in matrimonio habuit.Ex concubina susceptt Gulielmũ & Gaufredũ.Corpore fuit opimo,& ualidissimo, frigoris æquè atcp æstus patientissimo,amplo capite,pectore lato,uoce fracta,cibi parcissimus,ut præsertim ne pinguior fieret,propter quod etiam dum à militaribus rebus uacabat,aut in uenatione,aut in deambulatione corpus exercebat:statura iusta,forma elegantissima,colore subruso,oculis cæsijs,ingenio acutissimo,memoria lõgè tenacissima eorũ quæ legisset,uidissetúe, animo magno,& in aduersis ćp in secundis rebus constantiore,nisi in extremo uitæ exitu,in quo ille eum ab amicis omnibus fermè destitutũ,aliquantulũ defecit.Liberalitate in omnes usus est,quippe qui suis militibus sæpius donatiuum dedit,& rara à suis populis tributa exegit.Artis militaris peritissimus,in rebúsque bellicis fortunatissimus,milites suos magis extinctos desiderabat,ac collaudabat,assiduaćp recordatione deflebat,quàm superstites diligebat,ut hoc pacto admoneret suos,eò minus mortem formidare, quò magis certum scirent sibi deinde post uitã strenuè actam,apud posteros honores haberi. Item non illiteratus fuit,sicut & prudens habitus est.

Vitia eiusdem hæc cõmemorantur: urgente fortuna, nemo mitior, benignior,ac plura pollicens;fauente eadẽ,nemo quoćp acrior, durior,atcp ad uiolandum

landum fidem facilior. Auaritia quoćp notatus est, quippe qui etsi in milites & externos liberalis,in domesticos tamen ac præsertim in filios nõ item, qua potissimũ de causa illorum animos ab se auertit.Iusti & æqui non perinde ut cõmodi amator.Item in eo fuit nimia mulierositas, id est, mulierũ amor,quæ res demum causa fuit alienationis tam filiorũ,quàm amicorũ ab eo:nam non cõtentus uxore,multas dilexit fœminas,& in primis puellam quandam succi plenam,quam ipse Rosimundam, uulgus uerò Rosam mundi appellabat,cp esset forma præter cęteras,liberali atcp uenusta,cui apud pagũ Vodestocum, miro opere domũ ędificauit instar Labyrinthi,ut ne ab uxore pellex facilè deprehendi posset.Sed puella parum superstes fuit,cuius sepulchrũ etiam nunc uisitur apud Oxonium,in cœnobio monacharũ, quod Godstoueiũ uocant, in quo hoc distichon inscriptum est:

Hoc iacet in tumulo Rosa mundi,non rosa munda,
Non redolet,sed olet,quæ redolere solet.

Præterea Henricus res sacras minus aliquãdo curæ habuit, quàm par fuerat. Porrò Thomã sanctissimũ uirum persecutus est. Legatos Ro.pontificis nequaćp potius regni fines ingredi est passus,quàm iureiurando promitterent, nihil se contra consuetudines quascunćp regni præscripturos,id quod illi seu metu seu muneribus adducti fecerunt. Nulla auxilia Christianis ducibus in bello Hierosolymitano laborantibus tulit, tametsi in illud bellũ bis terúe incumbere aggressus est, quod tamen minima occasione impeditus ita semper extraxit,ut nunćp gesserit:quod uel domestico dissidio assignari potest. Nõ omiserim hoc loco rem,quamuis ab omnibus ferè scriptoribus decantatã:ferunt enim in comitũ Andegauensiũ familia,unde hîc Henricus ortus est,principẽ quandã fuisse fœminam triueneficam, maleficamćp, & eam cõpulsam ad extremum colere & uenerari eucharistiã,subitò è templo per fenestrã à cõspectu hominũ auolasse,nec comparuisse unćp. Ab hac muliere posteriores eius familiæ comites originem duxere:quare tradunt diuum Bernardũ cùm ita aliquando usu uenisset,ut de hoc Henrico sermonem haberet,prędixisse futurũ ut ipse cum filijs,& filij inter se perpetuò digladiarentur,perinde ac planè euenit.Atcp ita sapiens diuinare solet. Viri fama nobiles id tẽporis uixere, Theobaldus Cantuariẽsis antistes,doctrina & uitæ sanctitate clarus:Hugo episcopus Lincolnienſis, in quo non minor eruditio fuit, quàm morũ puritas,post mortẽ miraculis nobilitata. Huius obitus in sextũ Ioannis regis annũ incidit, ideoćp de eo tum plura dicã,quãdo ad ea tempora ueniemus. Item Ricardus Vintonienſis,Gaufredus Elyensis,Robertus Bathoniẽsis,episcopi diuinis pariter atcp humanis literis eruditi,& Aldredus Vigornienſis episcopus,uir bonus atcp ornatissimus,qui Gloceſtriæ cœnobiũ condidit monachorũ ordinis diui Benedicti,illudćp diuis dedicauit apostolis Petro & Paulo. Fuerunt hoc quoćp tẽpore uiri militarib.rebus pręstantes,Robertus comes Leceſtriæ,ubi loci cœnobiũ regulariũ canonicorũ quos uocant, condidit,qui filiũ sui nominis & gloriæ superstitẽ reliquit:Hugo Bigotus,Rainaldus Cornubiæ comes de quib.in fine uitæ Stephani meminimus:Robertus Ferrysis, Ricardus Lascius,Rogerius Mombraius,Rodulphus Fulgerius, Humfredus magister equitũ,hoc est,Conestabilis,Ranulphus itidẽ Granula,Gulielmus Veteius,& Bernardus Baliolus,bello & pace longè principes militari gloria ornati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XIIII.

RICARDVS facto patris funere, Rothomagum proficiscitur, ibiq; habito principum concilio, atq; singulis in eius uerba iurantibus, Normaniæ dux consalutatur. Dein intentus ad thesauros patris inquirendos, Stephanum Andegauensium præfectum in custodiam tradit, cogitq; hominem quicquid pecuniarum in diuersis arcibus iussu Henrici, diu antè recondidisset, depromere. Dū hæc & huiusmodi curat, Ioannes frater ad eum uenit, quem perbenignè accepit, atq; præter omnia, quæ illi pater testamento reliquisset, Anisiam filiam unicam Roberti comitis Glocestriæ in matrimonium dandam curauit: nam annes paulo antè uxorem filiam quondam Huberti comitis Moritonij, nullis ex ea susceptis liberis, amiserat. Postremò memor matris Aleonoræ, quæ adhuc in Anglia carcere tenebatur, confestim per literas mandauit, ut liberaret, eiq;, ut par erat, summā imperij detulit. Aleonora è custodia educta, magnāq; præter spem, nacta autoritatem, omnem Angliam peragrauit, mira comitate omnes generatim amplectendo, ut sibi & filio animos hominū maximè conciliaret: sed in primis quoniam experta erat carceris suppliciū esse mortalibus grauissimū, quacunq; iter faciebat, multos è publicis custodijs emittebat, secundum illud Vergilianum, de Didone, libro Aeneid. primo:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Interea Ricardus facto cum Philippo rege fœdere, loca quæ pater dudū amiserat, cūcta recepit, unà cum Adela, ea enim puella iampridē illi desponsa fuerat, quam ob suspicionem uiolatæ uirginitatis, non multo pòst repudiauit, ac cum dote, multisq; muneribus locupletatā, domum remisit, pactus prius nuptias cum Berengaria filia Garsiæ Nauarræ regis, quam in Siciliam ad Ioannā sororem deduci iussit, ut eo loci in itinere nuptias faceret. Secundū hæc, cùm nostri ex Asia quotidie subsidium rogarent, reges deliberant, primo quoq; tempore iunctis armis, classeq; parata, in Syriam nauigare, eoq; communicato consilio, ambo ad iter faciendum se expediunt. Rebus Gallicanis ita ex animi sententia cōpositis, Ricardus in Angliā profectus, primū Vintoniā, dein Sarisberiā iter diuertit, ubi loci repertis patris thesauris, mirū in modū oblectatus est, q; scilicet longè maior illic pecuniæ aceruus foret, q; quispiā crediderat: tradunt enim præter lapides, uestes, atq; uasa pretiosa, reperta esse nouingenta millia librarū. Quo auspicio iuuenis sublatus animo Londinū properat, conuocatoq; concilio, rex creatur, & à Balduino Cantuariensi archiepiscopo more maiorū cōsecratur. Fuit annus salutis MCLXXXIX. Is Ricardus post primum Gulielmū Normanū, à quo regum qui insecuti sunt, seriem, suprà in fine eius uitæ diximus ab Anglis inchoatam esse, primus dictus est, qui id habuerit nomē. Item eodē tempore Gaufredus eius frater nothus fit archiepiscopus Eboracensis, qui in ordine antistitū Eboracensiū trigesimus secundus ponitur. Ricardus acceptis regni insignibus summo studio classem ac omnia ad Hierosolymitanū bellum gerendum necessaria parat, & in primis indicto nouo tributo, undecunq; pro sumptibus infinitis, qui in eum exercitum impendebant, pecuniam congerendam putat. Itaq; possessiones omnes, portoria,

portoria, uectigalia, ac comitatus nonnullos cum præfecturis, partim uendit, partim oppignerat, ex qua re ingentem summam conficit: sed cum primis Hugonis episcopi Dunelmensis, hominis longè ambitiosissimi fortunas suauiter spoliat: nam pactus ingēti pretio, eum Northumbriæ comitē facit. Quam ob rem, cùm ille postea insolenter gaudio exultaret, rex eiusmodi ioculare iactabat: Magnus ego nimirum artifex, ueteranum enim episcopum feci nouitium comitem. nam post Robertū Mulberiensem à Rufo rege bello uictum, non fuerat quisquam comes eius regionis & Scoto ereptæ creatus.

Cùm ita rex domi suæ, mercatu amplissimo omnia haberet uenalia, ciues quoq; Londinenses immanes dederunt in sumptus belli pecunias, qui uicissim autoritate atq; commodo à rege aucti sunt: quia tum primùm concessu regis, comitia habere cœperunt, & sibi in singulos annos eligere binos suæ ciuitatis gubernatores, ut consules, quos Balliuos appellarunt: & primi fuerunt Henricus Cornhyllus, atq; Ricardus Fizriuerius, id est, filius Riuerij. Ita per hunc modum ciuitas paulatim apud se Reipub. regimē constituit, factaq; est multò nobilissima ac opulentissima, atque propter grauitatem, celeberrima. Quamuis ita usu ueniat, ut non omnis Londinensis pubes suis interdum maioribus digna uideatur, idq; fatum uulgò Londino assignēt, quod solum parentum indulgentia accidere satis liquet: nam illi quantū ab initio præceptores quibus pueri in disciplinam traduntur, astringunt, tantum relaxant: unde iuuentus haud sæpe imitatur parentes, qui cùm, ut plurimum, noui sint, suis laboribus, ut infrà demonstrabitur, coguntur facultates pariter atq; honores sibi parare. Quocirca uidere licet in tanta ciuitate, admodum paucos ciuium filios, qui eadem habeāt domicilia, atq; eorum maiores habuerint. Sed ea domus labes partim ex eo fit, quòd uiri morientes soleant uxores facere hæredes, & illæ iterum, etiam ætate prouecta, nubere, ac per id, in alienam familiā bonorum partem maximam secum ferre: partim quia omni tempore, permultæ ciuium familiæ mercaturæ quæstu satiatæ, uel potius contentæ, ex urbe se in agros possessionesq; conferunt, quæ ita Londino oriundæ, & alibi domicilia habentes, cùm opum copia, tum nobilitate longè amplissimæ fiunt. Forma autem ciuitatis eiusmodi est. Omnis quasi populus per artificum collegia diuiditur. exempli gratia: Lanifici de rege emunt priuilegium, quò sibi liceat inter se societatem coire, suum habere collegium, suas condere leges, quibus monopolia instituant, pretium panno laneo constituant, prohibeantq;, ne alij in urbe uendant. Est autem μονοπώλιον uox græca: siquidem μόνος solus dicitur, & πωλέω est uendo, cùm potestas uendendi penes unum est, qui pretium etiam constituat: quod reipub. ut Iustinianus ait, semper detrimentum affert. In illud uerò collegium potissimū ueniunt, qui discendo artem, annos septē, decemúe, aut eo amplius, seruiunt eiusdē collegij lanificis. Et ij dum seruiunt, aliorumq; ministri sunt, uocabulo non ineleganti appellātur paremptitij, hoc est, pares emptitijs seruis, quia perinde lanificis in eos, toto illo annorum spatio, ac dominis in seruos ius fermè est. Post exactos ministerij annos, ciues habentur: tametsi interdum sine famulatu, etiam pretio ciuitate donantur. Eodem quoq; seruitio uel fœminæ in ciuitatem adscribuntur. Quapropter quotidie multitudo puerorum nobilium æquè ut puellarum usque ab ultimis regni partibus Londinum confluit, qui ibi eo pacto diuitias, honores, & hone-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sta coniugia consequũtur. Atq; tale est institutũ, quo cætera opificũ collegia
utuntur. Ciuitas igitur ex nobilibus nouisq; hominibus aucta, suum ex ijs se-
natũ, suum nunc annuum prætorẽ, suos tribunos numero duos, hoc est, uice-
comites habet, & hos omnes, ad iura populo dicenda reddendaq;. De eiusce-
modi autem magistratuũ initio infrà lib. proximo magis clarè & plenè suo di
cetur loco. Sanè ciuitas in quatuor & uiginti diuiditur regiones, quas custo-
dias nuncupant, quibus singulis singuli præsunt aldermani, id est, senatores:
nam elder, Anglicè senior, & man homo dicitur: sed e litera in a soni causa mu
tata, aldermani uocantur. Ex istis uigintiquatuor senatoribus, prætor optaĩ,
qui prius quàm magistratum ineat, iusiurandũ apud præfectũ Statarij, quẽ
baronẽ dicunt, regi dat. Hoc regiminis quoq; genus uel non ualde dissimile
habent cæteræ ciuitates, & in primis celebriores. Satis cõmodè diuertimus.

Deinde habetur tam episcoporum q̃ principum concilium, in quo concilio antistites primùm, reliqui deinde primarij uiri in uerba regis iurarũt, promiseruntq; se in officio atq; fide mansuros. Fecit idem Gulielmus rex Scotiæ, qui ad concilium illud simul uenerat, & Ioannes, atq; Gaufredus Eboracensis antistes Ricardi fratres. At Scotus interim uel rebus suis maturè cõsuluit, qui Castellum Puellarum, Beruicum, Roxburgum, & Sterlyngum redemit à rege, quę loca paucis antè annis, Henrico eius patri loco pignoris dederat. Ricardus post hæc, de regni statu confirmando prouidere magnopere curans, præfecit parti Angliæ quæ ad Scotiam pertinet, Hugonem Dunelmensem episcopum, cui collegas dedit Hugonem Baldulphum, & Gulielmum Brunellum, uiros spectatissimos: reliquã partem regni administrandam cõmisit Gulielmo Longeshampe Elyensi antistiti, quem regni cancellarium fecerat, uiro impigro, cæterùm factioso, & potentiæ, honoris, diuitiarum auido. Normaniæ uerò & Aquitaniæ præfectum fecit Robertum Lecestriæ comitem. Item domi senatũ constituit ex sapientissimis quibusq; uiris, ad quem omnia referrentur. Postremò quasi futurorũ præscius, hoc est, prouidens insidias, quas fratres in ipsum molituri erant, uetuit Ioannem & Gaufredũ usq; dum ab domo abesset, Angliam ingredi. Quod tamen decretum ut protinus rescindere tur, mater Aleonora, ne filij inter se dissidere, nèue odio laborare uiderentur, impetrauit. Quibus rebus ita constitutis, dum Ricardus iter maturat, fertur sereno cœlo, ad Dunstablum uicum apparuisse medio die in aëre crucem, & in ea imaginem hominis pendentis. Quo ostento rex cõcipiens animo spem bene gerendæ rei, confestim cum florentissimo exercitu in Normaniam profectus est. Hîc conuocatis ad se tam Britanniæ quàm Aquitanię principibus, exquisitim consultat, quot potissimum naues, quantum militum numerum, in Asiam traijceret, eosq; admonet, ut Roberti præfecti dicto audientes sint. Quo facto, & parata iam multarum nauium classe, Girardo Auxitano archiepiscopo, Bernardo Baiocẽsi episcopo, Roberto Sabeollo, Ranulpho Fulgerio, & Henrico Baldulpho, strenuis ducibus classis prefectis negotiũ dat cibaria parãdi, in sexaginta minimũ dies: militũ uerò centurionib. iandiu antè delectis, ut equis armisq; instructi atq; ornati adsint, edicit. Interea dum præfecti & centuriones imperata huiusmodi faciunt, ipse posteaquã multa quæ è Republica esse uidebant, constituerat, ut si quid in tam longo itinere humanitus accideret, multa enim pericula impendent, præter naturam, ne hærede carerer, sibi

ret, sibi in regnum successorem designauit Arthurum ex fratre Gaufredo nepotem Britanniæ ducem, altæ indolis eximiæq; uirtutis adolescentulum.

Dum ista gerebantur, & iam tempus ueris instabat, uenerunt legati à Clemente pontifice Ro. maximè omnium id negotij procurante, qui Ricardo significarent rem Christianã in Asia ita affligi, ut nullam amplius temporis dilationẽ ferre posset. Sub eosdem quoq; dies, Philippus rex itidem per literas docuit, iam se omnia quæ ad nauigandum opus essent, parasse, ad iterq; expeditum esse. Quocirca Ricardus iam rebus omnibus paratissimus, & classe ad Sequanæ ostium traducta, eôdemq; omnibus peditum equitumq; copijs cõtractis, militẽ naues ordine ac sine tumultu cõscendere iussit, ut primo quoq; die, secundo se uento daret. Itaq; ut omnes cum necessario cõmeatu, in nauibus fuerunt, ipse cum electa parte militum, ætate & uirium robore florentiũ, terrestri itinere Massiliam, quæ est Narbonensis prouinciæ urbs, contendit, ut ibi nauem conscenderet. Per idem temporis Philippus etiã rex dato signo, soluere naues imperauit, qui Ricardũ præcedens, Genuam se contulit. Classis Anglica nihil post profectionem principis cunctata, uento satis uehementi in altum delata, cursum in Massiliam direxit. Fuit ille annus salutis humanę MCLXXXX. Quantum autem militũ, aut nauiũ secum Ricardus transportauerit, inter scriptores parum constat, etsi annales qui uera loquunt, testantur fuisse exercitum ad triginta peditum, ac quinq; equitũ millia. Peruenit Massiliam interim rex, ubi dum aduentum classis opperitur, cõmeatum & cætera omnia nauigationi necessaria magno studio comparat. Classis interea uento in altum delata, dum cursum, ut dictum est, in Massiliam tenet, oborta subitò tempestate, diuersa agitur, ac aliæ aliò naues iactantur. Ferũt Anglis penè fluctibus submersis, & Deum identidem inuocantibus, diuum Thomam martyrem diuinitus adfuisse, eosq; bonis uerbis consolantem, salutem certam promisisse, atq; statim pòst ingentem maris tranquillitatem esse secutã. Vbi tempestas per hunc modum sedata est, naues cœptum iter sequentes, aliæ post alias Lusitaniam proximam partem Hispaniæ, quam nunc Portugalliam appellant, cursu petunt, quò tamen prius quàm perueniant, à Saracenorum piratis Hispaniæ oram latrocinijs infestam assiduè reddentibus, multis incommodis afficiuntur. Hîc dum classis sereficit, Ricardus cùm iam pertęsum esset tantæ moræ, arbitrans classem tempestate impeditã, ad diem constitutũ adesse minimè posse, conductis undiq; nauigijs, in Siciliam ire perrexit: qui infero mari celeriter percurso, post trigesimumnonum diem, quàm à Gallia recesserat, Messanam urbem Siciliæ maritimam attigit, quò etiam paulo antè Philippus rex amissa bona parte classis, peruenerat, atq; ibi ambo hybernandũ constituunt. Classis Anglica interim Massiliam profecta, cognito regis discessu, confestim Messanam traiecit.

Sub idem tempus, Gulielmus secundus Siciliæ rex Panormi moritur, nullo legitimo hærede relicto, cuius regni proprietas ad Romanum pontificem pertinebat. Insulani tamen heroës, Tancredũ statim substituêre, ex Rogerio auo Gulielmi, & concubina natũ, hominẽ tantæ socordiæ, ut eum Gulielmus negaret ex Rogerio genitũ. Is licet Ricardum magno apparatu hospitio acceperit, non ei tamen fidebat, quòd ille dotem Ioannæ sororis uiduę quæ Gulielmo regi nupta fuerat, intempestiuè repeteret, quam ipse in numerato non

Universidad de Deusto
Biblioteca

habebat, uerebaturq́, ut Clementis pontificis partes sequeretur, qui in Sicilię regnum ius se habere contendebat: quare omnia loca præsidio firmat, cōsilia cum ciuibus Messanensibus clàm confert, quemadmodū cogere posit Anglum ab insula decedere, incœptumq́ maturius accelerare iter. Hæc cogitantibus ciuibus, facilè ab Anglo data est occasio tumultuandi. Porrò cùm militum nonnulli se licenter gererent, ita ut fit, in magno hominū numero, Messanenses mínimare permoti, arma ceperunt, factoq́ derepentè impetu, Anglos ex urbe eiecerunt, clausisq́ portis, se ad resistendū muniere. Ricardus qui extra urbis muros statiua habebat, ijs rebus cognitis, ira accensus, militem arma sumere, ac ad oppugnandam urbem aggredi iubet. Dum Angli se expediunt ad iniuriam ulciscendam, Tancredus aliquot regni principes ad Ricardū mittit, qui exponant, nihil suo aut publico factum consilio, sed tumultum ex insitia leuitateq́ uulgi ortum, & propterea nolit quicq́ grauius de ciuitate iudicare, neq́ de sua erga Siculos beneuolentia diminuere, cùm ipse præsertim sit in autores tanti facinoris acriter animaduersurus. Interuenit etiā Philippi auctoritas, ad controuersiam eiusmodi dirimēdam. Quibus rebus factum est, ut Ricardus in præsens urbem oppugnare distulerit. Tenebant se interim Messanenses intra mœnia, & læsi principis iram timentes, de industria tempus reconciliationis usq́ eò extrahebant, dum Anglus superueniente uere, abiret. Atqui non latuit ea res Ricardum, qui animaduertens uerba rebus esse contraria, & se ab oppidanis ludificari, admotis subitò scalis, alijsq́ bellicis instrumentis ad muros, subiectoq́ igne portis, tanta ui repugnantes adortus est, ut unius diei labore, fractis mœnibus, portisq́ reuulsis, urbe potitus sit, tantum abfuit, ut oppidani diutius resisterent. Bene multi utrinq́ interfecti sunt, maiorq́ cædes secuta foret, nisi Ricardus iussisset militē ferro abstinere, commotus ciuium precibus ueniam miserabiliter rogantium. Sedato motu, ac nonnullis Siculis recentioris doli autoribus pœna affectis, Tancredus nō multo pòst adfuit, qui conscius culpę, quòd Messanenses incitasset ad expellendum Anglum, ne Ricardo deinceps suspectus foret, postq̄ immanē pecuniam ab amicis mutuatus est, reddita Ioannæ reginæ dote, se pacē pecunia redemptorum, atq́ ut eandem noua affinitate confirmaret, filiam (nomen puellæ annalium scriptores, ut solent, non ponunt) Arthuro Britanniæ duci in matrimonium daturum pollicitus est. Vtrunq́ libenter audiuit Ricardus, qui consultè in gratiam & Siculum recepit, & affinitatem non neglexit.

Ita peractis rebus inter Siculum & Anglum, grauior inde discordia inter Gallum & ipsum Anglum orta est, quò, credo, semper esset aliquod impedimentum, cur cōmunibus rebus minus subueniretur: non enim tulit ęquo animo Philippus, quòd Ricardus coëgisset Siculū sua imperata facere, atq́ grandi pecunia pacem redimere. Quapropter ardentes inuidia Franci, insuper iracundia & audacia impulsi, minimam nacti occasionem, primùm ita cum Anglis altercati sunt, ut deinde ad arma utrinq́ concursum sit. Fuisset magna cædes facta, nisi refrixisset subitò: nam pro se uterque princeps impetum repressit. Veruntamē ea pugna cum primis nomini Christiano malo fuit: nam Philippus qui Ricardum uiolati hospitij criminis & auaritiæ accusabat, quòd ciues Messanenses, qui cibaria, qui hospitia militibus parauissent, iniuria affecisset, non suorum culpa, sed speciatim Anglorum contumelia, atque insolentia ad arma uentum esse prędicabat. Accessit ad iram, quòd Ricardus infamiliari colloquio palàm dixit se filiam regis Nauarræ ducturum in matrimonium, repudiata Adela eius sorore: quod per idem tempus & fecit. Quare deinceps etsi rem quæ ei erat ineluſa medullis, prudens dissimulauit Philippus, odiū tamen incredibile semper in Ricardū habuit. At ineūte iam uere, Philippus prior educta classe, è Sicilia digressus, prospera usus nauigatione, Ptolemaidē quam Acconē uocant, à nostris diu antea obsessam peruenit, qui positis nō procul ab urbe castris, hostes ualde terruit, nostrorū uerò & copias, & animos adauxit. Post hæc, ubi militē à laboríb. refecerat, in oppugnationē simul cum cæteris ducibus, totis uiribus incumbere cœpit. Ricardus interea rebus cum Tancredo cōpositis, unà cum Ioanna sorore, quę Berengariam puellam filiā regis Nauarræ sponsam ducebat, nauē ingressus est, ac cum tota classe ex Siculo litore in altum delatus, in grauem incidit tempestatem, qua iactatus, in Cyprum insulam tandem peruenit: & cùm ab insulanis portu prohiberetur, ui ingressus, ac eam latè populatus, magno suorū firmauit præsidio, captiuis nonnullis apud se retentis. Hîc Berengariā sibi matrimonio iunxit, factisq́ nuptijs, inde digressus, Ptolemaidem in castra profectus est, cùm oppugnaretur tum acriter urbs, quæ magno Saladini præsidio tenebatur.

Interea in Anglia ex insolentia & auaritia Gulielmi Elyensis antistitis initiū magni mali ortum est: is homo terræ filius, uti in prouerbio habetur, diu rerū indigens, subitò factus díues, cùm paulo antè creatus esset à Cœlestino pontifice Romano legatus, mutationem fortunæ male usurpans, dominatum sibi affectabat. Quocirca acto episcoporum cōuentu, multa suo arbitratu ad proprium commodum immutat, subornatusq́ pecunia ab Hugone episcopo Cestrensi, monachos de sacerdotum collegio, quod Conuentricę erat, ejicit, presbyteris in eorum locum substitutis, qui uulgò seculares dicuntur. Exin præfectis quos Ricardus constituerat discedens, omni administratione deiectis, Ioanni insidias molitur, ueritus, sicut aiebat, ne is regnum occuparet, si fortè Ricardus sine liberis moreretur. Item Gaufredum alterum Ricardi ex concubina fratrem Eboracensem archiepiscopum, è loco sacro ui extractum in carcerem mittit, quem tamen rogatu quorundam episcoporū, qui pro eo promissa fecerant, statim pòst educi iubet. Postremò nobiles uiros quos cōtra suam libidinem uenturos tandem aliquando timebat, passim fortunis spoliat. Cæterùm hæc atq́ alia eiusmodi quanquam tyrannidem præ se ferebant, homo tamen callidus officii nomine calumniam prætegebat: nanq́ ideo reliquos præfectos regni se priuasse potestate prædicabat, ut ne populus multorū dominatione fastiditus, quereretur se loco unius regis, plures habere reges: & Ioannis simul cupiditatibus se obuiam ire, ne in regnum aut uiuo Ricardo inuadere, aut eo mortuo, illud Arthuro eripere auderet: atq́ demum pecuniā exigere, ut regi tantū bellum gerenti necessariā suppeditaret. Quid, quòd aliam addebat causam, se ea omnia iussu regis facere, perinde quasi fas esset, ius omne principis iussu rescinderet? Verū huiusmodi rationes ut cōfictæ erāt, ita parū ualuere. Quare sic animi omniū irritati erāt, ut nihil propius factū esset, q̄ ut seditio aliqua fieret: propter quod nō multo pòst ab Alenonora matre factus certior de eiusmodi facinoribus Ricardus, statim principes tumultuātes retinere in officio literis, nūtijs, præmijs, pollicitationib. magnopere studuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac simul per literas Elyensem admonuit, ut cum populo mitè ageret, quò in fide sponte sua permaneret. Atq; sic præceps Elyensis furor parum restinctus est, cùm alia parte, paulò ante pascha, orta turba, inter Christianos & Iudæos, qui Eboraci & Lincolniæ agebant, ciues sumptis festinanter armis, miseros Hebræos uiros pariter ac fœminas trucidarũt, extra paucos, qui professi sunt se Christianos fieri uelle. Id facinoris rex grauiter tulit, quòd in bellũ proficiscens ab ipsis Iudæis fuerat ualde pecunia adiutus.

Iam alter agebatur annus, cùm in obsidione Ptolemaidis adhuc perseuerabatur, & hostes uidentes aduentu duorũ regũ, sic esse auctum Christianorũ exercitũ, ut si facto impetu, urbem oppugnarent, ęgrè resistere possent: tandẽ spoponderunt se deditionem facturos, ac partem crucis reddituros, quam in ea ciuitate esse ferebant, si cuncti qui in præsidio erant, cum singulis uestimentis, incolumes dimitterentur. Admissa cõditione, Ptolemais siue Accon biennio obsessa nostris dedita est. Hîc inter Latinos principes, æmulatione imperij atq; uirtutis discordiæ iampridẽ exortæ, manifestè gliscere cœperũt, quod inferius planius fiet, & in primis inter Austrenses, hoc est, Pannonios superiores & Anglos, id mali ortũ habuit. Sanè Austrẽses gloriæ captæ urbis inhiantes, primi signa in muris posuere, quę Anglus ilicò in terrã excussit, suaq; subiecit: quod facinus Ricardo deinde malo fuit. Recepta per hunc modum Ptolemaide, pars ciuium captiuorũ à Philippo educta cum Christianis captiuis commutatur: alteram partem quam Ricardus deduxit, quia dominica crux non est reperta, idq; barbarorum fraude factũ credidit, momento interemit: fuerunt numero circiter millia septem: quare Ricardo uitio datum est, quòd non seruasset barbaros ad captiuorum Christianorum cõmutationem: sed ferox animus seipsum continere non potuit. Saladinus Ptolemaide amissa, desperans posse reliqua loca tueri, quæcunq; urbes uisę sunt situ & opere minus idoneæ ad resistendum, eas mœnibus nudauit. In ijs fuerunt Porphyria, Cæsarea, Ascalon, & Gaza. Ricardus cõtrà cùm Philippus Galliam repetiturus, bello iam abstinere inciperet, Ioppem instaurauit, eoq; Christianorum coloniam deduxit. Est enim Ioppe urbs Palæstinæ, quæ, uti Plin. lib. v. testat, ante terrarum inundationẽ, quę tempore Noë accidit, cõdita est, habetq; portũ cõmodissimum, quapropter Ricardus locum retinendum cõstituit. At Saladinus de Hierosolymis Christianis relinquendis, consilia iam agitabat, ut tandem aliquando tam longo bello defungeretur, cùm audita Philippi & Ricardi discordia, in ea retinenda urbe perseuerauit. Enimuero cũ Philippus & Ricardus totis uiribus in oppugnationẽ Ptolemaidis incumberent, ac sæpe iunctis armis, sæpeq; separatis copijs, muros inuaderent, & modò alijs atque alijs consilijs ac artibus uterentur, simultatũ ueterum facilè memores cœpere sensim inter se dissentire, ac alter alterius dictum factumúe ita improbare, ut ex huiusmodi uaria belli gerendi sententia, initium magnæ discordię sit factum. Quæ res & multorum ipsorum fortiter factorum memoriam obscurauit, & Reipublicæ nostræ uires maximè debilitauit, corrupit, sicut infrà demonstrabitur. Quocirca Philippus uir & ipse magno animo, ac magnarum rerum cupidus, cùm fortunam belli nostris obsecundare cerneret, & sibi persuasum haberet Ricardum animi magnitudine ac ferocia cæteris ducibus Christianis longè præstantiorẽ, non facilè posse socium belli gerendi ferre, arbitratus est se cum

se cum tali ac tanto belli cõsorte, nihil ferè suo ductu aut arbitratu glorioſum esse facturum: qui ex ea æmulatione concitatus, & eius cœli grauitatem excusans cui obnoxius esset, ex Syria primo uento nauigat in Apuliam, & inde Romam uoti causa profectus, in Galliam reuertit, relicto Odone Burgundiæ duce in bello Hierosolymitano, qui rem Christianã iuuaret. Cœlestinus tertius Romanus pontifex, qui Clementi succesſerat, Philippũ redeun tẽ ex Syria, dũ Romæ fuit, maiorem in modum rogauit, ut nihil in Ricardum, in quem infesto perspexerat esse animo, postquam se in Galliam recepisset, moliretur, quò tam utilis Reipublicæ Christianæ dux à sacro bello non auerteretur. Cæterũ Philippo ex Syria decedente, Ricardus quem suo, ut dicitur, Marte facere in primis iuuabat, maiore quidem animo quàm antea ad rem bellicam aggreditur: quo potissimum tempore, duo sicarij Conradum Montiferratensem Tyri in foro ambulantem interfecerunt, qui ex fuga retracti, exquisitissimis cruciatibus affecti, confessi sunt statuisse se omnibus Latinorũ ducibus per eum modum necem machinari.

Eisdem temporibus in Anglia Ricardus assiduis suorum querimonijs soli citatus per literas, Elyẽsem antistitẽ omni administratione priuauit, in eiusq; locum Gulielmũ Rothomagensem archiepiscopũ subrogauit. Quo facto inimici gaudentes, in Elyensem iam de statu deiectũ autore Ioanne conspirant. Itaq; habito concilio, cæteri episcopi hominem cum multis alijs, more suo, publicè execrantur, q; ille iussisset Gaufredum Eboracensem antistitẽ in custodiam, prout suprà dictum est, tradi, & reliqui talia iussa executi essent. Quibus rebus cognitis, Elyensis peiora & ea quidem digna factis suis timens, muliebri uestitu amictus in continentem transmittere tentat, qui litus ab inimicis circa Douerum teneri resciscens, quippe illis eius fuga clàm minimè fuit, atq; hucatq; illuc errabundus dum nauem quæritat, fortè cognitus capitur, contemptusq; ab omnibus in carcerem conijcitur, cogiturq; primũ arces omnes quas adhuc retinebat, reddere: deinde spoliatus fortunis omnibus proscribitur. At Ioannes inimicus eius acerrimus nequaquam tali contentus uindicta, contendebat ut fœdissimo quoq; ignominiæ genere afficeret: episcopi tamen ordinis memores id fieri prohibentes, continuò eum missum fecerunt. Elyensis in Normaniam unde oriũdus erat, profectus, de accepta iniuria tam apud Cœlestinũ pontificem Romanum, q; apud regem Ricardum per literas conqueritur, simulq; obsequio & largitione gratiam ab Aleonora & Ioanne summo studio inire nititur. Optimates regni post Elyensem ab omni administratione deiectũ, sedulò de Republica bene gerenda agitabant, unà cum Rothomagensi antistite, quem tametsi iussu regis, gubernatorem regni sibi delegerant, attamen summa rei penes Ioannem, hominẽ ad humana diuinaq; omnia perturbanda natum, erat, sensimq; crescebat. Vnde cùm multiplex malorum origo, tum præcipuè regni Hierosolymitani ingens manauit labes: nam is dominandi cupiditate incensus, dum regnum sibi parare conatur, à Philippo ex Syria reuerso solicitatus, statim cum eo secreta consilia de occupãdo fraterno regno confert, ac non multo pòst nihil esse uolens moræ, iamq; palàm faciens quod occultauerat, ad Philippum simulato negotio, eundum sibi constituit: uerùm matris precibus à tanto facinore auersus est.

Post interfectũ Conradum, de quo suprà meminimus, Henricus Campa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niæ comes Isabellam quæ illi nupta fuerat, sororem Sibyllæ reginæ, quæ paulo antè in castris cũ quatuor filijs ex Guidone Lusiniano procreatis, dysenterię morbo interierat, in matrimoniũ duxit, dotisq; nomine Tyro potitus est. Ricardus uerò Guidonem Lusinianũ comiter appellando, Cyprumq; insulã offerendo, eò pellexit, ut ille ei Hierosolymitani regni iure cesserit. Quo factũ est, ut cæteri deinceps Angliæ reges huius regni titulum aliquandiu usurparint. Guido libenter Cypriũ regnum ab Anglo accepit, quod post eum, Lusinianorũ familia ad memoriã usq; nostrã possedit. Ricardus ex his animo auctus, Hierosolyma oppugnanda constituit. Itaque unà cum Odone Burgundionum duce, exercitũ iam eò ducebat, cùm Saladinus derepentè extremum agmen adortus, coegit nostros iniquo loco prœliũ facere. Pugnatũ à meridie usq; ad solis occasum, cùm hostis tandẽ non sine magno Christianorũ incommodo uictus, se ad Bethleem uicũ recepit, ibiq; metatus est, ut interciperet cõmeatus, quò minus ex Aegypto ad nostros Hierosolyma obsessuros deportarent. Ricardus cum Odone, postridie illius diei nõ procul ab Hierosolymis positis castris, cõsilia de urbe oppugnanda agitabat: cùm ab exploratoribus cognouit ingẽtem camelorũ multitudinẽ ex Aegypto cum cõmeatibus illuc pergere, ex quo ei in mentem uenit, illos intercipere. Itaq; delecta non mediocri militum manu: de media nocte profectus prædam omnem cum præsidio cepit, atq; in castra perduxit. Hactenus res Christiana prospera, eratq; ferè in tuto, cùm rex post maturã consultationẽ de Hierosolymis actutũ armis petẽdis, ueritus rei frumentariæ inopiã, & quia iam æstas præcipitabat, atq; ita anni tẽpore excludebatur, relicta tam necessaria obsidione, in hyberna Ascalonem cõcessit, etsi Cœlestinus Ro. pontifex missis etiam in stipendiũ militum pecunijs, eum uehementer dehortabatur obsidẽdi tempus extrahere. Nudauerat muris hanc urbem Saladinus, quos hybernorũ tempore instaurauit Ricardus, loci opportunitate allectus. Odo in hyberna ad Henricũ Campanum suæ gentis hominem diuertit. Atque ita nostri cùm nihil propius esset, quàm ut uberrimũ adeptæ paulo antè uictoriæ fructũ caperent, ac ipsa urbe sancta potirentur, obsidioni cõmoditatem hyemandi imprudenter anteuerterũt, id quod nocuit tantùm rei Christianæ, ut semel inclinata nullo consilio, nullaq; ope in præsentia restitui potuerit: nam uires paulatim nostrorum diminutæ sunt, alijs aliò copijs maritimis dilabentibus. Porrò Pisani qui eo triennio militando naues contriuerant, supplementiq; maximè indigebant, in Adriaticũ delati Polam capiunt, eodẽ loci hybernaturi. Veneta classis Pisanã secuta, Polam itidem peruenit. Hìc Veneti aucto nauiũ numero, Pisanos ex urbe eiciunt, eamq; diripiunt. Cœptum est inde inter eos acriter pugnari, exarsisset; mutuo urgente odio, bellum ingens, ac toto mari apertè certatum esset, nisi Cœlestini autoritas intercessisset, pacatæq; eius arbitrio res essent.

Dum ista gerebãtur in Asia, Philippus ratus esse tempus sui diuturni iam saturandi odij in Anglum, consilia de bello mouẽdo cum suis summo studio habebat: et quamuis nonnulli rectè sentientes dehortarẽtur, ne Ricardo bellum faceret, qui rem Christianã armis defendebat, dicerentq; si aliter faceret, dubio procul esse futurum, ut contra religionem fecisse iudicaretur, ille iuuidia tamen magis quàm ratione ulla ductus, solicitauit quamprimũ Ioannem, ad nouas res in fratrem moliendas; utq; facilius iuuenis animũ alliceret, promittebat

mittebat se ei, qui id temporis cœlebs erat, daturũ Adelam sororem in matrimoniũ cum grandi dote, quam suprà docuimus ob suspicionem amissæ pudicitiæ, à Ricardi cõiugio repulsam fuisse, atq; auxilium ad regnum fraternum occupandum laturũ. Mouerunt ista facilè Ioannem regnandi percupidũ, qui nisi cognito cõsilio à matre Aleonora prohibitus fuisset, confestim specie cuiusdam simulati negotij, ad Philippum aduolasset. Qua re cognita, Francus urgente aliquo malo dæmone, ut par est credere, ultimũ Hierosolymitani regni fatum, sumptis repentè armis, Normaniam hostiliter ingreditur, captisq; primo aduentu aliquot oppidis, in quibus Gisortiũ fuit, quod ei tradidit Gilbertus Vasco loci præfectus, totam eam regionẽ, licet, uti uidebatur, satis Ricardi præsidio munitã, ferro & igne deuastat. Atq; ita uetus simultas causam dedit Franco mouendi arma in Anglũ. Illo ipso quoq; tempore Anglia, ut nihil ad res ubiq; gentium turbandas deesset, opera & largitione Elyensis antistitis, seditionibus passim laborabat. Appropinquabat iam uer, Ricardusq; Hierosolyma petiturus rebus omnibus paratus, atq; præmissis commeatibus ad obsidionem continuandam necessarijs, educere copias in expeditionẽ maturabat, cùm ecce tibi subitò nuntiatur Philippum regem eo consilio Normanicas res diuexare, ut ad Angliam inuadendã sibi uiã referet, & eam adeptus Ioanni eius fratri possidendam tradat. Quo nuntio Ricardus supra quàm dici possit animo turbatus, de domestica calamitate cum cæteris ducibus continuò ac dolenter cõmunicat, incusans identidem Philippũ, q̃ nulla habita nominis Christiani ratione, aut religionis reuerentia, eo potissimum tempore in se odium atq; iras explere uoluisset, quo iam de hostibus triumphus penè acquisitus esset. Quæ res non minus tunc nostrorum omnium animos conturbauit, q̃ paulo pòst iam diuulgata barbaris spem uictoriæ certam dedit. Ricardus itaq; tanto affectus dolore, q̃ tam insignis uictoria inimicorũ odio de manibus amitteretur, ueritus ne dum procul à patria pro Republica Christiana belligeraret, damnum domi pernicioſum non faceret, cum Saladino hoste conditionibus bellum necessariò composuit, ut nostri præter Ptolemaidem (Tyrus enim & alia quædam loca minus illustria iam antea à Christianis tenebant) cæterea eo triennio de hostibus capta restituerent, & Saladinus à Christianorum rebus manus abstineret. Hasce pacis conditiones barbarus callidè à nostris petiuit, ut scilicet loca amissa recipiendo, satis edoceret istorum duorum regum conatu nihil esse in Syria memorabile gestum, atq; in alios inde à bello sibi faciendo facilius deterreret, quando secum cogitarent operam tantorum principum in rem Christianam enauatam frustra fuisse. Quem herde rei euentum fertur Ioachimus Abbas uir sanctitatis fama præclarus, prædixisse regibus, cùm in Sicilia essent, affirmans nondũ aduenisse tempus, cùm Hierosolyma à nostris reciperentur. Sed ad rem. Et quia ea pax magis necessaria quàm honesta erat, atq; ut ne Christiani generis uiri qui illic remanebant, parum suis uiribus quandoq; confisi, aut à barbaris fracto fœdere uexati, in desperationem salutis adducerentur, dicitur Ricardus ad cõfirmandos illorum animos, inuidiamq; leuandam discessionis, quam facturus erat, priusquam abiret, eiusmodi uerba fecisse.

Ea quidem principes molestissimè mortales ferre debent, quę ipsorum culpa male ceciderunt: contrà minus doloris accipere, si quid secus acciderit, cũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio poscat, quàm prouisum sit, quàm religio iubeat. Hæc nostri erit medicina doloris, quam ipse mihi feci: quippe ego bellū post hominū memoriā longè iustissimū gesturus, ut nihil esset, quamobrē postea tempore excluderer, à principio curandum mihi constitui, ut nullas hostium insidias domi, nullam foris sociorū defectionē, nullam inopiam stipendij, nullam denique ciuium seditionem pertimescerem, postquam patriæ finibus pedem extulissem. Itaque pacem & amicitiam cum finitimis regibus, & in primis cum Philippo Gallorum rege, qui iuxtà mecum bellum hoc Reipublicæ Christianæ tuendæ causa suscepit, conciliaui, simul consilia cum eodem communicaui, arma sociaui, uires coniunxi: domi præfectum feci Gulielmum Elyensem episcopum, cui comites & adiutores negotiorum publicorum dedi eos, in quibus fidem esse putaram, & dignos quibus talia cōmitterem. Ioannem fratrem quem possessionibus, honoribus, familia ornaram, cōmonefeci, ut meorum populorum cōmodo pariter atq; quieti studeret. Opes mecum tuli, ut ne meis itineribus homines perterrerentur, néue exhaurirentē, neu cōmouerentur. Atq; hęc summa prouisio, hæc cautio, hæc uitatio rerum omniū fuit, quas duxi mecum alioquando impedimento esse posse, cur minus incœptum bellum cōtinuarem. Sed ô uanam humanorū cōsiliorum curam, multò enim aliter, & puncto quidem temporis, omnia nostra ceciderunt, atq; cogitaueramus. Primū Elyensis episcopus ad nimiam leuitatem ambitionemq; euectus, domi non se Reipublicæ rectorem, sed tyrannū, non domus custodem, at expilatorē gesit. Deinde Ioannes frater beneficiorum, humanitatis, item cognationis immemor, ac cupiditate ductus, me opib. me honore, me regno priuare, excludere, spoliare conatur. Ita me maximè omnium ire perditum festinat frater, qui pluribus omnibus apud me erat. Quis, prò bone Deus, fratrem de quo sis plurimum bene meritus, tibi cauēdum putaret: adeò tot inuolucris ac uelis quibusdam hominum natura obtēditur, ut nullo pacto perspici possit. Postremò Philippus rex belli socius, cui iam inde ab initio cùm in eius familiaritatem intraui, omnia tutò credenda duxi, nō modò bellum cōmunibus auspicijs sumptum gerere noluit, uerumetiam me solum uobiscum gerentem turbandū, uexandum, auertendum à tanto incœpto statuit: qui nunc sic Ioannem fratrem pollicitationibus, promissis, pactis onerauit, atque adeò infatuauit, ut per eum, res meæ domesticæ in id discrimen sint adductæ, ut mihi aut paternum regnum amittendum, aut rebus omnibus prætermissis, primo quoq; tempore domum repedandū sit. Hoc posterius patriæ charitas, officium, decus admonet, ut superiori anteuertam. Ecquis enim ex omni hominum genere non immeritò me culpauerit, accusauerit, amentiæ conuicerit, si dum Hierosolymitanum regnum alijs recuperandum curabo, meum amisero? His igitur de causis in Angliam reuocor, uosq; tametsi grauatissimè deserere cogor, qui decreueram, aut hîc glorioſe mortem oppetere, aut domum cum laude redire: idq; non sine dolore facio, cum uestri forsitan iudicij summo errore, qui spes uestras iampridem in me sitas habetis. Sed principes meum non est peccatum, at potius Philippi, qui fidem, qui ius, qui fas uiolauit, à quo Deum opt. max. breui tempore pœnas meritas petiturū, uobisq; pariter opem laturum confido, postquā deserti ab hominibus, deserti inquam estis culpa unius eatenus, quoad mihi per hasce pestiferas simultates licebit uobis auxilium ferre, qui interea

interea nō debetis desperare quietē, cùm uobis pax sit cum barbaris, qui longo similiter bello fatigati, pacto ultrò dubio procul stabunt.

Ita fatus, suosq; consolatus, Ricardus parata iam classe, Berengariam uxorem cum Ioanna sorore, & magna suorum parte, in Siciliam, & inde in Angliā præmittit, ipse uerò cum paucis Thraciam cursu petens, in grauē incidit tempestatem, qua iactatus in Dalmatiam defertur: hîc mutato uestitu per Germaniam iter facere, ac modò equo, modò pedibus in Angliam redire constituit: ita lento incedebat gradu: qui ubi ad superiorem Pannoniā peruenit, quam hodie Austriam uocant, cogitās se in bello Hierosolymitano, orta ex reminima, inter Austrenses & suos milites discordia, indecēter iussisse signa Leopoldi ducis Austriæ (is etiam in bello interfuit) ex muris captæ Ptolemaidis deici, sicut suprà ostendimus, ac simul certior factus ab speculatoribus famā sui aduentus per eam regionem passim uulgari, cœpit sibi timere, & ob id non nisi exploratè ac prætentatis itineribus transire: atqui nullo consilio fatum euitare potuit: sanè ut primùm Viennam ingressus est, quæ prima est Austriæ urbs, eum partim lingua hominem Anglum esse, partim illud ipsum indicauit, q̄ carius multò obsonabat, quàm deceret personam, quam ipse cum humili ueste gerebat: proinde bene multis hoc pacto cognitus erat, cùm peruasit rumor per uulgus, Ricardum adesse. Quocirca dux confestim custodes circa domū dispositi, ubi ille hospitio acceptus erat, ut nemo inde homo elabi posset, ac mox alios misit exploratum, quales essent intus hospites. Ricardus posteaq; est enuntiatum satellites ducis in uestibulo esse, tum spem fugiendi esse nullam uidens, resumit regalem uestitum, ac eam animi constantiā qua in bellicis rebus semper usus erat, militibus ostendens, quærit, ecquid sit, cur armati circumstent: quibus seipsum petere uociferantibus, respondet, nō decere, ut rex alio nisi duci se captiuū tradat, ac propterea si dux uelit ipse uenire, eius se fidei ultrò commendaturum: itaque duci ilicò aduentanti obuiam factus, tradito prius gladio, in illius potestatem uenit. Leopoldus talem prædā ex insperato sibi euenisse gauisus, regem blandè appellando in suas ædes perduxit, atque custodiendum certis heroibus cōmisit. Fuit is annus salutis humanæ MCXCIII. Audiuerat interea ex rumoribus qui iam per totam Germaniam dissipati erāt, Henricus Imperator Federici primi filius Ricardum à duce captum, qui optimè noscens quantæ essent Anglicæ opes, cœpit sedulò agitare animo quomodo ab eius manibus tam opulentam prædam eriperet: legatos igitur celeriter misit, qui eum multa admonerent, quamobrem non posset apud se tutò, nec diutius tantum regem in custodia seruare, quādoquidem Ro. pontifex in primis iuberet, ut illum dimitteret, deinde & cęteri principes illud idem flagitarent, qui si ipse dicto non parēret, postulationibus sue non satisfaceret, proculdubio uim adhiberēt: & propterea sibi traderet custodiendum, qui bono modo curaret, ut Ricardus grandi se pecunia redimeret. Dux partim his rationibus, partim metu motus (nouerat enim Henricum ex ea re lucrum facere affectantem non quieturū, usq; dum prædæ particeps fieret) regem oratoribus tradidit, quem Henricus ad se ductum prius quàm alloqueretur, in uincula duci iussit, ut Ricardus indignitate rei & dolore uincu lorum ampliorem pecuniam offerret.

Eodem tempore Philippus certior factus Ricardum teneri in uinculis, lęti

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia exultat, & ut cupidus nocendi, confestim secretis nuntijs Ioannē illius fratrem ad se accersit, hortaturq; ut nunc data demū facultate bene gerendę rei, uelit regnum Angliæ de fratre capere, & ad id maturius perficiendum, auxilium pollicetur. Non mediocris fuit momenti apud Ioannem Franci incitatio: quippe qui sua cupiditate etiam inflammatus, ubi primum in Angliam rediit, facta coniuratione, copulat sibi aliquot adolescentes sui similes, eosq; aduim atq; arma cohortatus, nōnulla derepentè loca expugnat, facto q; ex quocunq; genere perditissimorum hominum exercitu, reliqua loca pari celeritate occupare cōnitit ur. At principes regni cognito tam nefario uesani iuuenis facinore, sumptis cuestigiò armis, eius conatibus se opponūt, atq; primū obsidione cingunt castrum Vindesoriū tanquam locum natura & opere cæteris munitiorem: deinde summo studio exercitum contrahunt. Hæc res ita cōiuratorū animos infregit, ut reddito protinus castro, alij aliò se in pedes dantes capti sint, atq; merito supplicio temeritatem luerint. Ioannes factionis caput, arbitrans fratrem moriturū in uinculis, festinanter in Gallias ad Philippū confugit, ut ibi nouam armatorum manum primo quoq; tempore faceret.

Interea Cœlestinus pontifex grauatissimè ferens Ricardū, qui pro re Christiana tutanda, tam graue bellum procul domo paulo antè gessisset, custodia teneri, tam duci Austriæ, quàm ipsi Imperatori mādat, ut quamprimùm eum dimittant. Cui Henricus tam opimam prædam sine magno lucro reddere nolens, respondet, se paratum esse Ricardum missum facere, si prius tamen ille sibi restituerit, quæ superiori tempore Syriam petens in Sicilia rapuisset. Porrò Henricus non multo antè regnum Siciliæ consecutus fuerat: nam cùm Cœlestinus pontifex iniquo animo ferret Tancredū in Sicilia regno potiri, Constantiam Rogerio natam, qui rex fuerat Siciliæ, monacham occultè ex cœnobio eductam, atq; religionis lege solutam Henrico matrimonio locauit, Siciliamq; ei cum Calabria & Apulia, dotis nomine dedit, ea conditione, ut annuū uectigal penderet Rom. pontificibus, quò dominij iura sibi conseruaret. Eam calumniā quanq; facilè Ricardus purgauit, affirmans se nō spoliasse Siculos, sed dotem sororis recepisse, attamen illud cum primis certum habebat, se nisi grandem pecuniam solueret, nullo pacto dimissum iri: quapropter Hubertū Sarisberiensem episcopum, uirum nempe probum (is ex Syria rediens in Sicilia paulo antè nouerat, quemadmodum rex in inimicorum manus incidisset, & idcirco omisso itinere incœpto, ad eum diuerterat) in Angliam misit, qui regij senatus autoritate, indicto pro redemptione tributo, pecuniam colligeret. Dum ille summo studio pecuniam exigendam curabat, Imperator cùm à suis atq; alijs principibus rogatus, tum à pontifice reprehensus, demū in colloquium duxit Ricardū, cui multa ac uaria in se atq; Leopoldum ducem commissa delicta obiecit, de quibus ille posteaquā abundè respondit, iuuantibus qui aderant principibus ad pactionē uenit, ut redemptionis nomine solueret millia librarū ducenta, siue prout quibusdā placet, cētum quadraginta millia marcharum, quarum tertia pars duci Austriæ obueniret. Itaq; rex ubi cognouit quanti libertas redimenda esset, ad suos quęstores scribit, ut statim exactā ex tributo pecuniam ad se deferant. Illi etsi crudelissimè imperatam pecuniā collígebant, quippe qui non tantum per æstimationes possessionū & rerum, quàm per arbitrium suum exigebant, tamen acceptis regijs literis, ita passim pro

pro suis etiam cōmodis, omnia rapere cœperunt, ut nō tributum pro redemptione regis impositum, sed publico edicto, omnia generatim Anglorum bona quæstoribus regijs prædæ esse data iudicares. Quo factum est, ut præter cæteras priuatas opes, uasa etiam sacra aurea siue argentea ex templis sublata fuerint, ex quibus multò plus pecuniæ conflatum est, q; principio fuerat imperatum. Interea dum alij tributo colligendo student quæstores, ab alijs bene magna pecuniæ summa in Germaniam apportata soluitur, & pro reliqua parte inde soluēda, relicto apud Henricum obsidum nomine Rothomagensi antistite, & nonnullis alijs episcopis ac heroibus, qui ex Anglia eò concurrant, Ricardus post decem & quinq; menses, q; in carcerem coniectus fuerat, dimittitur, qui magnis itineribus, ac illis quidē deuijs, in Angliam cōtendit: cùm enim Henrici fidem suspectā haberet, cōsultò quamcelerrimè potuit de eius finibus decesit. Quæ res haud dubiè ei saluti fuit: nam Imperator secundum regis profectionē à Gallo instigatus, insidias meditabatur, ut eum quē iam pœnituerat missum feciss e, in perpetuā custodiam traderet. Rediit Ricardus incolumis in Angliam, atq; inuiso diui Thomæ mausoleo, Londinum cum magno populi plausu, omni multitudine obuiam effusa, se recepit.

Hæc incōmoda atq; uitæ pericula, Ricardus bene multis mortalibus uisus est suo accepisse atq; subisse merito, q; ipse commodis Christianæ reipublicę, quam defendendam susceperat, suum statim cōmodum antepositisset: q; & ea quæ antea pulcherrimè fortissimeq; fecisset, postremò fructu ueræ gloriæ carere, ac à laude maximi animi, ad opinionem formidinis conuerti uoluisset. Quippe illi argumentabant nihil supra eius extitisse caput, quod pertimescendum foret, cùm neq; Ioannis perfidia, neq; Philippi odiū nociturū esset Ricardo, pro quo Normani, Aquitani omnes æquè atq; Angli, quibus ille imperabat, fortiter pugnarēt. Ricardus proinde culpabatur, q; potius ardore quodā ulciscendi, q; perdendi regni sui metus causa, certā paratāq; uictoriā amisisset, id quod paucis pòst dieb. subitus Saladini interitus declarauit, quo nullo dubium fuit, quin minimo conatu res Christiana in ea Asia terra, in integrū restitui potuerit. Ferunt in Saladini funere (haud piget narrare rem memoria dignam) interiorē eius tunicam lanceæ trunco suspensam instar trophæi prælatam præcone clamāte, Saladinus Asię dominator ex tanto regno, tantis q; opibus, nihil secū præter hoc unū defert. Fuit certè spectaculū tanto rege dignū, cui nihil aliud ad summam laudem defuit, nisi ueræ religionis cognitio. Ricardus cui nihil magis in optatis erat, q; persequi iniurias à Philippo acceptas, qui etiam tunc Normaniā bello premebat, & domi omnia fratris Ioannis opera, turbata erant, nō ignarus quanta ex seditionibus etiam minimis incōmoda ad punctū temporis oriri cōsuessent, ut ne dum foris bellum gereret, domi laboraret proditionibus, principes omnes ad se primo quoq; tempore uocauit. Hīc habito concilio, primum ipsos optimates collaudauit, q; summa erga se fide semper stetissent, quòd fratris conatibus restitissent, quòd se denicq; & in bello & dum in custodia teneretur, pecunia iuuissent: dein Ioannē fratrem & omnes eius socios de consilij sententia, honoribus atq; fortunis priuatos, hostes patriæ iudicandos, reliquos uerò illius sectæ qui capi potuerunt, merito supplicio afficiendos curauit. Item omnia ea quæ ad officium suum, aut ad aliquam Reipublicæ partem pertinere putarat, rectè constituenda decreuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quò suorum salutem sibi charam esse doceret. Itaq; eius nutu archiepiscopatus Cantuariensis, qui post obitum Balduini, qui in Syria mortẽ obiuerat, ad eum usq; diem gubernatore caruerat, Huberto Sarisberiensi episcopo defertur: fuit is ordine antistitũ alter & quadragesimus, quamuis ante eum electus fuisset Reginaldus Bathoniensis episcopus, qui tamen ex eo quòd prius mortuus est, quàm illud munus obiuerit, nõ est usus locum obtinuisse. Et pro uasis quæ ex sacris ædibus ablata, ac paulò antè tributi nomine, in pecuniã cõflata, quæ rei potissimũ diuinæ faciundæ usui fuerant, alia principis sumptibus conficiuntur, atq; ad pristinũ usum restituuntur. Præterea iura ac leges cum mensuris & ponderibus corriguntur. Hæc postquã Ricardus è republica sa cienda curarat, persuadens sibi adeò in hoc negotio publicæ seruisse utilitati, ut si in aliquo alio detraheret quippiã, cunctos æquiore animo passuros, ecpit paulatim possessiones ac cætera omnia quę ante profectionẽ suam in Syriam uendidisset, pignerauisset ue, repetere: & ut ne uiolentia uideretur esse, singulos quosq; comiter appellando, prædicare se pro certo habere suos principes, ciues, ac amicos nolle sibi beneficiũ fœnerari, sed contentos uectigalib. quæ hactenus cepissent, non omnino negaturos ea reddere, quæ ipse eis non uenditionis, sed tantũmodo mutuationis aut pignoris nomine locasset, cùm præsertim cuncti certò scirent ipsum nõ posse sine possessionibus illis regio ritu uiuere uitam. His blandis uerbis ac terrificis rationibus adeò omniũ uoces perstrinxit, atq; ora præclusit, ut nullus ausus fuerit quicq̃ contrà mutire, præter Hugonem Lincolniensem episcopũ, qui eam postulationẽ periniquã esse, non tacuerat. Sic ille sine pretio, bona à redemptoribus maturè recepit, quanquã multi ne tertiã quidem partem sortis ex fructibus possessionũ accerãt. Sed longè bellissima arte, monachos præsertim Cistertienses ad libertatem in se utendam prouocauit: ingentẽ enim pecuniã à collegio mercatorum, qui Caleti ex lana potissimũ negociantur, mutuã sumpsit: postea monachis expositi se inopia coactum, ac eorum beneuolentia fretum id fecisse, & propterea rogare, ut uellent tantũ lanæ ipsis mercatoribus pro acceptis ab se pecunijs dare summi beneficij loco, cuius se memorẽ fore pollicebatur. Monachi ijs precibus uicti ad extremum regi morem gesserunt.

Ita Ricardus locupletior factus, dum classem ad trajiciendum in Normaniam, & exercitũ parat, fit certior Vernolium à Gallo obsideri, ac nihil propius esse, quàm ut ille oppido potiatur, nisi maturè subuentum sit: qua re cognita, in Normaniam celeriter transmittit, & iam suis subsidio ire contendebat, cùm Philippus cognito hostis aduentu, iamq; spe potiundi oppidi amissa, quod frustra bis antea armis inuaserat, soluta obsidione, in Eburouices inuasit, eorumq; urbẽ, quã paulò antè bello diuexarat, primo accessu cepit, ac magna ex parte euertit. Ricardus cõtrà ingressus agrum Gallicum, tribus cohortibus ad oppugnandam Ruelli arcẽ missis, Lochias circunsedit, breuiq; in deditionẽ uenire coëgit. Interea cohortes cùm octo dies arcem natura loci munitissimam frustra oppugnassent, superueniente Philippo populabundæ ad suum ducem reuersæ sunt, agris atque uicis quacunque iter fecerant, deuastatis. Philippus post hæc Ruelli arcem, ut ne quando q; ab hoste capta sibi impedimento esset, educto præsidio diruit. Dum tantis odijs bellum utrinq; geritur, rogatu quorundam antistitum, reges inter se inducias in paucos

cos menses faciunt. Quæ res nullis profectò commodo fuit: nam utercq; dato istiusmodi breui temporis spatio, interim non quieuerunt, sed urgente odio, bellum redintegrare cupientes, nouos quotidie delectus militum habere, noua auxilia ab amicis petere, arma, classemq; parare, & denicq; nouas insidias animo meditari tendereq;. Sed uide rem mirabilem, non modò ambobus regibus idem belli, uerumetiam in pecunia à certis speciatim hominibus petenda studium fuit, adeò, ut simul unum consilium cepisse uideri possent: nam cùm pecunia non suppeteret ad continuum bellum gerendum, & populis partim quotidie noua tributa soluẽdo, partim suis sumptibus bellando, propè ad inopiam redactis, grande æs alienum multiplicatum esset, uisum est non indignum esse, si adhuc sacerdotibus, quibus cum religionis causa, hactenus esset mitius actum, ex ijsq; nullus haberetur delectus, nouum tributum imponeretur: ac ut honesta causa rem minus æquam tegerent, prædicandum constituerunt se eam pecuniam facere, ut in stipendium darent illis, qui in Syria rem Christianam armis tuerentur, quanquam illud minimè omnium cogitarant. Itaq; Ricardus in Turones profectus, primò à cœtu Turonensi, deinde ab alijs sacerdotibus, qui in principatu eius Gallicano erant, grandẽ pecuniæ uim exegit. Philippus itidem, sed acerbius multò, intolerabiles sacerdotiorũ decimas indixit confestim suis quæstoribus soluendas, qui extra pecunias imperatas colligendo, suo etiam priuato compendio seruientes, duriter miseros sacerdotes facultatibus spoliare. Sacerdotiũ autem, ut suo tempore præfemur, cùm sit dignitas, munus, & officium sacerdotis, ac ob id possessiones datę, ut de ipse sacerdos uiuat, non absurdè usu uenit, ut nos munus illud & possessiones ipsas modò sacerdotia, modò beneficia uocemus, quemadmodũ eo uerbo ipse hîcatq; alibi cõmodè utar. Ricardus dum induciæ manebant, in Angliam reuersus, paucos dies moratus est: nam cùm audiuisset, ab hostibus copias paratas teneri, ut si qua imposita esset dimicandi necessitas, subitũ casum expeditius exciperet, in Normaniam properè redijt, & iuxta fines Gallorum castra metatus, tempus obseruabat, cùm induciæ exirẽt, ne prælio quicquam præuerteretur. Itidem Philippus copulato sibi Ioanne fratre Ricardi, militem cupiditate pugnandi ardentem paratum tenebat.

Dum his de causis, certatim reges celeritati student, ut citius furorem animi pugnando emittant, Cœlestinus pontifex Romanus missis ad utrunque nuntijs, quantum in eo est, reclamat, detestatur, prohibet bellum tam Christianæ rei calamitosum, per quod Syria hostibus proderetur. Verùm exacto induciarum tempore, nihil pontificis uocibus moti, quòd explere inimicitias, saturare odium decreuissent, iterum erumpunt. Ricardus Issodunum, quod est oppidum ad Biturigum fines situm, quò à Franco exercitum induci audierat, pergit, eoq; loci aduentum hostis totum diem præstolatur: sed ille ex re sua esse, non uenire ratus, haud comparuit. Ricardus postero die inde se ad arcem Brisoni mouet, eáque primo accessu capta, ac diruta, Nouacortem contendit: quò cùm uenisset, comperiens magno præsidio locum esse munitum, non ante tertium diem oppugnare incipit: qui ut spes omnis subsidij oppidanis adimatur, portas murósque obseruari iubet, milites disponit, non certis spatijs intermissis, sed perpetuis uigilijs, stationibusq;, ut contingant inter se, & id noctu siue interdiu continuent. Quo fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum est, ut postridie eius diei, oppidani deditionem fecerint. Francus interea Damallam, seu Albammallam obsidebat, cùm Ricardus Nouacorte suorum præsidio munita, superuenit, commissoq; prælio, Francum ab obsidione auertere nititur. Verùm Angli ex itinere fessi, ac in pugnam temerè lapsi, impetum hostium minimè ferentes, nõ sine magno detrimento pedem more sugientiũ referre coacti sunt. Francus fugato hoste, Damallam reuersus, arcem primò expugnat, deinde facta potestate præsidio cum armis discedendi, oppidum recipit, arce solo æquata. Interim Anglus recreato parumper à laborib. milite, Millionem proficiscitur, oppidumq; armis adortus momẽto occupat, atq; complanat. Post hæc, inter reges iam longo bello fessos, de pace cœptum est agitari. Quod Ioannes audiens, ueritus ne per conditiones pacis, à Franco non proderetur, ad extremum existimauit uni duntaxat fratri prœterea nemini confidendum, qui supplex in conspectum Ricardi uenit, & eum pro salute sua orat, rogat, obsecrat, ut sibi fraternè ignoscat, quod non fraternè fecisset: fœdus fraternæ pietatis commemorat, fratrisq; in se merita exponit, quorum se ut impium & ingratum, immemorem hactenus fuisse dolet: q; uiuat, q; uicturus sit, eidem acceptum refert. Hæc quàm potest dimississimè atq; subiectissimè exposuit. Eius oratione rex motus fertur respondisse, se parcere quidem, sed tantum optare, ut quandoq; iniurias ab eo acceptas penitus obliuisci posset. Quibus uerbis confirmatus Ioannes iusiurandum dedit, pollicitus se errores depositurum, officioq; superaturũ, qui haud ita multo pòst in pristinum honoris locum restituitur. Eisdem temporibus in Austria posteaquã fama & pestilentia est aliquandiu laboratum, dux Leopoldus morbo tentari cœpit, qui diu cruciatus miserabiliter interijt. Filius qui successit, ratus patrem ob id cruciatu confectum uitam amisisse, quòd Ricardum inhumaniter tractasset, qui sacrum bellum gesserat, primo quoque die Anglicos obsides missos faciendos, pecuniæq; bonam partem debitam Ricardo remittendam curauit. Fuit ea res Ricardo tam iucunda, quàm salutaris, quoniam ipse postea cogitationem suscipere cœpit, quanta sibi quoque crimini danda essent, quòd simul Deum, simul homines offendisset: mirum dictu est, quàm melius uitam deinde instituerit.

Pax inter reges, de qua suprà diximus agitari, nequaquam conuenit, quare statim pòst Francus ad fines Normaniæ profectus, Vernonem obsidet. Erat intus bene magnũ Ricardi præsidium, quod usq; eò hostium impetum tulit, dum rex auxiliũ tulit. Franci cognito regis accessu, intermissa parumper obsidione, se accingũt ad prœliũ cõmittendum, ut ne imparati offendantur, si Anglus pugnandi potestatem faciat. Hic aiunt reges autoritate pariter quorundam antistitum, atq; rogatu principũ, diuinitus pacem inter se conciliasse, illiusq; conditiones eiusmodi fuisse, ut Francus concederet Anglo in perpetuum tempus, Issodunum cum adiacenti agro, simulq; cederet iure ac possessio ne Auernorum, Vasconumq;: contrà Anglus Gisortiũ oppidum Franco donaret, quod ille de ipso antea captum adhuc retinebat. Verũ cùm satis cõstet, paucis pòst diebus, maioribus utrinq; quàm antea odijs, ad arma concursum esse, uerisimilius est credere, uel inducias paucorũ quidem dierum inter eos pactas, uel bellum continuatum, nulla facta mentione pacis, quæ si qua fuisset, fucosa fuisset. Post receptam à Franco Damallam, Balduinus comes Flandriæ,

driq; qui Philippo comiti quinq; antè annis ad Ptolemaidem sine liberis mortuo, ex sorore Margarita nepos, & Annoniæ regulus in principatũ successerat, à Philippo defecit, quem Reginaldus Castrimartini comitis filius, uir bello strenuus secutus est. Hos Ricardus sibi belli socios adsciscit, & ut huiusmodi bello totis uiribus seruire liberius possit, Raimundũ Tolosatiũ comitem, cum quo ueteres ac magnas diu cõtrouersias de eo comitatu habuerat, uti antè dictũ est, sibi affinitate & amicitia deuinciendum constituit. Itaq; cùm paulo antè Constantia Philippi regis amita, quæ cum comite nupta fuerat, à uita discessisset, Ioannam sororem uiduam, quam Gulielmus Siciliæ rex in matrimonio habuerat, ipsi Raimundo collocat, remittitq; omne suum ius, & ea affinitate atq; noua comitis Flandriæ societate auctus, maiore quidem animo, quàm antè bellum instaurat: qui ubi militem armis paratum uidit, significat Balduino comiti consilium suum esse, ut uno tempore diuersis locis hostem pro se quisq; lacessat, & si id sibi cordi est, quam primùm incursiones in extrema finium faciat, ac diem constituat, quo simul in Francũ exeant. Placuit consilium comiti, & prior Attrebatium urbem, quæ uulgò hodie Arras nuncupatur, populato circũquaq; agro, armis inuadit. Ricardus itidem Gisortium petens quacunq; ibat, uicis, agris, arboribus igne & ferro deuastatis, ac Corcella arce diruta, oppidũ obsidet. Philippus duplici bello uno temporis punc̃to lacessitus, missis nonnullis cohortibus, quæ suis aduersus Flandrum comitem præsidium ferrent, statim in Ricardum, unde maior uis belli imminebat, proficiscitur: qui ad suos in oppidum penetrare nixus, aliquandiu ab Anglo aditu prohibitus est, ad ultimum tamen uincente uerecundia metum, simulans in certamen descendere cum hoste, qui ob illud ipsum, se parum procul à muris receperat, & momento contendens non sine magno suorũ detrimento in oppidum inuasit. Anglus post ingressum Philippi nihil se animo dimittens, sedulò oppugnationem continuat, sed cùm prepotens hostis, & obsidio in loco egregiè cõmunito in multos dies tolerabilis esset, omnis ille labor euasit inutilis. Quare ille perspectis difficultatibus, ne frustra tempus terat, celeriter illinc Claromontẽ uersus discedit, & quaquauersum omnia procursationibus uexando, ingentem prædam facit: quam cùm Bellouacorũ ingens armata manus duce Gulielmo Demellio, ad hostes profecta magno conatu recuperare niteretur, fortè in insidias præcipitata capitur. Dum ista à Ricardo geruntur, Philippus nequaquam minore Normanos detrimento afficit, prædatus per omnem agrum à Nouoburgo usque Bellimontem Rogerij. Comes Balduinus interea feliciore euentu bellum gesit, qui præter multa atq; uaria data Francis damna, Fanum Odomari oppidum celeberrimũ munitissimumq; cepit.

Dum ita infestis animis armisq; reges inter se dimicant, atque passim locis omnia humano cruore fœdata, rapinis, latrocinijs, iniurijs, ac cæteris ciuilium tumultuum malis opplent, Innocentius tertius Romanus pontifex, qui in locum Cœlestini tertij paulo antè successerat, & in bellum Asiaticum iam inde à principio intentus fuerat, fit certior Henricum Imperatorem Panormi in Sicilia obijsse mortem, & Germanos qui illius auspicijs in Asia, Maguntini antistitis, ac Saxoniæ ducis ductu, contra communes hostes bellum gerebant, ob mortem principis, iam de reditu tantum cogi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tare, prouidere, parare: qua de re bonus pater ualde anxius, ualde rei Christianæ uicem dolens, dandam operā sibi constituit, ut graues & multas principū offensiones aliquo pacto leniret: qui confestim ad Philippum & Ricardū reges, Petrum Capuanum Cardinalem misit, qui doceret, propter recentē mortem Henrici Imperatoris in Asia cuncta turbari, & nisi reliqui principes Christiani, quorum ipsi capita erant, properè opem ferrent, de re Christiana breui tempore actum fore, ac propterea eos suis uerbis hortaretur, ut omnes inimicitias religioni, cuius causa agebatur, concederent, condonarent, atq; cæteris omissis rebus, facta pace, huic bello tandem aliquando operam darent, & ea quæ meruissent præmia, à Deo opt. max. deuictis hostibus, expectarent. Hęc etsi magna ad cohibendam furoris rabiem, non adeò tamen mouerunt obstinatos regum animos, ut pacem uellent, quandò illi nullis neq; pretio nec precibus adduci potuere, ut res nostras in Asia adhuc stantes iuuarent, uel casuras saltem miserarentur. quare uix in quinq; annos induciæ factæ sunt. Hanc pertinaciā non tam Philippo q̄ Ricardo assignabant, cui ut priori læso propositū esset, uel uincere, uel nunquā cedere. Fuit is annus cùm hæc gesta sunt, humanæ salutis MC XCIX, & à gubernatione regni Ricardi decimus.

Secūdum has inducias utrinq; datas, statim calus tulit, ut simultas quæ inter hos duos reges propediem extingui putabatur, uehemētius renouata sit. nam cùm in Germania pars electorum Othonem Saxoniæ ducem, ex sorore Mathilde Ricardi nepotem, pars altera Philippum Henrici Cæsaris fratrem atq; Hetruriæ ducem, quem Henricus ipse moriēs tutorem filio Federico reliquerat, Imperatorē optandum curaret, ut latius serperet discordia, rex Franciæ Philippo, rex Angliæ Othoni fauere cœpit, quos cùm Innocentius pontifex prospiceret ex isto negotio facilè ad arma rursum ituros, nisi maturè prouideretur, & ut ne simul incendium quod huiusmodi fomitibus alebatur, ad Christiani nominis perniciem glisceret, Othonem renūtiauit Imperatorem, ab ijs iam antea factum, quibus Imperatoris eligendi ius erat. Quocirca deinceps Philippus, q̄ in creatione Imperatoris, aduersante Anglo, frustra operam negotio tribuisset, & Ricardus quòd repugnante Franco, perdifficiliter id quod exoptasset, tandem consecutus esset, multo quàm antea capitalius odium alterius in alterum ardere cœpit. Ricardo tamē per inducias pace domi parta, nihil prius fuit, quàm de adeunda rursum Asia cum exercitu cogitare, ut Christianis principibus, prout è Syria superioribus annis discedens se facturum promiserat, opem ferret: mordebat enim eum ualde recordatio amissi olim triumphi in illo Hierosolymitano bello, sic, ut quotiens propter res gestas, ad spem quandam immortalitatis raperetur (rapiebatur autem crebrò) solitus esset exclamare, se non semper fuisse sapientem. Sed mox è medio repentè sublatus, consiliū exequi nō potuit. Per idem tempus, autore Huberto Cantuariensi antistite, monachi in collegiū Conuentrense restituti sunt, quos suprà scripsimus ab Elyensi episcopo Romani pontificis legato, perperàm inde electos fuisse. Rex consumpta in bello Gallico magna pecunia, coactus est tributum populo indicere, ex quo posteaquam immanem summam conflauerat, arcem munitissimam in Normania in loco edito ad Sequanam, quam Fortem appellauit, eo anno ædificauit: ab incolis Castrum galiardum, hoc est, munitum, ualidum uocitatur. Hanc Ricardus cùm perfectam contemplaretur,

retur, iocosè suis heroibus dixisse fertur: Ecce pulchra unius anni filia. Locus autem ubi ea arx condita est, ad Rothomagensem archiepiscopum pertinebat, unde magna inter regem & ipsum antistitem lis orta, diu sub iudice fuit. Verùm ad ultimum rex causa cecidit, iudicio stetit, atque libens Rothomagensi satisfecit.

Iam ab omni bello uacuū otium erat, cùm Ricardo in mentem uenit, nonnullos Pictonū principes mulctare, quòd Philippum regem contra se uenientem iuuissent. Itaq; instructo exercitu, dum in Pictones pergit, protinus instante fato, quo mortem oppeteret, fit in itinere certior, thesaurū à quodam suo milite esse inuentum: quare subitò substitit, militemq; ad se uocari iussit. Ille ratus regem nequaquam æquabiliter thesaurū partiturum, in Lemouices se recepit, q̄ illi licet Angli beneficiarij essent, cum Franco tamē stabant, atq; intra Calacū oppidum receptus, sui seruandi causa, bonam pecuniæ partē oppidanis dedit. Ricardus secutus militem fugientē, uel atq; adeò, ut ita dicam, malum suum dæmonem, in fines Lemouicū properè contendit, ac oppidum modis omnibus expugnandū statuit. Atqui in annalibus inueni Ricardum ea de causa Calacum petisse, quòd ibi fama esset, uim magnam auri esse reconditā, quam habere appetebat: id porrò quod longè uerisimū esse ducimus. Igitur rex primo accessu oppidum acriter aggreditur, sed quia illud suapte natura tutissimum erat, & illi qui intus erant, satis se prius ad tolerandam obsidionem muniuerant, cœptum est post triduum, utrinq; remissius pugnari. Tum rex agere in oppidum cuniculum constituit: itaq; dum ipse parū cautè locum speculatur, per quem cuniculus duceretur, emissa de muro sagitta uenenata, ut creditum est, uulnus letale in læuo brachio accepit, quo confestim negligenter alligato, tanto deinde animo instituta oppugnationem continuauit, ut duodecimo deinde die, oppidum expugnarit, nullo tamen, quod quisquam prodat, eo loci inuento thesauro. Quo tempore uulnus male curatum ita eum grauare cœpit, ut se ex eo breui moriturum non ignoraret. Quapropter pœnitens male hactenus actæ uitę, de peccatis ilicò ritè confessus est, ac eucharistia multa cum ueneratione sumpta, percussori pepercit: licet ille eo insciente, deinde excruciatus, suspendio necatus fuerit. Testamento prius facto, quàm in Asiam iret, hæc addidit, ut pecunia & cætera priuata supellectilia in tres diuiderentur partes, quarum unam Otho Imperator ex sorore nepos, alteram sui domestici, tertiam pauperes haberent. Ad extremum memor sepulturæ, iussit ut corpus suum terra humaretur ad cœnobium diui Ebrulphi, ad pedes patris, de quo palàm fassus est, se fuisse male meritum: sed cor Rothomagi seruaretur, quoniam eam ciuitatem, ut fidam, miro semper amore complexus est, ibiq; multum erat: reliqua uiliora intestina in Pictonum terra, ut suo principi ingrata recōderentur. His actis, ui morbi ex mortifero uulnere perurgente, octauo Idus Aprilis à uita excesit, annum agens ætatis tertium & quadragesimum, qui decimus, ampliusq; menses nouem, ac dies uiginti, fuit, cùm regnare cœperat, ac humanæ salutis MCC. Corpus trifariam diuisum, prout ipse moriens præceperat, sepulturæ datum est. Ex se liberos non genuit. Statura corporis fuit iusta, læta & honesta facie, in qua multum gratiæ, grauitatisq; inerat: sed quò pulchrior corpore, hoc animi altitudine præstantior, unde nō immeritò cognomen inuenit, qui Cor Leonis uocatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Militibus indulgens, in amicos & hospites munificus, hostis durus & implacabilis, dimicandi cupidus, quietis fugiēs, promptus in periculis, ac nullo metu perterritus. Et hæ quidem eius uirtutes. At uitia, si uirtutes, si ætas, si denique quæ bella gesserit, ex æquo considerentur, aut omnino nulla, uel pusilla in eo fuisse reperientur: apud enim uulgus notatus est superbia, quæ plerūq; animi magnitudinem sequitur: item libidine, quam iuuenilis parit ætas: & demum auaritia, cuius infamiam duces & Imperatores pro bellis gerendis, passim ab omnibus amicis pariter atq; inimicis pecuniam qua maximè opus est, exigendam curantes, haud facilè uitare queūt. Fuerunt ea tempestate uiri ingenio & pietate clari, Balduinus Cantuariensis antistes, qui secutus Ricardū in Syria uitæ cursum cōfecit: Hubertus, qui illi successit: Hugo episcopus Lincolniensis, cui ob uitæ splendorem, summus generatim ab omnibus habitus est honor: sed de eo plura in uita Ioannis dicemus. Gulielmus Elyensis episcopus, cuius multas uirtutes etsi ingentia uitia æquabant, eius tamen opera sæpe magno fuit usui Ricardo. Floruere uel militari gloria complures, Robertus Lecestriæ comes, Ranulphus Fulgerius, duo Baldulphi, Hugo & Henricus, Gulielmi tres, Marescallus, Brunellus, & Magniuilla, ac duo Roberti, Rossus & Sabeollus.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XV.

DEMORTVO Ricardo, uaria Gallicanorum populorū qui Anglorum ditionis erant, studia esse cœperunt. Causa seditionis erat, quia nobilium pars Ioannem Ricardi fratrem, pars Arthurum ex Gaufredo fratre, qui ætate Ioanni anteierat, Ricardi nepotem quem ille testamento hæredem fecerat, principem sibi optandum iudicabat. Ioannes autem primò Chinonem profectus, ærarium multa pecunia refertum expilat, dein à Rothomagensibus acceptus, itidem illic facit, summa in omnes liberalitate usus: qui ita militum populariumq; animis sibi largitione conciliatis, Normaniæ principatum occupat. Ciues uerò Andegauenses cum Cenomanis, ac Turonibus, pro ueteri erga suum legitimum principem obseruantia, in Arthuri ducis Britanniæ potestatē ultrò ueniunt. Interea Aleonora mater Ioannis, cuius autoritas apud Anglos summa erat, persuasore Huberto Cantuariensi, cum nonnullis alijs optimatibus minus recta sapientibus, à tota Anglia iusiurandum Ioanni dandum curauit. Quod cuncti minus grauatè fecerunt, propter Arthuri ætatem, perinde quasi illi hæreditas uenire deberet, qui legitimo hæredi annis præstaret. Aleonoram uerò sola inuidia mouebat, quippe quæ perspiciebat futurum, ut si Arthurus regno potiretur, Constantia eius mater cuncta suo arbitratu ageret, usq; dum filius pro suo iure regnaret. Adeò difficile est, ut mulierum ingenia natura plurimum diuersa, possint uoluntate coniungi. Hæc ubi Constantia pueri mater cognouit, muliebri pauore perculsa, cùm iam uideret suos casus esse sibi alienis opibus sustentandos, protinus filium Arthurum Philippi regis Franciæ fidei cōmisit, ut hoc pacto eum eatenus ab inimicorū iniuria prohiberet, quoad ille ipse ad uim propulsandam, & auitum regnū recuperandū ido-

neus esset. Suscepit Francus magnificis uerbis tutelam pueri, promittēs se futurū illi loco patris, excolendo atq; optima suggerendo. Itaq; Arthurū bonis artibus erudiendū nonnullis ex suis heroibus, sapientia & probitate longè principibus, primò cōmittit, ac deinde Britanniā & cætera eius principatus loca Gallico præsidio firmat. Terruit ea res Aleonorā, quæ ut ne Aquitania interim amitteretur, transmisit celeriter mare, ac ad Ioannē in Normaniā uenit. Hîc ambo ueriti, ut populariū animi timore affecti, ab se auerterentur, sumptis repentè armis, in Andegauensiū agrum erumpunt, eorū urbem primo impetu capiunt, ciues aut obtruncant, aut captos in custodiam tradunt: sed speciatim crudeliter in eos animaduertūt, qui Arthurū iuuissent. Quo feliciter confecto negotio, tantos metus alijs intulerunt, ut sponte ad officiū redituri, ac in eo deinceps permansuri uiderentur. Francus qui aliud pro cōmodo suo meditabatur, ac leui occasione bellū Anglo facere, rem tunc dissimulauit. Ioannes relicta matre in Aquitania, quæ eam tueretur, & in Gallijs compositis per hunc modum rebus, in Angliam traiecit, ut rex maturè crearetur. Quare conuocato quamprimū principum concilio, quod Londini frequens habitum est, Hubertus Cantuariensis antistes, ut qui cæteris ætate & honore antecedebat, ita dicitur pro concione effatus:

Non ambigo, honestissimi pontifices, atq; fortissimi principes, uos hodierno die eo animo huc uenisse, ut uobis regem optetis, qui, si opus sit, de tota re deliberet, qui ea quę suis ciuibus conducere putauerit, prius exequatur, si res postulet, quàm de ijs consilium cepisse uideatur: qui is demum sit, qui totum animū, curam, & cogitationem suam in eo tantummodo, quod non ex re sua, sed ex Republica esse nouerit, ponat, putetq; se ad patrię ac totius regni sui usum, non sibi soli natū. Et licet certò sciam uos non ignorare ista omnia abunde in Ioanne duce Normaniæ, uiro forti & homine prouido esse, quamobrē debeatis eum imperio dignum iudicare, tamen ueritus ne uos moueat uulgi aura, néue studium uestrum eò fortè in aliū uertere libeat, quòd regnum iure hæreditario alteri potius quàm ipsi deberi uideatur, me audiatis oro, & hortor, qui duplicem personam sustinens, nō solùm exemplo & hortatione, sed etiam fide & consilio debeo meę patriæ esse utilis, idq; libenter hactenus feci, re studui. Igitur cùm in præsens de tanti negotij cōclusione agatur, ut nō sit, quod rursus in posterū tempus cogitetur, Ioannem uobis ex animo cōmendo, eiq; id munus uobis deferendum iudico, qui in omnibus rebus quas statuet, quas decernet, quas aget, opinionbus uestris dubio procul optimis suis actibus sic respōdebit, sic satisfaciet, sic seruiet, ut uniuersus populus sit factū uestrū non modò comprobaturus, sed summis laudibus ad cœlum laturus. Ista uobis polliceor, & quantū in me est, omnes etiam casus futuros, omne periculum simul præsto. Hæc ubi ille dixerat, cōplures tacuere, multi certatim Ioannē regem consalutarunt, quem ipse Hubertus more maiorū, eodem ipso die sacrauit, ac cuncti principes in eius uerba iurarūt. Fuit is annus salutis humanæ MCCI. At quidam ex primoribus, qui rectè sapiebant, quiq; Ioannem intus & in cute norāt, ut dicitur, ualde demirati sunt Hubertū antistitem uoluisse cum primis, aut fraudandi Arthurū optimum adolescentē regno auito, aut cōtra ius fasq; Ioannem regem creandi autorē esse, cùm scire debuisset autorem mali sæpe ipso malo peiorē haberi, quando per eum nō stat, quin cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus longè peius agatur. Quare etiam tunc multi ita futurum iudicarũt, ut res ipsa breui tẽpore tam autoribus quàm populo male caderet. Ioannes rex factus, promittit se primũ summæ habiturũ curæ cuncta, quæ ad religionem pertinerent, deinde leges emendaturũ, ac postremò ius unicuiq; sanctè redditurum: id quod magis fecit, ut institutũ imitaretur superiorum regum, qui initio principatus, grandia polliceri consueuerant, quàm quòd in animo haberet, fidem promissorum seruare.

Dum ista geruntur in Anglia, Philippus rex Francus coacto confestim ingenti exercitu, in Normanicũ agrum erumpit, Eburouicum urbem, Arcas, nõnullaq; alia loca capit, atq; inde progressus Cenomanos recipit, paulò antè metu abalienatos. Altera parte, impigra Britannorum manus Gorneium, Butauentum, & Gensolinum oppida occupat, ac uictoriam secuta Andegauensium urbem recuperat, quam proximo anno de principe Arthuro Ioannes ceperat. Quibus rebus cognitis Ioannes ualdè permotus, Francũ incusabat, quòd uiolasset inducias, quas ille in quinq; annos cum fratre Ricardo pactus fuerat, eiq; nihil longius uidebatur esse, quàm cum Philippo manus conserere: quare in Normaniam celeriter profectus, cùm cõgrediendum esset, ut impar uiribus, animo repentè defecit, atq; ita rem in præsentia querelis, non armis peragere constituens, dum cõsultando tempus terit, ultrò citroq; missis legatis, conuentũ est inter eum & Francum, ut tempore & loco cõstituto, in colloquium de pace ueniretur. Itaq; post diem tertium, ex eo die, habito colloquio, inducias quinquaginta dierum pepigerunt. Comes Flandriæ Balduinus Anglicanarũ partium caput, quẽ superiori libro ostendi se ad Ricardum adiunxisse, ut est certior factus de inducijs inter reges pactis, doluit per hunc modum spatiũ parandi se ad maiorẽ pugnam hosti esse datum: quare ad Ioannẽ propere Rothomagum uenit. Hîc renouato fœdere, de bello gerẽdo in Francum, posteaquã inducię exiuissent, simul deliberãt. Atq; ita inito consilio, comes in Flandriam digreditur. Ioannes noua Balduini societate confirmatus, studio bellum comparat, ut si Francus in spem uincendi ingressus, nolit æquis conditionibus facere pacem, tum ipse armis acceptam iniuriam uindicare queat. Cognito ex profugis Angli cõsilio, Francus itidem se ad pugnã parat. Iam finis propè erat induciarũ, cùm reges inter Veronem & insulam Andelinam, de pace agitaturi conuenerunt. Hîc Francus ut uictor dare conditiones pacis, non accipere contendit: contrà Anglus accipere ut uictus negat, ac ita re infecta, à colloquio discessum est: neutra tamẽ pars ad arma concurrit, donec nõ multò pòst ad colloquiũ iterum uentum sit: nam Philippus ideo abstinuit manũ ab armis, quia id tẽporis admonitus à pontifice Innocentio tertio, ut Gelbergam uxorẽ, Dalmatarum, seu Dacorum, quandò de ea re autores ambigunt, regis filiã, ab se paulò antè dimissam reciperet, dicto audiens nõ fuit, ex quo ei sacra interdicta fuerunt, qui ea pœna affectus, uxorem demum recipere coactus est. Ioãnes uerò ut semper imparatus, dum hostis domestícis calamitatibus turbabatur, sponte quieuit, quia homo laboris fugiens, minimeq; strenuus omnia malebat, quàm dimicare armis. Quodfactum ita Arthurum ducem, opera Gulielmi Rupei uiri probati, ad Ioannem per eos dies profectum mouit, ut fidem regis suspectam habens, qui hostem formidabat, statim pòst ad Philippum reuersus sit.

Exactis

Exactis autem paucis mensibus, reges ad Normaniæ limitem, iuxta Butauentum oppidum rursum conueniunt, de pace agunt. Ibi perinde ut factũ est in altero colloquio, parum utrinq; honestæ cõditiones offeruntur, Franco se superbum gerente, partamq; prædam tenaciter se possessurũ iactante, & Anglo amissa in primis repetente. Ad ultimum cùm Ioannes non minus consilij quàm animi inops, desperaret posse se per ullas pacis cõditiones loca amissa recuperare, statuit noua affinitate dedecus tegendũ. Itaq; ad hasce pactiones uentũ est, ut filia Alphonsi octaui regis Castellæ nomine Blanca, Angli ex sorore Aleonora neptis, locaretur Lodouico regis Philippi filio, cui dotis nomine, Ioannes ea omnia oppida, præter Andegauensiũ urbem (eam enim ex fœdere recepit) quæ Francus ante illũ diem de ipso cœpisset, cõdonaret. His igitur cõditionibus icto fœdere, atq; locis omnibus Franco assignatis, in quibus fuit nobilis Eburouicũ urbs, & cum primis oppida in Biturigum finibus munitissima, Castrum Rodulphi, Crasseianũ, & Issodunũ, ac ad Normaniæ limitẽ Vellocassinũ, quod Gisortiani agri pars est, cuius repetundi ius simul omne Anglo ademptum est, Ioannes qui sic sperabat pacẽ in perpetuum esse partam, puellam Blancã primo quoq; tempore ad uirum deducendã curauit, ac eo confecto negotio, in Angliam miro triumphans gaudio rediit. Verùm optimates Angli audientes cum ignominiosam pacem fecisse cum Franco, neutiquam læti uenientem exceperunt, sed ut ignauum ac omnibus consilijs præcipitem contemnere, infestisq; animis insectari maledictis cœperũt, quippe qui eam rem non tam sibi probro ducebant, quàm iam tum animo prospiciebant regnum magnum ob id damnum esse facturum. Sed Balduinus Flandriæ omnes belli socius, hominem cum primis deinceps nullo habuit numero: quare coniuncta cum Franco quamprimũ amicitia, ad bellum Asiaticum animum adiecit, quod & non ignauiter gessit, uti infrà edocebimus. At ipse Ioannes parto iam otio, illudq; in maxima securitate trahẽs, delicijs cõtinuò, ut fit, ac uoluptatibus deditus, omniq; prætermisso officio diligentis & moderati imperij, solùm ut malis auaritiæ uenenis imbutus cõciliandæ pecuniæ studiũ habebat, qui tributo acerbissimè impositio, in omniũ generatim fortunas imminebat, uidebaturq; breui inuasurus. In qua re cùm à Gaufredo fratre antistite Eboracẽsi reprehenderetur, tantũ abfuit, ut æquo animo audiret, ut eum quoq; spoliarit, ab se q; ablegarit, nec ullo obsequio placari, leniri, mitigari deinde potuerit, ut ante duodecim menses, in gratiã reciperet. Illud Ioannes eo consilio fecit, non quò fratrem peius omnibus oderit, sed ut alios itidem lęsos à cõquerendo deterreret: qui ita spolijs onustus, exin in Normaniam profectus est, ubi facto diuortio cum Auisia filia Roberti comitis Glocestriæ, quã in matrimonio habebat, quòd eam tertio cõsanguinitatis gradu attingeret, Isabellam filiam unicam comitis Engolismi, opera atq; ope regis Franciæ in matrimoniũ duxit, quã pater antea Hugoni Marchiæ comiti desponderat. Per eos dies congredientibus iterum prope Vernonem regibus, Arthurus beneficiarius Anglici regis ob Britanniam, ac alia loca, quæ intra eius principatũ, ultra citraq; Ligerim possideret, in uerba Ioannis iurauit, qui tamen nõ satis cõfidens patruo ad Gallos rediit. Ioannes paucis pòst diebus in Angliã reuersus, Isabellam uxorẽ more maiorũ corona redimiendam curauit. Venit sub idem tẽpus Londinum, salutatum Ioannem regem Gulielmus

Universidad de Deusto
Biblioteca

rex Scotorũ, iusiurandumq; dedisse fertur. Hunc Ioannes rogauit, ut se armis iuuaret, aduersus Gallos: cui ille multa excusans postremò respondit, sibi nõ licere tale quid polliceri, nisi de populi sui sententia: ita domum ire festinauit. Eodem tempore quinq; lunas prima uigilia noctis uisas ferũt, ita dispositas, unam in occidente, alteram in oriente, tertiam in septentrione, quartã in meridie, & quintam in medio cœlo. Quo prodigio facilè cuncti suspicati sunt, ea detrimenta regno portendi, quæ mox à Franco per pigritiã Ioannis accepta sunt. Quam opinionẽ illud quoq; cõfirmauit, quòd hyems frigidissima præter naturam locorum, consecuta est: & imbres cõtinui aduentante uere, cum assiduis cœli fulgoribus, effecerunt, ut extra consuetudinẽ, flumina solito magis inundarint. Per idem tempus ueris, rex in Normaniam trãsmisit, paulòq; pòst Lutetiã profectus, magno honore à Franco accipitur, ubi renouato fœdere paucis pòst diebus Chinonem concessit. Dum reges in otio sunt, Innocentius pontifex Rom. ad bellum Asiaticum intentus, nõnullos Christianos principes mouit, ut iunctis armis, in Saracenos profecti sint, inter quos ex Occidentis partibus, fuere Balduinus Flandriæ, Henricus diui Pauli, & Ludouicus Sabaudiæ comites. Anglus uerò & Francus, qui reuirescẽtibus clàm mutuis odijs, domi se tenebant, pecunia à suis populis exacta, milites ad sacrum bellum proficiscentes plurimum iuuerunt.

Interea Hugo Marchiæ comes iratus Ioanni regi, quòd Isabellam uxorem sibi præripuisset, & ob id cupidus negotij quippiã ei exhibendi, se cum Arthuro copulat, Pictonesq; ab Anglo alienatos armat. Arthurus noua sociorũ accessione auctus, in Turones primò, deinde in Andegauenses arma mouet, in deditionemq; uenire cõpellit, ac eorum locorum se comitẽ, Philippo rege ita iubente, dicit. Aleonora quæ his regionibus præerat, subitæ rei euentu perterrita, in Mirabellũ Andegauensis agri oppidum munitissimũ se recipit, simulq; ad Ioannẽ filium literas dat, quibus rogat, ut sibi opem subitò ferat. At Arthurus uictoriam secutus, paulò pòst oppido potitur, auiamq; capit, quã tamen tantum abest, ut offendat, ut etiã uereatur, & colat. Ioannes inter hæc acceptis Aleonoræ matris literis, uehemẽter rei nouitate perturbatus, atq; tre mefactus, Francum nunc ingratum, nunc perfidum uocitans incusat, quòd fracto fœdere, Arthuri causæ iam apertè faueat: qui ita plenus iræ, ut ne amplius matris expectatione, esse auxilio differat, celeriter dies noctesq; cõtinuato itinere, prius ad hostes peruenit, quàm quid sit, sentire possint: quippe qui potiti oppido nihil formidantes passim uagabantur. itaq; omnibus rebus libitò perterriti, & celeritate aduentus hostiũ, neq; consilij habendi, neq; armandi capiendi spatio dato, perturbantur, nescij copiás ne aduersus ducere, an fugã salutẽ petere præstet: quorum timor quia fremitu ac cõcursu facilè significabatur, Angli magno in eos impetu erumpunt, cõmissoq; leui prælio, in fugã turpissimã nullo negotio cõijciunt, quos circũeuntes passim aut interficiunt, aut capiunt: dein insecuti in oppidum se proripiẽtes, tanta celeritate utuntur, ut prius oppidum occupẽt, quàm se hostes intrò recipere possint. Cædes magna facta, Arthurus cum reliquo exercitu capitur, qui non multo pòst Rothomagi in custodiam traditus, parum superstes fuit. ac Pictones, Turones, & Andegauenses per hunc modum recepti sunt. Discrepãt autores de morte Arthuri: alij tradunt eum tentasse fugam, in transcendendis muris arcis, ac in Sequanam

Sequanam delapsum, perijsse: alij, angore animi absumptũ: reliqui, prout magis constãs fama est, à Ioanne morte affectum. Post mortem Arthuri, Guido Vicecomitis Toarsensis filius, qui Constantiã eius matrẽ in matrimonio habebat, in uxoris opes succedens Britanniam adeptus est.

At ubi Philippo nuntiatũ est de morte Arthuri, indignatus, hinc causam arripit, ad occupandos omnes Anglorũ trãsmarinos principatus: etenim Constantia Arthuri mater dux Britanniæ, Ioannis nomen ad Philippum defert, eumq; parricidij accusat. Francus diem Anglo dicit, ad quẽ cùm nõ cõparuisset, causa eum cecidisse, ac proprietatẽ omnium locorũ quæ ille ut beneficiarius tenebat, ad se redijsse decernit. Quare confestim cum uniuersis copijs in Normanicũ agrũ cõtendens, grauiter loca omnia quacũq; iter facit, deuastat, redactis in potestatẽ Conchis, Ruello, & insula Andelina. Interea Ioannes uidens hostis malitiã nihil frigere, idq; longè secus esse atq; sperabat, Dei ac hominũ fidem implorat, & imprimis cum Innocẽtio pontifice de iniurijs à Franco hostiliter sibi factis queritur. Pontifex querelas Angli nõ aspernatus, Franco per literas & oratores iubet, ut à bello tam nefario manus abstineat, quò sedatis domesticis factionibus, Christiani principes cõmuniter bello Asiatico tandẽ aliquando seruiãt. Verùm Philippus cognita Ioãnis infirmitate, nequaq; dicto parẽs, ad oppidũ Radepontẽ tutissimũ copias suas duxit: & quia capere primo impetu nõ potuit, locũ armis sepsit, quẽ pòst decimũ diẽ, quàm obsederat, cepit: deinde uictor Castrum galiardum, quod, ut dictũ est, Ricardus ædificarat, ad Sequanã, aggredi cõstituit: itaq; paratis omnibus, quæ ad arcem oppugnandã opus esse uidebantur, ne frustra locum munitissimũ armis tentando, suis animũ minuat, quia intus bene magnũ præsidium erat, primò uallum circunducit, deinde turres ligneas disponit, unde in obsessos tela facilius emitti possint ac postremò die noctuq; oppugnationẽ cõtinuat. Obsessi cõtrà freti natura loci atq; uiribus, & prudentia Hugonis Guarnaij, qui arcis præfectus erat, Francos repellebãt, & quo magis hostes appropinquare uidebant, hoc magis repentino clamore, telorũq; multitudine ictus duplicabant, sic, ut multos mortales uulneribus afficerent. Atqui Francus nulla difficultate aut incõmodo uictus, quòd laborãtibus Normanis neminẽ uenire succursum sentiebat, nihil oppugnationẽ remittebat, qua tandẽ obsessi defatigati, fameq; pressi, desperãtes de subsidio, deditionẽ necessariò fecerunt. Interea Ioannes Rothomagi agebat, animi pendens inopsq; consilij, miro affectus dolore, qui tamẽ cognita suorum cæde, rerumq; suarũ detrimẽto, amenti similis tristitiã temporum hilaritate condiẽs, Sardonium risum, uti in prouerbio est, ridebat, perinde quasi uicisset. Quare principum quidã eius culpæ palàm assignabant, quòd pateretur regnũ suum à Franco tanta ignominia, tantisq; incõmodis impunè affici: quibus ille qui præ se alios haud magni usus esse putabat, inquit: Ecquid, quæso, modò facit Francus aliud, nisi furtũ quod equidem curabo, elaborabo, efficiam, ut paucis pòst diebus cum usura reddat. Ita cùm à suis malè audiret, animo debilitatus, in Angliam se recepit. At Philippus ubi cognouit Anglum abijsse, ut ne grauiter utendo uictoria, ita animos hominum irritaret, quò desperata salute, solùm pro uita pugnando, acrius resisterẽt, primùm parum ab armis quiescendum, deinde reliquos populos qui sub Anglico erant imperio, partim muneribus, partim opimis

Universidad de Deusto
Biblioteca

pollicitationib. ad defectionẽ ſolicitandos ſtatuit. Proinde dato negotio ſuis præfectis, qui animos populorũ conciliarẽt, atq; relicto exercitu, qui in Normania hyemaret, in Franciam redijt, primo quoq; tempore maioribus copijs eò uenturus reliqua loca expugnatum, ſi in fide Angli diutius permanerent.

Ioannes ubi in Angliam peruenit, non arma, non exercitum parat, ut hoſti reſiſtat ſuisq; opem ferat, ſed omnia poſtponẽda præ ſtudio auaritię putans, artibus tantummodo faciendæ pecuniæ exquiſitè ſtudet: quippe qui modò hunc, modò illum optimatem incuſando, quaſi non ſua pigritia, ſed illorum culpa, urbes cæteraq; loca trãſmarina amiſiſſet, uniuerſos mulctat: quod abſque odio domeſtico, maius ei detrimentũ attulit. Nam Francus cùm cognouiſſet eum omiſſo bello, domi in exigendis pecunijs ſuorum odium in ſe concitare, coacto quàm magno ſtatim exercitu, Faleſiam inuaſit, qua primo acceſſu capta, Danfrontum oppugnat, quod oppidani non multo labore uicti reddunt: inde uictor in agros exit, incitatoq; curſu priuſ ſine ullo timore rura incolentes opprimit, quàm confugere in oppida poſſint. qua celeritate ita animos omnium terruit, ut omnẽ Normaniæ oram uſq; ad promontorium diui Michaëlis, paſsim accolis in deditionem uenientibus, occupauerit. Stabat adhuc in fide Rothomagũ caput totius Normaniæ, ad quod oppugnandum Philippus magnis itineribus acceſsit, ut ciues quos ex fama rei paulò antè geſtæ, terrore perculſos eſſe ducebat, repentino aduentu oppreſſos priuſ ad deditionem cogeret, quàm ut arma parare, aut auxilium ab Anglo petere poſſent: qui caſtris ſecundum mœnia poſitis, copias mediocribus interuallis collocat, atq; omnibus uiarum aditis occupatis, horribilem ſpeciẽ inſpicientibus præbet: & antequã urbem armis adoriatur, quotidie per aliquot dies, ſuos copiarũ duces prima luce ad ſe conuenire iubet, ut ſeu quid agendum, ſeu quid adminiſtrandum ſuper oppugnatione foret, maturius deliberare poſsit: qui demũ capto conſilio, urbem oppugnare incipit, idq; certamen per multos dies cõtinuat: & quia parum armis aut uiribus proficiebat, ciues donis deuincire, item hortationibus ac promiſsis ad defectionẽ ſolicitare cœpit, identidem per nuntios admonens, ut conſiderarẽt inertiam ſui principis, qui non aliud eis auxilium mitteret, niſi quòd alijs ciuitatibus adminiſtraſſet, nec ſpernerent honeſtas conditiones, quas paulò pòſt non eſſent habituri. Permouerunt hęc ita Rothomagenſes, ut de ſe pariter ac de rebus ſuis pertimeſcentes, oblatis obſidibus, inducias petiuerint in aliquot dies, quò poſſent opem à ſuo rege implorare, qui ſi intra illud tẽpus, obſeſsis nõ opitularetur, tum demum ſe fidei Philippi cõmitterent. Itaq; impetratis inducijs, miſsi à ciuibus nuntij rogatũ auxilium in Angliam, Ioanni exponunt, quo in ſtatu res Rothomagenſis ſit, & quemadmodũ niſi maturè ſubſidio currat, in hoſtium poteſtatem breui ſit uentura. Rex ab armis belloq; multò remotiſsimus, & rei ſuæ negligens, parũ ſpei legatis de ſubmittendo obſeſsis ſubſidio dedit, qui deinde uacui ad ſuos ciues reuerſi renuntiarunt, nihil ſperandum ab homine otiũ maximè trahente, cauſæq; ſuæ altè indormiẽte, perinde quaſi res ipſius minimè ageretur. Hoc uehementer Rothomagenſium animos conſternauit, quòd qui aliàs gloriari ſolebant ſe in fide erga ſuum principem ſemper permanſiſſe, idq; Ricardi teſtimonio, ut in fine uitæ illius docuimus, comprobatum erat, qui in ea fideli ciuitate cor ſuum ſepultum uoluerit, nunc demum

demum niſi ſe cum bonis omnibus perditum ire fruſtra ac temerè uellent, in hoſtium poteſtatem uenire cogerentur, à ſuo principe per ignauiã deſtituti: quocirca ut ſua fides teſtatior eſſet, deditionem tandiu diſtulerũt, dum expectantes fortunæ uiciſsitudinem, conſumptis intus cibarijs, fame ad extremũ penè ſuffocati ſunt, qua uicti ſe Franco dediderunt. Cuius rei antecedente fama, Arquenſes, & Vernolienſes, ac etiam qui in Anglorum poteſtatem pauló antè redacti rurſus fuerant, Pictones, Turones, & Andegauenſes exterriti, in Philippi fidem momento uenerunt: qui per hunc modum Normania atq; cæteris in Aquitania locis potitus, in Franciã uictor redijt. Atq; ita Neuſtria, hoc eſt Normania, quam CCCXVI ante annis Rollo dux occupauerat, à Francis recepta eſt. Fuit ille annus humanæ ſalutis MCCV, & cùm Ioannes regnare cœpit, quartus.

Ioannes eodẽ anno cùm magis eius principes q̃ ipſum turpis amiſſio Normaniç & aliorũ locorum ſolicitos haberet, ſimulans ſe bellũ parare, quàm ingentẽ pecuniæ uim à populo exegit. Quod artificiũ cœlum ipſum deteſtatũ eſt, ſex continuas horas igne rubeſcente micans, quaſi furore & ira accenſum. Sub idem tẽpus Aleonora mater Ioannis mulier longè prudentiſſima, magis mœrore animi, quàm morbo conſumpta moritur. Quo etiam morbi genere illo ipſo anno Hubertus Cantuarienſis mortem obijt, quem nullius unquam rei in uita tam pœnituit, puduitq;, quàm quòd apud optimates, Ioannẽ regẽ creandum curaſſet, quem poſtea tanto regno indignũ, cum ſummo ſui animi dolore, clarius cognouit: ſed ſerò reſipiſcit, qui nõ poteſt factũ corrigere. Sedit Hubertus annos undecim & mẽſes inſuper octo, ac dies ſex. Vacauit Cantuarienſis archiepiſcopatus deinde amplius biennium. Anno qui ſecutus eſt, paſsim uociferãtibus cunctis ob cladem ignominioſam acceptam, principes maiorẽ in modum regem cohortati ſunt, ut honori conſuleret, ut incõmodis hominũ mederetur, ut ſaluti prouideret, ut Reipublicæ utilitati ſeruiret, quę tam turpiter ab hoſtibus lacerata, uulnerata, mutilata eſſet. Quibus monitis Ioannes motus, claſſem parat, delectus militum habet, bellum ſimulat, prout euentus rei exin indicauit. Nobiliũ uerò multitudo pro amore, quẽ in Rempublicã habebat, auida ulciſcendi iniurias, ſtudio principis in parãdis armis, ac cæteris bello neceſſarijs curã ſuã æquabat, cùm rex uſus eſt tanta celeritate in itinere faciũdo, ut de induſtria multos nondum paratos reliquerit poſt ſe uenturos. Igitur inſtructa ad Portimuthum claſſe, ac militibus ad naues iam præmiſsis, ipſe nauẽ demũ conſcẽdit, ac uela uẽtis dari iuſsit, qui ubi aliquantulum in altũ proceſsit, mutato repentè cõſilio reuertit, excuſans proditionẽ quorundã nobiliũ, qui ipſum ſequi quaſi noluiſſent, in quos, quãuis iniuſtè, grauiter paulò pòſt animaduertit. Per idem tẽpus, monachi Cantuarienſes inſcio rege, Reginaldũ illius cœnobij monachũ in Huberti archiepiſcopi demortui locum ſurrogarunt, qui clàm regno egreſſus, Romam petijt, acturus cum Innocentio Ro. pontifice, ut monachorũ legitimã electionẽ cõfirmaret. Quæ res multorũ cùm malorũ tum ſimultatũ inter ipſum Ro. pontificem, & regem Ioannem ſeminariũ fuit: nam cùm pontifex noluiſſet priùs electionem probare, quàm teſtimonio fide digno ſibi conſtaret, eam eſſe legitimã, eiuſmodi parua mora fecit ut monachi malũ malo accumulauerint: cùm enim accepiſſent Reginaldũ ipſius, uelut illi arbitrabant, culpa nondũ eſſe pontificis

Universidad de Deusto
Biblioteca

decreto antistitem Cantuariensem factum, ut nouo obsequio regem iratũ sibi placarent, continuò rogarunt, ut de eius consilij sententia, sibi liceret archiepiscopũ optare. Annuit rex libens petioni, simulq; monachos est hortatus, ut Ioannem Nordouicensem episcopum domesticum suum, ac sui familiaris senatus caput, renuntiarent archiepiscopum, id quod monachi ut principi gratificarentur, tanquã immemores prioris electionis, quam pro nihilo iam non obscurè habebant, ultrò fecerunt, atq; Romam procuratores miserunt, qui hanc secundam electionem à pontifice probandam curarent.

Iam sextus agebatur annus ex eo anno, quo Ioannes regnare cœperat, qui fuit humanæ salutis M C C V I I, cùm Hugo sanctissimus Lincolniensis episcopus è uita migrauit. Is homo Gallus, Gratianopoli natus, uir acri ingenio, diuinarũ rerum ac humanarũ disciplina mirabiliter excellens, usq; à puero se in optimo degẽdę uitę instituto exercuit, in quo adeò profecit, ut primus canonicus, prout uulgus uocat, regularis sit factus, hortãte patre, qui se in eum ordinẽ post obitũ uxoris, ex qua hunc puerũ susceperat, antea ascripserat: deinde maioris abstinentiæ durioris q; uitæ cupidus, Cartusianus monachus effi-citur: in quo ordine nõ modò ad unguẽ omnia quæ alijs aspera uidebantur, seruauit & pertulit, sed supra fidẽ, uigilias longiores obibat, frequẽtius abstinebat, uitã denic; duriorẽ agebat. Quo factum est, ut eius sanctitatis nomen apud omnes longè celeberrimũ ita Henricũ secundũ regẽ Angliæ mouerit, ut eum ex Gratianopolitano cœnobio in Angliam accersitũ miserit Reginaldum Bathonien sem episcopum: qui postquã in Angliam uenit, cœnobio Vithamio monachorũ Carthusianorũ Vuellensis dicœceseos præficitur, atq; nõ multò pòst Lincolniensis episcopus, sicuti in uita Henrici secundi diximus, creatur. Tum sanctissimò sacerdotio Hugo præditus, maiorem integritatẽ, maiorem constantiam in rebus agendis præ se tulit: quippe qui nihil in se habens, quod non uirtute constaret, atq; à mortalibus summa laude efferretur, non blandiebatur principi, non fauore, nõ gratia cuiusquã à recto flectebatur, non deniq; minis aut armis à recta sententia deducebatur, adeò, ut cùm magistratus quempiã sacris initiatum grauiter mulctabant (mulctabant aũt quotidie, quòd in regijs uiuarijs, aut saltibus feras uenãdo occidisset) nequaquã uereretur eos à cœtu Christianorũ sua autoritate ejicere. Quod cum ei culpę assignaretur, quòd cõtrà ageret, quàm ius patriũ foret, tũ ut acerrimus iusti æquiq; cõseruator, nõ se rescindere, uiolaréue legẽ, sed seruare tantummodo respondẽs, nihil ab incœpto desistebat. Quinetiã tributa cùm à Ricardo, tũ à Ioanne indicta detestabatur, cõstanterq; ac palàm pernegabat se imperatã pecuniã pro impio bello simultatũ causa inter principes Christianos gerendo, soluturũ. Quare ita usu sæpe ueniebat, ut pecuniarũ exactores regibus iubentibus, in Hugonis bona inuaderẽt, & ille eos religionis cõtemptores publicè denũciaret, execraretur q;, sacris uetusto more interdicẽdo. Quod equidem pro supplicio non modico haberi cœptum est: enimuero cùm illis quibus ab Hugone sacra interdicta essent, cuncta deinceps multò pessimè caderent, atq; illud uulgò obseruaretur, tanto timore cæteri affecti sunt, ut nullus deinde etiam iubente rege, auderet aut Hugonem uel eius res tangere. Quid, quòd ubi ipse audiebat regem ob idipsum sibi uehementius succensere, quia scilicet tributa soluere negasset, uel eius quæstores impiorũ numero habendos

habendos denuntiando, deterruisset, tanta tum modestia tum animi constantia, pariterq; grauitate principẽ ipsum tractabat, simul bene monendo, simul coarguendo, quandoq; blanda asperis, quandoq; iocosa seriis uerba miscendo, ut facilè iratum eius animum leniret, ab iracundiaq; ad risum & hilaritatẽ flecteret? qui eiusmodi uenerandæ uirtutis periculum non cum uno duntaxat rege, sed cum Henrico, & eius filijs Ricardo & Ioanne, in quorum tempora inciderat, bonus antistes fecit. Tanta etenim est integritatis reuerentia, ut facilè nos illorum admonitionem, obiurgationem, reprehensionẽ patiamur, quos certò scimus non esse improbos. Miraculis & in uita, & post mortem Hugo clarus extitit, qui ob id nõ immeritò inter diuos relatus est, celebrisq; eius sanctitatis memoria ubiq; gentium colitur, & præsertim Lincolniæ, ubi in principe æde eius corpus reuerenter seruatur.

Anno eodem (ut reuertamur unde digressi sumus) Philippus rex Frãcus, qui iampridem in animo habebat omnia adimere Anglis loca transmarina, quæ adhuc in fide permanebant, cum magno exercitu contendit, positisq; castris non longè à Lochijs, ipsum oppidum paucis antè annis à Ricardo diru tum ac restitutum obsidet, quo tandẽ capto, Chinonẽ oppugnatum pergit. Erat intus Rogerius Lascius uir inter uiros, cum bene magno præsidio, qui præsentiens hostis aduentũ, ad resistendum se quam celerrimè potuit, paraue rat. Frãci postquã ad locum peruenerunt, neq; interdiu neq; noctu oppugnatione desistebant. Oppidani aũt de muro se defendendo: multos interim telis, lapidibus, cæterisq; missilibus interficiebant, qui post aliquot dies continuo certamine defatigati, cœperunt sensim animum remittere, quòd hostis tantis uiribus instabat, ita ut diutius resisti non posset, si interea nullum subsidium à rege Ioanne mitteretur. Itaq; nõnulli timidiores paulatim cœperunt noctu per muros lapsi ad hostes latenter perfugere, qui uitæ seruandæ causa, de statu oppidi abundè docebãt. Igitur Franci ubi intellexerunt intus desperata penè salute trepidari, tanto impetu pugnã in omnibus locis redintegrarunt, ut statim oppido potiti sint. Ingens Anglorũ numerus captus, & in ijs Rogerius Lascius. Exin Philippus captis aliquot castellis, & illis protinus diutis, ac cæteris opportunis locis præsidio firmatis, in Britanniã transgressus Ligerim proficiscitur, ubi arcem munitissimã expugnat, quæ ad Grapelitum promontoriũ posita Anglis præsidio esse solebat, illuc se recipientibus. Caussa uexandi Britannos fuit, quòd per eos dies Guido dux Britanniæ, uir Constantiæ, qui Arthuro priuigno in principatũ successerat, & ob id de iuuenis nece ulciscenda nihil cogitabat, se cũ Ioanne copulauerat, unà cũ Sauaro Malleonẽsi, & Almerico Lusiniano heroibus animi magnitudine pariter atq; opibus præditis. Ioannes interim noua partim societate, partim tot incõmodis, cõtumelijsq; tandem excitatus, exercitum classemq; parat, atq; ita Rupellam non multò post cursu petit, ibiq; uestigio in terram eductis copijs, milites quãcitissimè fieri possit, paratos esse iubet, dein Andegauũ uersus properat, & ubi iam loco appropinquat, suis cohortibus, equitibusq; imperat, ut momento circundatis muris pro se quisq; urbem inuadat, & ipse cum peditatu, catafractisq; militibus, interim portas ferro & igne aggreditur, quibus ad punctum tẽporis perfractis, nobilem urbẽ primum militi prædę dat, deinde aut captis aut interfectis ciuibus, mœnia solo æquat, qui postremò in agrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

egressus, quicquid obuium est, pari clade afficit. Hac re cognita, finitimi populi ad Ioannē ultrò deficiūt, auxiliariā multitudinē se submiſtraturos polliceētes. Tali ille successu animo sublatus, in Pictones iter intēdit, emissis quaquauersum equitum turmis, ad agrum deuastandum. Interea Francus de his omnibus certior factus, cum instructo exercitu fit Anglo obuiā, qui in itinere Britannū ducem, Sauarum & Almericum prædam facientes, de improuiso aggressus capit, omnemq; comitatum armis exuit. Quæ res Anglo & animum & uires plurimum minuit. Post hæc incœptum iter facere pergit, proxmeq; hostem cōsidet, ac postero die ut pugnæ auidus bene mane suos in aciē ducit. Atq; ita magnis utrinq; animis ad prælium cōmittendum paratis copijs, signum iam expectabatur edendæ pugnæ, cùm interuentu quorundam tam antistitum quàm militum, qui apud reges plurimū poterāt, inducīæ in duos annos utrinq; datæ sunt, permutatis inuicem captiuis. Ac ita ab armis cessatum est, Franco in Franciam, & Anglo in Angliam se recipiente.

Secundum hæc pœnituit Ioannē uehementer cōplanasse Andegauum urbem præclaram, præ qua nulla alia ei perinde cordi erat, quòd inde ipse esset oriundus, quare miro studio illud instaurauit, multoq; pulcherrimum fecit. Per idem tempus Otho Romanus Imperator in Angliam uenit, quem Ioannes honorificè accepit, cum quo statim consilia iniuit, gerendi in Philippum belli: & quia ab eo magna est spe auxiliorum in eo bello faciendo oneratus, mox domum discedenti, ingentem dedit pecuniæ summam.

Interea Romæ lis sub iudice erat, de Cantuariēsi pontificatu, inter Reginaldum & Ioannē Nordouicensem episcopū à monachis prius electos, de quorum electionibus posteaquā Romanus pontifex rectè cognouerat, utrāq; irritā fecit, atq; sua authoritate egit, ut monachi qui ea de causa frequentes Romam cōuenerant, postremò optauerint Stephanum Langtonū diui Chrysogoni cardinalē, hominē etiā Anglum, uirū probum atq; doctissimū, quē ipse postea archiepiscopū fecit. Quibus rebus ita peractis, pontifex omnia per literas Ioannē edocuit, rogauitq;, ut Stephanū Cantuariēsem ritè creatum, ob eius egregias uirtutes, cōmendatum haberet. Tulit rex periniquo animo repulsam Ioannis Nordouicēsis episcopi, quē Cantuariensem creandum curarat, ac usq; eò iratus est, ut primo publicatis omnibus bonis, in exilium egerit monachos qui Cantuariæ erant, & qui Romā iuissent, patriæ hostes decreuerit: deinde pontifici per literas aculeorum ac expostulationum quamplenas, responderit, se nunquā passurum, ut Cantuariensi diœcesi Stephanus præsideret. Hæc ubi Romæ nuntiata sunt, Innocentius, ut par erat demiratus, quòd Ioannes optimi uiri electionē hominis præsertim Angli nō probasset, cœpit ut bonus pater crebris literis ac nuntijs regē monere, hortari, atq; rogare, ut abstineret manum à rebus sacris, eiectos monachos restitueret, antistitē Cantuariensem factum suam prouinciam obtinere permitteret. Quibus monitis tantum abfuit ut Ioannes moueretur, ut etiā multò sæuius quàm antea, non sacerdotalis ordinis uiros solū, sed reliquos ciues, qui Stephanū iuuissent, tractaret. Ita Stephanus regi nullo suo in eum merito, odio erat, & ab alijs quibus ius causa plectebātur, nō poterat non male audire, secundum euangelicum uerbum, Nemo propheta acceptus est in patria. Quę ubi ad Innocentiū delata sunt, ille minimè eam ferendam putans contumaciā hominis tantā, quę nō cuiquam

cuiquā uni, sed uniuerso ordini perniciem allatura ingentē uidebatur, decreuit morbo latè peruadenti remedium adhibere: & quamuis nullum aliud magis opportunū impietatis denuntiatione uideretur, id tamen dedecoris (non enim libenter illud faciebat) quamtardissimè tanto principi imprimendum statuit, quò ei spatium daretur suipsius peccati agnoscendi, corrigendiq;.

Aderat iam annus salutis humanę MCCVIII, cùm Ioannes rex filium ex Isabella suscepit, quem Henricum nominauit. Innocentius pontifex audiens interim Ioannē obstinatissimè in contumacia permanere, uehementer eius uicem doluit, quòd homo Christiana pietate à pueris ritè institutus, ita religionem negligeret, fasq; ac nefas iuxtà duceret: quare coactus est, ut ne malū latius manaret, in eum aliquid grauius cōstituere: itaq; per literas mādauit Guilielmo Londinensi, Eustachio Elyensi, ac Mangerio Vigorniēsi episcopis, ut ad regē adirēt, eumq; suis uerbis cōmonefacerent, quò tandē aliquando uellet Romano pontifici obedire, religioni fauere, regno suo prospicere, & si in errore maneret, tum in eum animaduerterēt. Episcopi acceptis literis pontificis, rem mandatam diligēter gesserunt, quorum admonitionibus & quidem sanis nō modò nō obtemperauit Ioannes, uerumetiā eis ita bene admonentibus, ualde succensuit. Illi igitur desperantes se posse læsam principis mentē sanare, ut dicto parērent, tam populo quàm ipsi Ioanni, prius tamē, ut nō nemo tradit, per decretū pontificis, Christianorū cœtu excluso ad X cal. Aprilis, in quem diem eo anno incidit pascha, sacris interdixerunt, atq; simul nō multò pòst in Galliam aufugerunt. Rex ea terrifica seueritate nihil porrò mouetur, sed tum demū sacerdotalem ordinem modis omnibus euertendum funditus constituens, cùm ubiq; à sacris iam cessatum esset, bene multos cōtinuò sacerdotes ac pontifices extra regnum exigit, possessiones eorū occupat, & ut patriæ procella, ædes simul sacras pariter spoliat. Quæ sanè religionis labes statum sacerdotalem maximè deformauit: sicut enim miserabile erat, uidere in templis nulla amplius sacra fieri, ita multò miserabilius, nō modò uidere, sed tantum audire sacerdotes probro passim haberi. Ioannes post hæc, magis hominum fidem, quàm Dei iram timens, iterū à populo iusiurandum sibi dandum curauit, ac cōfestim exercitum facere cœpit, ut Alexandrum secundum regem Scotū, qui paulò antè Gulielmo patri demortuo successerat, ad quem multos ex principibus Anglis cōtinenter confugere audiebat, armis inuaderet, in eumq; qui fœderis iura uiolasset, grauiter uindicaret. Inter hæc, Stephano Cantuariēsi antistite, qui miserabiliter dolebat sua causa ita patriā uexari, suppliciter rogante, pontifex cōcessit, ut nōnullis sacerdotibus certis diebus rem diuinam facere liceret. At Ioannes cui amici ac optimates studebant persuadere, ut prius Dei ac hominum gratiam & beneuolentiam sibi cōciliaret, quàm bellū moueret, non multò post nihil considerās quid deceret, aut præstaret, parato iam exercitu, in Northumbriam festinanter cōtendit, atq; inde progressus in hostium fines incursans, pugnandi potestatem fecit. Scotus se Anglorū copijs imparem sentiens, & ob id, in rem suam non esse ducēs, ut in præsentia manus cōsereret, de amicorū sententia, abiectis armis ad Ioannem uenit, grandiq; auri pondere ab eo etsi ægrè cōcedente, prout ipse simulabat, pacem redemit. Exin Ioannes suis multò infestior, ut pari incōmodo nonnullos populos afficeret, quòd se ut impium denunciatū in Scotiā sequi negas-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sent,nouum genus uastationis excogitauit: cùm enim iam instaret finis mensis Iulij,quando in Anglia frumenta matureſcere incipiunt, omnia septa quibus cerui atq; damæ cum primis continentur, sepimentis nudari atq; fossas circunductas oppleri iussisse fertur,quò ipsæ feræ latè currentes frugum dulcedine allectæ arua depascerentur. Propter quod flagitium agricolæ passim uociferantes, omnibus precibus regem execrati sunt,cùm aliter ulcisci non licuisset:nam feras ipsas occidere,capitale propè erat.Eodem anno custos magni regij signi,nomine Hugo,archidiaconus Vuellensis,uir prudens,renuntiatur episcopus Lincolnienſis, qui cupiens à Stephano Cantuariensi more maiorũ sacrari,cùm diceret uelle se Rothomagum proficiſci, ut ab antistite illius urbis sacraretur, facilè à Ioanne eundi potestas facta est.Is ubi in Normaniam peruenit, omissa uia quæ Rothomagũ ducebat, Romã recta petit, atq; ibi à suo archiepiscopo Cantuariensi ritè fit episcopus. Quod ut Ioannes intellexit,inflammatus ira bona Hugonis confestim publicauit,cum uectigalibus eius episcopatus, quæ in singulos annos à suis procuratoribus capi iussit: ac eiusmodi longè molestissimis rebus male generatim in omnes mortales animatus,per illos quoq; dies acriter mulctauit Iudæos, affectis uarijs tormentis aliquot,quòd pecuniam dare recusassent.

Dum his se Ioannes curis ac suos spoliationibus diuexat, fit certior Hybernos propè ab se esse alienatos: quare ut illi parem acciperent calamitatẽ, atq; Angli cõtinenter patiebantur,nactus tempestatẽ idoneam exercitum in insulam traiecit:qui ubi Dublinum peruenit, antequam belli gerendi consilia caperet, omnes qui campestria aut maritima loca incolebant,timore affecti ultrò ad eum uenere,iusiurandumq; dederunt:quibus ita ad officium reuersis, Ioannem Nordouicensem episcopum præfecit: reliquos qui summa montiũ & loca syluestria habitabant, licet parêre noluerint,tamen nõ est persecutus, cùm iam instaret hyems,quæ ibi matura est. Quo celeriter confecto negotio, in Angliam redijt. Et quia illud idcirco susceperat, ut lucrum faceret, & Hybernorum inopia consilium fregerat,Anglorum opibus explendum cogitauit: itaq; affirmans se impensam magnã in id bellum Hybernicum fecisse,ingentẽ pecuniã à populo exegit. Agebatur iam annus undecimus ab eo,quo Ioannes regnare cœperat, cùm ipse circa ætatis exitum,ad obeundam profectus Vualliam,aliquot dicto minus audientes subegit,reliquos uerò obsidibus acceptis,in fide manere coëgit.Postea domũ reuersus, illo ipso anno mutauit formam ciuitatis Londinensis.Mutationis autem causam fuisse ferunt, quod in caritate annonæ,non licuerit regiæ domus procuratoribus per Rogeriũ Vuincheſtyr & Edmundum Hardell Balliuos, emere in urbe frumentum, quod illi duo gubernatores ad commodum populi antea comparauissent. Qua re Ioannes cõmotus, Balliuos primum magistratu priuauit, deinde ambos in custodiam coniecit:sed statim pòst cùm prece tum pretio placatus concesſit,ut liceret ciuibus loco duorum Balliuorũ,in suis comitijs,quotannis in singulos annos, creare sibi unum prætorem, ac binos uicecomites, quos uocant Shryuos. Primus fuit prætor Henricus Aluini filius, uicecomites uerò Petrus Duke,& Thomas Neel. Prætor Romano more, maior dicitur: Romani enim urbanum prætorem, maiorem appellabant.

Romanus pontifex interim quẽ maximè omniũ cura nostræ rei Christianæ iuuan-

næ iuuandæ mordebat,ualde anxius,quòd Saraceni nõ modò in Asia Christianos continenter armis premerẽt,sed duce Hilmimolino,totam Hispaniã maximis calamitatibus afficerent,publico edicto omnes qui ferre arma possent hortatus est,ad opem nostris ferẽdam. Sed nihil ei antiquius erat,quàm Anglũ male sanum ad sanitatẽ reuocare: quare primo quoq; tẽpore Pandulphum uirũ tam iuris & iustitiæ consultũ,quàm integritate clarũ,& Durantũ unum ex collegio Templariorũ,legauit ad Ioannẽ regẽ,qui eum hortarẽtur ut peruersitatẽ relinqueret,errores deponeret,ad se rediret,cogitaretq;,neq; sua,neq; regni,neq; denique Christianæ Reipublicę interesse,ut ipse diutius in tanta impietate uersarẽt,quæ ei omniũ uni in primis malo esset perpetuo. Illi cum eiusmodi mandatis properè in Angliã profecti,cum rege ex Vuallia redeunte,nõ procul ab oppido Northantono,obuiã facti in itinere,cõgrediũtur,à quo benignè accepti Northantonũ ducuntur. Vbi loci postquã diu de concordia agitatũ est,cùm Ioannes admissis cæteris omnibus cõditionibus, nollet sarcire detrimẽta sacerdotibus,aut aliįs illata, legati uidẽtes nihil esse, quod morentur,infecto negotio in Gallias reuertuntur, atq; pontificem de rebus gestis certiorem faciunt. Ioannes nihil legatorũ monitis melior factus, nõ multò pòst aliquot principes crudeliter mulctauit,q hominis uitia ac tyrannidem abhorrentes,inuiti sub eo militabant,ac propterea in Vualliã eum tem paulò antè minimè secuti fuerant. Per eos dies Reginaldus comes Bononiæ impius publicè iudicatus,quòd sacrã pecuniã expilasset,& à Philippo rege principatu deturbatus,ad Ioannẽ cõfugit,magnoq; apud eum in honore habitus est,dicente prouerbio: Pares cum paribus facilimè congregãtur. Innocẽtius interea cognita ex legatorum literis,regis Ioannis pertinacia,uehemẽter demiratus hominis impietatẽ,cœpit in sacro senatu cum patribus agitare,quónam pacto adduci posset,ut eam mutaret mentem. Pòst longã consultationẽ,cuncti censuerũt Ioannẽ regia dignitate priuandũ,qui ita religionem cõtemptui haberet,qui monita pontificia,imò Christi,quę ipsius populiq; conducerẽt saluti,nihil respiceret,qui se demũ ab omni Christianorũ cœtu in dies singulos magis disiungeret. Itaq; pontifex urgentibus ante omnes Anglicis episcopis,qui patriæ mala dolebãt,primũ cunctos populos,qui sub Ioannis imperio essent,iureiurando absoluit,quo tenebant:deinde ipsum Ioannẽ regni administratione abdicat, ac postremò regem Franciæ, cæterosq; Christianos principes de huiusmodi abrogatione certiores facit,admonetq;, ut Ioannẽ ita repudiatũ tanq; Dei publicũ hostẽ persequant. Veruntamẽ ut cũctis notũ fieret, nihil sibi iucundius esse,q; ut Ioannẽ ita delicti pœniteret, quò plenus fidei rogaret Deũ ueniã,misit iterũ Pandulphũ,qui Romã paulò antè cũ bene magno Anglorũ exulũ numero redierat,cũ Stephano Cantuariensi antistite,aliįsq; episcopis Anglis in Gallias,ad Philippũ regẽ,deditq; ei in mandatis,ut cũ illo cõmunicaret omnia in Anglũ statuta, hortaretur q;, ut Ioannẽ hominẽ impiũ armis insectarẽt,& si id facto opus esse iudicaret,ad ipsum Ioannẽ inde pergeret,redderetq; illi literas quas de meliore nota scripserat,curaretq; eũ de praua deducere sententia. Interea ubi fama per Angliã peruasit,cunctos populos omni obligatione fidelitatis principi debitæ esse solutos,ac regi imperiũ abrogatum,paulatim multi cùm milites,ciues,prefecti,et locorũ custodes,relictis arcibus,tum episcopi cum multitudine sacerdotũ à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioanne decedentes, eiusq; sermonem & aditum defugientes, clàm in Gallias se proripiunt. In qua fuga nonnulli periere dolore animi confecti. In ijs fuit Gaufredus Eboracensis antistes, cui Ioannis improbitas tantum inusserat doloris, ut ad extremum succubuerit. Vualli itidē qui nullo unquam tempore quiescere potuerant, finibus egressi, agros omnes finitimos depopulant, nō nullis castellis solo ęquatis. Quæ ubi Ioanni nuntiata sunt, ira accensus, obsides quos suprà diximus ab Vuallis paulò antè accepisse, supplicio afficit, atq; furenti similis, nullaq; suorum calamitate satiatus, bacchatur in omnes: alios enim magistratibus, alios præfecturis excludit, priuat, spoliat: à monachis aIijsq; sacerdotibus immunitates & iura concessa reuocat, ac rursus illis redimenda proponit, adeò uniuersos sumptu penitus exhaurire gestiebat. Ipso illo anno omnia ædificia quæ super pontē Londinensem cōstructa erāt, extraq; parte ipsius pontis incēdio absumpta sunt, q̄d prodigij loco habitū est.

Is fuit annus salutis humanæ M C C X I I, cùm Philippus rogatus à Pandulpho qui iam in Gallias peruenerat, ut in Anglum arma moueret, impigrè ac libens exercitum cum classe parauit, ut quàm primùm cum alijs principibus ad inuadendum animo & armis paratis, in insulam transmitteret, ac prout pontifex iusserat, Ioannem regno polleret, in eiusq; locum quempiam alium cui ueniret hæreditas, substitueret. Et quoniā id in primis Francus cupiebat, pro certo habens utile sibi quoque fore, si Ioannes pelleretur, studiosius multò in illud negotium incumbebat: quippe qui deducta iam classe ad Sequanæ ostiū, ad iter se maturè parabat, cùm Pādulphus nō ignarus periculosum esse tantas copias traducere, & præsertim Frācorum, quos numero militum & armis præstantes, uel imperio insulæ potituros, aut saltem prædas ingentes non sine insulanorum cæde facturos suspicabatur, statuit præire, atq; rursus tentare, si mentem Ioannis dimouere posset, ratus si perficeret, optimè, sin minus, nihil sibi uitio dari posse. Quod equidē cōsilium etsi paucis placebat, qui bellum cum Anglo quàm pacem malebant, Pandulphus tamen in insulā locutum cum Ioanne, cōsestim transiuit. Quo tempore ipse Ioannes cognito per exploratores aduersariorum cōsilio, multitudinē hominum undecunq; contrahebat, atq; in litore contra Galliam disponebat, ut appropinquantes hostes, aqua terraq; prohiberet. parauerat etiam classem, ut si casus posceret, nauale prælium faceret. At ubi legatum adesse cognouit, obuiam factus eum ad Douerum humaniter accipit: tum ambo seorsum progressi, postquā officij ac honoris causa, paulisper collocuti sunt, Pandulphus sic uerba fecisse dicitur: Nō puto te, Ioannes, ignorare Innocentium pontificem maximū, ut ne suæ desiderarent partes, & tuos populos iureiurādo, quo tibi ab initio obligati fuerant, soluisse, & tibi, ut meritus es, Angliq imperiū abrogasse, atq; demum Christianis principibus iussisse, ut te regno deijcerent, alterūq; surrogarent, quò contemptę religionis meritas lueres pœnas. Quapropter rex Francorum Philippus in primis pontificis imperata facturus, paratum exercitum habet, instructaq; classe ad Sequanę ostium, uentū obseruat secundum, quo flante, Angliam cursu petat, qui fretus tuorū, ut ait, auxilio, qui te regem neq; appellant, nec esse uolunt, sperat haud multo negotio te regno spoliatū iri, et se illo facilè potiturū. Igitur cùm Deus tuo tibi merito iratus sit, & tu tam ab omnibus hominibus male audias, quàm qui cōtra te ueniunt, bene audiant, consu-

consulerem, ut iamiam dum locus gratiæ est, potius obedires iustis Romani pontificis præceptis, cuius dicto cæteri Christiani principes ultrò audientes sunt, quàm te ac tua frustra luctando perditum ires.

His dictis, Ioannes iam rebus suis penitus diffidens, ubi uidit parendi necessitatem imponi, animo ualde perturbatus, ac aliquandiu cōtabundus torue circumspiciens mente agitat, quale consilium capiat: qui ad extremum imminentis periculi atq; ruinæ mole oppressus, inuitus grauatissimeq; iureiurando sponsionem facit, se pontificis arbitrio staturum. Itaq; non multò pòst perinde ac Innocentius mandarat, primū diadema capiti ademptum Pandulpho legato tradit, nunquam id ipse aut hęredes accepturi, nisi à pontifice Romano: deinde promittit se benignè recepturū in gratiā Stephanū Cantuariēsem, cū cęteris episcopis, atq; alijs exulibus, et illis de iniurijs cumulatissimè satisfacturum, parsurumq;, sic, ut nulli illorū fraudi sit, quòd defecissent. Tum Pandulphus uidens Ioannem iam malæ actæ uitæ ac facti sui pœnitere, tanquam Romani pōtificis uicarius diadema illi restituit. Ex quo fama est, Ioannem cupientē perpetuare memoriam muneris accepti, ea lege fecisse se Innocentij beneficiariū, ut reges deinceps à pōtifice duntaxat Romano iura regni consequerentur. Cæterū has reconciliationis leges qui secuti sunt reges minimè seruarunt, neq; annales Anglici de eiusmodi deditione loquuntur. Quare illa omnia onera Ioanni tantummodo qui deliquisset, imposita, non item successoribus sustinēda fuisse satis constat. Quibus rebus peractis, Pandulphus reliqua haud prius perficienda putauit, quàm Ioannes præstitisset quod promiserat. Itaq; interdictum haud intempestiuè tollendum ratus, quamprimū Rothomagum reuersus est, regiq; Philippo ac alijs quę gessisset ordine expo suit. Apud quosdam uariè scriptum reperio de his quę inter Ioannem & Pandulphum, super reconciliatione eiusmodi gesta sunt, quæ ut scriptorum arbitrio conficta nequaquā cōmemoranda duximus. At Philippus qui ad transportandas copias, omnia iam parauerat, spemq; magnam uictorię adipiscendæ animo conceperat, ubi de pacificatione Innocentij & Ioannis audiuit, ira uehementer accensus, nihil placidè respondet Pandulpho roganti, ut ne ulterius arma in Ioannē ferat, qui terrore ac metu uindictæ diuinæ uictus ad se iam rediisset, sed de Anglo criminosè simul ac cōtumeliosè locutus palàm prędicat, se non quieturum, ut ne frustra tantum temporis atque pecuniarum in comparādo bello cōsumpsisse dicatur: quare cum suis ducibus quamprimū colloquium habet, quibus exponit quēadmodum in certam spem uictoriæ adductus ex opportunitate tam temporis, quàm aliarū rerum, optet, ut se sequantur, cùm præsertim habeat secum episcopos Anglos sedibus expulsos, & in illis restituendis, non dubitanter plurimum populi Anglici fauoris sibi accessurum speret. Probarunt omnes regis sententiam, præter Ferdinandum Flandriæ comitem: is Balduino successerat, & quia Francus partem Flandriæ citeriorem de eo ui ceperat, clàm cū Anglo & Bononiensi comite sentiebat: non mutauit tamen consilium rex, sed statim iussit classem se subsequi, & ipse cum expedita manu suorum Bononiam, & inde Grauelingam concesit, ut in Angliam classe proficisceretur.

Dum hîc morabatur Philippus, quia Ferdinandus comes quē iam suspectū habebat, non cōparuit ad dictū diem, statuit Flandricū tumulū Anglico an-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teuertendū, ueritus si aliter faceret,ne dū foris bellū gereret,domi seditionibus laboraret:itaq; bello iā inccepto omisso,contra Ferdinandū uenit,& primò iubet classem ad Dammū portū duci. Dāmus est alueus humano opere usq; Brugas deductus,per quem Oceanus influit instar fluminis nauigabilis: deinde ex eo loco præmissis leuis armaturæ equitibus, in agrū egressus Castletū & Hypras capit, & ijs præsidio firmatis, Brugas petit. Et quia urbs cum primis firma primo accessu capi nō potuit,relicta bene magna manu, quæ eā oppugnaret,ipse cū reliqua parte copiarū Gādauū obsessum cōtēdit. Est hoc oppidū multò munitissimū procul à Brugis millia passuū quinq; & uiginti, quod Scaldis fluuius alluit,& quondā Gorduni tenuerunt. Ferdinandus interea uiribus tanto hosti longè impar, ad Anglū regē rogatū mittit, ut tēpestiua subministret auxilia. Ioānes ubi cognouit Francū omnē uim belli in comitem uertisse, lętus quòd metu pariter atq; periculo iam careret, cōtinuò naues omnes bello instructas cum ingenti militū manu, quā, ut suprà demonstratū est, metuens aduentū aduersariorū iam antea cōtraxerat, ducibus Reginaldo Bononiensi, Gulielmo cognomēto Longaspata,& altero Gulielmo fratre ex concubina Sarisberiensi comitibus, ire subsidio amico iubet. Duces clarā nacti tempestatē, ubi in altum progressi sunt, conspiciunt frequētes circa Dammum naues. Porrò cùm is portus non esset omnis regiæ classis capax, magna pars nauium stabat in anchoris circa litus,& arbitrantes hostium esse, euestigio iubēt nautas depositis uelis, cursum sistere: quo facto, scaphas aliquot speculatorias ad cognoscendū mittūt, ecquæ naues illæ sint, ecquo præsidio custodiant. Ita usu uenit, ut eodem momēto præsidiū cum bona parte nautarū, exiuerit in agros, prædādi causa. Itaq; accedūt speculatores dissimulatis personis, uestitu piscatorio induti,& uidentes naues sine custodia esse, incitato cursu redeunt, narrantq; ducibus uictoriā in manu esse, si modò celeritate utantur. Duces eo nuntio lætati, iubēt suos sese ad certamē expedire, atq; sublatis uelis, recto cursu naues hostium petunt: primo accessu maiores quæ in anchoris stabant, nautis ut uitā sibi seruent, orantibus, ad punctū temporis capiunt: reliquas quæ decrescente Oceano in arena remanserant, prius armamentis ac alijs bonis spoliatas comburunt, nautis qui in illis erāt, fuga salutē sibi quærentibus: eoq; prosperè cōfecto negotio, alia minora nauigia quę in portu stabant, itidem inuadunt. Hîc aliquid certaminis fuit: nam propter loci angustiam, nihil multitudo poterat iuuare pugnam, & magna pars præsidij cognito ex clamore & fuga nautarum, aduētu hostium, ad naues regressa acriter resistebat. Sed cùm Anglus in terram egressus ex utraq; parte portus telis ac saxis urgeret,& naues simul iunctę pedestrem quasi pugnam facerēt, non potuerunt Franci diu impetū sustētare, qui post ingentē cædem utrinq; factam, omnes ad unum capiuntur. Duces Anglici tali uictoria præter spem parta, incredibili lætitia affecti, naues captas meliores celeriter abducūt, reliquis in portu fractis, incēsis'ue, ac exercitum in terram egressum in aciem ducunt, ut cum Philippo fortè suis succursum ueniente, in itinere congrediant. Quæ res uictoriam antè adeptam illis confirmauit: nam Philippus certior factus de periculo classi ac suis ex aduentu hostium repentino imminenti, sperans se adfuturum suis in tempore, dimissa obsidione, dum ad naues quanta maxima potest celeritate properat, cognoscit hostes classe iam potitos cū instructis

structis copijs, suum aduentū in itinere opperiri, ac Ferdinādum de uictoria certiorē factū à tergo subsequi. Igitur ne temerè manifesto periculo se opponat, positis castris eo die nō longè à Brugis manet, postridie uerò in Franciā eo quo uenerat itinere contendit, nullo eum insequēte: quia hostis satis adepta uictoria contentus, persequendū non existimauit. Ioannes accepto de re bene gesta nuntio, mirum in modū se erexit, confirmauitq;, confidens animo omnia sibi in posterum longè felicius casura.

Erat ea tempestate eremita quidā nomine Petrus, homo Eboracensis, qui aut diuino afflatu instigatus, quemadmodū uulgi opinio ferebat, aut magicis artibus eruditus, cōsueuerat prędicere futura: & quia aliquoties, ita ut fit, prędicta accidebant, magna ei idcirco uelut uati neutiquā uana habebaī fides. Is dum Ioannes aduersis afflictabaī rebus, circa calēdas Ianuarias, prædixit fore, ut ille ad diem qui ascēsioni Christi sacer est, de regno eijceret, ac siue ut dictis plus fidei tribueret, siue nimis arte confisus, dixit non recusaturū se ultrò mortē capere, si uaticinatio careret euētu. Igitur in custodiā traditus, cùm aduenisset dies dictus, sine ullo maiore accepto à Ioāne detrimēto, ipsius iussu, crudeliter cum filio, laqueo suspenditur. Quod facinus plenum immanitatis nimiū omnes abhorruerunt, quia ipse Petrus constāti fama uir sanctissimus apud uulgus habebatur,& filius eius innocens supplicio unà affectus est.

Rex ut primū cognouit, sicut diximus, de adepta uictoria in Flandria, sublatus animo, ac nihil pensi habēs, quòd regnum adhuc interdictum esset, confestim exercitum parat, ut in Aquitaniam aduersus Francos, qui finitima passim loca iam uexabant, properet. Verùm negantibus suis ducibus se in Gallias secuturos, nisi prius deuotionis pōtificiæ uinculo solutus, omnib. de iniurijs satisfeciisset, ut placato diuino numine, felicius arma in hostes moueret, mutata necessariò sentētia, Vintoniam diuertit, ac statim legatos cum literis mittit ad Cantuariensem, Londinensem,& Elyensem antistites in Galliā, qui illos rogent, ut cum cæteris exulibus in Angliā redeant, atq; literas eis dent, quibus tutum iter,& se simultatum omniū oblitum pollicebatur cunctis redditurum, quod per iniuriam illis detraxisset. Antistites acceptis literis, in Angliam cum alijs exulibus properè traijciūt, quibus Vintoniæ appropinquantibus rex obuiam factus, ubi propius accesit, prospiciens in Cantuariensem ad pedes ei subitò iacet, ac supplex ueniā petens, eum pariter atq; alios episcopos rogat, ut infelicē patriæ statum miserātes, uelint deinceps rebus publicis bene consulere. His dictis, obortis ex lętitia utrinq; lachrymis, simul urbē ingrediunt, populo miro exultāte gaudio, ac plaudente, q; uideret Reipublicæ caput cū suis tandē membris cōsentire, qui fuit annus Ioanni à gubernatione sui regni XIII, & ab humana salute MCCXIII. Hîc Ioannes petens suppliciter ab archiepiscopo, qui in Anglia uicarius erat Ro. pōtificis, absolutionem, iureiurando promittit se primò ordinem sacerdotalem ab iniuria prohibiturū, deinde leges à priscis regibus latas,& præsertim quæ diui Edouardi esse dicūtur, penè obsoletas, ad pristinū usum reuocaturū, quod populus in primis flagitabat,& postremò omnibus satis facturum, quibus hactenus damnum dedisset. Quo facto, de impietate absoluitur, qui nō multò pòst missis oratoribus Romam, qui cum pontifice de tollendo interdicto agerent, cœpit dare operam, ut satis fieret, leges corrigerentur nouæ, ueteres restituerētur, ac reli

Universidad de Deusto
Biblioteca

gionis decus ritè seruaretur,& earum rerum curãdarum Cantuariensi in primis negotium datum. Stephanus indeCantuariam digressus,restitutis in cœnobium Cantuariense monachis,tum demũ suam prouinciã Cantuariensem obtinuit,qui fuit ordine antistitũ secũdus & quadragesimus: postea rebus regni operã daturus Londinũ reuertit. Atqui fucosa Ioannis bonitas nequiuit se diutius cõtinere,quin,ut uana erat,euaderet in nequitiã. Nam cùm Cãtuariensis cũ cæteris nobilibus,qui auidi erant pristinæ libertatis,sedulò aliquẽ statum cõmodũ regni collocandũ curaret,& iam bene multa melius instituta essent,ille interim male in suos animatus timere cœpit, ne per ea sibi deinde minus liceret facere, quod luberet: ex quo ualde pœnitens promissorum suorum,ac concordiæ reconciliationis,palàm clamabat sibi impositum esse, atq; idcirco nolle conuentis stare: eius tamen furorem Cantuariensis ad tempus cohibuit,affirmando, de eo iuxtà atq; regno actum fore, si datam fidem falleret. Dum his disceptationibus tempus teritur,peruenit in Angliam Nicolaus cardinalis Tusculanus episcopus legatus à pontifice missus,ut si Ioannes prẽstaret,quæ recepisset se sanctissimè seruaturum,interdictum tolleret: quẽ ille accepit perbenignè,libenterq; audiuit. Is curato sacerdotalis ordinis negotio,nõ eo tamen studio atq; integritate,qua episcopi & principes cupiebant,antistitũ ac aliorũ sacerdotum conuentũ fecit,causa res sacras rectissimè constituendi: & postquã rex Ioannes bonã partẽ facultatũ,quę integræ erãt, reddiderat,atq; dimidiũ pretij per æstimationẽ earum,quę absumptę fuerãt, dederat sacerdotibus ac prophanis hominib. quos perperàm spoliasset, ad III cal. Iulij,anno salutis humanę MCCXIIII, interdictum sua autoritate sustulit,post annos sex,ac menses tres,diesq; duodecim,quàm Anglia eo terrifico iustitiæ telo percussa fuerat. Per eos dies Eboracensi diœcesi post obitum Gaufredi uacanti,Gualterus Graius Vigorniensis episcopus præficitur, qui in ordine Eboracensium antistitum trigesimus tertius ponitur.

Ioãnes ordinatis hoc modo domi rebus,deinde bellis externis sibi seruiendum statuit: itaq; misso stipendio suis ducibus,qui Ferdinando comiti Flandriæ aduersus Francũ auxilio erant,ac cõfestim coacto magno exercitu,cum multarũ nauiũ classe Rupellã petit,ubi in terrã egressus Andegauũ instructo agmine pergit,illudq;,uti antea instituerat,studio instaurat. Dum autem hîc morat,Pictones Francorũ dominatũ iam perhorrescentes ad eum deficiunt, quorũ ille auxilio auctus,ad rem Britannicã occupandam animũ intendit,eo præsertim cõsilio,ut Francorũ uires partim debilitet,partim à Flandrico bello auertat,quod propédiẽ imminebat,in quo ductu & auspicijs Othonis Imperatoris de rerũ summa agendũ ducebat: quare ineunte iam uere, in agrum finitimũ cũ omni equitatu exit. usq; ad Nanetũ mœnia ea uastitas peruenit: ingentẽ cladẽ terroremq; faciunt equites. At nõ multò pòst Britannica iuuẽtus,ductore Petro Roberti Druidũ comitis filio,qui Adelam Guidonis ducis filiam habebat uxorem,ad prohibendam depopulationibus patriam, in campũ descendit,ad manusq; cum hoste uenit. Pugnatur à principio acriter, sed statim pòst Britanni armis & metu uicti,in fugam se dantes certamen deserunt. Plus hominũ capitur,quàm cæditur, inter quos fuit Petrus,cum bene magno nobiliũ numero,quos Anglus cõtinuò in uincula abreptos,Andegauum mittit. Exin arcem munitissimã ad ripam Ligeris sitam,quam Monachirupem

chirupẽ uocãt,oppugnare aggreditur: & quia primo aduentu cognouit magnum intus præsidium Francorum esse, & non facilè capi posse, uallum circunducere,tormenta locis opportunis aptare, ac mœnia uerberare festinat. Dum ita oppugnatio non respirat,nuntiatur ei Ludouicum Philippi filium cum ualido iuuentutis robore,suis subsidio uenire. Quare cognita, Ioannes qui uidebat sibi cũ immẽso hoste rem fore,& Pictonibus parũ fidebat, ut ne periculũ adiret,soluta obsidione,Andegauũ se recepit. Ludouicus post Angli discessum,affectis supplicio defectionis autoribus, Pictones in potestatẽ redegit. Interea pater eius Philippus pari euentu,sed singulari certamine, ad pontem Bouinũ in Flandria,coniecit in fugam Othonem Imperatorem, qui eò cum innumerabili exercitu uenerat, ut rem Anglicam pariter & Flandricam iuuaret, cui suprà scripsimus Ioannem pecuniam in sumptus eius belli apparatus dedisse,atq; Ferdinandum Flandriæ,Reginaldum Bononiensem, et Gulielmũ Sarisberiensem comites cum multis alijs heroibus,qui sub Ioanne stipendiũ merebant,uictos cepit,deleto uniuerso illorum exercitu. Quod ubi ad regem Ioannem perlatũ est,tantũ ei molestiæ asperserit,ut primò totum diem nihil cibi capiẽs,à uita per inediam discedere cuperet: deinde prę iracũdia,tristitia animi in furorẽ uersa,nullis uerborũ cõtumelijs parceret, palámque uociferaretur,non posse quicq; sibi bene cadere,postquam cum Deo & Romano pontifice in gratiam redisset: id quod cùm sæpius repeteret,exijt in uulgus nõ illepidum,incerto autore dictum: Ideo nihil sequundi Ioanni succedit,quia neq; Deo neq; hominibus reconciliatus est. Sanè is nuper rerum omniũ necessitate coactus,põtifici parêre simulauit,& de iniurijs præ multitudine mortalium,quos læserat,paucis omnino satisfecit. Ex huiusmodi igitur rerũ euentis discant Christianæ religionis homines, illud psalmi carmen apud omnes prouerbiale longè uerissimũ esse: Initiũ sapientiæ,timor domini: hoc est,sapientiæ est,timere Deum: quandò qui contrà agunt, eos dubio procul cita manet pœna. Porrò ne longè exempla quæramus,creditũ est Othonem Imperatorem,Ferdinandum Flandriæ,Reginaldũ Bononiæ,& Gulielmum Sarisberiensem comites apud Bouinum põtem,eò infeliciter dimicasse,quòd ab Innocentio pontifice iam pridem ut Dei ac legũ nihil metuentes,impij iudicati,& ex Christianorum cœtu eiecti fuissent. Sed ipse Ioannes in primis documento est,qui ob iram Dei,cuius religionem non magni omnino faciebat,& durissimam uitam uixit,et miserrimam mortem obijt. Secũdum hæc,Ioannes amissis amicis quorum pleroscq; hostis ceperat, cæteri aut ab eo defecerunt,aut simulato animo in officio permanebãt,& iam seditioni bus sensim domi renascentibus,se in afflicta perditaq; fortuna esse conspicebat,qui idcirco tantùm ut tutius res domesticas curare posset,externas componendas existimãs,missis ultrò citroq; legatis,inducias quinq; annorũ cum Franco pepigit,atq; statim pòst in Angliam reuersus est.

Cùm ita ab externis bellis otiũ esset, dehinc totum regnũ discors cœpit intestino palàm odio flagrare,propter leges diui Edouardi nondũ,prout Ioannes promiserat,restitutas,abrogatis alijs legibus,quę regi maximè cõmodo, non item populo erant. Quapropter optimates aliquot arbitrantes non esse diutius tantum mali ferendum,ad Buriense cœnobium diuo Edmundo dicatum conueniunt, simulantes se ueniæ causa eò iuisse. Hîc de tyrannide regis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõmuniter querunt̃,frementesq; secum conferunt se militiæ pro regno sæpe dimicasse,& domi continenter à suis regibus opprimi,q freti legũ iniquitate omnia suo arbitratu facere auderẽt,apud quos,si qui iniuriã expostularẽt,illos respondere,nõ iniuriã esse,sed ius:et propterea fortium uirorũ & magnorum hominũ esse prouidere,quò hęc mala per bonas leges,quibus eorũ maiores quietius uixissent,tollerent̃.Istis atq; talibus dictis uniuersi ilicò concitati,constituunt ad Ioannem adire,& ab eo petere, ut promissas tandem aliquando leges daret:& quoniam certò quasi sciebãt principem id iniquo animo laturum,quò ergo postularent magis minaciter quàm suppliciter, arma pro se quisq; parare decreuit,ut si in eiulmodi postulatione legum, fortè manibus non temperaretur,posset illis uti. Ac ita coniurati,loco & tẽpore constituto,quo regem conuenirent,dato q; negotio ętate grauioribus,qui nomine omnium loquerentur, abeunt. Ioannes interim Vigorniæ erat, ubi clàm certior factus de principum conspiratione,secum q; cogitans rem haud partui momenti supra caput esse,acto die natali Christi,qui incidit in annum salutis MCCXV,continuò Londinũ proficiscitur, quò pari atq; ille etiam principes celeritate adfuere, relictis suis ad suburbanos uicos, ut si opus foret, armati præstò adessent. Tum optimates regem adeunt,postulant,rogant leges,ac uetera instituta,quibus olim reges populum Anglum bene rexissent,& quę ipse iureiurando se in pristinum usum reuocaturũ promisisset,cæteris recentioribus legibus quas meritò unusquisq; iniurias appellare posset,abrogatis atq; reliqua omnia flagitãt,quæ ille prius recepisset se sanctissimè obseruaturum.Ioannes ad rogatum aliter atq; animo sentiebat,placidè respõdet,quippe qui putabat cùm tutius,tum facilius esse,leuibus remedijs concitatos animos flecti,quàm frangi.Itaq; promittit paucis pòst diebus se postulatis operam daturum, ac ut maiorẽ fidem uerbis habeant, curat ut Cantuariensis & Elyensis antistites cum Gulielmo Maresc̃allo comite Gloc̃estriæ, cui Aleonoram filiam locarat,pro se promissa faciant,id quod illi fide optima promittunt. Quare mitigatis animis,principes domum abeunt.

At rex cui nihil alienius erat, quàm ex postulatis quicquam concedere, quòd expedire ita facere existimabat prospiciens rem breui tempore ad uim spectaturam, iam tum sibi timebat, exercitum parabat, loca tuta muniebat, quibus se, cùm opus foret, contineret. Principes etiam qui studium regis in comparando bello non ignorabant, copias in unum maturè cogunt,quibus ex communi omnium consensu, filium Gualteri principis nomine Robertum, uirum consilio bonum & uiribus ualentem præficiunt, quò iniuriam propulsare possint. Secundum hæc ad Cantuariensem ueniunt,traditáque schedula, in qua petitiones continebantur, rogant, ut sententiam regis de illis rebus exquirat. Ille cupiens seditiones extinguere, regem conuenit, hortatur, etiam atque etiam supplicat, ut suis principibus satisfaciat, ac simul postulata ostendit. Rex ubi quæ petebantur (petebatur autem noua regni status magis populo commoda collocatio) inspexit, furore accensus dirum iusiurandum uoce magna iurat, se nunquam ea cõcessurum. Quod cùm ad optimates perlatum est, ad arma extemplò concurrunt, instructoq; agmine Northantonum properantes obsident:Sed paulò pòst, quia nihil proficiebant, quòd oppidani exante muniti erant, & ipsi adhuc carebant

carebant machinis bellicis,soluta obsidione,ad Bedfordiensem arcem oppugnandam pergunt,quam Gulielmus Bellicampus præfectus loci,qui secretò cum eis sentiebat,confestim tradit. Vbi dum moram faciunt in muniendo loco,atq; præsidio firmando,accipiunt literas à ciuibus Londinensibus multò à rege alienissimis,celeri nuntio missas,quibus significabãt se recepturos noctu intra mœnia,si præsidium idoneum ad tutandam urbem mitterent. Hoc nuntio accepto mira affecti lætitia, quòd longè princeps ciuitas regni ultrò suas partes sequeretur,quatuor cohortes Londinum mittunt,quas ciues nocturno tempore introducunt, atq; postridie quàm receperint,manifestò deficiunt. Ioannes qui ad castrum Vindesorium interea erat, exercitumq; collectum in hostes quam primũ educere decreuerat,cognita Lõdinensium defectione,consilium mutat,& illinc discedere nõ ausus penè metu corruit,quia uerebatur,ne studiũ Londinensium cętęrę ciuitates sequerent̃. Quapropter ut præsens malũ tempestiuè reprimeret,statuit aduersarios circumueniẽdos fraude,ac statim legatos misit,qui dicerẽt principibus,se omnia ex eorũ sententia facturum,si ad Vindesorium castrum conuenirent. Principes cum instructis copijs(non enim confidebant Ioanni)à castro longè millia passuum tria consident,quò et statim rex accedit,ac modò hunc,modò illum placidè, amicè,honorificè appellando,postulata ultrò concedit:& ut faciat,quò cõfidant,permittit aliquot eligi uiros graues,qui quod cõcessissent,ritè seruandũ curent. Hoc insidioso beneficio Ioannes mirum in modum omnium sibi animos deuinxit,effecitq;,ut crederent ipsum omnia liberalitatis,nõ metus causa concessisse. Atque ita optimates læti tanquam desiderij compotes,Londinum discedunt.

Rex autẽ qui ira & odio agitatus nihil bona fide promiserat,postero die noctu & clanculũ cum paucis Suthantonũ proficiscitur,atq; in Vectẽ insulã transmittit. Hìc re ad regium senatũ delata,agitatur ecquid remedij adhiberi possit,quo principũ mentes sanentur:& cum alij alias dixissent sententias, bonæ consiliariorum parti permagnum uisum est,ac peropportunũ,si à Romano pontifice auxilium peteretur. Itaq; Gualterus Vigornien̄sis et Ioannes Nordouicensis episcopi,cum Ricardo,qui ex Mariſco erat,primo quoq; tẽpore ad Innocentium pontificem oratores mittuntur, qui eum de seditione principum doceant,exponantq; regem suorum uiribus coactum reddidisse populo leges,& immunitatẽ regno exitialem:& quia ea omnia sine autoritate ipsius pontificis, qui in primis in regnum Angliæ ius haberet, acta essent, ideo uelit ea ipsa irrita facere,mandareq; principibus,ut suo regi pareãt. Quibus rebus cõstitutis,regi in Angliam inde regresso,nõ dies nox ue ulla quieta fuit, quippe qui neque loco neque mortali se cuiquam satis credebat, sed atq; hìc atque illic sæpe contrà quàm regium decus poscer̄et,interdiu manebat,ac noctu requiescebat,ut hoc pacto eatenus à bello pariter atq; periculo uacuus esset,quoad intelligeret,quale auxilium à pontifice expectandum foret. Principes se Londini continebãt, acquotidie cum ciuitatis senatu,quem Rogerius Alanus eo anno urbis prætor frequẽter cõuocabat, de rebus agẽdis consultabant,& quia ubi gentiũ Ioannes esset,nesciebant,fraudem suspicabant̃. Legati interim Romam perueniunt,pontificiq; mandata exponunt. Doluit Innocentius tantũ dissensionis inter regem & principes esse: & quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

antistites legati regij in patrũ senatu, causa proposita contentionis, iureiuran
do affirmarunt, ius cum sapientissimorũ hominũ iudicio, facere cũ rege, om-
nemq; culpã in principibus residere, pontifex sua autoritate decreuit irritũ et
inane esse, quicquid immunitatis loãnes paulò antè metu armorum, populo
dedisset. Itẽ per literas optimates admonuit, ut quamprimũ depositis armis,
sui regis dicto audiẽtes essent. Oratores accepto præscripto, ac literis eiusmo
di pontificis, in Angliam confestim redeunt. Rex cognito oratorum reditu,
paulò antè ad castrum Vindesorium profectus est, quò & legati accesserunt,
à quibus intellexit pontificem Romanũ omnia ex sentẽtia decreuisse. qua re
aliquantulũ confirmatus dat operam, ut decreta pontificis principibus decla
rent, mandeturq; ut illis tandẽ stent. Atqui optimates cognita fraude, quam
suspicabantur, indignati promissa legum diu expectata in ludibrium uerti,
non modò decreto tanquam parum æquo non obediunt, sed pontificis iudi
cium ut iniquũ incusantes, qui Ioannis & antistitum qui ei in consilio erant,
circumuentus dolis, ita decreuisset, non cognita prius alterius partis causa, ar
ma raptim capiunt, uociferantes se tantam iniuriam ferro, cæde, & sanguine
uindicaturos, aduersus iniquum tyrannum, qui ita suos principes, suos ciues
ludificatus esset. Igitur exercitũ quem penè deposuerant, extemplò in unum
cogunt, atq; arci Rocestrensi præsidio satis ualido firmatæ, Gulielmum Alba
nactum uirum militaris artis peritũ præficiunt. Ioannes ubi cognouit prin-
cipes cõtempto põtificis prescripto, magis sibi quàm antea infestos, iratosq;
factos esse, iterum legatos Romam mittit, qui pontificem de contumaci prin
cipum suorum responso certiorem faciant, & deinde Rocestriam profectus,
arcem ubi bona pars nobilium erat, circumsidet, atq; interim ad Ferdinandũ
comitem Flandriæ, qui se magno pretio à Franco non multò antè redeme-
rat, rogatum mittit auxilium, id quod ei Ferdinandus memor beneficij acce-
pti, duce Fulcasio Brentæo, statim misit. Ioannes igitur noui militis aduentu
auctus, in cuius uirtute spem maximam ponebat, ita obsessos die noctuq; op
pugnando pressit, ut post sexagesimum diem, quàm arcem obsidione cinxe-
rat, ad deditionem compulerit. Quo prosperè cõfecto negotio, bipartitò di-
uidit exercitũ, ui altera pars Londinum oppugnet, cui præficit Sauarũ Mal-
leonensem Pictonem, ac Fulcasium uirũ crudelitate insignem: alteram secum
ducat in agrũ Eboracensem, aduersus principes, quos audiebat illic nouũ fa-
cere exercitũ. Per idem temporis pontifex Innocẽtius permotus, quòd prin-
cipes suo præscripto nõ paruissent, omnes qui cõtra Ioannem arma tulerint,
religionis hostes iudicauit, præcepitq; Petro Vintonienſi episcopo, et abba-
ti Redingiensi, ut illos per totum regnũ numero impiorũ habendos declara-
rent: quibus tamen id facere nõ licuit per Cãtuariensem episcopũ, qui princi-
pibus fauebat, cui ob illud ipsum postea sacrarũ ædium ingressu, sacrificijsq;
interdictũ est, qui Romam citatus nihil fuit propius factũ, quàm ut archiepi-
scopatu priuaretur, sed ad ultimũ quorundam Cardinaliũ rogatu, ueniã im-
petrauit. Cæterũ Innocentius nonnihil sibi inuidiæ apud omnes parauit, ex
eo studio, quo Ioannẽ regem, quem cognorat minus probum, complectere-
tur. Interea Ioannes in Eboracẽsem agrum profectus, quicquid quod spectã-
tim nobilium esset, domos, uillas, prædia, igne & ferro deuastat, simul quos-
cunq; qui in prouincia genere aut opibus excellerent, omnes generatim aut
spoliat,

spoliat, aut supplicio afficit causa ulciscendi, uti prædicabat, iniurias. Itidem
facit in agro Londinensi alter exercitus, qui ad extremum uidens nullam es-
se spem expugnandæ urbis per obsidionem, longè lateq; progressus Bedfor-
diam cum arce capit, quæ Fulcasio à rege dono datur, ac deinde prædando
usq; ad Elym insulam peruenit: quo tempore cùm tanta esset uis frigoris, ut
per aquas quibus insula circundatur, congelatas, iter tutum transeuntibus
præberetur, facto impetu, in insulam euadit, qua circunquaq; unà cum tem-
plo spoliata, magnam prædam abigit.

Optimates tot malis uno tempore affecti, hinc rege bona dilacerante, libe
ros & uxores aut iugulãte, aut in uincula dante, illinc põtifice Romano acri-
ter aduersante, quorsum se uerterent, quidue consilij, quamobrem inuenire-
tur remedium, caperent, omnino ignorabãt: etenim amissa magna parte suo-
rum in arce Rocestrensi, nequaquam armis certare cum Ioanne audebant, &
eidẽ confidere, qui paulò antè datam fidẽ fefellisset, minimè tutum ducebãt.
His igitur difficultatibus pressi ab hoste auxilium petendum constituunt:
itaque inito consilio, Ludouicum Philippi regis Franciæ filium, cum quo, ut
suprà dictum est, Blanca Alphonsi regis Castellæ filia, Ioannis ex Aleonora
sorore neptis nupta erat, sibi regẽ optant, missisq; nuntijs cum obsidibus in
Gallias, iuuenẽ rogant, ut suis quamprimùm opẽ ferat. Philippus nactus hãc
opportunitatẽ regni Angliæ potiundi, quẽadmodum arbitrabatur, nuntijs
respõdet, filium quamcitissimè poterit, ad futurum suis optimatibus, cum in-
genti armatorum manu, ac simul studio classem parat. Ioannes cognito prin-
cipum cõsilio, celerrimis nuntijs pontifici omnia significat, rogatq;, ut sua au-
toritate Ludouicum remoretur, moneat, prohibeat, ut ne in Angliã trajiciat,
néue eius aduersarijs communibus inimicis, quos ipse extra Christianorum
cõmunionẽ eiecisset, faueat. Pontifex cupiẽs Ioanni subuenire, misit legatum
nomine Vallonẽ ad Philippum regẽ, qui eum modis omnibus à bello Angli
co dehortãdo auerteret. Audiuit Francus quæ legatus exposuerat, sed nullis
rationibus adduci potuit, ut auxilium principibus Anglis negaret, asserens
Ioannẽ nõ esse legitimum regẽ Angliæ, quòd regnum à principio Arthuro
nepoti eripuisset, ac postea tã oblitus sui, q; immemor patrię, inimicusq; suæ
dignitatis, cessisset ipsius regni iure Romano põtifici, & is illud sibi legitimè
partum affirmaret: & quia id sine principum consensu fecisset, iã suo delicto,
omni regio honore priuatũ esse. Igitur legatus cùm uideret nihil esse, quod
amplius laboraret, ut ne frustra apud Francum tẽpus tereret, in Angliã pro-
perauit, quò Ioannis aduersarios iampridẽ impiorum numero per põtificis
decretum habitos, per totum regnũ religionis hostes denuntiaret. Ludoui-
cus autẽ ut legatum antecederet, celeriter exercitu in naues ducto, citius opi
nione omnium, sese ad Sãduicum Cantij portum appulit, expositisq; in terrã
copijs, triduũ in litore cõsedit, ad eum interim cõfluentib. principib. ac sigil-
latim suaq; spõte iusiurãdum cõceptis uerbis dãtibus. Ioannes sub aduẽtum
Ludouici, Douerũ profectus, cõstituerat hostib. in itinere occurrere, atq; ma
num cum illis cõserere: uerùm ut suapte natura timidus, suspicans ne milites
Flãdri, quorũ maiorẽ numerũ in exercitu habebat, ad Frãcũ, quẽ haud peius
q; Anglum oderãt, deficerẽt, mutato repentè cõsilio, arcẽ Douerẽsem muni-
uit, relicto q; loci præsidio Huberto Burgensi uiro lõgè fortissimo, Cantuariã

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuertit,ac inde pauens atq; fugienti similis Vintoniã concesſit. Ludouicus cognita Ioannis fuga, tutus ire pergit per Cantium: quo ſtatim cum omnibus arcibus,præter Douerenſem,ſubacto,Londinum peruenit. Hîc principes congregati Ludouicum regem ſuum declarãt,ac pro ſe quiſq; in eius uerba ultrò iurat,rogans,ut leges ac uetera inſtituta ſeruet. TumLudouicus coràm ſic uerba feciſſe fertur: Recipio ueſtram,principes, doq; uobis meam fidem, me inſtituta patriæ ſeruaturum, & Anglici populi potius quàm meorum commodorum memorem,uos qui mihi ſecundum parentes eſtis chariſſimi,omnino ab iniuria prohibiturum:quippe qui non regni uel opum causa,quas pater rex potentiſsimus ſatis nobis amplas parauit, huc ueni, ſed ne dicerer ingratus, ſi non ueniſſem ad iuuandum uos auxilio, qui me ueſtrum ſponte regem conſtituiſtis,neue timidus,ſi tam iuſti belli occaſionem negleXiſſem.Igitur fideles eſtote,meq; ſequimini:efficiam enim,ut regnumAngliæ ſuam dignitatem,& uos ueſtram libertatem recuperetis.

Hæc poſtquam fama uulgare cœpit,rumorq; per inſulã peruaſit,populares ultrò in noui regis fidem ueniunt,quod complures Ioannis quoq; milites faciunt. Atq; ita Francus ex inimico factus amicus, Anglo copulatur. Approperauit Londinum ad Ludouicum & Alexander rex Scotiæ,cum electa militum manu:& quia ſubſidio ibat populo,idcirco ab Anglis toto itinere bene acceptus eſt.Ludouicus ſic uiribus auctus,auſtralem Angliæ partem,præter Vintoniã,ubi ſe Ioannes cõtinebat,& Caſtrum Vindeſorium, primo accelſu ſubigit,nemine homine facultatibus non ſpoliato. Porrò cùm Franci milites cupidi prædæ aurum quærerent,non poterant ita à rege contineri, quin paſsim nõ modò priuatorum opes,ſed etiam tẽplorum aurea argenteaq; uaſa raperent. At multò crudelius Ludouico peragrante deinde Orientis plagã,illud incendium per fortunas generatim omnium peruaſit.Ludouicus nihil cauſæ ſuę indormiens,aggreditur ad oppugnandam arcem Nordouicenſem,quam,tametſi non paruo negotio,in poteſtatem redigit, ac inter incluſos capit Thomam Burgenſem fratrem Huberti,qui arcem Douerenſem tenebat,quẽ ſedulò cuſtodiendum curat, ſperans per eum corrumpere fratrẽ, quò ſibi eam arcem reddat:ac ita ea ſpe partim fretus,partim inſtigatus à Philippo patre arguente imprudenter ab eo factum,quòd locum tã munitum in poteſtate hoſtium à tergo reliquiſſet,cõtinuò Douerum profectus,arcẽ obſidet,adhibitisq; omnis generis bellicis tormẽtis, dies noctesq; oppugnationem cõtinuat,nõ ſine ſuorum ſtrage,qui ab obſeſsis telis atq; crebris ſaxis lõgè arcebantur.Inter hæc Ludouicus deſperans ſe poſſe armis arcem capere, primùm tentat flectere Hubertum ad deditionem metu fraternæ necis,minitans ſe eo inſpectãte,fratrẽ Thomam exquiſitiſsimis excruciatum ſupplicijs, ignominioſiſsimo genere mortis affecturũ. Quod cùm Hubertum nihil moueret,aurum ad uincendum hominis animum addidit:at ne id quidẽ cõſtantem hominẽ ad perfidiã ſolicitauit. Tum ille iratus,palàm clamat ſe nõ prius illinc abiturum,quàm capta arce,omnes ad unum ſupplicio affecerit, atq; acrius multò in oppugnationem incumbit. Principes etiam qui Lõdinum tenebant, eodem tempore Caſtrum Vindeſorium ſubita obſidione adoriuntur,quò nulla in parte langueſcere uideantur.

At Ioannes interea ſimulatq; cognouit hoſtes occupatos eſſe in huiuſmodi lon-

di longè difficilimis obſidionibus, confeſtim dimittit quoquouerſum nuntios,qui ad ſe uocent perditiſsimos quoſq;,alliciantq; ſpe prædæ, ad diripiendam omnem inſulæ partem,quæ in hoſtium poteſtate eſſet.Magnus undiq; numerus hominum celeriter conuenit,quorum uiribus Ioannes animo ſublatus,qui ad ulciſcendum ardebat, Vintonia mouet,ac tanquã fulmen erumpens,omnia proſternit, circumiacentem agrum excurſionibus, ferro & igne domos, uicos integros deuaſtando, templa & ſacerdotes ſpoliando. quo ſucceſſu ferocior factus, totus in Cantabrigienſem agrum uertitur, quem cùm pari clade affeciſſet,ad oram maritimam inſulæ, quæ è regione Galliæ Belgicæ eſt,iter flectens,in ſeptentrionem uerſus pergit, arua hoſtiliter depopulatur,uicos ac oppida capta prius militibus diripienda dat, deinde incendit. In eo itinere directo pago,quem uocant Burgum diui Petri,cum cœnobio monachorum,ad Crolandienſe cœnobium diuertitur,quod itidem ſpoliat. Erat ſpectaculum poſt omnia ſecula, ualde horribile, uidere paſsim crudeliſsimos milites ſequi,miſeros parentes relictis propriis domibus,fugere cum filijs,occîdi,capi,uirgines uiolari,multos uulneribus acceptis,neque fugere poſſe,neque quietem pati,& inter ea,humum infectam ſanguine.Item fruges iam maturas comburi,armenta atq; greges rapi,& denique nunquam ferè aliàs grauiorem labem ab homine Anglo,Angliæ fieri.Qua quidem crudelitate Ioannes ita Deum,uti credere par eſt,ſibi iratum fecit, ut ille breui tantorum flagitiorum pœnas ab ipſo meritas exegerit:nam cùm inde exercitum præda locupletem per littus Oceani duceret,peruenit ad æſtuaria quæ ad Vualpolam ſunt, nam ad id loci labitur flumen Nyna,in Oceanũq; fluit.Hîc Ioannes cùm ignoraret ubi loci fluuius tranſiri poſſet,iuſsit unũ ex ſuis, qui fortem & audacem equum habebat,uadum explorare,quà amnis mari infunditur. Is reperto forte uado,ad ulteriorem ripam progreſſus effecit,ut cæteri audentius nullo ſeruato ordine, in aquam intrarent, adeò, ut currus ſimul quibus impedimenta uehebantur,& copiæ omnes diuerſis itineribus tranſeuntes inciderint in uoragines,quæ frequentes intra arenas eo loci ſunt, quibus momento ſubmerſi,abſorpti ſunt tam currus,quàm equites.Ioannes qui ducem itineris per uadum ſecutus eſt,cum paucis uix euaſit.Et ita ſacrilega præda unà cum prædonibus malè perijt.Rex tanto detrimento affectus,ex mœrore animi in febrem incidit aſsiduam,& ualde moleſtam,ex qua grauatus cùm equitare nequiret, lectica ex uiminibus facta & ſtramento ſtrata,ſine puluino, uectus Lincolniã contendit:ſed ui morbi ad Slefordiam arcem, quæ nunc etiam extat, ſubſiſtere coactus eſt: ſiue ut quibuſdam magis placet, Neuuarcum iter conuertit, ubi loci in arce,quæ inibi munitiſsima eſt,magis animi triſtitia,quàm morbo conſumptus,paucis pòſt diebus,decimoquarto Calend.ſiue,ut non nemo tradit, pridie Idus Nouembris, occidit, anno ætatis altero & quinquageſimo, cùm regnaſſet, decimoſeptimo, pluſq; menſes ſex, ac dies ſeptem & uiginti. Sunt qui ſcribant (uel hoc nõ omittere libet, quò ſatisfaciamus uulgo)Ioannem poſt amiſſum exercitum,ira & furore accenſum, perueniſſe ad cœnobiũ monachorum ordinis Ciſtertienſis, quod Suineshedum uocant, & ibi indignatum ob annonæ uilitatem, utpote quò haud quiſquam id temporis Anglicæ genti inimicior erat,iracundè dixiſſe, ſe intra paucos dies ita facturum, ut multò carior eſſet:& ea uoce monachũ quendam concitatũ, continuò regi

Universidad de Deusto
Biblioteca

adminiſtraſſe uenenum uino infuſum, ab ſe prius deguſtatum, quò liberius ille hauriret, & ita ambos uno ferè tẽporis puncto animã efflaſſe. Corpus Virgorniã delatũ, in principe æde humat. Genuit ex Iſabella uxore liberos Henricum, qui ei ſucceſsit, Ricardum, Ioannam, quæ nupſit Alexandro regi Scotorum, Iſabellam, quæ locata fuit Federico ſecundo Imperatori, & Aleonorã, quam in matrimonio habuit Gulielmus comes Gloceſtriæ, ac ut quidam memoriæ prodiderunt, quartam filiam nomine etiam Aleonoram. Statura corporis fuit ſatis honeſta, facie iracunda, animo minimè forti, etſi ſæuo, quippe qui imminente periculo, cum deficiebat, & cùm à periculo uacuus eſſet, ſubitò ſuapte natura recrudeſcebat. At de uirtutibus eius ut exiguis cùm nihil ſcribendum ſit, ita de uitijs, de quibus ſuprà appoſitè abundecp memorauimus, nihil hoc loco eſt, quod repetamus. Viri fama illuſtres eo tempore fuerunt, abbas quidam nomine Euſtachius diuinarũ literarũ ualde ſciens, ac concionibus inſignis, Gaufredus Eboracenſis antiſtes, Simon Thuruaius uir doctiſsimus, qui cùm plus æquo ſua gloriaretur doctrina, repentè literas ita oblitus eſt, ut rudiſsimus penitus ſit effectus. Item Hugo ſanctiſsimus Lincolnienſis epiſcopus, & plericp alij ſacerdotes moribus & doctrina clari. Sicuti etiam multi floruerunt militari diſciplina, de quibus perappoſitè ſuprà meminimus.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIAE LIBER XVI.

PRINCIPES cognita regis Ioannis morte, parum admodum gauiſi ſunt, utpote qui ea mente Ludouicũ à principio accerſiuerant, ut eius auxilio, ope, uiribus, eatenus libertatem populi Anglici tutarentur, quoad aut Ioannes ad ſanitatem redire cogeretur, aut Henricus illius filius id ætatis foret, qui per ſe poſſet res gerere: & quoniã neutrũ adhuc ſecutũ erat, uerebantur, ne nõ ſi Ludouicus rerũ potiretur, Anglia perpetuò in Francorũ ditionẽ ueniret, quod morte magis cauendum ducebant: quapropter rem ex domeſtico odio in diſcrimen adductam, immortaliter dolebant. At Ludouicus mira affectus lætitia, in certam demum ſpem uenit occupandi Anglici regni: igitur maiore animo ac uiribus oppugnationem Douerenſis arcis continuat, ſperans breui tempore futurum, ut illam Hubertus loci præfectus ſponte reddat: quod tantum abfuit, ut ille fecerit, ut à Gulielmo comite Sariberienſi (is captus à Philippo in pugna Bouinenſi, in Flandria deinde liberatus, Ludouicum ſecutus eſt) ad deditionem ſolicitatus, etiam in fide multò conſtantiſsimè permanſerit. Tum Ludouicus, ut ne per oppugnationem unius arcis, occaſionem bene gerendæ rei interim amittat, mutato conſilio, obſidionem ſoluit, maturatocp itinere, Londinum proficiſcitur, & inde in Lincolnienſem agrum contendens, aliquot in itinere arces in poteſtatem redigit. Sunt qui ſcribant Ludouicum ſtatim atcp audiuit de morte Ioannis, redijſſe in Franciam, auctocp exercitu, in Angliam continuò reueniſſe, quod tam dicetu, quàm factu incredibile eſt: nam ſi tempore tam opportuno ad nouas res gerendas, in continentem abijſſet Francus, haud dubiè ſtudium ſociorũ principum

cipum ab ſe auertiſſet, atcp ita hoſtibus animũ auxiſſet, ut illi poſtea audacter redeuntem ingreſſu inſulæ prohibere tentaſſent, uel omnino facilè arcere potuiſſent, quos iam pœnitebat externum hominem tam potentem, tam formidoloſum in patriam uocaſſe ad auxilium ferendum.

Dum iſta à Franco & principibus geruntur, Gulielmus Mareſchallus regis copiarũ præfectus, idem comes Gloceſtriæ, Henricũ nouem annos natũ, cum alijs Ioannis filijs Gloceſtriam ducit, atcp eò conuocat omnes, qui hactenus regias ſecuti partes fuiſſent. Illi ubi cognouerunt filios Ioannis in tutum conductos eſſe, haud mora, Gloceſtriã properãt, ſed multò plures qui à Franco paulatim deficiebant, id ſpontè faciunt. Hîc dum Romani pontificis legatus, qui regiæ cauſæ defenſor erat, Petrus Vintonienſis, Ioſcellinus Bathonienſis & Vuellenſis epiſcopi, cum Philippo Albanacto, atcp alijs optimatibus de rebus agendis agitant, Gulielmus comes conſtituto in eorum conſpectu Henrico adoleſcente, ad hunc modum uerba facit: Ecce puer optimæ indolis, principes, qui nihil ſuo aut alterius nomine in nos deliquit, qui patris errata officijs ſuperare, qui cùm per uos licebit, patriam Francorũ dominatu, quam penè in manu tenent, liberare paratus eſt. Hunc igitur libeat regem dicere, cui regnũ ipſum debetur, quo ſi fraudatus fuerit innocens, & id ætatis puer, nos meritò impij appellabimur, quòd contrà, atcp uetus illud uerbum, Filius nõ portabit iniquitatem patris, uetat, paſsi fuerimus Henricum ob cõmiſſa patris puniri. Sed ne plura, quandò hæc ſatis ſunt, quamobrem poteſtis abundè officij eſſe memores. Poſtquã Gulielmus dixit, principes partim illius oratione moti, partim gratia, quam puer præ ſe ferebat, ducti, in ſententiã Gulielmi ueniunt, ſpemcp bonam de eo concipientes, ſummum plauſum dantes Henricum regem conſalutant, quem poſtea more maiorum legatus pontificius, ſiue, ut quibuſdam magis placet, Vintonienſis & Bathonienſis antiſtites ad quintum cal. Decembris conſecrarunt. Fuit is annus humanæ ſalutis MCCXVII. Is Henricus poſt primum Gulielmum Normanum, tertius ordine regum, dictus eſt regni, non opum, quas non habebat, à patre ſuperſtes relictus.

Henricus ſic regnũ adeptus, traditur bonis artibus inſtituendus curæ Gulielmi comitis. Ille ut hominũ animos Henrico facilius conciliaret, protinus in omnes partes regni nuntios cum literis miſit, qui de nouo principe creato paſsim uniuerſos certiores facerent, ac ueniam cum præmijs pollicerentur ijs, qui in eius fidem uenirent, illiscp nominatim ingentia munera promitterent, qui in officio, perinde atcp hactenus fecerint, permanerent. Quo factum eſt, ut amicorum animi ualde pergauiſi, confirmati ſint, & bene multi cùm ueniæ cõmiſſorum, ac præmiorũ ſpe allecti, tum odio alienigenarũ, pariter atcp ſuorum beneuolentia moti, quia Canis, ut dicitur, caninam non eſt, deficientes à Franco, ſeſe in Henrici fidẽ permiſerint. Quod ubi ad Ludouicũ perlatũ eſt, ueritus proditionem, præ qua nihil magnopere pertimeſcebat, arces nuper captas, & præſertim Hertefordenſem præſidio firmat, ac inde Londinum regreditur, principum fidem explorandi cauſa, quorum iam bona pars refrixerat, ad Henricumcp deſciuerat, & reliqui anxij ac dubij quem ſequerentur, in conſilio capiendo maximè angebantur: Francum enim deſerere, quem in Angliã uocaſſent, & cui ſe iureiurando obligaſſent, multò iniquiſsimum inhuma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nissimumq; iudicabant: & eidem confidere diutius, qui propter naturã diuersam, cum Anglo non soleret uoluntate coniungi, neutiquam tutũ ducebant. Item nonnihil terrebantur, quòd ipsi unà cum Ludouico, qui contra præscriptum apostolicum, eis uenerat auxilio, de Christianorũ cœtu à Rom. pontifice electi essent: contrà sequi Henricum licet patriæ amor atq; alta pueri indoles suaderet, tamen cùm per ætatem, neq; ipse per se arma mouere posset, neq; in rebus gerendis consilium capere sciret, admodum periculosum esse arbitrabantur: nam cùm in bello nihil utilius sit, quàm unum habere imperatorem, cuius nutu cuncta gerantur, ita nihil perniciosius, quàm cùm multorũ arbitrio res ipsæ administrantur. His igitur difficultatibus altera pars principum, quos pudor tenebat, diu uexata, Francum haud deserendum sibi statuit, usq; dum aut honestius ab eo discedere liceret, aut inter reges aliqua pactio æquis fieret conditionibus: itaq; Londinum ad Ludouicum profecti, de summa rerum inter se deliberant. Sub idem tempus Fulcasius collecta magna latronũ manu, à Bedfordiensi arce, quam ipse tenebat, usq; ad Fanum Albani, omnem agrum, uicos & oppida depopulatus est, sed in primis Fanum ipsum Albani cum cœnobio crudeliter diripuit, cuius flagitij postea pœnitens supplex ramdiuum Albanũ, quàm monachos pro uenia orasse fertur, nequaquam tamen bonis quæ rapuisset, restitutis. Et hæc est Fulcasij pietas, quam loco miraculi, scriptores quidam habent, perinde quasi iniuria non rerum, sed uerborũ ponderе æstimanda sit, & de ea, ratione eadem satisfaciendum: proinde rectius impietatem dicerent.

Interea reclamante pontifice Romano, ac detestante tam nefarium bellum, quod principibus regni iuxtà cum principibus, atq; amicis cum amicis intercederet, inter regem Henricum & Ludouicum in aliquot dies induciæ pactæ sunt. Quo facto, Ludouicus socio Alexandro Scotorum rege, in Galliam traiecit, cùm Gulielmus Sarisberiensis comes, ac plerique alij ad Henricum deserecerunt. Quæ res Francorũ cùm uires tum animos ualde debilitauit. Rediit Ludouicus paulò antè quàm induciæ exirent, magnoq; studio paratas copias ad arcem Lincolniensem, quæ ab hostibus tenebatur, oppugnandam misit, ipse dum ipse cum reliquo exercitu Londini morabatur. Franci Lincolniam profecti (nam ciuitas in eorum potestate erat) arcem duobus simul locis aggrediuntur. Dum ad Lincolniã ista geruntur, Henrici exercitus duce Gulielmo comite, omnem agrũ qui ad Nothyngamiã pertinet, latè uastat, loca munita partim capit, partim obsidet: sed cognito Ludouici copiarũ aduentu, cæteris omnibus rebus omissis, quamcelerrimè potest Neuuarcũ reuertitur, atq; ibi adaucto militum numero, Lincolniam contendit, impigreq; armatorũ corona circundat, & ut hostes ab oppugnatione arcis facilius auertantur, facto impetu, ad portas perfringendas concurrit. Franci uidentes omnem pugnæ molem circa portas incumbere, remissa parumper arcis oppugnatione, hostẽ à portis arcere telis atq; saxis de muro emissis nituntur. Dum utrinq; ita certatur, Fulcasius cum magno præsidio clàm per posticũ in arcem recipitur, atq; subitò per alterã partem in urbem egressus, pugnam intus cum ciuibus redintegrat: id quod statim ut Franci ex clamore cognouerũt, accurrunt, & pro se quisq; urgentes Fulcasium repellunt. Angli interea duce Sauaro Malleonensi, de quo in uita Ioannis meminimus, fractis portis in urbem erumpunt.

Hîc intra muros, magno ardore certamen initur, quod aliquandiu anceps fuit, sed Franci & principes cùm in diuersis partibus urgerentur, sensim ad portas pedem referentes se in fugam uertunt, qui ab Anglis equitibus subitò circumuenti, aut obtruncantur, aut capiunt. Sunt qui falso tradant Ludouicum interfuisse pugnæ, ac captum fuisse, qui, ut demonstratũ est, id temporis Londini considebat. Angli profligatis hostibus Lincolniam diripiunt, magnaq; uictoriæ fiducia freti, sperant reliquos qui in Ludouici fidem uenissent, audito eo prælio, nihil amplius de bello cogituros: itaq; re felicissimè gesta, celeriter ad circũuicinos populos contendunt, de uictoria adepta indicant, de totius belli meliore exitu promittunt. Neq; enim eos consilium suum fefellit: porrò omnis multitudo populorum quacunq; illi ibant, armis proiectis, supplex aduenientibus occurrit, secq; eis dedidit.

Ludouicus tanta clade affectus, ut ne per proditionem, quam in primis sibi pertimescendam existimabat, in hostium potestatem ueniret, aut minus honestam pacem cum illis paciscì cogeretur, Londini morabatur, nouoq; ex Francia accersito subsidio, interim urbem muniebat, quam Gulielmus cum uictore exercitu eò profectus eodem tempore, ad oppugnandum iamiam aggrediebatur, qui hanc nactus facultatẽ, nullum tempus dimittebat, neq; diurnum neque nocturnum, quin de libertate populi, quod cogitandum esset, cogitaret, quod faciendum, faceret. Optimates uerò Angli inter hæc memores beneficij accepti à Franco, quòd sibi auxilio uenisset, enixè studebant quopiã bono modo bellum inter reges finire, atq; quotidie nouas pacis conditiones scriptas Ludouico offerendas ab Henrico curabant. Dum ista geruntur, Hubertus præfectus arcis Douerensis parata aliquot nauium classe, sit obuiam Francis in Angliam uenientibus suppetias Ludouico, quos singulari nauali prælio uincit. Qua re cognita, Ludouicus tum demum desperato subsidio, & hoc amisso, nullum aliud tempus in terra hostili rei bene gerendæ futurum ratus, oblatas accepit conditiones pacis, qui primò ingenti pondere auri pro redditis obsidibus accepto, deinde cedens tam iure quàm possessione regni Anglici domũ se contulit, quem antea legatus pontificis simul cum illis omnibus, qui eius partes secuti fuissent, omnis pœna peccati, quod peccasset, quia contra ipsius Romani pontificis mandata uenerat, absoluit, & postea abeuntem principes Angli honorificè, prout decebat, usq; Douerum comitati sunt. Alexander quoq; rex se in Scotiam recepit, quem proximo libro ostendimus Franco in Angliam auxilio uenisse.

Henricus rex præter spem præsenti metu liberatus, ut suorum animos sibi conciliaret, edixit cunctos sine fraude fore, qui Francũ iuuissent, legesq; antiquas populo se restituturũ promisit. Atq; per hunc modũ denicq; regnũ reddi tum pacatum est. Atqui illa parta ab externis bellis quies non omnibus grata fuit: nam iuuentus quæ solita erat bellica licentia prædas facere, & ita in diem rapto uiuere, dolebat sibi ademptam esse prædandi facultatem, quapropter manum abstinere nolentes, plures simul conueniunt, atq; duce Fulcasio, primò in agros passim excursiones facere, deinde maiora audẽtes, arma in regem mouere incipiunt, captis raptim aliquot oppidis satis opportunis, sic, ut latronibus undiq; confluentibus, numerus augeretur, ac omnino id mali in ingentem seditionẽ euasurũ uideretur: quod ne latius manaret, Gulielmus comes

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum magna armatorū manu obuiam factus,eum demum motum sua ac quorundam magis antistitum autoritate quàm armis compressit. Idem annus qui fuit salutis humanæ MCCXVIII, ipsius Gulielmi morte nobilis fuit,illi enim paucos pares animi magnitudine, ac rei militaris scientia Anglia tulit. Quo etiã anno Vallo legatus Romam reuertitur,& Pandulphus uir doctus ac homo probus,qui mandata Innocentij Ro.pontificis ad Ioannem regem tam fidelissimè quàm fortissimè detulerat,confecerat,executus fuerat,ut suprà scripsimus,Nordouicensis fit episcopus. At curã Henrici regis educãdi post mortem Gulielmi,Petrus Vintoniensis episcopus,uir integerrimus suscepit:quippe puer iam penè in orbitatem productus erat,quandò Isabella mater per eos dies Hugoni comiti Marchiæ nupserat,cui antè desponsa fuerat,quàm à Ioanne duceretur uxor, sicut superiore libro demonstrauimus. Illa autem ut nec à conditione per eas nuptias discessisse uideretur, se deinceps nihilominus reginam appellauit semper,atq; nõ alio nomine à cunctis ,etiam à uiro, salutari uoluit.Cæterum Vintoniensis ueritus ne plus oneris suscepisset,quàm sustinere posset, nonnullos principes honestos proboscq; uiros quamprimùm in regium consilium deligendos curauit, qui se alleuarent, in bene consulendo, remq; publicam administrando.

Iisdem temporibus Innocentius pontifex Ro.moritur,in cuius locum sufficitur Honorius tertius,qui statim Ioannem Columnensem cardinalem,hominem Romanum,legatũ designauit,qui ad res Asiæ gerendas cum eis copijs proficisceretur,quas Innocentius ad eam rem collegisset. Itaq; hortante Honorio, Andreas Pannoniæ rex, Henricus comes Niuernensis, Gualterus regis Franciæ cubicularius, cum nonnullis alijs heroibus Ptolemaidem profecti, & cum Ioanne Brenno Hierosolymitano rege inito consilio, Damiatã Aegypti urbem obsidendã constituũt,qui anno salutis humanæ MCCXIX, mense Maio,illuc instructo agmine contendunt. Heliopolis hæc urbs quondam appellata est, ab Helio Pertinace, qui eam triplici muro circũdederat, deducta Nili fluminis particula,quæ urbem insulæ instar effecit. Misit etiam Henricus rex ab Honorio rogatus,Ranulphum comitem Cestriæ cum magna armatorum manu Damiatam,à nostris iam obsessam, ad rem Christianam iuuandam, cuius uirtus in eo bello miris omnium laudibus celebrata est.

At Henricus qui auitum regnum ciuili bello ac dissensionibus uastatum, opibus spoliatũ,atq; propè confectũ paulò antè adeptus erat, cùm rei domesticæ inopia pressus,non posset sine auxilio suorũ,Asiaticum bellum iuuare, uitamq; regalẽ decenter degere, principes exacto prius tributo, pro eo bello gerendo,postea excogitato nouo uectigalis genere, ut pro sua quisq; parte regem suũ ea indigentia leuaret,ultrò concesserũt, ut quoties quispiã eorũ qui possessiones haberent,quarũ rex esset dominus,antè moreretur, quàm liberi quos fecisset hæredes uigesimũ alterum agerent annũ, tum eatenus tam ipse hæres quàm patrimoniũ in potestate atq; tutela regis foret,& ille patrimonij huiusmodi uectigalia caperet, quoad hæres ad eam ætatem perueniret: quia apud Anglos,more maiorum peruetusto, conseruandarum facultatum causa,filius mas natu maior fit solus hæres,uel filiæ,si mares liberi nulli sint. Egit rex gratias omnibus generatim pro munere, ac ut ne id humanitatis in obliuionem iret,deinceps istiusmodi nobilium hæredũ tutelas, ut rem sibi ualde utilem

utilem accuratissimè suscepit. Sed illud beneficiũ nequaquã ipsi nobilitati postremò bono fuit,quandò cæteri reges qui secuti sunt,nõhabita ratione,quòd à principibus olim in Henricũ duntaxat collocatũ fuisset, ut qui pauper esset, decentius personã regiã per illud sustineret,sibi etiam perpetuatũ uoluerunt. Quid, quòd ita res curæ omnibus fuit,ut non modò reges, sed reliqui locorũ domini in hæreditates nobiliũ demortuorũ eodem modo inuaserint:id quod etiã nunc fit,& lege certa obseruat. Vnum istud institutũ est tandẽ aliquando corrigendũ,quippe quod quantũ uni uel alteri cõmodi, tantũ alijs incõmodi affert:sanè ita usu uenit,ut pupillorũ quibus hæreditates ueniunt,tutelæ sæpe à locorum dominis ad tempus,sicut dictum est,illorum tutoribus per auctionem uendant, quo sic facto lucro, ab ea educandorũ puerorũ cura uacui sint, & qui emunt(emunt autem tam nobiles, quàm homines noui,si modò plus dederint)ea præsertim de causa redimant,ut pupillos nobiliũ suis liberis matrimonio coniugent, idq; sæpissimè faciunt, antequam illi pubescant, quò simul uiuendo,cum primùm per ætatem liceat, urgente uoluptatũ titillatione, inuicem cõmisceantur, ut ne postea cùm adoleuerint, iam mutuò polluti nuptias repudiare queant, qui sic sese ab ineunte ætate libidinibus dedecorãtes, interdum non homines, sed ob uirium infirmitatem, planè homunciones gignunt,à maioribus degenerantes. Atqui nobilitas cum primis eo damnũ facit longè ingentissimũ, quòd homines humili loco nati, per eiusmodi connubia sanguinẽ cum ea socient, contaminentq; in dies singulos eius uetustũ genus, & pupilli ipsi à sinu matrum per emptionẽ erepti, parum interdum honestis in aliena domo instituantur moribus. Oritur uel hinc res alia indigna, de qua nunc tacere libet:istorũ enim coniugum gratia admodum modica aliquoties existit, cùm ante ætatem, & aliquando contra uoluntatem, nobiles fœminæ, uiriq; plebeis copulati,perrarò inter se ament. Prætereo & illud,quantum patrimonia nobilium,causa huiusce tutelæ,lacerentur à nouis possessoribus,qui suis auarè cõmodis seruientes,pecus omne non modò tondent,sed deglubunt egregiè. Atq; hoc est principum munus, quod regias opes maximè adauxit. Nostri interim Damiata in Aegypto potiti sunt. Quo confecto negotio Ranulphus comes in Angliam reuertitur,relicto in bello Gulielmo Albanacto, cum bene magna armatorum manu.

Annus qui secutus est à natali Christi MCCXX, fuit insignis altera coronatione ad Vuestmonasteriũ Henrici regis,ut is extinctis iam factionb.de consilij sententia rex factus diceret:item corporis translatione diui Thomæ martyris,atq; relatione inter diuos diui Hugonis Lincolnienſis episcopi, necnon morte Henrici comitis Herefordensis. Eodẽ anno Henricus ædẽ diuæ uirgini ad Vuestmonasteriũ posuit,cùm nõnulli iuuenes pacis odio cõcitati nouis tumultibus regnũ turbare cœperunt, in agros passim excursando, ac latronũ ritu,prædas faciundo. Ad cuius rei famã concitati quamplures,quibus cædes & rapinæ cordi erant,ad illos se raptim adiunxere. Qui quidem rumor noui motus ad Vuallos perlatus,exciuit ad arma capessenda Leolinum eius regionis principem,qui Anglorum agros ingressus,crudelissimè fœdissimeq; cunctos uexat mortales. Re ad regium senatum delata,consiliarij nonnullis principibus negotium dant repentino malo maturè occurrendi. Illi exercitum cogunt,& inter se copias partiti,alij in Vuallią mouent, alij in suos contendunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos leui certamine fundunt, captis motus concitatoribus, quibus Henricus facilè, ut iuuenis nesciens quid momenti sit parua etiam seditio, in populo bellis assueto, misericordiam impartitur. Quæ clementia animum dedit alijs perfidiosis hominibus talia deinde audendi. In Vuallia pari euentu res composita est: nam Leolinus cognito regiarum copiarū aduentu, ut impar uiribus, abiectis armis, ultrò manum dedit. Quibus rebus prosperè confectis, rex qui ineunte ætate, in dies singulos uir experientior fiebat, maturitate ætatis pleno gradu accedente, iam pro suo iure, regni statum collocare cœpit: & quia in animo habebat, ea cum primis recuperare, quæ pater in Gallia amisisset, Sauarū Malleonensem Aquitaniæ, cuius maiorem partem adhuc tenebat, præfecit, simulq; oratores misit ad Philippū regem repetitū omnia loca, quæ ille de Ioanne patre cepisset: quibus responsum est, non esse quicquā repetendū, restituendum' ue, quod iure iusti belli partum foret. Et tali responso Henricū in præsentia contentū esse oportuit. Ceterū mirum dictu est, quanta fuerit status regni subitò facta conuersio, & ea quidē longè melior, ex ipsius regis opera, curaq; adeò semper præstat, ut qui præest, suum officium faciat. Exin ut ne dum bella externa gereret, domi pax turbaret, Scotos sibi uicinos noua affinitate iunxit, locata Ioanna sorore Alexandro eorum regi. Contrà Hubertus Burgensis sororem ipsius Alexandri regis nomine Margaritam in matrimonium duxit. Interea autore quodam ciue nomine Constantino, ingens seditio Londini orta est, quæ omnino latius serpsisset, nisi citò indicata fuisset, per operam atq; curam Rorberti Serle eo ipso anno prætoris urbis, & maturè Constantinus meritam luisset pœnam morte mulctatus.

Per idem tēporis rex Francorū Philippus è uita migrauit, cui successit Ludouicus filius. Is statim amicitiā iunxit cum Federico Cæsare secundo, ut Germanorū animos antea auersos, sibi reconciliaret. Hunc Federicum nō mulcò pòst Honorius Ro. pontifex imperij dignitate priuauit, quòd ille post Constantiæ matris mortē, quæ ipsum in officio continebat, Romā ueniens, diuinem pontificiā hostilē in modum uexasset. Quam ob causam motus Sultanus quem uocant, rex Aegyptius, cui de inimicitijs pontificis & Imperatoris iam constiterat, maiorem quàm unquā antea contraxit exercitū, arbitratus se hoc modo territurū Christianos duces. Sed illi nihil formidantes usq; ad Nilum obuiā ierunt, Ioannis Cardinalis legati pontificis, qui in castris erat, suasu. Hic callidus hostis simulto metu, paululum retulit pedem, ut nostri duces locum quē semel occuparant, audacius tenerent, ac Nili inde cataractis repentè pactis, omnia inundatione cōpleuit, adeò ut aquæ quouis in loco amplius cubitum extarēt, supra terrā. Christiani imprudentes subito malo perculsi, cum hoste egerunt, ut Damiata cum captiuis relicta, ipsi incolumes Tyrum abirēt. Sic urbs nobilissima tam longa obsidione quæsita, hostibus reddita est, anno salutis M C C X X I. Illo ipso anno cùm alibi multa horrenda prodigia, tum in Anglia maximè id detrimenti quod est acceptū à Barbaris, portendisse uulgò creditū est: apparuit enim cometes immensæ magnitudinis, terra uehementer mota est: tota hyeme, quæ illam cladem præcesserat, audita sunt cum magno cœli fragore crebra tonitrua, quæ cùm rarò in Anglia æstiuo etiam tempore audiantur, eo fit, ut quoties cientur, quemadmodū alibi docuimus, loco prodigij habeantur. Item imbres continui, cum tanto flatu uentorū, ut multis dejectis

iectis ædificijs, mare latius solito euagatū sit. Post Damiatam amissam, Guliel
mus Albanactus qui in bello Asiatico cum multis armatis relictus fuerat à Ra
nulpho comite Cestriæ, domum rediens, antequā in Angliam peruenirēt, in
itinere morbo interijt. Ioannes quoque Hierosolymitanus rex, qui rebus suis
non perinde confidebat, in Galliam reuertitur, & ingenti pecunia à Philippo
rege testamento legata accepta, in Angliā uenit, quē Henricus hospitio liben
ter accepit, magnisq; muneribus donauit. Is inde in Hispaniam proficiscens,
cùm Cantuariæ esset, inuisit mausoleum diui Thomæ martyris, ac quatuor
pretiosissimos sapphiros, qui doni nomine in ornamentis essent, dedit.

Iam aderat annus cùm Henricus regnare cœperat nonus, domi forisq; infe
stus: nam anni principio, de restituendis antiquis legibus, postulatū est à no
bilibus, quibus rex placidè quod promisisset, se præstiturū respondit: sed ne
id faceret, à nonnullis, qui Ioannis patris domestici fuerant, ei persuasum erat,
ac idcirco sui iam cōmodi non negligens, statuit astu molestiam propulsandā,
& id facilè fore ratus, si repeteret à principib. quæ dono accepissent à regibus:
atq; ita ut ne uinceretur, utq; alios à petitione deterreret, contra autores eius
consilij sibi ueniendū iudicauit. Itaq; parato ingenti exercitu, ut si opus esset,
armis compesceret libidinē aduersantiū, primò à Ranulpho comite, qui caput
gerendæ rei erat, prædia quædā quæ olim maiorū ipsius regum fuissent, repe
tijt, qui timore perculsus statim reddidit. Quo facto, ita deinde reliquos ter
ruit, ut itidem continuò fecerint. Sic illi per hunc modū diminutis uiribus de
inceps facilè quieuere, cum primis animaduersionis sacræ metuētes, quòd Ste
phanus Cantuariensis antistes identidē minabat se quietis turbatores de Chri
stianorū cœtu iecturū: etsi bonus patriæ pater id curabat, id laborabat, ut tan
dem aliquando ipsæ leges ad pristinum usum reuocarentur, quod sperabat, se
autore, regem facturum: sed ille satis uafer magis bona uerba dare, quàm insti
tuta mutare cogitabat. Id factum regis multi indignè ferentes, alij aliò clàm se
conferebant, ut ne uiderent, quæ audire etiam pergraue ducebant.

Dum Henricus ita domi res curat, Sauarus Malleonensis in Aquitania nō
indiligenter prouidebat aduersus pericula, quæ à Franco futura animo pro
spiciebat, cùm repentè dissensio pestilens orta est: quippe Gulielmus Sarisbe
riensis comes, qui per eos dies uenerat uisum rerum transmarinarū statū, suo
arbitratu omnia agere uolebat: contrà Malleonensis qui præfectus erat, & uir
tutem & generis nobilitatē habebat, nō esse suæ dignitatis arbitrans, ut in sua
prouincia res alieno imperio gererentur, statuit id non pati. Hinc itaq; ortam
simultatē Angli protinus adauxere, qui comiti ut regis patruo fauentes, Sua
rum ut exterū hominē nō modò nō audire, sed contemptui habere cœperunt.
Quare ille ut ne sibi fraudi esset, si fortè data facultate, cum hoste confligeret,
ac per eiusmodi cōtrouersias infeliciter pugnaret, prout usu sæpe uenit, ad Lu
douicū regem profectus est, cuius rex ducis belli uirtute cum primis confisus,
mox ingens bellum cum Pictonibus aduersus Anglum comparandū statuit.
Fulcasius res etiam nouas molitur: is ingenio & manu promptus, ac minimè
etiā patiens moræ, dum in otio est, uicinitates incursationib. diuexat, latroci
nijs corrumpit, legumq; metuens quosdam censores, quos iustitiarios uulgus
appellat, quòd sibi pœnam minabant, simul capit, ad arcemq; Bedfordiensem
in custodiam tradit. Quare cognita, rex ualde permotus, ad arcem properat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

uicq́, quanquam non paruo negotio, captam diripit, ac captiuos ad unum la-
queo necat. Ea cædes ita Fulcaſium terruit, animoq́ conſternauit, ut non mul
tò pòſt mœrens ac ſupplex ueniam ab ipſo rege poſtulauerit, qua ægrè impe-
trata, in exilium actus, Romã perrexit, ubi deſperans non aliud honeſtius mo
riendi tempus futurũ, ſcelerum conſcientia conficitur. Pictones per idem tem
pus, partim nouarum rerum cupidi, partim quoniam Franco inuiti parebant,
clàm per literas & nuntios ſignificarũt Henrico, ſe erga eum uoluntate in offi
cio manere, & idcirco paratos eſſe modis omnibus à Ludouico quamprimũ
deficere, ſi modò præſidiũ mitteret, quo id tutò facere poſſent. Audiuit rex li
benter Pictonũ nuntios, auxiliumq́ pollicitus, claſſem ſtudio parare cœpit.
Ludouicus interea memor ſuperiore tempore patrem Philippũ Anglo repe-
tenti ea omnia loca citra Oceanũ, quæ ademiſſet Ioanni regi, negaſſe ſe reddi
turum, confeſtim exercitũ conflat, ducemq́ belli Sauarum Malleonenſem ob
notiſſimam ſcientiam, animiq́ magnitudinẽ eligit, ac ita non expectato ho-
ſtis adu entu, prior in Pictones, quos ſuſpectos habebat, proficiſcitur, capteq́
primo acceſſu Niorto, inde Rupellam oppidũ maritimũ petit, illudq́ ad pun
ctum temporis, dedentibus ſe oppidanis, adeptus præſidio firmat, ut ne locus
ex Anglia nauigantibus ualde opportunus, qui diu in Angli fide fuerat, hoſti
bus uſui & cõmodo eſſet. At Henricus ſatis per ſe ad bellũ paratus, hac iniuria
ſtimulatus, celeriter Ricardum fratrem quem Cornubiæ & Pictonũ comitẽ
fecerat, cũ multò maxima claſſe in Aquitaniã mittit. Ille ſequundũ nactus uen
tum, celeri curſu Burdegalam peruenit, expoſitoq́ in terram exercitu, ad Fa
num Macharij oppidum ad alteram Garumnæ fluminis ripam ſitum, conten
dit. Hîc primo acceſſu arcem ui expugnat, ac oppidũ ipſum diripit, aliaq́ nõ
nulla proxima oppida in poteſtatem redigit, quo proſperè confecto negotio,
Rupellam inde obſeſſum pergit. Quibus rebus cognitis, Ludouicus Hugo-
nem Campaniæ comitem cum maximis copijs in Aquitaniam mittit, qui ſit
præſidio ſuis. Ricardus certior factus de hoſtium aduentu, cum parte copia-
rum obuiam profectus, in itinere uenientem Francum inſidijs excepit, ingen-
tiq́ ſtrage affecit. Poſt hæc, Franco ſe ſtatiuis caſtris cõtinente, ac nihil urgen-
te, Ricardus cùm ſatis haberet Vaſcones in officio retinere, qui de rebellione
facienda iampridẽ per nuntios cum Ludouico cõmunicarant, ſoluta obſidio-
ne, paulatim ab armis ceſſauit, cùm in Anglia Henricus interea ita egit cum pa
tribus, ut pecunia in rem militarem publicè decreta fuerit.

His temporibus Gulielmus comes Sarisberienſis rediens ex Aquitania, in
maris tẽpeſtate uexatus eſt, ut paucis pòſt diebus morbo perierit. Iam aderat
annus ſalutis humanæ MCCXXVI, & nonus, cùm regnare cœpit Henricus,
quo anno conciliũ principũ eſt habitũ: eo in concilio de regis pariter ac princi-
pum ſententia, non parum multa priuilegia ordini ſacerdotali, atq́ reliquo po-
pulo irrogata ſunt, multæq́ leges latæ, quas reges qui ſecuti ſunt, ita approba-
runt, ut inde bona pars iuris collecta ſit, quemadmodum in eo extat libello,
qui inſcribitur, Magna charta, & altera, uulgò de foreſta, id eſt, de ferarum ſal-
tibus. Item Otho Cardinalis diui Nicolai in carcere Tulliano, uir ſumma do-
ctrina & integritate, miſſus ab Honorio pontifice Romano legatus ad ipſum
Henricũ regem, in Angliã peruenit. Is ſacerdotũ conuentũ celebrauit, in quo
multa cũ rei ſacerdotalis correctione agitare cœpit, ut illi generatim in annos
ſingulos

ſingulos, Romano pontifici aliquid uectigalis penderent, quod ab omnibus
negatũ eſt. Sed, ut alijs placet, quibus magis credo, ſolùm petijt decimas ſacer
dotiorũ pro bello gerendo contra Saracenos, quas facilè impetrauit. Inſequen
ti anno, cùm adhuc apud Auenionenſes durarent reliquiæ Albigenſiũ hære-
ſeos, quam paucis antè annis in Toloſatibus exortam, diuus Dominicus pro-
curante Innocentio tertio, mira celeritate compeſcuerat, Ludouicus rex Fran
ciæ hortatu Gregorij noni pontificis Romani, qui Honorio ſucceſſerat, Aue-
nionem urbem obſedit, atq́ demũ reductis ad ſanitatem ueſanis hominũ men
tibus, per deditionem recepit. Auenionem urbem, quam nunc ita uocamus,
Volcios quondam incoluiſſe conſtat. Promeritus eſt aliquid de re Chriſtia-
na in eo negotio Henricus, qui paratiſſimus omnibus rebus ſtatuerat, primo
quoq́ tempore ſua recuperandi cauſa, in Francũ arma mouere, ſed à pontifice
monitus ultrò quieuit, ne Ludouicũ à tam pio bello auerteret. Ludouicus au
tem in Franciã uictor reuerſus, non multò pòſt è uita exceſſit, cui Ludouicus
filius annos duodecim natus ſucceſſit. Huius tutelam Blanca mater fœmina
prudentiſſima ſuſcepit, quæ cùm uideret in eo bonã eſſe indolem, ſed ætatem
flexibilem, ac multos ad deprauandũ paratos, qui aut ſpendore honoris obie-
cto, aut cõmodorum ratione tantum habita, aciem boni ingenij perſtringe-
re poſſent, à nemine homine adiri patiebatur, niſi ab illis, quorum mores iam-
pridem cognitos habuiſſet. Quare præceptores optimos dedit, qui puerum
bonis erudirent diſciplinis, donec id ætatis eſſet, quò ſciret pro ſuo iure impe-
rio rectè uti. Ipſa interim regnum gubernabat. Quæ res effecit, ut Theobal-
dus Campaniæ, Hugo Marchiæ comites, & Petrus Britannorum dux, facta
coniuratione, à Ludouico defecerint. Quod ubi regi notum factum eſt, coa-
cto ſtatim ex matris conſilio exercitu, in Britannum mouit. At Theobaldus
rebus ſuis diffidens, ac eo à primo cedendũ ratus, ueniã petijt, & impetrauit.
Hugo uerò propoſiti tenax ad Henricum priuignũ uenit (nam Iſabellam eius
matrẽ in matrimonio habebat, uti ſuprà oſtendimus) docetq́ tempus eſſe re-
cuperandi ea loca tranſmarina, quæ Philippus de Ioanne patre cepiſſet, & ad
id negotium gerendum operam & opes pollicetur. Rex per hunc modum ab
Hugone ſolicitatus bellum ſuſcipiendũ conſtituit. Hîc non conſentiunt auto
tes: alij tradunt Henricũ continuò nuntios miſiſſe, qui Normanorũ, Britan-
norum atq́ Pictonum erga ſe animos explorarent: & quia declaratũ fuerat à
nuntijs, eos populos in Franci fide non inuitos eſſe, tum idcirco bellũ in aliud
tempus diſtuliſſe. Alij ſcribunt illum exactis magnis à populo pecunijs, pa-
raſſe confeſtim claſſem, ac cum Hugone ad Britannos adnauigaſſe, popula-
tisq́ agris, qui ad Britanniã pertinent, urgente Franco, qui ſuis auxilio uenit,
domũ infecto negotio repedaſſe. Cæterũ uel hoc uel illud magis ſecundũ fi-
dem ſit, non affirmarim, quandò unum ſatis conſtat Anglum nihil profeciſſe,
ſiue nuntios ad ſolicitandos populorum animos miſerit, ſiue bellũ mouerit.

Cùm Gallicanæ res ita refrixiſſent, paucis pòſt menſibus Ricardus ex Va-
ſconia in Angliã reuertit: quem quoniã rex prædio quodam hæreditario ſpo-
liarat, diſcordia non mediocris nempe momenti inter eum & fratrem orta eſt,
quam breui ita ſtudiũ principũ qui Ricardũ ſequebantur, adauxit, ut niſi rex
properè reſtituto prædio, alijſq́ ampliſſimis beneficijs collatis, ſibi fratrem
reconciliaſſet, ad arma uentũ eſſet, cùm præſertim omnes ferè principes infe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stis essent in eum animis, ex eo, quòd paulatim immunitates & priuilegia ini-
tio principatus, more maiorũ, illis irrogata auferret, quambellissimè inuidiæ
leuandæ causa, excusando se non sua acta, cùm id temporis haud sui esset iuris,
sed tutorũ rescindere, atq; rursus redimenda ab ijsdem curaret, unde non me-
diocre faciebat lucrũ. Sed ut cõmuni utilitati in re aliqua cõsulere, seruire, pro-
uidere uideretur, pondera ac mensuras correxit: quo etiam tempore Huberto
Burgensem Cantij comitem fecit. Is Hubertus quantũ à principio gloriæ as-
secutus est, quòd arcem Douerensem post obitum Ioannis, fortiter aduersus
Ludouicũ tutatus esset, quòd nouam militũ manum è Gallia ipsi Ludouico
auxilio uenientem nauali prælio, prout suprà docuimus, deuicisset, tantũ po-
stremò infamiæ sibi asperserit, quòd ab optimatibus seiunctus apud regem iem
per deinceps egerit, ut ille promissas leges atq; prisca instituta populo utenda
non restitueret: quo factũ est, ut quò principi in dies magis magisq; acceptior,
hoc populo odiosior extiterit. Atq; ita uir magnus tot meritorũ gratiã minus
quàm oportuerat, perpetuandã curauit. Sub idem tempus, missis à Gregorio
pontifice Rom. per Europam uiris quàm multis præstantissimis, qui concio-
nando Christianos ad arma contra Saracenos concitarent, tanta militum mul
titudo illorũ opera, breui tempore comparata est, quanta nunquã ferè antea,
inter quos quadraginta millia Anglorũ fuisse ferunt. Is immensus exercitus
per Germaniam, Pannoniam, Thraciamq; iter faciens, ubi Syriam attigit, per
longa terræ spatia populabundus cum hostibus temerè congressus, singulari
prælio profligatus est. Duces in primis fuere multitudinis Theobaldus Cam
panus comes, & Philippus Albanactus, quorũ incuria res male cecidit. Eodẽ
anno, quo à nostris in Syria male pugnatũ est, Stephanus Cantuariensis archi-
stes mortem obijt, post annum uigesimum alterum, quàm sedere cœperat: cui
Ricardus cognomento Magnus, ordine antistitũ quadragesimus tertius suc-
cessit. Dum ista atq; alia alibi geruntur, Hugo Marchianus comes causa rene-
uandi primo quoq; tempore belli in Francum, ita Normanos & Pictones ad
rebellandũ solicitauit, ut nuntios clàm ad Henricum miserint, qui sese tradere
illi statuisse dicerent, si modò arma capere, ac in Gallias traijcere libêret: qui in
super tempus rei gerendæ idoneum esse docerent, quo apud Francos dis-
sum principum populiq; studium esset: & demum, ut inceptum negotium
bene succederet, in eius tantùm diligentia atque autoritate positum esse. Ros
tametsi bellum optabat, tamen cum Huberto comite Cantiano, de rei summa
prius cõmunicauit, quàm nuntijs responsum daret. Is siue quòd cerneret regem
id ætatis nondum idoneum esse ad bella externa gerenda, siue quòd Hugo-
nis fidem suspectam haberet, consuluit tantum bellum esse in aliud tempus re-
ijciendum: cuius sententiam Henricus secutus, respondit nuntijs, se non mul-
tò pòst in Gallias uenturũ, si intellexerit suos Normanos cum reliquis popu-
lis, in ea interim uoluntate permanere, egitq; gratias pro tanto eorum in se stu-
dio, & id multis uerbis. Per eos dies Gulielmus Bransæus, uir bellicosus, à
Leolino Vualliæ principe dolo captus strangulatur, quem paulò pòst Henri-
cus tam ob illud facinus, q̃ ob alias acceptas iniurias, grauiter puniuit: cùm
prodigia multa ea hyeme facta, cœlum assiduis flammis coruscasse, turres &
templa de cœlo tacta, medio die obscuritatem aëris immensam incubuisse fe-
runt. Rex interea parata iam classe, atq; ingenti coacto exercitu, magnaq; pe-

cuniæ à populo ad bellum gerendum exacta, cùm quotidie tam ab Hu
gone Marchione comite, q̃ à Petro Britannorum duce ad traijciendũ in Gal
lias solicitaretur, demum decreuit tentandam fortunam belli, ut sua quãdoq;
recuperaret: itaq; Martio iam mense ineunte, post annum quàm regnare cœ-
perat, tertium decimum, impositis in naues militibus proficiscitur in Britan-
niam, ubi cum Britanno & Marchione facta belli societate, Francorum agros
populari aggreditur. Crescebat in dies magis exercitus, ad famã nominis An-
glici, Normanis undiq; confluentibus, inter quos duo fuere Paganelli Fulco
& Gulielmus fratres heroes non minimi usus, cum quadraginta uiris bello e-
gregijs. Ludouicus interea qui paucis antè diebus aliquot oppida de Britan
no duce ceperat, in quibus fuit Ardonum, Campanellum, & Belesmum, cre-
bris nuntijs de aduentu Angli certior factus, magnis itineribus in agrum An
degauensium proficiscitur, positisq; ad Ligerim castris, militem disponit, qui
Anglum transitu fluminis prohibeat, ne in Pictones eat, quos suspectos habe
bat. Henricus cognito hostis aduẽtu, celerius opinione omnium traiecto Li-
geri, in Pictonũ agro castra facit, atq; inde in Santones se recipit. Interim Frã-
cus sequitur hostem, quem iam bidui abesse intellexerat, ut uspiam assequaẽ,
& itinere intercludat, qui Fontaneto & Villario oppidis Guidonis Rupifor-
tis Marchiani militis complanatis, Carentũ flumen traijcit, Santonensemq; a-
grum populatur. Hîc, si alijs scriptoribus credimus, utrinq; prælium commit
titur, quod diu atrox ancepsq; fuit: ad ultimum Anglis pedem referentibus,
Francus superior euasit, magno hostium numero interfecto. Secundum hanc
pugnam, pax inter reges conuenit. Cæterùm apud alios scriptum legimus,
rem per inducias sine certamine, transactam fuisse, quòd Ludouicus & Hen-
ricus ambo reges ætate florentes, non item adhuc militaris artis perinde scien
tes, facilè Blancham reginam, Philippum ipsius Ludouici patruum qui Regi
naldo comiti Bononiæ in uinculis demortuo in comitatum successerat, quòd
eius gener esset, & Ranulphum Cestriæ comitem pacis disceptatores audie-
rint. Atque ita ab armis discessum, id quod longè uero proximum dixerim.
Tum Petrus Britannus dux & Hugo Marchianus cum Ludouico in gratiam
ad extremum rediere.

Anglus post coagmentatam pacem, relicto in Vasconia præsidio, secundũ
oram maritimam, in Britanniam rediens ad Nanetum urbem pulcherrimam
propter ipsum flumen sitam, se contulit, ubi aliquantulũ moratus est, ac post
exactam æstatem, nulla in eo Gallico tumultu re alia memorabili gesta, in An
gliam redijt: & quia multum pecuniæ in sumptus eius belli apparatus abiue-
rat, continuò tributum ex quintadecima conferendum imperauit, pro nouo
bello suscipiendo, in Mauros Africæ populos, qui id temporis Hispaniã con
tinuis depopulationibus uexabant: Itaq; rogatus ab Aragonensi rege, ut se mi
lite iuuaret, ingentem armatorum numerum primo quoq; tempore misit. Fe
cit illud idem Ludouicus rex. Hispani igitur cũ Anglis & Francis iuncti, pul-
cherrimam deuictis Barbaris uictoriam adepti sunt. Per illos ipsos dies, gra-
uis lis orta est inter Ricardum Cantuariensem antistitem, & Hubertum comi
tem Cantij: is enim occupauerat arcem Tumbrigiensem, cum pago, ac nõnul
lis possessionibus quæ Cantuariensis pontificis sine cõtrouersia erant. Qua-
propter Ricardus de huiusmodi iniuria apud regem cõquestus, cùm uideret

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil proficere, & ipse Henricus eam prædam ut suam repetebat, pro tẽpore remediũ adhibens, sua autoritate declarauit publicè impios illorũ locorũ occupatores, & prouocans ad Gregoriũ pontificẽ, Romam euestigiò perrexit. Miserunt eò procuratores suos rex & comes, cõstituerunt́ pontificem arbitrũ, qui litẽ terminaret, æstimaret́. Gregorius cognita diligenter causa, secũdum Cantuariensem pontificẽ iudicauit. Itá Ricardus optatũ suũ consecutus, dum in Angliã redit, nõ longè ab urbe Roma, in itinere moritur, post annũ & sedere cœperat alterũ: in cuius locũ succesit Edmũdus thesaurarius quem uocant, Sarisberiensis collegij, uir sanctissimus, ordine antistitũ quartus & quadragesimus. Post mortẽ Ricardi, quicquid pontifex Ro. Cantuariẽsi adiudicarat, irritũ euasit, cùm uacante sede, nõ esset, qui negotiũ curaret. Eodem tẽpore Leolinus Vuallus, uir uiolenti ingenij & prædæ auidus, hostiliter Anglicos fines ingressus, uicos incendio, agros direptione uastat. Rex ab incolis certior factus maximis itinerib. proficiscit, ac ad iniuriã ulciscendã ire maturat. Sed eius aduentu cognito, hostes territi patrio more in montes at́ paludes sese repentè abstrudunt. Quæ res fecit, ut rex qui se aliquid dignũ facere non poterat, ne operã perderet, relicto paruo præsidio, pari propè celeritate redierit, at́ illuc contendisset. Vuallus post regis discessum, rursus in agros erumpit, ac nõ modò in eis prædat, sed cruore & flãma cuncta delere nititur, qui dum temerè latè uagatur, à regio circumuentus præsidio, magnã accipit cladẽ: sed nec eo fractus animo, maiorẽ deinde exercitũ cõflat. Quod ubi Hẽricus cognouit, ualde permotus, & tantum in Leolino minimo regulo audaciæ inesset, iterũ cum multò maioribus copijs hostem insecutus est, cõmissó prælio, etsi magno labore ob locorũ iniquitatẽ, ad ultimũ domuit. Ille tamen cùm in diem rapto uiueret, à latrocinijs manũ deinceps abstinere nõ potuit.

Sublatis per hunc modum bellis, rex habito principũ concilio, exponit se rei bellicæ causa, factis permultis hactenus sumptibus, indigere, ac propterea uelint sibi pecuniam suppeditare: quod illi se facturos pernegant, suam aepopuli inopiam multis rationibus excusantes. Tum Petrus Vintoniensis antistes, in quo omniũ uno multum dicendi salis inerat, palàm regẽ admonet, ut populo assiduis tributis exhausto parcat, sed si egeat, possessiões quas ab initio ipse adolescens parũ cõsideratè suis donasset, ab illis recipiat, simuĺ rapacissimos quoś qui ampliores præfecturas gerebant, priuet, cogat́ ratione reddere, ut scilicet illis pro spongijs utatur, & antea sic eos perfudisset, ut nũquam didos possit exprimere, quod olim Vespasianus factitasse fert: at́ demonstrat eum per hunc modũ, ex suo satis abundaturũ. Rex nõ grauatè Petro ita admonenti aures dedit, & eius secutus consiliũ, protinus cũ suis quæstoribus rationem accepti & expensi habuit, & cùm bonã eorum partẽ reperisset plus pecuniarũ acceptum retulisse, & tulisse expensum, coegit sibi non sine usura satisfacere. Item de magistratibus iudicium exercendum curauit, quorũ beneficio multi repetundarũ pecuniarum conuicti damnantur, & in ijs Hubertus Cantianus comes, qui cùm satisfacere recusasset, in carcerẽ missus, acriter mulctatur. Ea res fecit animũ regis eò in omnes suos ministros offensiorẽ, quò plus alijs omnia Huberto comiti crediderat, ita ut alienigenas domesticis iã antetferre cœperit. Quod ita principum animos offendit, ut Ricardus Mareschallorum familiæ princeps, tam suo quàm aliorum nomine ausus fuerit factũ regis pa-

làm improbare. Ad ea Petrus Vintoniensis antistes respondit, regem nihil su per ea re, inconsultè aut intempestiuè agere, qui cùm secum cogitaret Anglicos principes patrẽ suum Ioannem infestis armis æquè ut animis persecutos esse, ac nuper ministros suos quos domi diu aluisset, infidelissimos esse inuentos, non iniuria exteris hominibus magis & suis confideret. Id Vintoniensis aculeatum responsum ita pupugit, ac uulnerauit animos quorundã optimatum, quorum primus fuit ipse Ricardus Mareschallus, ut facta coniuratione, palàm à rege deficientes, alij aliò faciundi exercitus causa, discesserint. Hos omnes rex hostes patriæ declarauit, publicatis eorum bonis, ac simul magnam militum manum ex Flandria arcessiuit, quorũ opera in bello uteretur. Dum ab Henrico exercitus paratur, exules se ad Leolinũ principem Vualliæ duce Ricardo adiungunt, ac timẽtes regis aduentũ, proximos agros omni cõmeatu spoliant, armenta abducunt, sesé ad resistendũ muniunt. Non fefellit eos consiliũ: nam paucis pòst diebus rex cum magno exercitu superuenit, ingressuś Vualliã, cùm nullum cõmeatum reperiret, ad fines Vigornienſiũ, Salopienſiṹ reuersus, aliquot illic dies stetit. Hîc milites dum temerè per agros palantes uagantur, & castra sine uigilijs habẽt, ab hostibus noctis silentio circumuenti passim obtrũcantur. fuisset oppidò cædes maior, nisi in castellum quod in proximo erat, quo rex se tenebat, reliqui omnes qui in castris erãt, de media nocte profugissent. Interfecti sunt amplius quingenti homines, ac impedimenta omnia amissa. Rex eo affectus detrimento, cũ sæpe aliàs expertus esset aduersam ob locorũ iniquitatẽ, insolentiaḿ q, belli fortunã, in aliud tempus uindictam tantæ iniuriæ reseruandam ratus, Gloceſtriam redijt.

Anno qui secutus est, qui fuit salutis humanæ MCCXXXIIII, & cùm Henricus regnare cœpit, decimus septimus, laboratũ est primò fame, quia insolita frigoris uis ita fruges retardauit, ut suo tempore matureſcere nequiuerint: de inde pestilentia, quæ famis comes semper esse solet. Ricardus Mareschallus eodem tempore non cessabat cum Vuallis finitimos agros uastare, & quotidie ad eum principes aliquot desciscentes regem uehemẽter solicitabãt, cùm Ioannes Monumetensis uir fortis & strenuus, regiarum copiarum præfectus, facto magno exercitu, celeriter ad hostes properauit, speranś q, se illos impara tos, imprudenteś q, inuasurum, noctu iter faciebat, ut paulò ante lucem, quod æstiuis noctibus sopitæ plurimum quietis tempus est, dato signo, opprimeret hostes semisomnes, & stratos passim cæderet. Verũ longè aliter euenit: Ricardus enim per speculatores cognito hostium consilio, locum prior occupauit, quò uenientes uspiam in itinere insidijs exciperet. Itaque dum Ioannes nihil tale formidans ad eum locum cõtendebat, Ricardus facto impetu, hostes inuasit, quos subitæ rei terrore captos nõ signũ certum, nõ ducem sequentes, passim fudit, fusoś q, latè persecutus est. Cædes ubí q, ingens facta est: quibusdam syluæ, inter quas insidijs circũuenti sunt, refugio fuere. Ipse Ioannes cum paucis inter tela hostium uix euasit. Ricardus uictor postero die quasdam Iannis rusticas possessiones quæ ad Vualliam pertinebant, ferro & igne diripuit. Henricus qui per eos dies Gloceſtriæ morabatur, huiusce male gestę rei nuntium molestè accipit, continuó q, cum suo domestico senatu, quale remedium tanto malo adhibendum sit, agitat. Post uarias sentẽtias, unum omnes sentiunt, exules cõdimentis humanitatis esse mitigandos, paceḿ q, necessariò

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis dandam, atq; Petrum Vintoniensem episcopum, & alterum Petrum Riuallem, quorum impulsu omnia in aula immutata essent, exterminandos à regia, cum nonnullis alijs magnę autoritatis uiris: ac eiectis alienigenis, Anglos in familiam regiam restituendos. Probauit consilium rex, cuius uicissitudine nihil ad sedandam præsentem procellam aptius iudicans, primò Vintoniensem antistitem à rebus publicis amotū, ad obeundā diœcesim suam ire iussit: item Petrum Riuallem, ac complures alios consiliarios, quibus instigantibus odium sibi principum inusisset, à cōspectu suo familiaritateq; dimisit, eiecit, ablegauit: deinde pristinos domesticos recepit, postremò nuntios de pace ad exules in Vualliā misit. Dum ista gerunt, Ricardus certior factus Syluestres Hybernos prædia continenter depopulari, quæ ipse in ea insula possidebat, illuc ex Vuallia proficiscit, comite Gaufredo Mariscensi, homine Hyberno uiro manu prōpto, factoq; statim prælio, cùm Gaufredus metu uel errore actus ordinē deseruisset, omne ipse pugnæ onus ferre coactus uulnus accipit, quod profligatis mox hostibus male curatū causa fuit, cur in febrem inciderit, qua paucis pòst diebus uehemēter oppressus interijt, uir tam militari gloria, q̄ animi altitudine summus, cuius mortem ipse Henricus ualde doluit, palàm testatus se ducum omniū principem amisisse. Post hæc, cùm nuntij rediissent ab Vuallia, retulissentq; exulū animos ad recōciliationē inclinatos, rex protinus autore Edmundo Cantuariēsi antistite, illos data fide ad se accersiuit, atq; omni depositā simultatē, in gratiā libens recepit. In ijs fuere Gilbertus Marescal lus frater Ricardi, Hubertus comes Cantianus, & Ricardus Suardus, uiri amplissimi. Quibus rebus feliciter cōpositis, ac armis ubiq; tuta conditione positis, rex Londinū reuertitur, ad quem statim importunū ludæorū facinus delatum est: illa enim fœx hominū quæ id temporis Nordouici degebat, quendā Christianū puerū furtim captum totum integrū annū nutrierat, ut aduentante pascha, quasi noui nostræ religioni dedecoris imprimendi causa, cruci affigeret: sed deterrimi carnifices paucis antè diebus, q̄ sanguinem innocentem effunderent, tanti insimulati criminis, ac conuicti, merita pœna afficiuntur.

Anno deinde qui insecutus est, Isabella soror Henrici, Federico secūdo Romanorū Imperatori nuptū dat, & in initio alterius anni, qui fuit à natali Christi MCCXXXVI, rex in matrimoniū duxit Aleonorā filiā Raimundi comitis Prouinciæ, qui haud multo pòst celebre conciliū Londini habuit, in quo nōnullas sanctissimas leges tulit, atq; omnia è republica facienda curauit, quibus deinceps status regni longè melior fieret. Veruntamen quò ille ex ijs officijs plus gratiæ apud populū cōsecutus est, hoc cōfidentius nō multo pòst ingentē pecuniā sibi ab ipso populo curari petiuit, adeò, ut nihil nisi ex suo usu fecisse dicereť. Quo tēpore prodigia mira extiterūt, & illud in primis: Calendis enim Martijs uisæ sunt in cœlo uariæ hominū formæ, uelut instructis aciebus dimicantes: quod portentū immensi imbres secuti, omnia aquis opplerūt. Iam aderat annus ab eo quo regnare cœperat Henricus, uigesimus, & humanæ salutis MCCXXXVII, cùm Mertonū (qui est pagus Surrę comitatus, distatq; à Londino circiter millia passuū septē, ubi loci celebre est cœnobiū canonicorum regulariū, quos dicunt, olim conditū à Gilberto principe Normano, qui cum primo Gulielmo uenit in Angliā) conciliū principū frequens conuocatū est, in quo cōcilio q̄plurima è republica statuta sunt, quorū sanctio etiā nunc rité

rité seruatur. Et demū de tributo indicēdo est actū, sed frustra. Anno eo ipso Gregorius nonus pontifex Romanus, rege non inuito, misit Othonem cardinalem in Angliam legatum, qui sacerdotalis ordinis statū recognosceret, ac quatenus opus esset, corrigeret. Is cuius iam uirtus omnibus lōgè notissima erat, quippe qui superioribus annis eo muneris genere summa cū laude functus fuerat, posteaquam de rebus agēdis probè edoctus est, antistitum aliorumq; sacerdotum conuentum Londini celebrem fecit, in quo post longam consultationem, de patrum sentētia, leges plurimas tulit, quæ deinceps sacerdotalem dignitatem maximè conseruarunt. Post hæc, causa iuuandi Asiatici belli, imperandas sacerdotibus decimas omniū sacerdotiorū curauit. Per idē temporis rex collocauit Aleonorā sororē, quę nupta fuerat Gulielmo Mareschallo Gloceſtriæ comiti, Simoni ex Mōtisorti, uiro singulari uirtute. Id cōnubiū Edmundus Cantuariensis antistes detestabatur, quòd Aleonora post obitū uiri, uouisset perpetuā Deo castitatē: propter quod rex cœpit succēsere antistiti: qui non multò pòst maioribus in dies singulos affectus detrimētis, de iniurijs apud pontificē querēdi, ac nōnulla alia domestica negotia curādi causa, Romā perrexit. Illo ipso tēpore Federicus Italiā petiturus, ab Henrico ingentē militū numerū accepit, qui ei in bello strenuè seruierūt, cùm Ioanna soror regis regina Scotię in Anglia, quò uenerat fratris salutādi causa, morbo extinguit. Petrus quoq; Vintoniensis episcopus à uita excesit. Edmūdus antistes interea Romę nihil ex eis, quę petierat, à pōtifice impetrauit, siue quòd Otho legatus, ut quidā tradūt, obstitisset, qui cū sancto uiro inimicitias haberet, siue quòd sanctitas uitæ à compluribus parui æstimari solet. Itaq; bonus antistes sui optati minimè cōpos in Angliā rediit, grauiora inde acceпturus incōmoda. Anno eodē unus ex militibus regijs, homo ualens, cuius nomen, quod sciā, nō proditur, cupiens aliquo audaci facinore acceptā (uti par est credere) à rege iniuriā uindicare, destinat animo, noctis silentio sibi penetrandū in cubiculū, atq; eū ibi obtruncandū: & ut sine suspitione, tēpus et locū edēdi sceleris posit liberius obseruare, se amentem simulat. Erat per eos dies rex in Vodestocano suo, quibus ille tale facinus animo uersabat, qui postq̄ omnia accuratè explorauerat, de media nocte accedens ad cubiculū, clàm per fenestram introit, ac ad lectū regiū aduolans, læua manu, remotis stragulis, ferro puluinar frequentibus ictibus percutit, arbitrās se regē fodere, qui ea nocte, ut fortè accidit, cubiculū mutauerat. Cognita re ab una puella reginæ cubicularia, quæ uigilabat, fit clamor, & cū clamore cōcursus regiorū ministrorum, qui hominē capiunt, captūq; ad supplicium dandū trahūt. Ita nihil fuit propius factum, quàm ut rex occideretur. Hinc discere licet, etiam principem nō posse injuriā facere homini quamuis infimo, sine sui capitis periculo. Ex quo expedit, ut unusquisq; manus semper abstineat.

Principio insequentis anni, Henricus suscepit ex Aleonora uxore filiolum quem Edouardum nominauit, ob memoriam illius diui Edouardi tertij qui paulò antè regnarat, quàm Normani Angliā occupassent. Hunc puerū Otho legatus baptizauit, sub cuius ortū apparuit stella immensę magnitudinis per aliquot dies ante solis ortum, quę per longum cœli tractum, ueloci, crebroq; cursu ferebat, modò ignē prę se ferēs, modò fumū post se relinquēs: quo sanè ostēto, futura Edouardi patris amplitudo, ac Edouardi filij quē ille postea ge

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuit,exiguitas uanitasq; uelut ex oraculo quodã pronũciata dicit. Id tẽporis Leolinus Vuallię princeps è uita migrauit: deinde inter Griffinũ & Dauid filios eius de principatu aliquãdiu disceptatũ est, quẽ ad ultimũ Dauid, etsi minor natu, fauẽte Henrico, assecutus est. Ipse uerò Griffinus dolo à fratre Dauid captus, & regi custodiendus traditus, in turri Londinensi nõ multò pòst tentãdo fugã, lapsus ex summitate muri per funiculũ, q; ex ui põderis fractus est, decidit in terrã, & ilicò occidit. Itẽ per eos illos dies, Thomas comes Flandriæ, filius Sabaudiensis comitis, qui Ioannã quę cum Ferdinando nupta fuerat, paulò antè in matrimoniũ duxerat, in Angliã profectus benignè ab Henrico accipit hospitio. Sed multò apparatius gratiusq; acceptus est Simõ Montisfortensis, uir uirtute, consilio, uita, ratione, sanctitate mirabili ad omnẽ Dei & hominũ gratiam promerẽdam. Huic ab initio admodũ iuueni propter iustitiam, prudentiamq;, summa totius belli gerendi in Albigenses, hominũ genus maleficum, in Narbonensi Gallia subitò exortum, delata est à Philippo Frãcorum rege, qui nobilissimã adeptus est uictoriã: postea nescio ob quam acceptam à Blancha diui Ludouici matre offensionẽ, ad Henricum trãsiuit, cui ille, uti antè dictum est, Aleonoram sororẽ locauit, deditq; dotis nomine comitatum Lecestriæ, ac amplissimos mandauit magistratus.

Opprimebat bello per idem quoq; tẽpus, Federicus Imperator Romanũ pontificem simul cum tota Italia, cùm Innocentius quartus põtifex in locum Cœlestini quarti successit. Is uir egregius, constans, diligens, reipublicæ amator, cùm impotẽti Federici libidini maturè resistendũ putaret, à principibus Christianis opem & auxilium petijt, quem Henricus autore Othone legato, quantũ per affinitatẽ licuit, quæ ipsi cum Federico intercedebat, pecunia iuuit. Itidem fecere episcopi, ac reliqui sacerdotes. Quod Federicus audiẽs, celeriter regem per literas summè rogat, ut ne opem pontifici ferat: sed solertia & industria Othonis, omni promissa pecunia penè iam ipsi põtifici antea missa, frustra fuere Imperatoris preces. Edmundus Cantuariensis antistes maximè omnium eiusmodi legati Romani frequentes exactiones, quibus sacerdotes diuexabantur, liberè reprehendit, ac non multò pòst statuens exilij libertatẽ anteponere domesticæ seruituti, in Gallias ad Pontiniacum cœnobium monachorum Cistertiensis ordinis, et Altisiodorensis diœceseos, uti suprà libro xiij. diximus, perrexit, illic spontè exulaturus, diui Thomæ secutus institutũ, qui ad id loci innocentiæ asylum confugerat. Causam profectionis siue exilij alij aliam scribunt: quidam tradũt Edmundum ut uirum spectatum atq; probatum cùm animaduerteret religionẽ in dies magis negligi, bonis præsertim sacerdotibus nullum honorẽ haberi, in manu sua nõ amplius esse, ut eiusmodi malis mederet apud principẽ, qui bene monenti aures non daret, ad extremum constituisse, ab ea regis satietate sui discedendũ, atq; cedendum usq; eò, dum ille tandẽ aliquando incõmodo aliquo edoctus errores deponeret. Nõ nemo huiusmodi causæ addit alteram: consueuerat enim rex ex instituto iam inde à Gulielmo Rufo inchoato, uacantiũ episcopatuũ ac cœnobiorũ fructus eatenus capere, quoad aliquos uiros dignos ipse illis præficiẽdos curaret: qui eo lucro illectus, sacerdotia eiusmodi diutius uacare de industria pmittebat. Huic malo Edmundus occurrendum iudicans, à rege impetrauit, ut huiusce rei curandæ munus solus Cantuariensis archiepiscopus obiret, quò per hunc modum,

modũ, episcopatus atq; cœnobia rectoribus orba, & melius gubernarentur, & citius dignis deferrentur præpositis. Verùm cùm aliquãdiu ita seruatũ esset, & Henricus animaduerteret nõ esse è re sua quod paulò antè concessisset, illud statim reuocauit, & sacerdotiorũ uacantium uectigalia, prout antea fecerat, capere rursum cœpit. Quod factũ ferũt Edmundũ adeò intolerabile iudicasse, grauateq; tulisse, ut demũ alijs quoq; multis de causis, quas cõmemorare longũ esset, indignatus, in exiliũ spontè abierit. Hic uir sanctissimus, quippe cui nemo id tẽporis, uera laude probitatis, integritatis, religionis ante ponendus erat, dum in Põtiniaco cœnobio morabatur, spretis opibus, posthabitis uoluptatib. atq; omni ambitione & potẽtia, præ cœlesti uita, ad quã aspirare nitebat, corpus assiduis ieiunijs domare, pietatem aduersus omnes exercere, Deũ deniq; orare, ut apud suos Anglos religionẽ aduersus impios tueri uellet: cuius porrò sanctitatis atq; miraculorũ fama, quãobrẽ iã tũ clarus esse cœperat, ita omnibus breui tẽpore cognita est, ut usq; ab ultimis Galliæ finibus, multi quotidie mortales ad illud cœnobiũ hominis uidẽdi causa confluerẽt. Sed paucis pòst mensibus aduersa ualetudine laborans, et sperãs se facilè confirmari si locũ mutaret, nõ longè à Põtiniaco secessit ad quoddã aliud cœnobiũ, ubi ad exitũ uitæ uocat: corpus eius ad Pontiniacũ celebri exequiarũ põpa terræ reddit. Is igit antistes de religione optimè meritus, ita deinceps miraculis claruit, ut ab Innocẽtio quarto in diuorũ numerũ suo merito relatus sit. Sedit annos octo. Vacauit Cantuariensis pontificatus plus annis tribus, cùm postremò regis iussu, monachi Cantuarienses elegerunt archiepiscopũ Bonifaciũ natione Sabaudiensem, id est, natũ in Allobrogibus, qui Aleonorę reginæ auunculus erat. Hic in ordine antistitum quadragesimus quintus fuit.

Ricardus regis frater parata classe id temporis Syriam petijt, qui mirandũ in modũ rem Christianam iuuit. Eò etiam nõ multò pòst Ioannes comes Albamarlensis, Gulielmus Fortis, Petrus Malolacẽsis, uiri strenui, cum magna militũ manu profecti sunt. Apparuit cometes diro aspectu, per triginta dies ferè cõtinuos, circiter initiũ anni, qui secutus est, qui fuit à natali Christi M C XLI, & Henrico à gubernatione regni sui uigesimus quartus. Is annus neq; domi, neq; militiæ, rem aliquã ferè memorabilẽ habuit. Otho legatus Romã exacto iam sue legationis triennio discessit. Venit in Angliam Petrus Sabaudiensis Bonifacij Cantuariensis antistitis pater, uir multò prudentissimus, quo Henricus est familiariter usus. Ricardus item transactis pro tempore, inter nostros & Saracenos in Syria rebus, domũ incolumis redijt, cùm in Vuallia est nouũ bellũ subitò ortũ, id quod Henrico bono fuit: alios enim Vuallorum miserebat casus Griffini, quòd per proditionẽ auito principatu fraudatus in carcere esset, nam nondũ interierat, insidebatq; in illorũ animis tanti fastidij memoria: alios autẽ tenebat studiũ rerũ Dauid, qui imperiũ obtineret. Itaq; cùm omnia arderent inuidia & partiũ furore, ad arma utrinq; cõcurritur, magnæ simul pugnæ simul strages edunt. Quibus rebus cognitis, Henricus cernẽs animo id certamẽ fratrũ, quorũ alterũ in custodia habebat, alterũ ingratũ cõperierat, ex suo usu futurũ, in Vuallią cum expedito exercitu aduolat, profligatoq; Dauid, ac seditionis autoribus captis, pœnaq; affectis, Vualliã in suã potestatẽ redigit. Atq; ita prouincia semper quietis expultrix, atq; finitimorũ turbatrix, in ditionẽ Anglorũ redijt. Eodẽ anno Isabella Federici

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatoris uxor,eadēq; Henrici soror moritur,cùm mira fuit solis defectio.

Exin sequitur annus uigesimus quintus, cùm Henricus cœperat regnare, bello externo nobilis:nanq; Ludouicus Francus rex paucis antè diebus fecerat Pictonū comitē Alphonsum fratrē,qui Ioannā unicam Raimundi Tolosatiū comitis filiā in matrimonio habebat, ac ob id,in illius opes successurus erat,& ei cū cæteris Pictonū optimatibus, Hugonē Marchiæ comitē Henrici regis uitricū,quē suspectū cū primis habebat,licet post inducias cū Anglo factas,in gratiā receperit,cōceptis uerbis iusiurādū more maiorū dare iusserat, id quod iure quamoptimo Hugo facere deberet. Hugo dehortante uxore, quæ Ioannæ comitis coniugi modis omnibus cedere nolebat,negat se fidem obligaturū Alphonso,ac simul iterū ad Henricū deficit,atq; solicitatis repētè ad defectionē Pictonibus,ad eū scribit se magna auxilia parasse,magna esse in spe,cùm omnes Pictones,Britannos,Normanos noui iā belli pariter affectātes esse certū habeat,& propterea solū eius aduentū expectare. Hēricus uiris Hugonis literis,& per idē tēpus alijs à Pictonibus acceptis,qui se ad eū desciscere paratos esse testabantur,conuocato primo quoq; tēpore principū concilio,de bello gerēdo cōmunicat. Variq; erāt sentētiæ:alij enim secū cogitātes quāti labores,quāti belli apparatus malè aliàs cecidissent,ac turpe esse,manētes cū Frāco adhuc inducias uiolare,regē à bello gerēdo magnopere dehortabant. Alij in aliud tēpus differendū iudicabāt. Alij demū, etsi perpauci admodū erāt,tādiu bellū Frāco faciundū affirmabāt,donec amissa toties frustra repetita recuperarent:nec esse,quòd de inducIarum iuris uiolatione dubitaretur,cùm nō esset contrà,quàm leges sancirēt,quocunq; tempore prædatores exuere præda:neq; item illud argumentū tam magni momenti censeri debere,quòd aliàs negotiū sub manus nō successisset,quin posset suis itidē opinionibus suffragari,cùm fortuna belli haud semper eadem esse soleret, quòd omnis belli Mars cōmunis est deus. Placuit hæc sentētia, in qua tametsi plus animi q̄ consilij inesse uidebatur,sic regi,ut tantū postea abfuerit, ut cæteris principibus enixè dissuadētibus auscultauerit,ut etiā illis mox utcunq; in sūam sententiā tractis,exercitū sibi protinus conflandū cōstituerit. itaq; primū omniū cogendis pecunijs operam dat, & quia in proximo concilio uniuersi tributū conferre negarant,magna arte à locupletioribus amicè appellādo,pecunias partim dono,partim per mutuationem accipit, quo facto negotiū gubernandi regni Gualtero Eboracensi antistiti mandat,ac unà cū Ricardo fratre,parata iam classe,in Galliā proficiscitur,expositisq; copijs,nō longè à Rupella,quæ magno Francorum præsidio tenebatur,in Pictones contendit.

Dum ista ab Henrico gerunt,Ludouicus certior factus de nouo bellorum motu,in Marchianū comitē arma mouet, captisq; de eo aliquot oppidis, ad turpē deditionē compellit,eoq; negotio feliciter cōfecto, in hostē properat, primoq; accessu loca in potestatē redigit,quæ Anglus à tergo reliquisset præsidio parum munita:deinde Taliburgum uersus iter conuertit,ut cum Henrico prælium faciat,qui paulò antè se illuc receperat. Atqui hoc in loco,inter se non consentiunt autores:quidam tradunt multos in exercitu Francorū,partim pestilentia,partim grauitate cœli affectos,subitòmortuos: atq; cùm quotidie plures in morbum inciderent,ipsum etiam Ludouicum aduersa ualetudine affectū,secus atq; sperabat,coactum fuisse, renouatis cum Anglo induciis,

cijs,abire.alij uerò scribunt nō longè à Carento amne,qui Rupellā præterlabens in Oceanū influit,inter Francū & Anglū æquo ferè prælio pugnatū,sed ad extremū,Anglū qui à Marchiano comite destitutus, militū supplementū habere per tempus nō potuisset,necessariò pactis rursus cùm Frāco inducijs, in Angliā infecto negotio,uti sæpe aliàs fecerat,redijsse. De hoc secundo bello Hugonis impulsu sumpto,nō meminere recentiores rerū gestarū Francorum scriptores,ac proinde aberrātes,huius belli causam alterius fuisse ponūt, ideoq; rem rei sæpe præuertentes,ita interdū historiā uariant, ut illa perdifficiliter cuipiā constare queat. Verū rex Henricus cui suscepto bello nihil antiquius erat,utcunq; res bellica succesSerit,eo anno in Angliam nō reuertit,sed Burdegaliā hybernatū profectus est,ubi tota ea hyeme multa tentando,nihil aliud egit,nisi q̄ nullo memorabili cōfecto negotio,tempus extraxit,atq; omnem pecuniā cōsumpsit:qui deinde in initio sequentis anni, qui fuit sextus & uigesimus,cùm regnare cœperat,factis cum Franco quinq; annorū inducijs, in Angliā reuertit. Reliquit Henricus in Aquitania, Nicolaū Molissum præfectū militum præsidio maritimis etiā locis,quæ in sua fide esse sciebat,quanq̄ nō multum illis confidebat.porrò ita usu ueniebat,ut ij populi assiduis bellis uexati cogerent non ex uoluntate,sed pro temporum malis,modò Anglorū, modo Francorū imperio parēre,cùm præsertim oppida maritima ita diruta essent,ut nullis præsidio esse possent,& proinde cùm ad resistendū non ualerent,uictorem sequi contràatq; interdum uolebant,necesse habebant. Quod fecit,ut Anglus sæpenumero Francum nequicq̄ armis aggressus fuerit, fretus eiusmodi oppidis iniuriq̄ patentibus,ac ad id tentandū inuitatus frequenti uoluntatis cōmutatione Pictonum, qui dum eam ipsam uoluntatem uni aliue regum expurgatam uolebāt,quotidie per coactas deditiones,maiore se scelere obligabant. Quibus rebus Henricus similiter atq; Ioannes eius pater sæpe illusi,& uitæ periculum adiuerunt,& immensas opes effuderūt, perrarò ex animi sententia,aliquo euento gauisi,ut appositè suprà est demonstratum. Nunc ad alia. Gulielmus Mariscēsis natione Hybernus, uir fortis & strenuus,per eos dies Londini cum sexdecim sociJs supplicio afficit. Is paulo antè ob seditionem exul factus,comparatis aliquot nauibus,mare ubiq; latrocinijs infestum reddiderat,ut per hunc modum acceptam exilij pœnā,quam ip se iniuriā appellabat,ulciscereturItem Ricardus frater regis in matrimonium duxit Cynthiam,siue,uti quibusdam placet,Sanctiam filiam Raimundi comitis Prouinciæ,sororem Aleonoræ reginæ,quam Beatrix mater in Angliā deduxit.Hæc fœmina electissima magnifico rerum omniū apparatu à rege accipitur,ac cùm abiret,magnis donatur muneribus. Rex postquam nuptias fratris magnificentissimis opulentissimisq; conuiuijs, ac apparatissimis omnis generis ludis fecerat,& uaria munera multis impartitus fuerat,cœpit renouare studium belli,quod pro recuperandis rebus in continente amissis, iterum gerendū ducebat. Itaq; re ad cōcilium delata,principes si qui erant,qui uellēt, qui pauci erant,plenè demonstrabant toties bellum esse tentatū fortuna nunquam propitia,ut nulla amplius in armis spes relinqueret, nisi plus deinceps suis quàm alienis confiderent uiribus:igitur consulebant,oportere aut abstinere manū,aut tale ac tantū bellum parare,quo nullis omnino externis opus esset auxilijs,atq; tum demum eorum opinio ferebat, uictoriam perfacilè in

Universidad de Deusto
Biblioteca

manu fore,quæ hactenus alienigenarū perfidia negata fuiſſet. His rationibus rex motus,nihil temerè de bello tentandū ſtatuit,ſed ut ne deinceps externorum auxilia fruſtra quærere diceretur, prædia omnia quæ Normani in Anglia poſsidebant,publicauit,ut ex eo facto,tam ipſi Normani,quàm Britanni & Pictones intelligerent ſe nequaquam amplius uanis alienigenarū promiſſis crediturum,ut qui tantummodo uellet iam ſuo, ut aiunt, Marte facere,id eſt,ſuis uti Anglis. Atq; hoc initiū belli & finis pro tempore fuit. Henricus uerò nonnihil in ſeſe concepit infamiæ,qui ſpecie magnitudinis animi,Normanos iniuſtè bonis ſpoliaſſet,atq; exinaniſſet.

Dum res à bello externo quietæ ſunt, Vualli qui etiam uicti quieſcere nesciebant,Dauid rurſum ſibi principem conſtituūt,regioſq; præfectos imprudentes,nec opinantesq; ſtatuto diei tēpore,armis inuadunt,atq; primo impetu fugant,multis paſsim cæſis. Angli interueniente nocte,& Vuallo ſe quieti dante,opera & ſtudio ſuorum centurionum,in unum ſe recipiunt,collectiſq; animis cum uiribus,ubi illuxit,hoſtes infidos adoriuntur. Pugnatur amplius tris horas utrinq; acriter, cùm Vualli qui temerè in certamen deſcenderant, ſenſim cedentes,ad ſolita ſyluarum ac paludum profugia ſeſe proripuerunt. Dauid in Scotiam aufugit,amiſsis ferè omnibus in eo prælio militibus, quos ſecum habuerat. Is dum in Scotia morabatur, Alexandrum regem quotidie ad bellum gerendum in Anglum inſtigabat,accendebat,prouocabat, prædicando Anglos paſsim iactare,Scotos ut inertes,infirmos,ſuo imperio obedientes ad nutū paratos eſſe,ad preſcriptum alienum uiuere,ac multa alia fingebat,quæ cuiuſcūq; etiam patientiſsimi uiri ſtomachū mouiſſent, irritaſſentq; animū ad odium. Accedebat huc,quòd rex Alexāder paucis antè annis,mortua Ioanna uxore,ut paulo ſuprà oſtendimus, duxerat alterā in matrimoniū fœminā,nomine Mariam,ut alij tradunt, Scotam, ut alij uerò,Francam: qui ea affinitate fretus,facilius rupto tum pacis,tum amicitiæ fœdere, cœpit minitari,atq; Anglos deſpicere,ac ſimul inter hæc exercitū parabat, in Anglicū agrum excurſiones q; faciebat. Quæ ubi Henricus cognouerat, uehemēter indignatus pari ſtudio copias coactas in Eboracenſem agrum duxit,atq; inde in Nouum caſtrum profectus, cùm audiret hoſtem haud procul abeſſe,ſuos expedire arma iuſsit. Dum iſta gerebantur,aliquot principes indignè ferentes, nulla certa de cauſa tantum certaminis interreges parari, ita ad concordiam conglutinandam ſe interpoſuerunt,laborarunt,egerunt, ut ad ultimū ſint in gratiam reconciliati. Quo confecto negotio, uix rex Londinum peruenerat, cùm ecce tibi, Vualli qui timentes ut facta pace cum Scoto, omnis uis belli in ſe uerteretur,iterum tentandam fortunam ſtatuerant,repentè receptoDauid principe ſuo,qui poſt concordiam inter reges ſecutam in Vualliā clàm ſe contulerat,in Anglos impetum fecerunt: ſed cùm temerè defeciſſent, multa cum cæde,notas latebras petere,ac dicto parêre coacti ſunt. Fecerat rex per huiuſmodi continuos bellorum apparatus,multum impenſarum,quare non multo pòſt habito concilio,à cunctis generatim pecuniam petijt, quam ab omnibus negatam ſolita arte à ſingulis locupletioribus exegit. Interea Anglia horrendo motu terræ concuſſa eſt,quo multa ædificia corruerunt: quæ res quanto rarius in inſula cōtingere ſolet,tanto tunc pro maiore prodigio habita eſt. ſed in Gallia multò grauius ea labes facta eſt.

Iam

Iam aderat annus alter & trigeſimus ab eo,quo regnare cœperat Hēricus, & humanæ ſalutis MCCXLIX, cùm frequens habitum eſt concilium Londini,in quo concilio cùm de pecunia exigenda rex ipſe primū agitaret, facilè eſt ab optimatibus notatus crimine auaritiæ,ingrati animi, atq; uiolatæ fidei,q; ſcilicet ſine fine,pecuniā faciendam curaret,q; ſuos ut plurimū contemptui haberet,ac q; hactenus præ multitudine promiſſorū,pauca ſuo populo præſtitiſſet. At ille arbitrans confeſsionem erroris medicinam doloris fore,concitato populo,ut omnibus uno reſponſo ſatisfaceret,ſi quid peccatum eſſet, ſe emendaturū dixit. Ita mitigatis principū animis, poſtremò tributū pro bello aduerſus Saracenos gerendo indicit, atq; decernitur,ut aliquot duces cū electa militū manu,ſequant Ludouicū regem Francię,qui anno ſuperiore in Aſiam profectus, Damiatā urbem Aegypti per idem tempus oppugnabat. Is pius rex id bellum ſe ſuſcepturū pollicitus eſt, cū paulo antè graui ualetudine cruciaret. Itaq; Gulielmus Longaſpata,uir & conſilij magni & uirtutis, cū nonnullis alijs artis militaris longè peritiſsimis, ac numero militū nequaquā contemnendo,in Aſiā profectus eſt,qui ſingularē operā in eo bello enauauit. Eò antiſtites aliquot uoti cauſa,eodē anno perrexerunt. Quo etiā tēpore particula quędā ſanguinis Chriſti,qui Hieroſolymis ſeruabat,dono regi data eſt à magno hoſpitalis domus Hieroſolymitanæ magiſtro, ſiue, ut quidā uolūt, à patriarcha eius urbis,quem quidē precioſiſsimum ſanguinē ille monachis Vueſtmonaſterij ſeruandū tradidit. Interea in concilio poſt multa ex Republica pariter acta atq; facta, cùm bona pars numorū argenteorū,quos uulgus groſſos uocat,adulterata tonſaq; eſſet, decretū eſt, ut deinde ijdē numi certo pondere cuderent,ac ex una quidem parte, regij capitis effigies,ex altera uerò crux imprimeret,& eius crucis brachia producerentur uſq; ad extremas oris partes ipſius numi,de quibus ſi quid diminutū foret,tum numi pro adulterinis haberent,& corruptores pœna mortis afficerent. durat etiam nūc hęc forma monetæ argenteæ. Habeo aūt autores qui tradāt, per idē tempus percuſſum eſſe denariū argenteū,quod genus monetæ uulgò Sterlyng, ab effigie ſturni auiculæ uocitatur,quæ in altera parte numi impreſſa eſſet,nam ſturnus Anglicè ſterlyng dicitur: & ſex & uiginti denarios fuiſſe, pondere unius unciæ argenti,ac tales ferè,quales hodie ſunt. Quare omnis Anglica moneta etiamnum ſterlyngorum nomine putatur. Sed & cur denarius ſit nota ſturni auiculæ ſignatus,cauſam ponunt, q; ea auis pars foret inſigniū, quibus reges id temporis multarum poſſeſsionum uel extramarinarum domini uſi eſſent, quemadmodum reges nunc ſolent inſignibus regijs ſingula ſuorum regnorum inſignia adiungere, quò potentia exiſtat quammaxima: uel q; numulus in altera parte haberet notā ſtellę, quam Angli Ster uocant. Etiſti denarij etiā hodie reperiunt. Incidit in hæc tempora mors Alexandri regis Scotorū principis optimi, qui regnauit annos quinq; & triginta, cui in regnū ſucceſsit filius Alexander tertius, qui nō multo pòſt Henrici filiam nomine Margaritam in matrimoniū duxit. Anno qui ſecutus eſt, cùm crebri rumores afferrētur, Ludouicū regem Francū in Aſia in Barbarorū poteſtatem ueniſſe, ac Gulielmū Longaſpatam cum bene multis ſuorū in prælio cecidiſſe, Henricus percupidus ferendi opem Chriſtianis laborantibus in Aegypto, primo quoq; tempore bellum ſibi ſuſcipiendū ſtatuit, qui nō multo pòſt cum paratus eſſet ad iter

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciundum, à pontifice Innocentio per literas retardatur, quòd ille certior factus de conditionibus pacis, quas Ludouicus ab hoste accipere cogebatur, arbitratus est non esse opus nouo subsidio, cùm nostri re male gesta, pacem cum Barbaris facere modis omnibus compellerentur.

At Henricus ita omisso bello in hostes cõmunes gerendo, totum id triennium quod secutum est, rebus domesticis, regnique firmamentis cõstituendis operam dedit, & illud in primis præstitit: pro sua enim pietate & gratia, irrogauit Paulino collegio sacerdotũ ea omnia libertatis priuilegia, quibus ciuitas Londinensis uteretur, frueretur: quæ ne inde damnũ ullum faceret, dedit ex suo libras septem, quas etiã nunc uicecomites urbani ex ærario regio quotannis capiunt. Quibus actis rebus, Henricus post annum cũque regnare cœperat trigesimumseptimum, qui fuit MCCLIIII humanæ salutis, cum ingenti militum numero in Aquitaniã traiecit, quam paulo antè audierat passim seditionibus turbari: qui ubi eò peruenerat, captis aut profligatis seditionum autoribus, regionem purgauit, ubi ut pacatiorem redderet, hybernauit, atque loca diruta simul instaurare instituit. Dum hîc moratur, accersiuit Aleonoram uxorem cum Edouardo filio, ac cùm ea hyeme opera inchoata perficere non posset, etiam æstatem illic egit: & quia iam indigebat, & assiduis tributis suos populos penè exhauserat, ut esse aliquid uideretur, quamobrem pecuniam peteret liceret, Martio ineunte, misit in Angliam Ricardum fratrem, ut prædicaret, apud se noui belli metum uersari, quo Alphonsus Castellæ rex decimus esset sine dubio in armis, ac propèdiem in Anglicam prouinciam excursiones facturus, & propterea principes rogaret, ut quamprimũ uellent ipsum pecunia iuuare, uti eos pro sua erga patriam pietate, liberaliter facturos maximè cõfideret. Profectus est celeriter Ricardus, sed frustra iecit rete, uti dicit, ante oculos pennatorũ: nã tametsi apud patres multũ cõcionatus est, nihil tamẽ de tributo conferendo libenter audierunt, cùm fraus nõ omnib. latuisset: uerùm ut nemo uacuus ad Henricũ rediret, Iudæis quorũ ingens multitudo ea tẽpestate Londini degebat, immanẽ pecuniã imperauit, atque inde ad regem properè profectus ei exposuit, quemadmodũ optimates pecuniã negassent. Qua re rex ualde permotus, cœpit sensim modò hunc, modò illum priuilegijs antea concessis priuare, minimã etiã nactus occasionẽ, quò illi aliquam ob ingrati animi uitiũ, pœnã haberent. Secundũ hęc, per nuntios uiros non uulgares agitat cum Alphonso rege, de noua affinitate cum filio Edouardo iungenda: Ferdinandus enim rex Castellæ tertius huius Alphonsi pater, ex Ioanna secũda uxore, filia unica Simonis comitis Pontiui, tris sustulerat filios, Ferdinandũ, Aleonoram, & Ludouicũ: sed Ferdinando & Ludouico nõ multo pòst mortuis, sola Aleonora ex stirpe à Ioanna orta superstes fuit. Henricus igitur ubi ex nũtijs cognouit Hispanũ non spernere affinitatẽ, partim ob eas nuptias cõficiendas, partim ut simularet se quærere concordiã, misit Edouardũ filium ad Alphonsum uerbo pacis, sed re sui negotij apud illum actorẽ, ut Aleonorã sororẽ ipsius Alphonsi, uxorẽ sibi peteret, ac per eam affinitatẽ, uiderent omnes simultates & discordiæ, etsi fucatæ, paulo antè ortæ, iam esse sublatæ. Accepit Alphonsus Edouardũ beneuolè, eique libens Aleonorã sororẽ cum grandi dote in matrimoniũ collocauit, q̃ ob eius nuptias cõsecutus est Pontiuũ, quod ad Ambianorũ fines pertinet, cuius Abbatissuilla princeps est oppidũ ad Som-

mam flumen situm. Hoc ex sententia confecto negotio Edouardus ad patrẽ lætus reuertitur, atque ei quæ egisset, ordine exponit. Pergauisus est immortaliter Henricus pro eo, quòd ipse ea noua affinitate fretus, speraret in posterũ se tutius Aquitaniã possessurũ, ac filius datum negotium prudenter curasset. Henricus secundum hæc, post annũ quàm fuerat in Aquitania, in Angliã rediens per Gallias iter fecit, qui ubi in Carnutes peruenit, obuiam sibi factũ habuit Ludouicum regẽ, paulò antè ex Syria reuersum, à quo amanter liberaliterque acceptus, ac magnifico rerũ omniũ apparatu Lutetiã ductus, ubi animi gratia, cùm aliquot dies fuisset, postea rectà in Angliam reuertit: ob cuius aduentũ, Londinẽsis ciuitas in primis gauisa est, utpote cui eius absentia detrimento fuerat, quòd omnis generis merces plurimũ uilis esset, omnesque cõmercium refrigeret. Veruntamen nec reditus bono fuit: porrò rex pecuniæ egens cùm intellexisset in causarũ actionibus ius à ciuibus uiolatũ, & quendam monachũ furti damnatũ, ex publica custodia per negligentiã custodum aufugisse, propter id, ciuitatis magistratus Ricardum Hardell prætorẽ, ac binos uicecomites Robertum Belyngton & Rodulphũ Ascheuuye ad se uocauit, maleque accepit, atque acriter mulctauit. Haud multò pòst conciliũ habetur, quo in concilio primũ de reip. statu plenè prouisum est, secũdo loco Edouardus regis filius ut maturius ad res gerendas grauiores experiens redderetur, fit Vualliæ princeps, simulque Aquitaniæ ac Hyberniæ præfectus: & Edmundus alter regis filius minor natu Lancastri comes creatur. Vnde natũ, ut deinceps unusquisque rex hoc secutus institutũ, filium maiorẽ natu Vualliæ principem facere cõsueuerit. His tẽporibus Ludouicus rex misit dono Henrico elephantum, animal post hominum memoriã rarissimè in Anglia uisum, ex quo rei nouitatis causa, certatim populi ad belluã uisendam concurrebant. Prodigia simul aliquot à uulgo notata sunt, quòd mare præter solitũ excreuerit, aparueritque cometes, ac crebrò loca eminentiora de cœlo tacta. Hæc prodigia secuta est mors Gualteri Eboracẽsis antistitis, uiri magnæ uirtutis, qui annos quadraginta eam prouinciã pontificalẽ obtinuerat: cui successit Seuallus antistitum ordine quartus & trigesimus, uir pariter doctrina atque animi integritate ornatus. Intercessit deinde totum triennũ, cùm nihil ferè habemus scribere memorabile dictu: nanque regi nihil prius fuit, quàm in omnibus concilijs, quæ eo tẽpore frequenter habuit, pecuniã exigendã curare, ob id præsertim, quòd Aleonora soror Alphonsi regis Castellæ deducta est in Angliam ad Edouardum uirũ suum, quæ ingenti patrum ac iuuenũ lætitia accepta est. Venit ad has nuptias celebrandas Alexander Scotiæ rex, cum Margarita uxore, qui ab Henrico comiter acceptus est, ac factis nuptijs, recepit comitatũ Huntyngtonam, quem paucis antè annis Gulielmus eius auus amiserat.

Insecutus est inde annus humanæ salutis MCCLVII, qui fuit Henrico à gubernatione regni sui quadragesimus, quandò inter principes Germanos, Gulielmo Hollandiæ comite paulò antè Romanorũ rege facto, à Frisonũ gente interfecto, de Imperatore cooptãdo, cõtentio orta est: in quo certamine duo eligunt, Alphonsus rex Castellæ, & Ricardus Hẽrici frater comes Cornubię, quare neuter cõfirmatus est. Atque ita interregnũ eatenus prorogatũ tradunt scriptores Itali, quoad anno à natali Christi MCCLXXI, Rodulphus Habspurgensis comes ab electoribus Germanis rex & Imperator renuntiatus, à Gre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gorio decimo põtifice ea cõditione admissus est, ut proximo anno Romã peteret, coronæ accipiẽdæ causa. Verùm ex Anglicorũ annaliũ memoria, cõstat Ricardo Imperatori creato, Aquisgrani Coloniẽsem antistitẽ diadema imposuisse, atq; eum apud Germanos imperiũ obtinuisse. Itẽ & Innocentiũ pontifi cẽ Romanũ post mortẽ Federici Imperatoris, ut Manfredi illius ex cõcubina filij tyrannidem à ceruicibus Siculorũ depelleret, misisse legatos ad Henricũ, qui dicerent regi, sibi in animo esse, pulso Manfredo, regẽ Apuliæ & Siciliæ creare Edmundũ eius filiũ, & Henricũ fidem habentẽ dictis iuuisse pontificẽ pecunia. Sed neutrũ affirmant, qui uitã illius pontificis scripserunt: quia liquidò cõstat Vrbanũ quartũ, qui secũdo loco post Innocentiũ pontifex creatus est, obtulisse illud regnũ Carolo Andegauensiũ comiti, qui deinde in Italiam cũ exercitu profectus, à Clemẽte, qui Vrbano successit, rex Siciliæ factus est.

Quoniã aũt accidit, uti Ricardi mentio facta sit, ut nõ prætereamus quod scitu est operępretiũ, de eius uita altius repetendum ducimus. Is mira ingenij natura ab ineunte ætate præditus, magnã sui omnibus expectationem fecit, qui deinde singularis & animi & prudentiæ uir factus, tantũ apud omnes nominis assecutus est, ut Henricus eius in primis opera tam in rebus domesticis agendis, q̃ in bello, sicut suprà docuimus, usus, ac ad Germanorũ imperium, quod omnes fatentur, uocatus fuerit: quod siue quindecim annos, ut Anglicis scriptoribus placet, obtinuerit, quibus uixit, posteaq̃ ab electoribus Imperator dictus est, siue minimè, prout alij uolunt, assecutus fuerit, satis constat eum talẽ fuisse, qui meritò ob insignẽ artis militaris, cuius longè peritissimus erat gloriã, ac animi probitatẽ, cũ quibusuis & Romanorũ & Anglorũ regibus cõferri possit. Obijt mortem ætate iam decursa, in Anglia, ad Berchanstedum pagũ, qui distat ab urbe Londino circiter millia passuũ quinq; & uiginti, cuius loci ipse dñs erat. Corpus ad sepulturã datũ est in cœnobio Haylensi ab ipso prope Glocestriã, ad duodecim circiter milliaria ędificato, quod amplis possessionib. locupletauit, eoq; loci monachos Cistertiensis ordinis collocauit. Genuit ex Cynthia uxore Edmundũ & Henricũ filios. Is Edmundus dum pater in Germania regnũ obtinebat, ut adolescẽs apprimè pius, cùm foretè Germanorũ regũ monimenta quæ ad cultum diuinum pertinebãt, studio attrectaret, uas quoddam aureum reperisse fertur, quo ex titulo cognouit, ut fama est, ac credere minus à pietate abhorret, portionẽ quandam sanguinis Christi contineri, cuius rei factus cupidus ita egit, ut partẽ à custode impetrauerit, quã postea non minore cura quàm ueneratione secum in Angliã detulit, identidẽ cogitabundus, ubi loci tam nobile nostrę religionis monimentũ locaret, qui ad ultimũ arbitrans post mortem utriusq; parẽtis, se debere cum primis cœnobiũ Haylense tanto munere ornare, in quo illorũ corpora sepulta essent, tertiã sanguinis partem ad ipsum locum doni nomine tulit, ubi serebant crebra & magna quotidie existere miracula: reliquas duas partes secretò penes se usq; eò custodiendas putauit, dum diuinitus moneretur, quo in loco seruandas perpetuò poneret: qui interim ad diuinũ cultum augendum animũ adiungens, à Deo, ut credere par est, admonitus, cœnobiũ egregio opere in colle syluestri extruxit, qui parũ supra Berchanstedũ eminet, ubi ipse uillam id tẽporis magnificã habebat, cuius etiã nunc bona pars extat: loco nomen est Asheruggiũ. Ditauit bonus princeps cœnobiũ amplis possessionibus,

bus illud́q; uiris nouæ religionis nõ antea in Anglia uisis, qui Boni homines appellantur, incolendũ dedit. Hi diui Augustini regulã profitentur & obseruant, uestimentũ cœrulei coloris induunt, eadẽ pene forma factũ, atq; habent fratres, quos uocant, eremitani. Fuerunt in eo cœnobio quocunq; tẽpore, uelut etiam sunt hodie, monachi & sanctitate uitę & doctrina præclari. Edmundus igitur comes Cornubię posteaquàm hoc cœnobium primò extruxerat, deinde Bonos homines in illud introduxerat, postremò reliquum dominici sanguinis suis nauib. eodẽ loci reuerẽter posuit, monimentũ Christianæ pietatis salutare: nam multis mortalibus qui fidẽ rei nõ abrogant, in grauissimo morbo saluti esse aiunt, qui ad id sacrum quasi passionis Christi pignus uisendum quotidie illuc cõfluunt. Quo factũ est, ut hoc tẽpore eiusmodi sanguis dominicus ab Edmundo in Angliam delatus, in Haylensi & Asheruggiensi cœnobijs multa sit ueneratione. Sed eò unde digressi sumus, reuertamur.

Vualli qui quanq̃ uicti, sese tamen sæpe efferebant, & ad renouandum bellum facilè reuirescebãt, Dauid per idem tempus mortuo, Leolinũ Griffini filium, qui, ut dictũ est, in turri Londinẽsi interierat, sibi principẽ cõstituunt, atq; ab Edouardo q̃ nimis superbè dominari cœpisset, deficiũt, præsidia Anglica aut pellunt arcibus, aut prodita per fraudẽ opprimunt. Qua re nuntiata, Henricus confestim Stephanũ Bausanum, qui summã rei militaris scientiã habebat, cum magno militũ numero ire cõtra hostem iubet. Ille ubi in Vualliam peruenit, præuentus insidijs cum magna suorũ parte interficitur. Qua de re rex permotus, statuit facinus acrius uindicandũ: itaq; paucis pòst diebus, ipse cũ maiore quidem militũ manu in hostes profectus est, cuius aduentu Vualli territi, more solito in syluas atq; paludes sese cõpingentes, nequaquam in certamen pro tẽpore descendendum iudicarunt. Est deinceps sæpe cum Vuallo pugnatum, qui nunquã uictus, sed bene longo defatigatus bello, pacem tandem petijt, atq;, ut infrà appositè demonstrabitur, impetrauit. Henricus uerò existimans nõ esse suę dignitatis, syluestres aduersarios per loca inuia persequi, Rogerio Mortimerio regionis præfecto cõstituto, Londinum statim pòst redijt. Per idẽ tẽpus sepulchrũ diuini Albani in cœnobio ei dicato diuinitus reperit, ubi edi miracula crebrius solito & maiora cœpere.

Aderat iam annus humanæ salutis MCCLVIII, & regni Henrici alter & quadragesimus, cùm ingens numerus Pictonum in Angliã confluxit, qui regio fauore insperato gaudẽtes, se sumptuosius insolentiusq; iactare, erigere, prædia quæ aliàs possedissent, repetere cœperunt. Eodem quoq; tẽpore uenêre in Angliã Odomarus sacris initiatus, Gulielmus, Gaufredus, & Guido fratres Henrici regis, ex Isabella eius matre geniti, & Hugone Marchiano comite. Ii in summa statim gratia cũ rege esse cœperũt, ut qui cũ illo cognatione cõiuncti essent: item summa apud eum autoritate ualere multũ sibi assumere, cũ nobilibus honore æquari, eos non facere plurimi, uiamq; sibi ac alijs aduenis ad suas opes amplificandas, mirificè inuenire. Sed in primis dignitate auctus est Odomarus, qui Vintoniensem episcopatũ adeptus, dein suis opibus alios maximè iuuabat. Nõ potuerunt ferre eam senestrã externis patefactam, ad seruiendum suis cupiditatibus, & illorũ superbiã principes Angli, qui passim uociferabant̃, pernimiũ indignũ esse, se turpiter in sua patria exteris hominibus cõtemptui esse, quod rex pati nõ deberet, cuius interesset suos tantum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo tueri,sublcuare,sustentare.His igitur uocibus principes ad extremum impetrarũt,ut odij tollendi,ac constituendarũ rerum causa, conciliũ Oxonij haberetur: quò ubi cõuenerunt,de consilij sententia decretũ est,ut Pictones omnes cum cæteris peregrinis exterminarẽtur:& ne rex aut Edouardus princeps clàm illis opem aduersus plebem ferret, rogarũt ut iureiurando promitterent,se cõtentos fore concilij decretis, & quamprimũ reddituros antiquas leges & instituta,id quod ambo magis metu,quàm uoluntate fecerunt: nam optimates toties antea elusi, armati ad conciliũ uenerant. Spoponderunt & pro illis Ricardus Cæsar,& Simon Montifortensis, iureiurando itidem adacti.Pictones cũ fratribus regis facilè fuit expellere, quippe qui cognito principum in se odio,sponte remigrarunt in patriã: at leges promissę,sed non restitutæ fuerũt,eò quòd ex regis usu minimè essent.Illo eodem anno Seuallus Eboracensis antistes moritur,cui Gotthofredus succesit,quẽ nõ multò pòst mortuũ,secutus est Gualterus episcopus Bathoniẽsis, & Vuellensis,qui fuit ordine archiepiscoporũ Eboracensium trigesimussextus. Hoc tempore cùm frumentum propter siccitatẽ angustius proueniisset, ita fame laboratũ est, ut homines carne & lacte ut plurimum uictitantes, etiam ederint uaria herbarũ radicũq; genera, quæ in usum necessitas uerterat, donec mercatores uicinio-
res,præsertim Germani, populum Anglicũ in tanta caritate annonæ magno frumẽti numero suppeditato leuauerint. Hi enim septentrionalis Germaniæ populi & Oceani accolæ cùm omni tempore parati essent ad iuuandum suis opibus regnũ Angliæ, rogarunt Henricũ regẽ,ut sibi priuilegia à superioribus regibus olim cõcessa confirmaret,ac eadẽ deintegro irrogaret, quò possent tutius cõmodiusq; apud suos Anglos mercaturã facere. Rex recenti eorum beneficio affectus, & memor patrẽ Ioannem regẽ usum esse opera & auxilio eorum etiã in bello,quod suis ducibus pro Ferdinãdo Flandriæ comite cum Philippo rege Francorũ prosperè gessisset, illos immunitatibus atq; priuilegijs liberaliter donauit, qui remisit non utiq; parũ de uectigalibus ac portorijs impositis rebus, quæ per ipsos uenirent in Angliã, ut scilicet minus q̃ cæteri mercatores soluerent, quo principis beneficio etiã nunc memoria nostra utunt̃, fruũtur. Sed scire licet,istos industrios negotiatores ultro citroq; cõmeantes, & uarias merces undiq; importantes reportantesq;, à principio societatẽ fœderatã inter se coisse,quæ quidẽ societas Anze Theutonica eorũ lingua nuncupatur,nanq; Anze uox significat iuxta & nõ procul à mari,quæ idcirco ualde apta & apposita est gentibus maritimis. Ii deinde emporia aliquot in quibus suos mercatus haberent, sibi constituêre, & cum primis quatuor,unum Brugis, quæ ciuitas est Flandriæ, alterum Londini,ad Thamesis fluminis ripam septentrionalem,quod uulgò Stiliard uocitatur,tertium Nouogardiæ in Sarmatia,ac quartum in Noruegia.

Interea cùm pro se quisq; tranquillitati suorũ temporũ seruiret,uariũ erat populi atq; regis studiũ:populus enim gratulabat̃, talia in Oxoniensi cõcilio esse decreta facta,per quæ facilè libertatẽ & leges toties promissas sibi restitutas ducebat:atq; illis passim iam uti incipiebat:sed quia sine consensu regis,ea minimè rata habebant̃,idcirco quotidie à rege flagitabat, ut quæ iureiurãdo recepissẽt tandẽ aliquãdo præstaret.Rex uerò qui uidebat nõ esse è re sua, ut statuta per conciliũ cõfirmaret,& dolebat exteros homines ex regno eiectos, in ani-

in animo habebat nunq̃ in ea parte desiderio populi satisfacere: & quoniã id palàm aut repentè facere, periculosum putabat, propterea de industria eatenus procrastinãdũ cõstituit, quoad ita res externas cõponeret, ut si bellũ domioriretur,aduersarijs resistere posset:Itaq; primò per legatos cũ Alexandro quarto Ro.pon.agit,ut eius autoritate fiat,ne iureiurãdo teneat̃,quod in Oxoniensi concilio dedisset,néue promissis stare cogat̃,id quod facilè impetrauit,cùm affirmasset se eã sponsionẽ nõ spontè,sed metu fecisse: deinde cũ multis antè legationibus nequicq̃ ultro citroq; de pace inter se & Francũ missis, nihil certi haberet,statuit sibi in Galliã eundũ,ut externas cõtrouersias finiendi causa,cũ Franco quoquo modo posset,tandẽ trãsigeret.ita statim pòst Lutetiam ad Ludouicũ regẽ proficiscit̃.Hic indicto principũ concilio, postquã diu de pace agitatũ est,his demũ cõditionib.cõuenit, ut Anglus in perpetuũ cederet Franco Normania, quã aiebat Rollonẽ per uim sibi à principio ademisse,& se iure recepisse,cũ Andegauensib.& Cenomanis, & ille adnumeraret Anglo pro impẽsa bellorũ facta millia aureorũ centũ & quinquaginta,ac in singulos annos,uectigalis nomine,dena millia:Anglus uerò cõtentus esset Aquitania,quã à septentrione,Carantus flumẽ,& à meridie, Pyrenæus mõs terminaret. Atq; his legib. Hẽricus cùm domesticũ bellũ iamiã impendẽret, pacẽ cũ Ludouico facere coactus est.Fuit is annus salutis MCCLIX,qui multa turbulenta,multa acerba,multa tristia habuit.Reuertit̃ exin in Angliã Henricus,qui ubi Londinũ peruenit,se in turrim recepit, atq; parato cõfestim exercitu,iam palàm prædicare cœpit,se nolle cõstituta per conciliũ, neq; cõfirmare,neq; permittere,ut illis populus uteret̃,frueretur.At ijs rebus cognitis,magnę in regno discordię uersari cœperũt:nam optimus quisq; ualde fremebat, q; rex foris regni finibus diminutis, domi etiã omnia deteriora redderet̃.Quare passim ad arma cõclamando,principes qui populares erãt,iniuriã armis ulciscendã ducunt,& in his cũ primis Henricus Montifortensis,Hugo Spẽserius,Balduinus Vuake,Gilbertus Giffordius,Ricardus Graius,Ioãnes Rossus,Gulielmus Marmyonus, Henricus Hastyngius, Ioãnes Fizioannes, Gotthofredus Lucy,Nicolaus Mosgrauus,& Ioannes Vescius, qui uno omnes cõsensu, sibi statim duces optant Simonẽ Montifortensem, uirũ magnæ scientiæ in bello,Leceſtriæ,Gilbertũ Clarentię dũm,Gloceſtriæ,ac Robertũ Ferrysum Derbij comites,cũ nõnullis alijs militaris disciplinæ uiris longè peritissimis:Simon enim ut datã populo fidem suã liberaret, solueret, seruaret, cõtra Henricũ uenire coactus est,pro quo sponsor præsq; erat.Rex itidẽ fretus auxilio Ricardi fratris, qui paucis antè dieb. ex Germania redierat,in armis erat,cùm optimates quidã autores esse cœperunt,ut armis abstinereẽt,ad resq; cõponendas incumbereẽt.Sedatus est paulisper tumultus,habitoq; cõcilio,cùm nihil quod ad leuandas iniurias pertineret,sit actũ,ad arma rursus utrinq; cõcurritur,sed prius q̃ manus cõserant iterũ de cõcordia agẽdo,Ludouicũ regẽ omniũ cõtrouersiarũ finiendarũ disceptatorẽ faciũt,qui cùm secundũ Henricũ sententiã tulisset, principes quorũ animi ualde saucij,nõ seueritatis,sed lenitatis medicina indigebant,haud cõtenti iudicio eius,quod iniquũ esse dicebant, in Vualliã inuadunt, cuius Rogerius Mortimerius præfectus erat. Venit subsidio suis Edouardus princeps,qui in insidias lapsus capitur.

Hic iterũ ab armis paululũ cessatũ est: nam Edouardus cùm promitteret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

reciperet,ſponderet ſe curaturū,ut pater promiſſa pręſtaret,dimittitur:ſed iu uenis ulciſcendi cupidus magis iniurię quàm promiſsi memor,ut ad ſuos rediit,infeſtis armis Gloceſtriam aggreditur,ac oppidū momento per uim ingreſſus,diripit,atq; inde Oxoniū,quò pater paulò antè à Londino uenerat, eoq; loci maiorē exercitū cogebat,proficiſcens,omnē agrū paſsim deuaſtat. Hinc ambo iūctis armis,Northantonū oppidū Simonis comitis oppugnatū pergunt,quo primo acceſſu capto,Leceſtriam cōtendunt,ac puncto temporis oppido tradentibus oppidanis potiti,Nothyngamiam pergunt, ædificia paſsim & uicos incendentes. Capti ſunt his in locis equeſtris ordinis uiri Gulielmus Ferryſus,Petrus Montifortenſis,Balduinus Vacius, cū Nicolao fratre,Adam,qui ex Nouomercato erat,Rogerius Beltramus, Thomas Manſellus,cū bene magno aliorū nobiliū numero. Quę res effecit, ut Rogerius Clyfſordius,Henricus Percius,Ricardus Graius,Philippus Baſſetus,Ricardus alter Suardus,& Hubertus Cātij comes ſociorū infirmitatē ueriti, protinus ad Henricū regē defecerint. Hēricus bene in longinquis locis re geſta,proximè hoſtes rediit,& Vintoniæ habito cōcilio,aduerſarios omnes patrię hoſtes iudicandos curauit. Eſtq; ſatis pro tēpore reip. conſultū atq; prouiſum,cùm Simon interea Londinū profectus urbē in fidem recipit,ac pręſidio firmat,atq; inde Roceſtriā oppugnatū properat, cuius loci præfectus erat Ioānes Varanius uir fortis & induſtrius. Suſtinuit hoſtiū impetū præſidiū,quod intus erat,quoad rex ſuis auxiliū ferēs,urbē obſidione liberauit. Quo cōfecto feliciter negotio,& relicto idoneo præſidio,quod locū tueret,proficiſcitur ad orā maritimā,quę cōtra Galliā eſt,illic expectaturus,dum eius fratres Gulielmus, Gaufredus,& Guido Marchiani comitis filij, cū aliqua militū manu ueniant, quos à nobilibus paucis antè menſibus regno pulſos,ipſe ex Gallia accerſuerat,qui nō multò pòſt affuerūt. His auctus uirib. Leuiſum,quod eſt oppidū maritimū,& uulgò Leuuis uocitat,ubi loci cœnobiū monachorū etiā nunc extat,ordinis diui Pancratij,reuertitur,ac ſecundū oppidū caſtra ponit. Non multò pòſt Simon cū exercitu adfuit,factisq; propè caſtris,ad Henricū ſic ſcripſit: Volo rex me tibi eſſe purgatū, ut ne in meā uertas cōtumeliā,quæ ſalutis populi cauſa egerim: porrò ego ſemper Reip. cōmoda meis priuatis neceſſitatibus potiora habui, & nunc illud ipſum me cūmaximè facere cogit iuſiurandū,quod pro te,populo dedi, & te pariter atq; me obligat ad fidē ſeruandam,quā facilè liberabis,ſi promiſſo ſatisfeceris. Proinde in manu tua pacem eſſe ſcito,ſi tuis ſimiliter ac regni uolueris proſpicere rebus. Reſpōdit ad omnia rex,& dum inter ſe magis de iniurijs cōquerentes altercantur, q̄ de conditionibus pacis agunt,eductis cueſtigiò in aciē utrinq; copijs,pugnam cōmittunt. Erant in altero cornu in acie hoſtiū Londinenſes,quibus Nicolaus Polygraphus præerat. Hos Edouardus princeps à lōgè ubi uidit(illos enim ſpeciatim peius reliquis omnibus oderat,q; Aleonorā matrē paucis antè diebus è turri egreſſam, conuitijs & ſibilis conſectati fuiſſent) inflāmatus ira, cōcitat calcarib. equū,atq; dato ſigno,ut ſe ſui milites ſequant, curſum in eos dirigit, clamitādo: In hæc miles ſeditionū ſcelerumq; omniū capita nunc fortiter adij cito tela. Londinenſes ut gregarij milites impetū inuadentium nō tolerantes ſeſe in fugā conferunt. Inſequitur auidè Edouardus,paſsimq; cædē ingentem facit: uerūm cùm ita cædendo hoſtē temerè à ſuis longè abiſſet, pulcherrimā uictoriā de manibus amiſit. Atq; ita ab ira & furore uti nihil unquā honeſti, ſic haud quicq̄ utilitatis proficiſcitur. nam ubi Simon animaduertit Edouardum ferocē iuuenem cum robore militū perſequi Londinenſes, quibus ipſe ob imperitiā militaris diſcipliną,parū confidebat,tum maiore animo ſuos cohortatus hoſtem premit,atq; uno momento fundit. Rediit interim ad ſuos uictor Edouardus,ſed cùm inclinata iam eſſet acies, eam ad certamen reuocare nequiuit. Henricus cōfoſſo ex utroq; latere equo,capitur,cū Ricardo fratre, & Edouardo filio,atq; aliquot ducibus: cæteri partim cæſi, & in ijs tres comitis Marchiæ filij,partim pulſi fugatiq; ſunt. Non nemo tradit Edouardū non fuiſſe tunc captū,ſed poſtea unà cū Henrico filio Ricardi, obſidū nomine, in hoſtiū poteſtatē ueniſſe,quò illi uitę Hēnici patris ac Ricardi patruí parcerēt. Sex millia hominū & quingētos ex regio exercitu deſideratos tradūt annales.

Optimates tanta uictoria ſtatim pòſt male uſi ſunt: nanq; filij Simonis comitis,Henricus,Guido,Simon,ac alter Henricus nomine,qui eo prælio egregiè pugnarunt,ita inſolentiores effecti ſunt,ut prę ſe reliquos principes deſpicerent, & ſtulta arrogantia nominatim parum honeſtè appellarent Gilbertū comitē Gloceſtriæ. Qua re ille permotus,cū Simone patre grauiter de temeritate filiorū ſæpius conqueſtus eſt, qui ad extremū cùm uideret ſe parū proficere,tum demum alienatus iniuriæ uindicandę cauſa,omnibus principibus graue exhibuit negotiū,immemor eorum calamitatē cum Rep. eſſe coniunctam. Edouardus enim paucis pòſt diebus ope ipſius Gilberti è manibus hoſtium aufugit,& Vigorniā profectus exercitū cōfeſtim parat. Quod audiens Simon comes,accepto nouo militū ex Vuallia ſupplemento, ad Eueshamū uicum contendit,ut ad arcem Keneluorthem pergeret,quæ opere magnifica ab urbe Vigornia diſtat millia paſſuum circiter tria, paulóue amplius, ubi ſe cum Simone filio cōiungeret,qui ex agro Eboracēſi magnā manum militum ſecum adducebat. At Edouardus & Gilbertus comes cognito Simonis cōſilio,celeriter ſuperueniunt,præcluſisq; omnib. uiarum aditibus hoſti pugnandi copiam faciunt. Tum Simon poſteaquā ſine magno incōmodo progredi nō poſſe ſe uidet, in eo temporis articulo inſtruit aciem, impedimētis ex acie remotis,ac in fronte aciei ponit Henricum regem,quē ſecum captiuum ducebat,atq; ſuis armis induit,ut ſi fortuna aduerſa ſit,dum ille imperatoris perſonam gerens,ab hoſte petitur,ipſe interim fuga ſaluti cōſulere poſsit. Inſtruuntur contrà & hoſtes & animis & uiribus ſuperiores: committitur utrinq; pugna,quæ diu anceps ſtetit. Henricus inter primos hoſtium ictus nō pugnat, ſed regē Henricum ſe eſſe clamando indicat, quod ei ſaluti fuit,quia à ſuis cognitus ſeruatur. Vualli ut ſemel primò cōcurſum eſt, fugam parantes, alijs timorem iniecerūt. Quod ubi Simon animaduertit,ſuos cohortans,in medios hoſtes prorumpit,qui à multitudine circumuentus, præliando occidit, cum Henrico filio. Cognita ducis morte,bona pars ſalutē fuga quęſiuit,occiſis ad hominum millia quatuor,in quibus fuere equites Hugo Spenſerius,Rodulphus Baſſetus,Ioannes ex Bellicampo,Gulielmus Iorcus,& alter Gulielmus Baliolus homo Gallus. Hanc cladē diſcordia inter Gilbertū & filios Simonis orta,nobilibus pro libertate pugnātibus attulit. Corpus Simonis comitis fœdè inhumaneq; laceratum eſſe fertur. Inhæſit in hominū mentibus opinio cōſtans deinceps, hunc qui ob patriā ac iuſiurādum ſeruandū, pugnando uitā

Universidad de Deusto
Biblioteca

amiſiſſet,interijſſe martyrẽ, id quod & uitæ ſanctitas nõ patitur negatum iri, & miraculis conſtare,memoriæ proditum eſt. Quare iam tum fuere,qui eius memoriã ut diui cuiuſpiã colere cœperint,cõplureś illud ipſum dubio pro cul feciſſent, ſi regis iram nõ pertimuiſſent. Rex per hũc modũ è manibus ho ſtiũ cũ Ricardo Cęſare fratre ereptus, Varuicũ cp eſſet proximũ oppidũ natu ra munitũ proficiſcit, ibíq; coacto exercitu,pauculos dies morat, quia primũ omniũ inimicos perſequendos ſtatuerat. Itaq; rectà Elym inſulã petit,aduer ſariośq; qui ſe illic cõtinebãt,facilè in poteſtatẽ redigit. Reliqui príncipes qui arma in regẽ mouerãt, ſibi timẽtes Londinũ cõfugiunt,quæ ciuitas adhuc in eorũ fide permanebat. De qua re rex certior factus,ne ſpatiũ parãdi uires ho ſtib. detur,properè Londinũ pergit, ſed clauſis à ciuib. portis,prope muros caſtra ponit, atq; ad oppugnationẽ urbis machinas bellicas ſtudio cõparat.

Iam ferè totũ trienniũ ciuile bellum durauerat,& agebatur annus humanę ſalutis MCCLXII,ac cùm regnare cœperat Hẽricus,XLV,cùm Vrbanus Ro. pont.qui Alexandro ſucceſſerat,certior factus de inteſtino bello inter Henri cum & eius optimates, miſit in Angliã Othobonum diaconũ cardinalẽ diui Hadriani legatũ,qui omnes tolleret cõtrouerſias, concordiãq; cõglutinaret. Is Londini erat,cùm ciuitas regi ueniẽti portas clauſit:& quoniã cõtrà atq; ci ues uolebant,admonebat, in turrim conijcit. Sed dum ita generatim omniũ irritabiles animi odijs ardebant,Gilbertus comes ac nõnulli alij magnę auto ritatis demonſtrantes permultis argumentis, pacẽ uel iniquiſsimã in repub. iuſtiſsimo etiã bello præferendã eſſe,cùm ciuilis belli uictoria ſemper eſſet ci uibus luctuoſa,ita egerunt,ut Londinenſes atq; optimates omnes, qui hacte nus cõtrauenijſſent, redierint in gratiã cũ rege,ab eóq; receperint bona & pri uilegia,quibus ante paucos menſes,uti ſuprà dictũ eſt,concilij Vintonienſis decreto priuati fuiſſent. Reliquis uerò qui tardius ad ſanitatẽ rediere, bona publicata redimẽdi poteſtas facta, præterquã Roberto Ferryſo, de ſententia deduci nõ facilè potuit.Eſt & Othobonus carcere liberatus, qui pro ſua hu manitate,imperitæ multitudini acceptã iniuriã ultrò remiſit. Inter eos fuit e tiam Simon comitis Simonis filius:nam duo alij fratres ſuperſtites in Gallias profecti ſunt. Guido ſecutus Philippũ Ludouici filium ſtipendium faciebat. Henricus uerò qui ſacris initiatus Eboracenſis theſaurarius,quẽ uocant,erat, Lutetiæ interim literis operam dabat.Is Simon poſteaquã regi reconciliatus eſt, arcem Keneluorthem, quam pater Simon tenuerat,ei reſtitui iubet,ne ea poſſeſsio ſibi deinceps fraudi ſit:ſed prẹfectus id facere recuſans,miro ſtudio eam munit,ſeq; ad reſiſtendum accingit. Rex cognita præfecti pertinacia, ac cem obſeſſum ire maturat, & ne ab illis qui intus erant, eruptio in ſuos fiat,lo cum primò circũuallat, deinde militib.negotiũ dat,qui interdiu,quiue noctu oppugnent:uerũ multis uulneratis,cõpluribusq; interfectis,parũ continuos ſex menſes oppugnãdo profecere, donec in arce cœperit fames dominari, ac ita qui intus erãt, tradita ad ultimũ arce, incolumes à rege dimittunt. Simon poſt hæc,cõtentus annua penſione,Leceſtrẽſis comitatus poſſeſsione ceſſit, ad Francosq; trãſiuit,apud quos,ut uir multę uirtutis in magno fuit honore.

At Henricus eo cõfecto negotio,& pace ubiq; parta,ingentẽ pecuniã à po pulo exigit,qua in primis filium Edouardũ iuuaret, qui iter habebat in Syriã ut noſtris Chriſtianis principibus auxilio eſſet.Fuit is ſalutis humanæ annus MCCLXVI,

MCCLXVI,& cùm regnare cœpit Henricus,XLIX. Quo etiã anno Othobo nus legatus conciliũ ſacerdotũ frequens Northantoni,& alterũ Londini ha buit:ubi poſteaq; res quæ ad religionẽ pertinerent,cõmodiorem in ſtatũ per duxerat,legesq; tulerat, quibus etiã nunc Anglia utit, denũtiauit impios eſſe epiſcopos omnes,qui principũ partes nõ iuſtè ſecuti fuiſſent,quos ipſe mox, quoniã delicti pœnituerat,partim abſoluit,partim Rom. pont. adire coẽgit: atq; his peractis rebus,illo ipſo qui inſecutus eſt anno, perfunctus legationis officio,Romã redijt.Henricus uerò poſt annũ quinquageſimũ alterum,q; re gnare cœperat,conciliũ cõuocauit Marlebrigiũ,qui eſt pagus celebris comi tatus Vuilcerię,ſicut lib.xij. ſuprà diximus:qui in eo cõuentu primũ leges ab ſe antè latas,& præſertim Magnæ chartæ,de conſilij ſententia approbandas, dein alias cõdẽdas curauit, quę ad ſtatũ & cõmodũ regni maximè cõducerẽt.

Per idem tẽpus Edouardus princeps cũ ingenti claſſe in Aſiã traiecit, Syrię recuperandæ cauſa,uſq; eò Ptolemaide commoraturus (ita enim inter Chri ſtianos duces fuerat conſtitutũ) dum Ludouicus rex Franciæ,qui eodẽ tẽpo re aduerſus Saracenos bellum gerebat,ex Africa uictor cũ maiore exercitu a deſſet.Sed dum Edouardus belli ſocios expectat,nihil factũ propius fuit q; ut domeſtica fraude periret:nam cùm aliquando in cubiculo ſolus eſſet,ab Arſa cida quodam,quẽ ipſe cp multa de ſuæ gentis moribus narrare ſoleret,paulò antè in familiaritẽ acceperat, tribus petitus uulneribus ægrè ex mortis peri culo euaſit,adiuuante cubiculario,qui manũ Arſacidæ retinuit,donec à reli quis famulis in ueſtigio trucidatus eſt. Saraceni Arſacidas uocãt ſicarios, id eſt hominũ genus inſidũ,& ſuperſtitioni ſuæ deuotũ,qui arbitrant ſe æternã promereri beatitudinẽ, ſi hoſte publico quouis modo interẽpto, ipſi morte etiã crudeliſsima afficiant. Edouardus aũt ubi ex uulneribus cõualuit,audiẽs Ludouicũ quẽ expectabat,per idem tẽporis in Africa morbo confectũ inte rijſſe,amiſſa ſpe bene gerẽdę rei in Angliã,factis cũ hoſte inducijs,redijt inco lumis. Præmiſerat Romã Edouardus dum in Syria agebat, Theobaldũ pon tificẽ renuntiatũ à collegio cardinaliũ,reuocatumq; in Italiã, quẽ magnis do nauit muneribus. Is Ro.pont. legatus cum Edouardo rem Chriſtianã in Sy ria curabat,quãdo Viterbij pontifex factus eſt. Quo tẽpore Carolus rex Sici liæ,ac Philippus Ludouici filius ex Africa redeuntes, Viterbiũ profecti ſunt, ut creãdi pontificis autores eſſent:nam poſt obitũ Clementis quarti,biennio ferè pontifex nullus fuerat,donec Theobaldus Viterbij electus põtifex, Gre gorius decimus dictus eſt. Venerat id temporis Viterbiũ Henricus Ricardi Cæſaris & comitis Cornubiæ paucis antè menſibus demortui filius,negotia quædã apud Romanũ pontificẽ procuraturus,qui ibi malo fato ſublatus eſt. porrò cùm iuuenis fortè in príncipe æde,pro maxima ara, rei diuinæ intereſ ſet,cõtigit ut eò per idem tẽpus uenerit Guido Simonis Montifortẽſis comi tis filius cum rege Philippo,apud quẽ,quemadmodũ ſuprà diximus, à prin cipio ſtipendiũ meruerat,& poſtea in Italiam ad Carolũ regem profectus fue rat, qui ubi à longè Henricũ uidit,inflammatus ira,incautum aggreſſus, uno atq; altero ictu interfecit,ultus hoc modo patris Simonis mortem,qui, ut ſu prà memorauimus,in prælio ad Eueshamũ facto,interfectus eſt,& ultra mor tem,ut in eius corpus Henrici ac Ricardi, iſtius Henrici patris acerbitas pro greſſa.Guido uerò poſt Henricũ occiſum,ad Rufum ſocerũ comitẽ Anguilla

Universidad de Deusto
Biblioteca

riũ,qui tunc Hetruriæ præfectus erat,nemine homine perſequẽte,incolumis euaſit,id quod & Philippo & Carolo regib. Anglus poſtea crimini uertit, ꝙ illi tantum facinus impunè præter ſuos oculos fieri, minimè pati debuiſſent.

Dum iſta gerũtur,iam aderat annus ſalutis humanæ MCCLXXII,& ab eo, quo Henricus regnare cœperat LV, cùm Boniſacius Cantuarienſis antiſtes poſt annũ quàm ſedere cœperat XXVII,è uita exceſsit,in cuius locũ tribus ſerè pòſt annis,Gregorius pontifex Romanus Robertum ſurrogauit, qui fuit antiſtitũ ordine ſextus & quadrageſimus. Id tẽporis orta eſt ingens diſcordia inter monachos & ciues Nordouicenſes, quæ ita breui tẽpore creuit, ut populus facto impetu,principem ædem inflãmarit. Quo cõperto facinore, rex eò properè contendit, affectiſq; ſupplicio nefandi incendij autoribus ad cœnobiũ diui Edmundi uoti cauſa perrexit:quo in itinere haud bellè habere cœpit,ſed aliquantulum confirmatus,ibidem conciliũ habet:at inde urgente morbo cõuentuq; dimiſſo,Londinũ (ſentiebat enim ſe uocari ad exitũ uitæ) quamcelerrimè potuit ſe recepit,ubi XVI cal.Decembris è uita migrauit,qui fuit annus ſalutis humanæ MCCLXXIII. Vixit annos LXV.regnauit LVI. Corpus ad Vueſtmonaſterium delatum ad ſepulturã datur. Genuit ex Aleonora filios mares Edouardũ Vualliæ principem, qui in eius locũ ſucceſsit, & Edmundum comitẽ Lancaſtriũ. Poſcit locus,ut hinc parumper diuertamur. Extiterũt longo pòſt tẽpore,qui tradiderint hunc Edmundum fuiſſe maiorẽ natu Henrici regis filium,ſed quia deformis eſſet, idcirco Edouardũ regnum obtinuiſſe. Quippe hinc poſtea duę factiones,id eſt,duæ nobiliſsimę familię ortum habuerunt,quarum uulgus etiã nunc alteram roſam rubram, alterã albam appellat, ꝙ roſa alba unius,& rubra alterius familiæ inſigne ſit,uti infrà fuſius dicetur. Atq; iſta cõmentati ſunt, quò Henricum quartũ iure regnum repetiuiſſe probarẽt, qui ad Edmundũ genus ſuum referebat, quiq; per uim in regnum inuaſit,& obtinuit. Nunc ad rem reuertor. Filias uerò Henricus ſuſcepit tris,Margaritã,quam locauit Alexandro regi Scotiæ, Beatricẽ, quæ nupſit duci Britanniæ,& Catharinã,quæ nondum matura uiro,mortẽ obiit. Fuit corpore cõpacto,& robuſto,ſtatura iuſta, facie ſatis honeſta,alterius oculi palpebra demiſsiore, ut pupillã penè tegeret, ingenio miti,animo magis nobili quàm magno,præterea cultor religionis,& aduerſus inopes liberalis. Non caruit tamẽ infamia, quòd in rebus agendis inconſideratè interdum ſe tractaſſet,ſtudiumq; pecuniæ cogendę,licet magis ex inopia,quàm ex animi cupiditate, habuiſſet:item & regnũ nõ modò non adauxiſſet, ſed Normaniã cum Andegauenſibus,quam pater Ioannes antea amiſerat, poſtquam bellando recuperare nõ potuerat,cõceſsiſſet Franco,iureq; ceſsiſſet. Qui uerò tempore Henrici fuerint uiri aut literis armisue præclari,cùm ſuprà appoſitè expoſuerimus, libuit hoc loco illud ipſum repetẽdi labore uelut ſuperuacaneo perinde ſuperſedere,atq; meminiſſe Hugonis Balſami Elyenſis epiſcopi, qui cum Henrico rege uixerat. Is uir tam frugaliſsimus, quàm homo ornatiſsimus,literarum ſtudia in primis ſibi augenda cõſtituit, quòd ea omni ætati & utilitatẽ,& ſolatium afferrent:quandò literę,quemadmodũ Cicero ait,adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant,ſecundas res ornant, aduerſis perfugium prębent. Hugo itaq; Cantabrigię collegium collocauit in ædibus quas ipſe ædificarat, illudq; diuo Petro dedicauit, in quo memoria etiam noſtra, bonæ

bonæ artes uehementer celebrantur. Cæterùm opus illud hoc cunctis mortalibus gratius fuit,quò id temporis diſcipulorũ collegia multò rariora erãt.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XVII.

EDOVARDVS poſt primum Gulielmum Normanum,primus, annum agens quintum & trigeſimũ,rex factus eſt,qui fuit annus ſalutis humanę MCCLXXIIII. Is initio regni ſanctiſsimos quoſq; ac fortiſsimos uiros ad res bene gerendas,in ſuum domeſticum conſilium delegit,fecitq; cancellariũ Angliæ Gulielmum Martonũ uirum excellenti animo & uirtute. Sed ut populi animũ ſibi reconciliaret, qui rege Henrico patre, fruſtra de legũ iniquitate cõquerendo offenſus erat, primùm generatim nominatimq; in appellandis ſingulis & uniuerſis,ſignisq; beneuolentiæ permultis impertiendis,propè exceſsit humanitatis modũ:deinde habito non multò pòſt concilio,ueteres leges correxit, atq; nouas ſalutares dedit. Poſtremò præfecit Aquitanię Ioannẽ qui ex Fano Ioannis erat, uirũ prudentem pariter atq; fortẽ, iuſsitq; eum diligẽtius ſolito prouinciã tueri:erat enim uehementer iratus Philippo regi ob cædem Henrici patruelis, de qua ſuperiore libro meminimus, eiusq; rei Francum optimè gnarum exiſtimabat. Quare ambo odium ſecreto ſub pectore alebant,omni modo aliquãdo erupturũ. Poſt hęc,nihil fuit Edouardo prius,quàm ut Henrici patruelis mortẽ ulciſceretur: quare cũ Gregorio Romano pontifice, qui cum amicitia à principio in Syria cõciliata ei intercedebat, primo quoq; tempore egit, ut id nefariũ parricidium non pateretur eſſe impunitũ. Gregorius quia Guido Montifortenſis percuſſor potentior factus ex eo, ꝙ in Rufi ſoceri comitis Anguillariæ mortui opes ſucceſſerat, capi nõ poterat, eum ac eius adiutores impiorũ numero ſua autoritate decreuit habendos. Illo ipſo anno poſt terræmotũ, quo multa ædificia corruerunt, ſanguine in Vuallia pluiſſe ferunt,quaſi prodigiũ exitiale illi genti, cuius ſanguine breui tẽpore pòſt ea regio paſsim maduit. Dominabatur id tẽporis in Vuallia Leolinus Griffini filius,qui ut nouas partim ſeditiones in Anglia faceret, partim ſibi Frãcos in ſocietatẽ adſciſceret, per nuntios à Philippo rege diui Ludouici filio, petiuit filiam Simonis Montifortenſis comitis Leceſtriæ, nomine Aleonorã ſibi in matrimonium dari,quę cum matre,& Henrico fratre tum in Gallia exulabat. Conceſsit Francus, & puellam ſtatim deſponſam per Henricum fratrẽ ad uirum miſit. Hæc nauigãndo ubi ad Vualliã appropinquare cœpit,cum fratre capta,ad Edouardũ ducit. Quod ubi Leolinus cognouit, permotus ira per Anglicũ agrum incurrit,in armis ſtat,qui primi obueniũt,occîdit,omnia deuaſtat. Rex audito Vualli furore,ſuos auxilio iuuit,tãtaq; celeritate oppreſsit per arua Vuallos euagantes,ut Leolinũ uidentẽ rem ſuam in propinquũ deductam diſcrimen, ad pacẽ cum uenia petendã cõpulerit, quã demũ reddita puella haudquaq; uirginitate uiolata ægrè illi cõceſsit. Vuallus impetrata pace,iuſiurandũ more maiorũ dedit. Edouardus ſecundũ hæc recepit in familiaritatẽ ſuã Dauid florentẽ iuuenẽ ipſius Leolini fratrẽ, habuitq; in honore, ac ex egente locupletẽ fecit. Verùm tantũ abfuit,ut Leolinus ſe huiuſmodi be

Universidad de Deusto
Biblioteca

neficiorũ præbuerit memorẽ, ut etiã maleficio paulò pòst regẽ remunerauerit: nanq; amissa uxore, simulq; neglecto iureiurando, iterũ in agrum Anglicũ egressus, prædas passim facere cœpit: sed deinde territus regis aduẽtu, qui eò celeriter ad uindicandã tantam iniuriam contendit, depositis armis, ueniã ultrò petijt, quã Edouardus iterum nõ negauit, ut ne cum montibus atq; paludibus pugnando, quæ in loca Vuallus uelut in munitiones se ex fuga recipere solebat, operã luderet. Sub idem tẽpus Robertus Cantuariensis antistes, cùm Cardinalis atq; Portuensis episcopus esset factus, Ioannes Franciscanior dinis uir, antistitũ ordine septimus & quadragesimus, à Gregorio pontifice Romano Cantuariẽsi diœcesi præficit. Hinc cernere licet, apud nostros pontifices aliquid synceri iam tum fuisse, cùm per legem paucis liceret duas simul obtinere prouincias, quãdò Robertus Portuensem episcopatũ cõsecutus, se Cantuariensi abdicauit. O legẽ nunc propè euersam: nam quisq; pro opibus, pro potentia, plures habẽt episcopatus, ut nullum illorũ, (ita credere par est) rectè gubernent, qui talem cõmissi gregis curam nõ officio, sed atq; deò cupiditate metiri uidentur. Quo etiã anno, Alexander rex Scotus Edouardo fidem per iusiurandum, more maiorũ, obligauit. Et Thomas uir iuris æquè ut diuinarum literarũ peritissimus, qui antea fuerat in cõsilio & familia Henrici tertij, fit episcopus Herefordensis. Is nempe homo tam frugalissimus, quàm integerrimus, ita uitam & omnem ætatem egit, ut meritus sit post mortẽ, & à Deo & ab hominibus ad cœlum ferri, qui nunc miraculis clarus existit.

Secundũ hæc, circiter annũ salutis humanę MCCLXXVIIII, Edouardus pecuniæ egens, rem ex suo usu nouã excogitauit. Porrò quotquot possessiones urbanas rusticásue habẽt, aut colunt, ex instituto à Gulielmo Normano Angliæ rege introducto, perpetui uel ad tẽpus fructuarij censent, qui usumfructum capiãt, quandò ipsarũ possessionũ proprietas ad certos pertinet dominos, quib. in annos singulos possessores ut proprietatis signũ, nescio quid aut soluũt, præstántue, seu pensionẽ reddunt, sic, ut possessiones aliæ ad tẽpus locatæ uel in perpetuũ datæ, nõnullis de causis, quæ municipalibus legib. excipiunt, crebrò ad pristinos dominos redeãt, ac ab illis deinde uel alijs colonis locentur, uel uenditent, seu prioribus possessoribus soluta redemptione confirmentur: quod prædiorũ genus Anglicè Acopyholde dicit. Si uerò possessiones liberę sint, ea seruitute carent, pro quib. pensio iure tantũ dominij, debetur dño. Igit rex cùm esset bene multarũ possessionũ princeps dñs, & non ignoraret tabulas siue syngraphas, quas uulgò euidentias aut copias uocant, partim ob tẽporis longinquitatẽ, partim ob assiduas bellorũ iniurias, aut cõsumptas, aut amissas esse, publico edicto iusit, uti omnes prędiorũ urbanorũ siue rusticorũ possessiones docerent, quo iure, quóue nomine illa retinerent, ut per hunc modũ, possessiones ad se dñm pertinẽtes cõstituta auctione, aut uenderent, aut redimerẽtur. Visum est omnibus edictũ eiusmodi post homines natos longè acerbissimũ. Qui fremitus hominũ: q̃ irati animi: quanto in odio princeps esse repẽtè cœpit: Veruntamen nõnulli de plebe homines neq; quaq̃ contra regia iussa uenire audentes, quib. poterãt rationibus suarũ iurã possessionũ cõprobabant, quę eò minus admittebant, q̃ nulla ex tabella constarẽt. Est ita cũ multis de tali negotio disceptatũ, donec Ioãnes Varanius comes Surrę unus de multis, homo popularis, uidẽs regẽ ad prędã faciendã iam expan-

expandere rete, & neminẽ unum esse, qui reclamaret, sibi actioni tam acerbæ intercedendũ statuit: itaq; citatus coram magistratibus, quos Iustitiarios dicunt, cõparuit, interrogatusq; ecquo iure possessiones retineret, educto repentè gladio, Hoc, inquit, iure prædia auita possideo, hoc quoq; eadẽ defendam. Non nemo, quod non abhorret à uero, tradit cõmissa rixa, comitẽ occidisse Alanũ unũ ex magistratibus. Cæterũ ubi id facinus rex resciuit, sensitq; se omniũ sermonibus uapulare, ueritus ne seditio fieret, ab incœpto destitit. Atq; hæc tota res quæ omnib. generatim dãno fuisset, unius animi præsentia interpellata subitò deferbuit. Eodẽ anno mortẽ obijt Gualterus Eboracẽsis antistes, cui successit Gulielmus cognomine Vickeuanus, qui in ordine Eboracensium archiepiscoporũ trigesimus septimus ponitur. Eo ipso anno Ioannes Cantuariensis archiepiscopus peracto totius sacerdotũ ordinis cõuentu, mirandũ in modum religionis statũ confirmauit. Rex insequenti anno ægrè ferẽs rei agrariæ artificiũ non processisse sibi ex sententia, aliã aggressus uiam conciliũ Londini ad Vuestmonasteriũ habuit, quo in cõcilio primũ omniũ pecuniã populo imperandã curauit, nemine negante, ne quisquã factæ paulò antè gratiæ ob omissam iuris agrorũ causam, iudicaretur immemor. Deinde permulta quę è Repub. essent, statuta sunt, & illud, ut sacerdos furti aut quouis alio capitali crimine conuictus, episcopo repetenti traderet, sic, ut episcopus eum nõ antè missum faceret, quàm ritè se expurgasset. At inde episcopis custodiendi damnatos sacerdotes talis demũ imposita est seruitus, qualẽ alibi loco perappositò docebimus. Postremò priuilegia, libertates & immunitates datę ab Henrico tertio huius Edouardi patre societati negotiatorũ Germanorũ, quam Anze Theutonicã appellant, recipiuntur, admittuntur, comprobanturq;, atq; regio diplomate in perpetuũ confirmantur & corroborantur, id quod ipsa societas pro summo munere sibi concedi rogarat.

Dum ista domi gerũtur, ecce tibi, Dauid, quẽ (ut suprà demonstrauimus) timor, qui rarò est diuturni magister officij, ad Anglum adiunxerat, ab Edouardo clàm ad Leolinũ fratrẽ Vualliæ principẽ trãsit, & ambo iunctis armis, finitimis Anglis bellũ faciunt. Quæ ubi rex accepit, ualde cõmotus quòd uterq; & Leolinus & Dauid accepti beneficij nullã rationẽ habentes fidẽ fefellissent, nõ ferẽdas eiusmodi perfidiosorũ iniurias amplius deliberat, delectus militũ habet, exercitũ cõflat, atq; uindicatũ scelus in Vualliã extemplò cõtendit. Etsi sunt, qui tradãt regẽ præmisisse Ioannẽ Cantuariẽsem ad ipsos Vallos, quos bonis monitis, ac beneficiorũ recordatione in officio contineret, & illos cõtemnentes salutaria monita, fuisse ab eo antistite extra Christianorum cõmunionem eiectos. Sed cùm armis nõ uerbis ad tantã ferociã comprimendam opus esset, illis nõ puto esse assentiendũ. Interea Vualli captis aliquot castellis, ferro & igne omnia deuastãt, neq; sexui aut ætati parcũt: at ubi regẽ appropinquare senserunt, id quod haud pro nihilo putantes, statim more solito fugientes sese in Snoundenũ montẽ editissimũ longeq; quamasperrimũ, qui ad septentrionẽ uergit, proripiũt. Rex Vualliã ingressus, ut nouit hostes in mõtes abijsse, cũ omnib. copijs nõ lõgo ab illis interuallo cõsedit: postero die equitatu ex castris educto, omnẽ eam planitiẽ quę radices montiũ tam ab ortu solis, quàm à meridie circumplectit, cõplet, pedestresq; copias paulò ab eo loco abditas in locis superioribus cõstituit, atq; exin hostem ad certamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouocat, quẽ ut uidet nolle in campũ descẽdere, ut omnes prẽcludat aditus, primò insulam Angliseam occupat, quò d eò Vuallus cõfugere consueuisset: deinde iunctis simul aliquot nauiculis, pontem facit in fluuio Hauensancto, in quẽ fluit amnis, qui ad radices ipsorum montiũ oritur, ut ne trans illud flumen hostes castra ponãt. Sunt qui tradant pontem factũ ad sinum maris nomine Regyd, ex quo in eam insulam nauigatur. Cæterùm in eo tẽporis articulo ita usu uenit, ut antequam pons tabularetur, aliquot iuuenes Angli pertitus animi causa ambularint, ac spaciandi studio longius progressi quàm putarant, subito interuentu Vuallorum, procul à litore, crescente Oceano, telis & sagittis reiecti, partim cæsi, partim ab aquis submersi fuerint. Et istius rei euento, creuit mirum in modum Vuallis animus, quippe qui putant illud factum esse diuinitus, ac oracula suorũ uatum antiqua repetentes, quibus etiã nunc plurimũ fidentes uana identidem spe eluduntur, ducebãt tum demum ueniisse diem, cùm eorum princeps Angliæ imperio potiretur. Itaq; Leolinus in spem bene gerendæ rei erectus, relicto Dauid fratre, qui loca montana tueretur, ipse cum electa iuuenũ manu, in campum proximũ descendit, cui continuò Edmundus Mortimerius cum robore militum obuiam factus est. Hic prælio utrobiq; cõmittitur, quod amplius horas tris anceps fuit, donec Leolinus pugnando occiderit: tum cognita principis morte, Vualli fugam prouisi nus pararunt, circiter parte eorum tertia interfecta. Edmundus uictor profligatis hostibus, ad regẽ qui tunc ad Caernaruanũ oppidum erat, caput Leolini detulit, quod postea Londinum deportatũ in turris fastigio pilo infixum diu permansit, quò seditiosorũ hominũ pœna cæteris illustrior manifestiorq; esset. Sunt qui scribant Leolinũ nõ fuisse in prælio occisum, sed suis pontem frangere tentantibus, ac sæpius ab Anglo inde repulsis, ipsum cucurrisse subsidio, & cùm alij aliò Vualli ab hostibus dissipati fugerẽt, fortè accepisse ullnus, ac deinde cognitũ à Stephano Suardo percussore, tum demũ capite obtruncatũ: sed ubicunq; ceciderit, parũ omnino refert. Edouardus accepto uictoriæ nuncio, motis statim castris, ad persequendos hostes militẽ suũ quaquauersum ad omnes uiarũ exitus dimittit, ac simul ipse dispositis ad radices montiũ equitibus, cũ reliquo exercitu montes ipsos ascẽdit. Vualli ubi se omni intercluſos itinere sentiunt, more ferarũ trepidi pro se quisq; in syluas densissimas, aut in specus cõtendit, partim per abrupta se immittunt, partim demum fugiendo in hostem incidentes, aut interficiuntur, aut capiuntur. In iis Dauid Leolini frater cum multis alijs eius factionis socijs fuit, qui nõ multò pòst Salopiæ pœnas capite soluit. Rex sic montanis Vuallis perdomitis, ad reliquos subigendos, omnẽ obiuit regionem quæ ad ortum solis & meridiẽ uergit, milites in unũ cõfestim cogendo, quos diximus uiarũ aditus occupasse, qui ingentẽ passim cædem fecit, adeò ut amplius tria hominũ millia interfecta fuerint. Posteaquam omnis prouincia pacata est, Edouardus præfectũ illius fecit Robertum Torbiscum uirum singulari uirtute, relicto q; præsidio idoneo, Londinũ reuertitur. Atq; ita Vuallia iterum domita est, circiter annum octauũ, cùm Edouardus regnare cœpit, qui interim Gloceſtriæ diu moratus, conuentum principum eo in oppido egit, in quo quædam de regni statu decreta sunt, quæ nunc ut iura æquitate plena maximè usurpantur. Exin pacatis rebus, nihil toto triennio accidit, quod scribere habeamus.

Agebat

Agebatur post hęc annus, qui fuit Edouardo à gubernatione sui regni XI, & ab humana salute MCCLXXXV, insignis morte Alphonsi, & ortu Edouardi regiorũ puerorum, cùm prodigia uaria fuerũt. Principio anni grauitatem cœli subitò exortam, inde siccitas post hominum memoriã inuisa excepit, sic, ut herbas ferè omnes necarit: postremò ingentes superuenere imbres, unde annona cœpit ingraueſcere, ac ea fames per totã peruasit insulam, quę usq; ad exitũ Edouardi durauit. Eo ipso anno Gulielmus Eboracẽsis antistes mortẽ obijt, post annos sex, quàm sedere cœperat: cui successit Ioannes cognomẽto Romanus, doctrina & integritate uitæ clarissimus. Circiter hæc tẽpora, Gulielmus Martonus Angliæ cancellarius, cùm intelligeret solas esse literas, ex quibus magnus pariter fructus atq; delectatio petatur, ut suis eius rei copiam faceret, Oxonij collegiũ instituit discipulorũ bonarum artiũ consectatorum, fundisq; locupletauit. Hodie loco nomen est Martonũ, ex quo uelut ex uberrimo fonte, flumen quoddã bonarũ disciplinarũ iugiter manat. At Martonus postquã tale Musis posuit opus, factus est Rossensis episcopus, dignus nempe, cui eiusmodi mandaretur munus, tametsi curæ & diligentiæ plenũ. Per illos dies rumor increbuit Burdegalensem longè firmissimã totius Aquitaniæ ciuitatẽ secreta cõsilia inire cum Franco, ut expulsis Anglis, eius præsidiũ admitteret: uerùm antequã quod moliebatur, efficeret, Edouardus de re statim certior factus transmisit Oceanũ, ac cum magno exercitu adfuit, affectisq; supplicio cõiurationis autoribus, ciuitatẽ suspectis hominibus protinus purgatam reddidit: quo cõfecto negotio, dum cæteris reb. prouidendis cũ suo domestico senatu uacabat, in ualetudinẽ incidit, qua diu postea afflictatus est.

Interea res Christianæ duorũ regũ discordijs maximè turbatæ sunt, unde facultas regi Edouardo data est ulciscendæ cædis Henrici patruelis, id quod cum primis cupiebat. Porrò Martinus Ro. pontifex, impulsu Caroli Siciliæ regis execratus est Ioannẽ Palæologum Imperatorẽ Grẽcũ, quòd Christianã remp. perturbaret. Quo ille probro affectus cum Petro Arragoniæ rege fœdus iũxit, qui Siciliæ regnũ repetebat sibi debitũ iure dotis Cõstantię uxoris Manfredi filiæ, quẽ Carolus pariter uita ut regno expulerat, eiq; spopondit suũ studium, consiliũ, gratiã, opes ad res paratas fore. Petrus noua fultus amicitia, cũ Ioanne Parochita homine inter Siculos autoritate, uirtute, nobilitate summo agit, ut uno momento per Siculos facto impetu, omnes Galli contrucidentur, quorum superbiam illa gens amplius tolerare nõ posset. Ipse uerò interim populato in Africa Hipponensi agro, cum ingenti classe in Sardiniam proficiscitur, expectaturus illic rei euentũ. Non multò pòst Siculis statuto die, circiter uesperũ, Gallos omnes ad unum interficiunt. Vnde adagiũ, Vesper Siculus, quod hodie circunfertur, cùm significatur subitam cædem esse factam. Carolus audita Siculorum defectione, cum magnis copijs in insulam transit, ac Massanã urbem obsidet. Aragonensis itidem rex, ubi audit id esse actũ, quod expectabat, in Siciliam contendit, eamq; ingressus rex ab omnibus consalutatur. Qua animorũ inclinatione perterritus Carolus in Italiã redit præstolaturus auxilium, quod ex Gallia arcessiuerat. Interim reges mutuo iurgio per nuntios & literas se lacessentes, ad singulare certamen uterq; alterum prouocat, ut una pugna de uita & regno dimicetur. locũ ex consensu Edouardi, Burdegalam dicunt, quò cum centum lectis equitibus eant: sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

pontifex interceſsit certamini. Tum Petrus claſſem ductu Rogerij Loriæ uiri fortiſsimi, Neapolim mittit, qui facto prælio cum Carolo regis Caroli filio, uictor euadit, iuuenemq; captum ac protinus uinculis mandatum in Hiſpaniam mittit. Pontifex dolens Caroli caſum, Petrum impium denuntiat. Adfuit paulò pòſt Carolus rex, & cõfirmatis Neapolitanorũ animis, in Africam traiecit, ubi demum moritur. Philippus inter hæc Francorũ rex Gerundam Aragoniæ urbem obſidet, cui Petrus obuiam factus uulnus pugnando accipit, ac breui uita excedit. Francus quoq; Gerunda potitus, febre abſumit. Neque eſt tamen funeſtũ bellum per hæc trium regum funera finitum, ſed ad ſuc ceſſores multò acrius delatum. Filij enim Petri Ferdinandus Aragoniæ, & Iacobus Siciliæ à patre reges cõſtituti, enixè ſuum negotiũ gerebãt, cùm Rogerius Francorũ claſſem, quæ ex Narbonenſi Gallia ueniebat, & in oram Hetruriæ delata Guidonem Montiſortenſem Anguillariæ comitẽ ſociũ belli ſuſceperat, cepit: & Robertus Atrebas in Italia procurator Caroli iunioris, Catinã Siciliæ urbem occupauit. Secundũ hęc, partim iuſſu Nicolai pontificis Rom. qui Martino ſecundo loco ſucceſsit, partim autoritate regis Edouardi, ad pactionẽ coagmentandã his cõditionibus uenitur, ut Carolus è uinculis dimitteretur, qui ſua impenſa Iacobũ Petri filiũ, regem Siciliæ cõſtitueret, & niſi id intra trienniũ feciſſet, in carcerẽ rurſus rediturũ ſe pollicitus eſt, datis nomine obſidũ in Iacobi poteſtatẽ duobus filijs Roberto & Ludouico florẽtibus ac illuſtribus adoleſcentibus. Rogerius item Loria, nobiles Francos in Gallica claſſe captos à ſuis redemptos dimiſit: Guidonẽ uerò comitem Anguillariæ, qui, ut diximus, paucis antè annis, Viterbij Henricũ Edouardi patruelem occiderat, nullis neq; precibus neq; pretio adduci potuit, ut miſſum faceret, ſed, ut ab Anglo gratiã iniret, in cuſtodia retinuit, ubi enectus eſt. Ac ita Guido pœnas paricidij Edouardo dedit, & tandem aliquando aras quas innocentiſsimo ſanguine polluerat, morte merita expiauit. Nunc ad rem redeo.

Edouardus rex facta pace, cuius rei cauſa, annales Anglici tradũt cũ in Aragoniã iuiſſe, quòd ei cum utroq; rege affinitas intercederet, in Angliã incolumis redijt, cùm Philippus cognomento Pulcher, mortuo Philippo patre in Hiſpania, ut oſtendimus, rex Francorũ factus eſt. Interea Vualli quietis præſentisq; fortunæ faſtidio affecti, ac nihil eſſe, quod libertatis cauſa pertimeſcẽdum ſit, arbitrantes, Rheſum Amereducũ ſummæ hominem audaciæ, qui ex Leolini genere originẽ ducebat, ſibi principẽ cõſtituunt. Is cõuocatis ſuis cõcurrũt: deinde in agris habet delectũ egentiũ ac perditorũ, & coacta nõ modica manu, quoſcunq; obuios habet, incitat, ſolicitat, hortatur, cõmemorat multa, quamobrẽ debeãt Anglico iugo à ceruicib. depulſo, ſe in libertatẽ uindicãti cauſa, arma maturè capere. Ita magnis paratis copijs, Anglos adoriũ, præſidia ex oppidis ac arcibus minus munitis aut expellit, uel perimit, adeò ut uideret nullo ferè labore, Anglos omnes deleturus, ac prouinciã adepturus, niſi Robertus præfectus & celeritate & maturo cõſilio uſus fuiſſet: ille enim cùm animaduerteret aduerſariorũ copias in dies magis magisq; augeri, ac propterea nõ expedire, ſi ſe uno in loco cõtineret cũ exercitu, quoad interim nouos pararet milites, aut loca magis muniret, omnis periculi immemor, relictis ſine præſidio locis, milites Anglos in unũ coëgit, quadratoq; agmine in aduerſarios contendit

contendit ad oppidũ Aberkenuenã, ad quam ſe hoſtes congregarãt. Amereducus ubi cognouit Anglos qui multo militũ numero inferiores erãt, aduentare, iam nõ expectanda auxilia, ſed pugnã eodem ueſtigio cõmittendam ſtatuens, miro affectus gaudio, inquit ſuis militibus: Iam uidetis hoſtes noſtros, quibus & uirib. & numero longè præſtamus, in manus noſtras temerè uenire: quod porrò diuinitus factũ auguror, ut uidelicet ulciſcamur mortẽ Leolini principis noſtri & aliorũ, quos gens perfida nulla ſeruata belli lege, crudeliter necauit. Quàm uerebar ne Robertus præfectus uir aliàs cautus, tandiu ſe aliquo loco munito cõtineret, dum ab Edouardo ſubſidiũ mitteretur? Sed ecce nunc in gladios noſtros ſe cũ ſuis præcipitẽ agit. Igit̃ magno animo iam parate arma, hoſtemq; acriter inuadite ad prædam & gloriã properãtes. Hęc ubi ille dixit, in Anglũ appropinquantẽ pro ſe quiſq; irrũpit, nulloq; ſeruato ordine, ut gregarij milites facere ſolent, à fronte, à tergo, à laterib. urget. Pugnat̃ acriter, & quò Vualli magis inſtãt, hoc Anglica acies fortius inhęrẽs reſiſtit, quę ad extremũ uidens hoſtẽ defatigatũ, facto impetu, in mediũ ſe immittit. Vuallus præter ſpẽ repulſus, nec fugere, nec reſiſtere auſus paſsim cadit. Amereducus capit̃, reliqui ferè omnes interficiunt̃. Numerus deſideratorũ fuit circiter millia quatuor. Atq; ita Vualli meritas defectiõis pœnas pepẽderunt. Ipſe aũt Amereducus Eboracũ perductus, ibi de regij ſenatus ſentẽtia, ſecuri percutit̃. Affecit ea uictoria incredibili lętitia Edouardũ, qui anteq̃ iſta acciderẽt, cùm iter haberet Burdegalã, anno cũ regnare cœpit XIII, ad Vueſtmonaſteriũ conuentũ principũ fecit. In eo cõuentu, leges populo datæ ſunt, ex quib. ius multiplex manauit, ad ſummũ reip. cõmodũ. Itẽ & de regni ſtatu prouiſum eſt. Quibus cõſtitutis rebus, rex, uti diximus, in Gallias ſe cõtulit, qui totũ ferè trienniũ in Aquitania moratus, per eoſdem dies in Angliã redierat: qui fuit annus cùm ille regnare cœperat XVI, & humanæ ſalutis MCCXC.

Anno deinde qui inſecutus eſt, cõcilium Londini ad Vueſtmonaſterium habetur, in quo in primis agitata eſt eiectio Iudæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo, quo ſic oues ab hœdis ſegregarentur. Itaq; publico edicto iuſſum eſt, ut intra paucos dies, omnes abirent cum bonis. Illi iuſsis cõcilij parẽtes, alij aliò diſceſſerũt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exiuit miſera ſemper aliquò terrarũ petitura, uſq; eò dum deniq; deleatur, cuius occaſus minus doloris reliquis mortalibus inuret, ſi modò ſuas literas ſuperſtites reliquerit, ſine quibus, haud ſcio quomodo noſtris ſacris bene præcautũ fuerit in poſterum tempus. Eodem in cõcilio Edouardus expoſuit ſe cupere auxiliũ ferre noſtris in Aſiã, & quia res ad religionẽ pertinebat, placuit ut ſacerdotes pecuniã ſuppeditarent, quã prę manu dederunt. Atqui ille poſt acceptam pecuniam facilè deſtinato bello res domeſticas præuertit. Poſtremò placuit regi ſimiliter atq; principibus cauere in iure, quò perpetuaretur id, quod ſancitũ iampridẽ fuerat in Magna charta, cap. xxxvi. de qua proximo libro memini, id eſt, ut nemini homini liceret dare prædia collegijs monachorũ: nam additũ eſt, ut non liceret etiã monachis, aut alijs ſacerdotibus emere poſſeſsiones, quò ne poſſeſsiones eiuſmodi cœnobiorũ aliorúmue ſacerdotiorũ dotes fierent. Et legem hanc ad Manumortuã uocarunt, q̃ res ſemel datæ collegijs ſacerdotũ, nõ utiq; rurſus uenderentur uelut mortuæ, hoc eſt, uſui aliorũ mortaliũ in perpetuũ adempt̃ eſſent. Lex diligenter ſeruatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic,ut nihil possessionū ordini sacerdotali à quoquā detur,nisi regis permissu.

Illo ipso anno obijt mortem Alexander rex Scotiæ, uir singularis uirtutis, qui inter cursum,unà cum equo in terrā fortè corruit,ac repentè fracta ceruice interijt: qui nullum reliquit filium superstitē,id quod breui pòst tempore tam Scotis ipsis,quàm Anglis multarum cùm simultatum,tum cædium causa fuit.Habuit Alexander in matrimonio Margaritam filiam Henrici,ut in illius uita suprà demonstraui,ex qua suscepit filium Alexandrum nomine,& filiam quam ex nomine matris appellauit Margaritam. Alexander ante patrē excessit è uita,Margarita uerò regi Noruegię nupsit.Deinde Margarita regina mortua,Alexander rex posteritati cōsulendi causa,in matrimonium duxit filiam Guidonis comitis Flandriæ, ex qua nihil liberorum suscepit, atq; extremum familiæ fatum,nullo potuit consilio auertere. Ex filia autem illius, quam diximus regi Noruegiæ locatā fuisse, nata est filia Margarita, quæ antequam esset matura uiro,decessit,in qua genus Alexandri regis defecit. Igitur Scoti mortuo Alexandro,ualde anxij quem sibi regem optarēt,& timentes ne dum de re tanta inter se consultarent ad uim nō ueniretur, ad Edouardum legatos miserunt,qui rogarent,ut per eum sibi liceret,ex sententia principem dicere.Audiuit Edouardus libenter legatos, pollicitusq; est non modò se non impediturum,uerumetiam quantū in se esset, operam daturum,ut in creando rege,nulla uis esset.Quo accepto responso legati abierunt in Scotiam,legationemq; diligenter renunciarunt.Fuerunt optimatibus Scotis grata,quæ ab Anglo rege per legatos acceperant, & quia factis more maiorū populi comitijs, iam disceptari inter eos cœptum erat, de communi cōsilio missis rursum legatis,Edouardo noui regis cōstituendi potestatē dederunt.Rex cognito Scotorū studio conciliū aduocauit, agitaturus de re maturè cū suis, antequā legatis respōsum daret:cùm interea in Scotia maxima de regno decertatio erat,inter Ioannem Baliolum,Robertum Brusium, & Ioannem Hastyngium: ij enim ex stirpe Dauid fratris Gulielmi regis olim Scotiæ genus trahebant,quia tris Dauid filiæ in familias eorum nuptæ fuerant. Atqueita Scoti principes diuisi, alij Ioanni Baliolo,qui à maiore natu filia Dauid originem ducebat,alij autem Roberto Brusio, qui ex altera generis originē iactabat,fauebant. Ioanni Hastyngio pauci admodū suffragabantur,quòd ad tertiam & iuniorem sororem genus tantummodo referret. Cæterùm, ut ordiar ab initio,ipsius Dauid generis seriem breuiter ponam. Enimuero Dauid ex Mathilde uxore filia Ranulphi comitis Cestriæ, sustulit Ioannem filium, qui sine liberis mortuus est: & filias quatuor, Margaritā, Mathildem, Isabellam, & Aldā.Margarita prima filia nupsit Alano Galuidiano,is ex ea creauit duas filias,quarum altera maior natu nomine Dernogilla, locatur Ioanni Baliolo, quæ ex eo genuit illum Ioannem Baliolum, qui primus extitit regni Scotiæ competitor.Mathildis altera filia innupta occidit. Tertia Isabella nupsit Roberto Brusio, qui suscepit ab ea Robertum filium patrē Roberti alterius regni competitoris.Quarta Alda in matrimoniū ducta est ab Henrico Hastyngio, qui ex ea genuit Ioannē filium patrem tertij regni cōpetitoris.Hinc tametsi satis licebat colligere,cui ueniret hæreditas,attamen res in dubio uersabatur,quia ita natura comparatū est,ut unusquisq; regnum sibi optet,summęq; ducat gloriæ alijs imperare.Sed unde aberrauit,iam redeat oratio.Rex Edouardus

uardus postquā in concilio cū suis principibus de re Scotica agitauerat,oratoribus respondit, se perinde populi Scotici ac Angli libertatē, rempublicā, suo studio,cōsilio,patrocinio conseruaturū:sed cùm interregnū esset,& olim Scoti reges fidē sæpissimè eius maioribus obligassent, uelle speciatim à Scotis principibus cōceptis uerbis iusiurandū sibi dari,ut Scotiæ terræ domino, atq; cunctas regni arces in suam potestatē tradi,ac tum demum daturum operam regi creando.Legati accepto responso,mandata Edouardi ad principes fedulò detulerūt,quibus etsi petitio uisa est nedum aspera, at parum iusta, ut Anglos non se arbitrū regis creandi, sed dominum Scotiæ præberet,attamē quia inter se iam dissidebant, morem regi gesserunt. Quo facto, Edouardus Eboracū proficiscitur, eoq; nō multò pòst optimates Scoti ueniūt. Hìc pòst longam disputationem,ex arbitratu regis octoginta eliguntur uiri ætate graues & sapientia longè excellentissimi,& in ijs triginta Angli, quibus facultas datur renuntiandi regis.Ii posteaquā rectè cognouerunt,cui regnum Scotiæ iure deberetur,Ioannē Baliolum una uoce regem dicunt. Comprobauit eorum sententiā Edouardus,ipsiq; Ioanni regni Scotiæ possessionem sua autoritate cōfirmauit.Ioannes per hunc modum rex factus,primū omnium in uerba Edouardi iurat,dein in Scotiam reuersus,eo ipso die qui diuo Andreæ sacer est,& apud eam gentem maximè celebris, magno cum totius populi gaudio corona honestatur. Is ut plus fauoris sibi conciliaret ab Anglis,egregias Oxonij ædificauit ædes, eoq; loci collegiū discipulorū instituit & illud possessionibus locupletauit,ac ab se,Baliolense collegiū nominauit. Veruntamē Ioannes rex haud diu cū Anglo in gratia fuit,utpote quæ fucosa erat,sed maiorum institutū secutus,primo quoq; tempore Francorum amicitiā complexus,paulatim se ab ipso Anglo alienauit,ut infrà appositè demonstrabitur.

Aderat dum hæc agebantur,iam annus ab eo, quo regnare cœperat Edouardus, XIX, & salutis humanæ M CCXCIII, cùm Ioannes Cantuariensis antistes,post annū quàm sedere cœperat decimū & tertiū,moritur:cui succesit Robertus Vynselseius, ordine antistitum octauus & quadragesimus : & rex tres filias nuptui dedit,nanq; primam Aleonorā Henrico siue Erico, utrunq; scriptum reperio, Barri duci locauit, alteram Margaritam Ioanni Brabantiæ duci,& Ioannam tertiam Gilberto Glocestriæ comiti. Ac ita Edouardus tris magnos ac potentes uiros affinitate sibi deuinxit,quæ postea ei magno sæpe usui fuit. Hocitidem anno initiū magni belli inter Anglū & Francū factū est: Edouardus enim causa tuēdæ Aquitaniæ oræ, sex naues instructas Burdegalam miserat:duæ ex illis secundū Normaniæ litus delatæ,nihil hostile timentes à Normanica classe capiunt, atq; bona pars nautarū crudeliter suspendio necatur.Qua re comperta,Robertus Tiptostus prefectus classis collecto magno nauiū numero,in Normanos cursum uertit, præmittitq; speculatoria nauigia,& cùm nullas in mari obuias haberet naues,urgente ira,Sequanę ostiū subita ui adortus diripit hostiliter,ac multis ex nautis interfectis,sex inde naues abducit,atq; parū in altū delatus dum stat in anchoris, ut Francū ad nauale certamen prouocet (nam Angli præterquam quòd numero ac robore nauium ualebant, cum eo hoste sciebant sibi rem esse, quē ob uiolatum fœdus sperabant à Deo opt.max.punitum iri) ecce tibi,aliquot Normanorū naues uino onustæ ex Vasconia redeuntes apparent. Tum Robertus facto in eas

Universidad de Deusto
Biblioteca

impetu,facilè capit,tertiaq; propè nautarũ parte occisa,in Angliã mittit.Fran
cus interim acceptã in portu cladem ulturus,classem studio parat, quam ubi
milite ac cæteris quæ ad usum nauium pertinerent, instruxerat,in altum non
longè ab Anglica classe,eduxit.Inter hæc,nuntij ultrò citroq; cõmeabant,al-
teris pœnas uiolatæ fidei,alteris bona amissa repetentibus:& iam,quia iniuſ-
su utriusq; regis, primus ille tumultus inter Anglos & Normanos temerè or
tus erat,ac eo minus offensi animi facilè ad pacem redintegrandã inclinaban-
tur,cùm Carolus Valesij comes Philippi regis frater,uir acris ingenij ulciscen
di cupidus,fratrẽ ad uindicandum iniuriam compulit. Atq; ita ad arma itum
est.Igitur classis Gallica pugnãdi studio in Anglos cursum flectit,qui nequa-
quam certamen retardantes pugnam acriter capessunt. Fuit ab initio anceps
certamen,cædesq; multò deterrima,qualem in tam ualidarum classium con-
cursu esse oportuit,estq; ea dimicatio aliquandiu extracta, demum fusa disie-
ctaq; est Francorum classis. Amissarum nauium numerum,neq; annales neq;
scriptores quos sequimur,ponunt,omnes tamẽ ingentem plagam acceptam
scribunt.Philippus de re male gesta certior factus,pergrauiter cõmotus,pri-
mò specie iuris seruandi,Edouardo ut suo ob possessionem Aquitanię ac co
mitatus Pontiui beneficiario diem dici iubet: deinde quia certò sciebat futu-
rum, ut Anglus minus compareret, quippe cui nequaquã tutum esset Lute-
tiam ire,quò per iudices uocatus erat,exercitũ parat.Edouardus interim mit
tit Edmundum fratrẽ Lutetiam suæ causę actorem coram iudicibus. Verùm
iudices qui magis nodũ in scirpo,ut dicitur,quàm de cognitione causæ quæ-
rebant,Edmundi rationes pro fratre respondentis minimè admittẽtes,Edo-
uardum contumacem,id est,superbum minimeq; magistratuum edictis obe
dientem declarant,atq; omne Aquitaniæ ius amisisse decernunt. Quibus re-
bus actis,Francus secretos præmittit nuntios Burdegalam, qui ciuitatẽ soli-
citent,& eos subsequi iubet Arnulphum Nellam magistrũ equitũ,cum bene
magno exercitu.Is ubi eò peruenit, Burdegalam ad defectionẽ iam paratã ca
pit,ac exin populos finitimos,partim principis Aquitaniæ ciuitatis exemplũ
secutos,partim largitionibus adductos in potestatẽ redigit. At Angli cogni-
ta populorũ alienatione quæ ex improuiso,perincõmodeq; acciderat,ad op-
pida maritima subitò se recipiunt,sed Rionem in primis cõfugiunt,quod op
pidum celeriter muniunt. Post amissam bonã Aquitaniæ partẽ, Edouardus
habito pro magnitudine periculi celeriter ad Vuestmonasteriũ principum
concilio,ingentẽ pecuniæ summã à populo ad bellum gerendum cõtra Fran
cum decretã exigit,atq; deinde magnũ exercitum parat,seq; ad iter expedit.

Dum hæc geruntur ab Edouardo, Vualli sine fine tempus atq; occasionẽ
nouitatis quærunt,qui audita Aquitanorũ defectione,rati illud esse idoneũ,
cùm liceret per regẽ tempore exclusum, petere ab eodem pœnas sui doloris,
quem eius seueritas cuiq; iampridem iniusissset,subitò in Anglos qui regio-
nem tenebant, insurgunt, passimq; trucidant. Angli repentina fortuna per-
moti,arma quæ possunt arripiunt,alij ex arcibus sese eijciunt, fit in hostes im
petus eorum, sed confluentibus ad clamorem undiq; agrestibus Vuallis,ad
arces redire coguntur. Quo uiso, Robertus præfectus ad Edouardum nun-
tios mittit, qui ordine omnia significent, petantq; subsidium. Rex cognita re ualde permotus, duplici cura afficitur: ardebat enim ire in Gallias recuperatum

ratum amissa,& in præsentia orta seditione domi,timebat ne hoc malum gra
uius serperet,si ipsi abesset,ita ut eiusmodi solicitudinum aculeis agitatus,ali-
quantũ fuerit anceps dubiusq; animi quid faceret:demũ de sui domestici sena
tus cõsilio,decreuit sibi domesticæ pesti obuiã eundum, ac duces mittendos
in Aquitaniã, qui suis opem ferrent. Itaq; Ioannem Britannũ uirum consilij
magni & uirtutis, cũ electa militũ manu, & Robertũ Tiptostum classis præ-
fectum cum magno nauium numero in Aquitaniã mittit,ipse uerò in Vual-
los contendit,ac primo accessu subigit. At alter exercitus ubi in Galliam per-
uenit,tantũ terroris Franco iniecit,ut præcipiti fuga alij aliò se proripuerint,
in locaq; munitiora receperint: sunt tamen multi in fuga capti, aut interfecti.
Angli pulso hoste,aliquot oppida ui occupant,sed malè utentes uictoria sine
ordine prædandi studio, sese per agros temerè effundunt, id quod eis malo
fuit:nam Carolus à Philippo fratre cum ualido armatorũ exercitu missus de-
repentè peruenit,uagantesq; incautè Anglos præda exuit, partem etiam oc-
cidit.Quæ superfuit cædi trepida multitudo ad loca maritima aut ad classem
cõpulsa est.Duces exercitus, Ioannes qui ex Fano Ioannis erat, & alter Ioan-
nes,postquã militem dissipatum è cursu collegerant,duas cohortes miserunt
Ponteseium,quæ oppidum tuerentur:item totidem ad Fanum Seueræ,ut lo
cum præsidio firmarent, ipsi uerò Rionem profecti munitiones facere insti-
tuunt.Quod ubi Carolus cognouit,ne spatiũ sit hostibus maiores uires com
parandi, dat Arnulpho Nellæ, cuius ductu antea Burdegala potiti erant,ne-
gotiũ Ponteseij oppugnandi, ipse uerò Rionem cõtendit,quò ubi peruenit,
cingit cõsestim locũ obsidione,oppugnatq; hostiliter. Cõtrà Angli cum Va
sconibus se acriter defendunt,forasq; erumpũt:sed pauci,ut fit,facilè à multi-
tudine reprimuntur.Dum ad Rionẽ ita pugnatur,Arnulphus Ponteseiũ ex-
pugnat,cõfectoq; felicissimè negotio, ad Carolum uenit, cũ eoq; copias con-
iungit,ac in oppugnationẽ Rionensem ambo totis uiribus incumbunt. His
cognitis rebus, Angli cum Vasconibus licet terrore perculsi, resistunt tamẽ,
pariq; fiducia ubiq; hostiũ conatibus se opponũt, identidẽ tela & saxa in eos
iacientes: uerũ ad ultimum cùm uiderent se non posse amplius locũ tueri,nec
spes ulla foret subsidij habendi,de media nocte egressi,ad naues confugiunt,
quod tamen nõ tutò omnes tentarũt:nam hostes cognita Anglorũ fuga,iter
præcludunt,atq; aliquot primò fugientes assecuti interficiunt.Sed ij numero
pauci fuerunt,quia reliqui omnes ubi cognouerãt Francũ intercluisse uiam,
ad naues ex necessitate facientes uirtutem,usq; eò restiterunt,dum pugnãdo
in hostiũ potestatẽ expugnato oppido uenerint.Franci uictoriã non cruentã
adepti,nobiles Anglos captos seruant, reliquis tam Anglis quàm Vascoui-
bus necatis.Carolus postquã Rionem cepit,obsessum pergit Fanum Seuerę
oppidum munitissimũ, quo post menses tris, quàm circunsederat,per dedi-
tionẽ ab oppidanis fame coactis,incolumitate pacta,factã,potitus est,ac istis
rebus prosperè confectis,ad Philippum fratrẽ uictor rediit. Angli qui de eo
exercitu,& ex his cladibus superfuerant,duces suos duos Ioannes,quos qui-
dam falso scribunt in istiusmodi tumultibus periisse, secuti, Baionam profici-
scuntur,seq; intra muros continent. Hęc olim Tarbellorũ urbs fuisse dicitur.

Edouardus nuntio allato de re trãsmarina male gesta,ualde permotus,pri
mò Adulphum regem Germaniæ in societatem belli gerendi contra Fran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum magna pecunia ducit, cum eoq; fœdus facit: deinde suis subsidio in Aquitaniam mittit Hugonem Verium Oxonij comitem, qui primo accessu Fanū Seueræ recipit. Erat per hæc bella continua, iam uacuum ærarium regium, quod malum Gulielmus Marchianus quæstor unus omniū alieno detrimento sanandum statuit. Is enim nouerat cùm in cœnobijs, tum in templis pecunias esse depositas, quas si iuberet tolli, non utiq; se scelus, sed operæpretium facturū ducebat, si pecunia promeretur foras, ad usum populi, perinde quasi omnia essent communia, quò sic pecuniam militi suppeditaret, præsentemq; curaret. Itaq; præfecti militum quibus ille sacrilegij patrandi negotium dederat, dispositis passim per regnum militibus, uno tempore quicquid pecuniarum in locis sacris reconditum fuerat, omnibus uestigijs indagatum ad Edouardum afferunt, gemente passim populo, quòd princeps non putaret manū abstinendam à pecunijs, quibus sacræ ædes reficiendæ essent. Rex autem pecuniæ egens rem dissimulauit, ac nequaquā ea præda contentus, habito non multò pòst concilio, postquam inuidiæ declinandæ causa, excusauerat illud sui quæstoris factum, bene multis uerbis significauit, quàm infiniti sumptus in nouum exercitū impendêrent, quàm graue immineret bellum, & quę pericula pro Repub. sibi atq; prophanis principibus quotidie subeunda forēt, & quia idem per religionē facere nō liceret sacerdotibus, ideo eos debere pecunia iuuare milites, qui per hæc argumenta, illis dimidiam partē omniū uectigaliū sacerdotiorū unius anni imperandam curauit: sed ut post tot imposita onera uideretur in parte aliqua, uelle patribus gratum facere, pollicitus est se concessurū aliquid, si modò peterent, quod ex usu ordinis sacerdotalis esset. Episcopi capto inter se consilio, postularunt, ut legē ad Manumortuā, quam suo ordini ualde nocere perspexerant, antiquaret. At rex cui nihil alienius erat, quàm in ea re episcopis satisfacere, ad id respondit, sibi nequaquā in manu esse legem tollere, sine cōsensu patrum, quorū consilio constituta esset, & eo bellissimo responso, pontifices contentos uoluit. Dum Edouardus ita ex sacerdotum opibus suas auget, Vualli deficiunt, sibiq; duces belli gerendi Mardocum & Morganum homines ad seditionē expeditos, paratosq; constituunt. Ii comparata magna militum manu, Anglos passim persequuntur, locaq; aliquot capiunt, multis interfectis, sine ullo discrimine sexus aut ætatis. Misit rex Edmundum fratrem cum non mediocri militū numero, qui ut in Vualliam peruenit, prælio temerè cum hostibus cōmisso, profligatus est: nimirū pecunia sacrilegio quæsita exitio fuit exercitui, qua in primis ille conductus fuerat. Vbi nuntiatū est Edmundum ab Vuallis fugatum fuisse, Edouardus nouo coacto exercitu, eò celeriter contendit, qui neutiquā paruo negotio ad extremum prouinciam pacatam reddidit, capto per proditionem Morgano altero ducū, quem non necandum constituit, sed lenitate usus tam tùm subcontumelioſe tractatū missum fecit. Est laboratum eo anno, quo hęc gesta sunt, fame tanta, ut passim præ inedia morerentur homines.

Agebatur iam annus XXI ab eo, quo Edouardus regnare cœperat, & humanæ salutis MCCXCV, cùm Thomā Turbiuillam paulò antè inter alios in expugnatione Rionis captum, uirum nunquam aliàs perfidum, cupiditas uitæ seruandę subegit honestum dedecorare nomen: enimuero is ut in libertatem se uindicaret, promisit Philippo regi, si in Angliā sibi redire liceret, ita se apud

apud Edouardum acturū, ut prefectus classis fieret, & id muneris consecutū, cōtinuò eam classem in eius potestatē traditurum. Placuit Philippo consiliū, ac cōposito dolo, Thomā dimisit, acceptis duobus eius filijs obsidibus. Thomas libertate donatus in cœlo sibi esse uidetur, ac nihil cunctatus in Angliā uenit, & quia uir singularis uirtutis erat, accipit benignè à rege, qui memor fraudis paucis interiectis diebus, per amicos egit, uti præfectus classis fieret, quod rex facere pernegauit, ueritus ne non desideriū filiorum, Thomā sollicitaret ad perfidiam. Francus interim paratā classem in altum educit, sublatisq; uelis in Angliam cursum tenet, ut causa sit, quamobrem Anglus citius suam classem emittat. Expectat ea classis aliquot dies in anchoris, præter oram maritimam, aduentum Thomæ, qui cùm ad dictum diem nō comparuisset, una nauis prope litus accedit, exponitq; in terram nōnullos regionis peritos, qui causam huiusce morę explorent. Ii ab Anglis fortè capti, cùm interrogati conuenientia nō responderent, subitò necantur. Quamobrem incensus ira præfectus, recto cursu cum omnibus nauibus Douerum petit, expositaq; copiarum parte in litus, oppidum diripit. Oppidani subito terrore perculsi longè fugiētes alios quaquauersum ad arma capienda cōcitant, adeò ut magna multitudo in unum collecta sit, quæ ad uesperum Douerum uersus proficiscitur, ac Frācos prædandi causa per agros euagantes inuadit, passimq; cædit. Præfectus classis Gallicæ, qui toto eo die ad dispoliandū oppidum intentus fuerat, audito clamore suorū ad litus concurrentiū, statim ad naues cum ea præda, quam celerrimè potuit, se proripit. Igitur reliqui Frāci, qui per agros prædatum exiuerant, ac ad naues in tempore redire nequiuerant, omnes illo momento cæsi sunt, quorū numerus fuit paulò minus octingentis: ex Douerensibus pauci occidêre, quippe qui ex fuga mox reuersi hostem cum alijs fugarunt: sed mulierum atq; puerorum, quibus hostis non pepercit, ingens numerus interijt. Fuit etiam in eo tumultu monachus quidam, nomine Thomas uir longè innocentissimus interfectus, per quem deinceps, ut martyrē Deo acceptissimū, crebra miracula uisa ferunt. Dum ista geruntur, Thomas Turbiuilla punctus molestia ac cogitatione, quòd non potuisset proditionis scelus perficere, quod animo destinarat, aliud inde moliendum ratus, solicitat Ioannem regē Scotiæ, ut ab Anglo ad Philippum deficiat, atq; simul de excogitato facinore, ipsum Philippum regem certiorem facit, hortaturq;, ut exercitum in Scotiam mittat, ad bellum gerendum contra Anglum, quò per nouum negotium alibi exhibitum, ei non liceat Aquitanicis subuenire rebus. Sed neutrum processit. Porrò inter hæc, Thomas apud Edouardum proditionis insimulatur, qui conuictus pariter atq; damnatus, merita pœna Londini afficitur. Interea Bonifacius octauus Romanus pontifex cupidus sedandi discordias inter reges diu capitali odio altas, duos cardinales primò ad ipsum Philippum in Gallias, deinde ad Edouardum in Angliam mittit. Hi permulta de pace facienda diligenter agitantes, in medium adduxerunt, quamobrem uterque princeps concordiam debuisset amplecti: sed ad extremum cùm uiderent insedisse in animis principum, odium propulsare seu potius explere armis, infecto negotio Romam redierūt. Quo tempore rex Edmundum fratrem & Henricum comitem Lincolniensem cum electa iuuenum manu in Aquitaniam misit, qui Baionam profecti, ibi cum alijs Anglis hye-

Universidad de Deusto
Biblioteca

marent. Moritur eodem anno Gilbertus comes Gloceſtriæ, & Ioannes Romanus Eboracenſis antiſtes, cui Henricus eiuſdem collegij decanus, quem uocant, ſucceſsit.

Per idem tempus Carolus frater Philipi regis, deſpondit filiam Edouardo filio Ioannis Scotiæ regis. Quare fultus Scotus, cum Franco ſocietatem coit, fœdus icit, eaq; noua affinitate ac belli cõmunicatione ſuperbus effectus, iuſſu Philippi bellum aduerſus Anglum ſecretò comparare incipit. Atq; ita res magno in motu erat, quæ aut ſupra Scoti, aut Angli caput ſummũ periculum fore oſtendebat, Ioannem autem regem nihil aliud uicit, niſi patrię ſuæ amor: erat enim natione Gallus, & dominus Aricuriæ principatus in Normania nõ ultimi, quem poſtea Philippus Valeſius rex comitatum fecit. Ioannes igitur ea in primis de cauſa iuriſiurandi quod Anglo dederat immemor, non dubitauit ſe ad Philippum regem ſuum & amicum, ſecutus Scotorum regum inſtitutum, adiungere. In Aquitania ineunte uere, Edmũdus ſe ex Baiona mouet, ubi hybernauerat, ac in Burdegalenſem agrum proficiſcitur, poſitiſq; ſecundum urbem caſtris, Francis qui ibidem in præſidio erant, pugnandi poteſtatem quotidie facit. At Francus ubi uidit hoſtes temerè, prout ipſe putarat, ad muros accedere, paſsis repentè portis, erumpit, in eosq; præcipiti curſu ſeſe concitat. Angli ſimulantes fugam, longè à loco Francos ſequentes ducũt, pedetentimq; in inſidias quas antea loco idoneo collocarant, trahunt. Quo facto, conuerſi ſubitò eos paſsim cædunt, fugientesq; in urbem aſſecuti, omnes ferè in itinere obtruncant: amplius tria millia hominũ ceciderunt. Ciues receptis ex fuga aliquot ſuorũ intra muros, Anglis portas claudunt, qui ita à ciuibus repreſsi, primò uicos ſuburbanos diripiunt, deinde direptos incendunt. Poſt hæc, ex Burdegalenſibus nonnulli clàm cum Edmundo agitant, de tradenda urbe in eius poteſtatem: quæ tamen res nõ proceſsit, quippe illi in facinore deprehenſi, prius animaduerſione oppreſsi ſunt, quàm præſtarẽt, quod recepiſſent. Id ubi Edmundus cõperit, haud terendũ tempus ſtatuit, nõ enim machinas bellicas paratas habebat, quę ad oppugnationẽ urbis pertinebant: itaq; Baionam reuerſus eſt, ubi nõ multo pòſt morbo confectus interijt: qui reliquit filios tris, Thomam Lancaſtri comitẽ, Henricũ & Ioannem, quos ſuſtulerat ex Blancha, quæ olim nupta fuerat cum Henrico Campano rege Nauarræ, ex qua ille unicam filiam nomine Ioannã ſuſceperat, quam Philippus Pulcher in matrimoniũ duxit. Angli poſt Edmũdi obitũ, quãcelerrimè poſſunt, loca muniunt, cõmeatus undiq; cõparant, quò ſe tutius ab hoſte defendãt. Interim ſuperuenit Robertus comes Atrebas laturus auxilium Burdegalenſibus, qui cognita Edmũdi morte, in Anglos copias ducit, atq; ubiq; delitigat. Edouardus interea rebus ſuis haudquaq; indormiens, traxerat in ſocietatem belli aduerſus Francum, Guidonem comitem Flandriæ, & Henricũ ducem Barri, cui nõ multo antè Aleonoram filiam locauerat. Is Guido genitus ex Margarita quã Thomas, de quo ſuprà meminimus, in matrimonio habuit, & Gulielmo Dampetra natione Burgundione, ſucceſſerat paulo antè Gulielmo fratri ſine liberis mortuo. Itaq; uno tempore dux Campaniam, & comes loca quæ ad Flandriam pertinent, excurſionibus uexant. Quîs rebus cognitis, Philippus primo Gualterũ Creciacum cum magnis copijs ad oppugnandum Barrũ mittit, qui ita oppidũ opprimere cœpit, ut Henricum neceſſariò domum

domum redire coëgerit, deinde ipſe cum ingenti cùm peditum tum equitum numero, in Flandriam contendit, poſitiſq; caſtris prope Inſulam, non multò pòſt oppidum cum arce expugnat. Adfuit etiã ex Aquitania eodem tempore Carolus Philippi frater, cum magno militũ robore, cui Guido maximis copijs inſtructus, propè Furnas obuiã factus eſt. Hîc cõmittitur prælium, quod diu anceps fuit: ad ultimum ſuperante Franco, Guido Burgas confugit. Edouardus interim in Flandriã traiecit, qui cùm paulò antè comperiſſet Scotum ſentire cum Philippo rege, atq; nouum percuſsiſſe fœdus, ubi Gandauũ peruenit, ita egit, ut Francus qui iam & rerum fluctibus exagitatus, & tẽpore exclusus pacem quàm bellum malebat, ultrò de faciendis inducijs ſecum tracta rit, quæ in biennium inter eos pactæ ſunt.

Eo confecto negotio, rex Edouardus in Angliam redit, bellum parat, legatos in Scotiam mittit, qui Ioanni regi diem dicant, citentq;, ut cõpareat intra certum diem ad Nouumcaſtrum, dicturus iuriſiurandi uiolati cauſam, atq; doceant eum fruſtra ſperare poſſe ſe contrà quàm eſt euangelicũ uerbũ, Dominis ſimul inſeruire duobus: quoniam quantum à Franco gratiæ iniret, tantum odij acceſsionis ſibi ab Anglo faceret, cui morem gerere, idcirco putaret ſua cum primis intereſſe. Cum his mandatis profecti legati officium diligenter faciunt. Atqui tantũ abſuit, ut Scotus aliquid reſponderit, quod ad inimicitias extinguendas pertineret, ut etiã literas nõ multò pòſt querelæ plenas ad Edouardum miſerit. Inter hæc, Robertus Bruſius, qui arcem ad Tuedam amnem ſitam tenebat, quam dicunt Vuerke, ad Scotum tranſiuit. Qua re cognita Gulielmus eius frater qui in fide Anglorũ erat, arcis muniendæ cauſa, auxiliũ ab Edouardo petijt, qui centum milites eò miſit. Hos Robertus in itinere adortus, omnes ad unum interfecit. Rex allato eius rei nuntio, quantum doloris ob ſuorũ cædem accepit, tantum in his malis ſolatij habuit, quòd per id facinus, Scotus prior belli initium feciſſet: itaq; Eboracum pergit, ubi habito principũ cõcilio, primũ bellum Scoticũ decernitur, deinde à Scoto ut ingrato Huntyngtona comitatus recipitur, quẽ Henricus paulò antè Alexandro regi genero ſuo reſtituerat, quemadmodũ ſuperiore libro oſtendimus: poſtremò tributũ indicitur. Rex ita exactis à populo immanibus pecunijs, cũ quatuor millibus equitũ, ac triginta millibus peditũ, magnoq; numero auxiliariorum militum Vuallorum, Hybernorum, in Scotiam proficiſcitur: & quia id bellum putabat extractum iri, ideo ut ad omnes Scotorũ motus populus frequentior adeſſet, & principes præſtò eſſent, quos adhiberet ad conſilium, cùm de rebus agendis eſſet deliberandum, iuſsit cancellariũ, iudices, & ærarij præfectos ire Eboracum, ut ibi iuridicos conuentus ſuo more agerent, iudiciaq; exercerent. Scoti interim, ut uenientem hoſtem finibus prohibeant, in agrum Anglicum egreſsi, ac prædas ubiq; facientes, Carliolum obſident, atq; caſu inaudito ita ferente incendunt, facto intus incendio ab explo ratore Scoto, qui fortè captus in cuſtodia erat, auditoq; ſuorũ aduentu, & ſe neci & urbem igni dedit, quem poſtea uentus per omnes ferè uicos diffudit. Sed ubi Edouardum cum exercitu appropinquare ſentiunt, relicta ſubitò obſidione, intra ſuos fines ſe recipiunt. Rex cognita Scotorum fuga, Beruicum oppidum oppugnatum contendit, factiſq; propè caſtris, dat oppidanis unius diei ſpatium de deditione deliberanda. Ad id temporis punctum, per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uenit ad litus eius classis quatuor & uiginti nauiũ. Angli oriente sole, agmen regium conspicati, & certamen impendêre arbitrantes, quatuor naues prope terram ducũt, ac inde egressi, cum accolis pugnant, qui agrestiũ multitudine oppressi, ad unũ omnes interficiuntur. Quo facto agrestes ad naues in litore relictas concurrunt, atq; incendunt. Eo accepto incommodo rex permotus, propius oppidum accedit, quod oppidani incolumitate pacta, statim eitradunt: facit idem Gulielmus Douglas præfectus arcis. Edouardus uictoria usus, exin Doumbar castello, & Roxburgo oppido de Scoto capto, omnem regionem quæ quaquauersum ad Beruicum pertinet, in potestatem redegit, in quibus operibus totum ferè annum cõsumpsit, qui fuit XXIII cùm regnare cœpit, & humanæ salutis MCCXCVII.

Quo tempore finitis inducijs, bis pugnatũ est inter Francum & Flandrũ: primò Francus uicit, redacto in potestatem Guidone comite, cum Roberto & Hilermo filijs: deinde orta seditione, insignem cladem accepit. In Aquitania quoq; ad arma itum est. Nam cùm Franci Baionã obsidere tentarent, Angli partim qui intus erant egressi, partim qui alibi hyemabant, hostiũ aduentus fama permoti, illuc concurrentes, prælium cõfestim fecerunt. pugnatum est ad noctẽ, quæ prælio diremit: cædes utrinq; magna facta: numerus etiam captiuorum utrinq; penè par fuit. Ioannes unus exercitus dux in ea pugna captus est. Alter uerò Henricus Lincolnienſis comes, ab initio fugit, id quod paratam uictoriã interpellauit. Post prælium Robertus Atrebas Aquitaniæ præfectus, Burdegalam hyematum iuit, cum suis Gallicis copijs, & Ioannes Britannus tertius Anglorum dux exercium omnem Baionam in hyberna reduxit. & quia interea inducię inter Edouardum & Philippum renouatę sunt, bona pars eius exercitus post tempus hybernorum in Angliam redijt. At reges post factas inducias, captiuos etiam permutarũt. Edouardus posteaquã omnia Scotorum bona quæ in Anglia erant publicauit, & oppida quę deho ste ceperat, præsidio firmauit, Eboracum reuertitur, eatenus illic mansurus, quoad Scotum ad pugnam eliciat. Cuius rei non fefellit eum sua opinio: nam Scoti cognito regis Edouardi discessu, statim per finitimorum agros, excursionibus repentinis uastas solitudines faciunt, eoq; cupiditas prædandi euadit, ut Northumbriam ingressi longè lateq; omnia populentur. Id motus ubi ad Edouardum perlatũ est, confestim Ioannem qui paulò antè in permutatione captiuorũ, à Franco inter alios dimissus fuerat, cum robore fortissimæ iuuentutis obuiam hostibus mittit. Scoti quamuis subitò circumuenti sint, nihil tamen pugnã extrahentes in certamen descendunt: pugnatur pauliſper utrinq; ferociter, ad extremũ Scoti trepidi terga uertunt, passimq; cęduntur. Ferunt eo die ad decem millia Scotorũ cecidisse, extra captiuos, quorũ bene magnus fuit numerus. Reliqui qui ex cæde euaserant, ægrè post multa accepta uulnera in Scotiã se receperunt. Edouardus ut uictoria adepta bene uteretur, & hostes tandem aliquando subigeret, delerétue, ipse paucis pòst diebus Scotiam ingressus, rectà Edinburgum terræ Scotię caput petijt, ductoq; repentè uallo, obsedit, quod post octo dies, quàm oppugnare cœperat, per deditionẽ recepit, concessa oppidanis incolumitate. Quo prosperè confecto negotio, ad Fanũ Ioannis, quod & Perthũ ueteri nomine dicitur, oppidum ad Tai fluminis ripam positum, mœnibusq; egregiè munitum aduolat, atq; capit:

capit: qui dum hîc moratur, quotidie equites quaquauersum mittit, simul ut cognoscat si hostes uspiam sint, contraq; ueniant, simul territandi causa, cùm interim rex Scotię Ioannes spe uictoriæ iam desperata, nuntios ad eum de pace misit. Edouardus postquã perbenignè audiuerat nuntios, respõdit se nullo pacto esse daturũ pacem hosti iam uicto, sed uitã pro sua humanitate concessurũ, si modò Ioannes rex confestim suę fidei se cõmitteret. Quod ubi Scotus accepit, mirum dictu est, quàm subitò fuit animo perculso, abiectoq;, partim quòd cùm miserrimũ, tum acerbissimum duceret, in illius potestatem se permittere, quẽ pro hoste haberet, partim quòd suã calamitatẽ cum Repub. coniunctã uideret: attamen iam omni spe retinendæ dignitatis orbatus, ut uitæ cõsuleret, minima de malis secutus, ut aiunt, hoc est, malens turpiter honore priuari, q̃ calamitose necari, Anglo sese necessariò tradidit. Edouardus per hunc modũ domito Ioãne, loca omnia præsidijs firmat, ac statim Beruicũ reuertitur, ubi habito principum concilio, statũ Scotię deintegro collocat, eiusq; prę fectũ facit Ioannẽ Varaniũ, cui Hugonem Chresyngamiũ, ac Ioannẽ Orneby adiungit, quò res nõ unius, sed multorũ consilio administrẽtur. Ista status collocatio tametsi æqua habita est, infiniti tamẽ mali causa fuit: nam siue quòd Angli se deinceps segniter gesserint, siue quòd Scoti libertati studentes ferre Anglorũ dominatũ non potuerint diu, est adeò paulatim odiũ adauctum, ut continuos ferè triginta annos, sicut carptim infrà perappositè dicemus, sit inter utrũq; populũ nõ sine magnis cædibus dimicatũ. Rex post hæc Scotos principes qui aderãt (aderant aũt ferè omnes) in sua uerba iurare iussit, atq; ita allocutus dicitur: Ego principes ut terræ Scotiæ populũ ab omni in posterũ iniuria prohibere, & sicut iam meo subleuare debeo, ita me obseruare, & iusiurãdi quo mihi uosmet modò obligastis, memoriã nulla de causa deponere uestrûm est, quod faciatis magnopere obsecro, atq; ita omnia à me in uos certò sperare potestis profectura, quę ad uestrũ cõmodũ, quę ad dignitatẽ, quæ ad honorẽ pertinebũt: quæ hercle spes uos fallet nunquã. His factis atq; dictis, cùm existimaret tutissimã fore Scotiam, Vuallos & Hybernos milites quibus in eo bello gerẽdo usus erat, bene meritos dimisit, ac paulò pòst Ioannem Scotiæ regem secum ducens, uictor in Angliam redijt.

Per idem tẽpus, Bonifacius octauus Ro. pontifex animaduertẽs principes Christianos auarè & percrebrò sine iusta causa, noua quotidie sacerdotiorũ fructib. imponere uectigalia, atq; sine fine arbitratu suo, decimã uigesimámue eorũ partẽ tributi nomine imperare, immunitati ordinis sibi consulendũ statuit: itaq; habito Lugduni cõcilio, interdixit, ne posthac principes sacerdotibus tributa imponerent, néue illi imposita conferrent iniussu Romani pontificis. Id prescriptũ extat in libro tertio libri sexti, De immunitate ecclesiarũ, capite tertio, quod tametsi non erat iniquũ, fuit tamẽ apud Anglos magnæ causa discordiæ. enimuero nõ multò pòst Edouardus in Angliã ex Scotia reuersus, concilio habuit Buriæ, ad cœnobiũ diui Edmundi, quo in cõcilio cùm indigeret, primũ populo, deinde sacerdotibus tributũ indicendũ curauit. Populus qui negare non poterat, pecuniã imperatam se soluturũ dixit: sacerdotes uerò responderũt, id sibi facere per pontificis Romani præscriptũ minus licere. Quo responso rex iracũdia permotus, bona sacerdotũ passim publicari uenireq; iussit, qui indictũ tributum pendere pernegassent. Quo factũ est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut bene multi quibus prę quiete, nihil satis cordi erat, tantū incōmodi diutius ferre nolentes, alij alio modo iniustā uexationē redemerint. Solus Robertus Cantuariensis antistes forti animo post multas acceptas iniurias, bonaq; omnia amissa, principis uoluntati resistebat, prædicabatq; palàm scitū illud apostolicū: Obedire oportet Deo magis, q̄ hominibus. At rex nihil sanctissimi pontificis aut cōstantia deterritus, aut salutarib. monitis flexus, in dies magis cūcto generatim populo succēsebat, & sacerdotes ut ingratos duriter premebat, & reliquis qui grauatè imperatā pecuniā soluerent, uno uel altero modo nocebat. Quibus rebus ita omniū animi incitati sunt, ut neq; in agris, neq; in urbibus silereē. Quid, q̄ nec iam ullus locus tale regnū ferre posse uidebatī? At optimates in primis inclamabāt, quorū capita extiterūt Humfredus Herefordensis, & Ricardus Northfolchiæ comites: hos enim rex cū iuberet in Aquitaniā cū nouo militū supplemento traijcere, ambo palàm sine eo se ituros negarunt, atq; his dictis, ut ne uis ulla inferreē, sese multitudine armatorū munierunt, amicorumq; gregibus stiparūt. Continuò cōplures alij qui iam aperte in regē alieno erant animo, istos secuti, ad tumultū faciendū parati erāt. At Edouardus nullū timoris signū dandū putās, rem dissimulat, atq; iter in Flandriam parat, rebus Guidonis comitis infirmissimis opem laturus: sed suspicās ne illi duo comites absente se, aliquid seditionis populi nomine, in regno nō excitent, néue multi alij eorū partes sequant̄, primò Robertū Cantuariensem archiepiscopū, deinde aliquot alios quos antea offenderat, in gratiā recipit, utq; ipsum antistitē curam regni administrandi suscipere, & ijs rebus ita constitutis, in Flandriā proficiscitur. Comites quib. populare nil tam erat, quàm populi cōmodum, post discessum regis, ut ne cōtrà, atq; ratio poscit, facere uideantur, nihil in principem armis tentāt, sed Londinū ueniunt, palàm dehortantur atq; uetant populum libertatis conseruandæ causa, tributū nuper impositum cōferre, quibus cupidissimè populus auscultat. Fuit ea res tanto regijs quæstorib. terrori, ut pecuniā à quoq̄ exigere deinceps minimè sint ausi.

Interim cùm Ioānes Varanius homo ætate iam cōfectus, Scotiā prouinciā negligēter obtineret, nō accuratè tueretē, & Angli reliqui omnia tuta fore existimantes idē facerēt, Scotos qui ad rem suā uigilabant, ad spem recuperandę libertatis erexerūt. Itaq; illi seruitutis uincula rumpere paratissimi, facta cōiuratione, ducē sibi cōstituunt Gulielmū Vallā hominē animi robore lōgè nobilissimū, sed genere & moribus nō itē. Is coacta in unū magna hominū multitudine, repentè Anglos ex inopinato aggrediť, incautè opprimit, uagantes passim toto cāpo obtrūcat. Angli subitę rei casu preterriti ad arces cōfugiūt, sed paucis ea fuga saluti fuit, cùm subitò circumuēti spatiū, fugiendi fuiq; colligēdi nō habuerint. Reliqui qui loca munita tenebāt, cognita Scotorū defectione, se ad resistendū parant, atq; simul per crebros nuntios à rege subsidiū petunt. Dum ita Scotus duce Valla furit, Robertus Brusius ratus tēpus idoneum potiēdi regni aduenisse, se cū ipso Valla copulat: exin ambo collectitiū exercitū augēt, ac iunctis armis, Anglos latè persequunt̄, cędunt, cōuulnerāt, cōprehendunt, acerbissimis supplicijs afficiūt, nulli neq; ætati, neq; sexui parcūt: quo facto, regressi arces passim oppugnāt, quarū aliquas minus munitas capiūt, & in ijs Deidonēsem, ac Brechinū: postea Aberdoniā obsessum eunt, & expugnāt. Erat id temporis cùm ista à Scoto gesta sunt, Edouardus rex in Flandria

Flādria, qui eò ierat, causa subleuandi res comitis Guidonis, quem, uti suprà docuimus, Carolus Philippi regis frater nō procul ab Odomari Fano, singulari prælio paulò antè uicerat. Hic ubi nuntiū de Scotorum defectione accepit, primò fidem nuntio nō habuit, deinde tamē cùm ad eum literę uolarent, ac idem nuntiaretur, iussit omnē exercitū quem in agro Eboracensi in hybernis habebat, duce Ioanne, qui ex Fano Ioannis erat, ire in Scotiam, seq; cum reliquis copijs quibus Ioānes Varanius præerat, coniungere. Ioannes acceptis regis literis, quia res celeritatem requirebat, confestim exercitum in Scotiam ducit, initoq; consilio cum altero duce, Scotum persequitur. Scoti per speculatores, cognito Anglorum aduentu, se in ualles deuias impeditasq; paludes abdunt, ut ita primum hostium impetum uitēt: qui ubi illos appropinquare sentiunt, uerbo quidem, per nuntios pacem cum delictorum uenia, perinde quasi de salute desperantes ab Anglo petunt, manus dant, obsides offerūt, reuerò insidias moliunt̄. Quare nonnulli ut maiorē fidem faciant, continuò ad Anglos transfugiunt, qui eatenus per hūc modum Anglū ludificent, quoad pontem Sterlyngensem, qui in Forthea flumine est, transeant, seq; loco idoneo in insidijs collocēt. Tum postquā Angli se ab hostibus ludificari comperierunt, quippe qui specie faciendæ deditionis, ipsos defatigabāt, cōmoti ira, temerè pontem transire incipiunt, iamq; bona pars traiecerat, cùm Scoti qui in armis erant, & transitū hostium obseruabant, dato repentè signo, ex omnibus partibus erumpunt, hostemq; circumueniunt. Erat spectaculum miserrimum uidere Anglos, qui pontem transiuerant, à multitudine hostium cædi, aut fluminis ripis appropinquātes coangustatos in undas præcipitari, & qui eis flumen erant, propter angustiam pontis, suis subuenire non posse. Scotus postquam omnes Anglos qui flumen transmiserant, pugnando interfecerat, ad pontē occupandū concurrit. Hîc redintegratur certamen: Scoti totis uiribus pontē capere nitūtur, ut eo potiti, quicquid hostiū reliqui erat, deleant: contrà Angli qui amisso ponte, de se actū fore animaduertebant, omni conatu illū retinere pariter contendūt. In eo ponte cędes cruentissima utrobiq; facta est, quem ad extremū Angli ad alteram ripam fluminis fregerūt. Atq; ita altera pars eius exercitus ab hostium impetu se defendit. Non euasit ex ea clade quisquam omniū, qui trans flumen iuissent. Fama tenet circiter sex millia Anglorū eo interijsse die. In ijs Hugo Chresyngamius fuit, cui ut grauiori cruciamento necaretur, pellem detractam fuisse ferunt. Secundū hanc acceptam plagam, Angli animaduertentes se sine nouo militū supplemēto, haud uspiā posse hostibus resistere, in agrū Eboracensem reuertuntur, & quia timebant, prius agmen cogunt, deinde ita instructi incedunt, ut si qua imponatur in itinere dimicandi necessitas, subitū casum expedito exercitu subeant. Antequā isti Beruicum peruenirent, quia præcesserat fama maioris cædis factæ, quàm erat, illi qui oppidū illud tenebant, iam reliquerant, seq; in agrum Northumbricū receperant. Ea res igitur Anglos ex Scotia uenientes, non iniuria maximo timore affecit, qui arbitrantes hostem alijs itineribus ad eum locū peruenisse, ubi parum ultra oppidū trepidi progressi sunt, disiectis cuestigiò ordinibus, pro se quisq; diffugit. Quæ profectò fuga tāto cunctis quaquauersum incolis terrori fuit, ut in oppida ex agris continenter se conferrent, sed Northumbri in primis cum bonis & uxoribus ac liberis in agrum Eboracensem

Universidad de Deusto
Biblioteca

demigrarent. Scoti interea qui fracto ponte hostes persequi nõ poterãt, post paulùm tam animis quàm uiribus aucti, Beruicũ impigrè oppugnatũ ueniũt, quod ubi ab Anglis desertũ uiderunt, præsidio muniunt. atq; per hoc, cogni to hostium timore, cætera uicina loca aggressi eodem momẽtò recipiũt: post hæc, auidi prædæ in Northumbriã irrumpunt cursu, ad direptionẽ pestemq; incolarũ: nam quacunq; eunt, omnia uastant, diripiũt, auferũt, incendũt, iuue nes iuxtà atq; senes aut supplicio mactãt, aut captiuos abducũt: deinde Carlio lum uersus aduolant, sed quia ciues se antea fortius quàm ut capi possent, mu nierant, ad prędam capiendam se conuertũt. itaq; Nouum castrũ profecti, op pidum diripiunt, incendunt q;, ac deniq; postquam hostium cęde satiati sunt, Beruicũ reuertuntur onusti omnis generis præda, quam Gulielmus Vallas, & Robertus Brusius duces multitudinis, singulis prius pro cõcione collauda tis, quòd pro liberanda patria fortiter pugnassent, æquabiliter distribuunt, atq; non multò pòst uictorem exercitũ domum reducunt. Inter hæc Dunel menses & Carliolenses ciues duce Roberto Clyffordio, Scotorum fines alio itinere ingressi, usq; Roxburgum, agros latè uastarunt.

Atqui domi interim seditio intestina haud cõsenescebat, imò in dies singu los magis reuirescebat, ac latiꝰ manabat, acrius gliscebat, breui aliquò eruptu ra: siquidẽ status præsens rerũ in summo erat odio, quòd libertas populi lon go tãdẽ morbo mori uideret. Quare omnes generatim populares facta regis & præsertim pecuniarũ exactiones improbabant, querebant, dolebãt, ac sine iam ulla rei uarietate apertè loquebant, clareq; gemebãt, & medicinã quæren tes cùm nulla afferretur, tandem aliquando resistendũ statuũt, etsi non sine al terius partis internicione, id fieri posse existimant. Itaq; plebs ducibus Hum fredo & Ricardo comitibus, ad seruitutẽ propulsandã dolore excitata, arma capit, paratq; se ad certamen, quo finem miseriarũ domesticarũ factum iri spe rabat. Hæc ubi Robertus Cantuariensis, cuius credibile non est, quantum in cõsilijs, prudentia, fide rex Edouardus ponebat, sensit, sese plebi opponit, ad moneꝛ, ostendit externũ timorem arctissimũ semper cõcordiæ uinculũ, debe re apud eam uincere priuatũ odiũ, idq; multis uerbis insinuat: sed cùm bona monita pro nihilo haberi animaduertit, tum omniũ ordinũ homines ad cõci lium per Edouardũ regis filiũ conuocandos Londinũ, & in eo de summa rei agitandũ curat. Itaq; inito consilio, comites data publica fide, intersunt, præ senti animo populi nomine postulant, ut ueteres leges ad pristinũ usum reuo centur, item ne regi tributũ ullum populo Anglico in posterũ tempus indicere liceat, id quod reges antea suo arbitratu sæpe fecerant, nisi ex concilij autorita te, neu sibi et qui hactenus suas partes secuti essent fraudi sit, quòd pro liberta te populi eam domi cõcitationẽ fecissent. Ista omnia consilij decreto concessa sunt, ac tam Edouardus princeps qui aderat, per iusiurandũ, quàm eius pater per literas approbauit. Cęterũ de restituendis legibus causa facilè perijt, at de tributo indicendo, tam altas egit radices, ut etiã nunc inuiolata maneat. Qua propter iam inde usu uenit, ut deinceps quoties princeps habendũ cõcilium decerneret, in eoq; de re nummaria agendũ putaret, consueuerit eodem mo mẽto agere cum Cantuariensi archiepiscopo, ut episcoporũ ac aliorũ sacerdo tum conuentũ faceret, ad eosq; mittere ex cõsiliarijs aliquot, qui rei causa ex posita, rogarẽt eius uerbis, ut certas pecunias de cõuẽtus sentẽtia imperarẽt.

Atq;

Atq; ita populus Anglicus hoc ad extremum libertatis à suo principe conse cutus est, quod & mordicus tenet, ut ne auellatur. Ad rem redeat oratio. Eo illo tempore Aleonora regina mortua est, mulier singularis prudentiæ. Fuit is annus quo hæc gesta sunt, Edouardo à gubernatione regni XXIIII. & ab humana salute MCCXCVIII.

At Edouardus, cuius quamuis permagni interesset in Anglia esse, tamẽ ad huc erat in Flandria, & sæpe in suo Pontiuo comitatu, qui interim alienũ fun dum arans, suum incultũ relinquebat, uti uulgò dicitur: porrò cùm agitaret de restituendo Guidone comite in libertatẽ, qui à Frãco Lutetiæ in custodia tenebatur, à Scotis, uti ostendimus, nõ modicam accepit cladem: sed cùm res nõ procederet, postea Gandauũ profectus, Frãcos finitimos bello petere iam parabat, cùm amicorũ interuentu, Flandris induciæ datæ sunt, & pax inter eum & Philippũ cõuenit. Tum Philippus omnem Aquitaniã Edouardo re stituit, & iam cœlibi Margaritã sororẽ despondit. Quo feliciter confecto ne gotio, Edouardus in Angliam redijt, atq; nõ multò post Eboracũ profectus, suorũ principum conuentũ fecit, ad quẽ Scotos etiã uocauit, ut tentaret si ad sanitatẽ redire uellent, qui omnino ire neglexerunt. Quare ille ualde permo tus, ingentẽ cœpit exercitũ parare, diẽq; omnibus præfiniuit, quo iter in Sco tiam haberet: itaq; post paulùm, armis uirisq; paratis, ad VII. calend. Iunij, qui erat dies constitutus ad iter faciendũ, in Scotiã proficiscitur, eamq; ingressus instructo agmine, in loca interiora penetrat, quibus Scotos se continere intel lexerat, qui nõ procul à Vario Sacello castra habebant. Accessit prope locũ rex, factaq; dimicandi potestate, ex proximo colle in campum descendit. Pri ma luce Scoti aciem instruũt, è regioneq; hostium castrorũ se ostentãt. Tum Edouardus milites cohortatus ut suæ pristinæ uirtutis memoriam tenerent, dat signum prælij: primo concursu ab dextro cornu ubi Anglicus equitatus constiterat, hostes pelluntur, atq; fugantur: ab sinistro cùm primi hostium or dines telis transfixi concidissent, reliqui tamen acerrimè resistebant, qui ad ul timum circunuenti omnes interfecti sunt. Amplius quindecim millia Scoto rum eo die cecidisse annales tradunt. Rex post uictoriam adeptam, cùm iam cõmeatu careret, quem pro tempore in paucos dies secum tulerat, destitit à persequendo: sed peragrata ea parte Scotiæ, quæ ad orientẽ solem spectat, & relicto præsidio ualido militum ad loca quæ receperat, Londinum non mul tò pòst reuertit. Eodem tempore oratores à Bonifacio Romano pontifice missi uenerunt, qui peterent, ut Edouardus Ioannem Baliolum regem alias Scotiæ qui in custodia seruabatur, tandem aliquando missum faceret, ac Edo uardo eius filio prædia quæ in Anglia antea possedisset, restitueret. Rex audi tis ijs, quæ legati petiuerant, Ioannem illis tradere quem ad pontificem duce rent, non dubitauit, quia satis constabat Scotos ei minimè fauere, siue quòd laboraret odio aduersę factionis, seu ut quidam tradunt, quòd à principio in Angli uerba temerè iurasset, aut postremò deditionẽ timidè fecisset: prædia uerò Edouardo reddere negauit. Atq; ita Baliolus libertatem nactus, uitam deinde in Gallia traduxit, postquam diu frustra expectarat alterã rerum sua rum sortẽ, quam auebat meliorem. Fuit is annus salutis humanæ MCCXCIX. & ab eo quo ipse Edouardus regnare cœperat, XXV.

Dum autem à bellis otium, etsi pusillum, erat, rex Margaritam sibi pactam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac à Philippo fratre ad se missam, magno rerum omniũ apparatu accepit, nuptiasq; tantæ concordiæ conciliatrices mira pompa fecit. Obijt eodem anno mortẽ Henricus Eboracensis archiepiscopus, quẽ Thomas Corbrigius secutus est. Itẽ inducię in undecim menses Scotis qui loca montana tenebãt, datę sunt. Bonifacius interea põtifex à Scotis precib. fatigatus, & subiratus quòd Edouardo Baliolo filio Ioannis non essent restitutæ possessiones, quas ille in Anglia habebat, interdixit Edouardo regi, ne amplius posthac Scotos bello uexaret, quòd id regnũ antea in Romani pontificis fidẽ & potestatẽ à Scotis ipsis permissum fuisset, & ideo asseuerabat sibi soli integrum esse, cuicunq; libẽret dare auferréue. Edouardus accepto põtificis præscripto, habuit primo quoq; tempore principum concilium, de eaq; re maturè cõsuluit: postea tam per literas, quàm per nuntios pontificẽ docuit, ius proprietatis terræ Scotiæ ad se pertinere, secumq; facere, & propterea non passurũ se eo perperàm priuari. His cognitis Bonifacius statim refrixit, ut scilicet si pertinacius contenderet, ne inhonestè causa caderet. Post annos XXVII, quàm regnare cœperat Edouardus, qui fuit annus salutis humanæ MCCCI, inducię cum Scotis renouatæ sunt. Rex interea Ioannẽ Segrauensem uirum fortem nõ item prouidum, cum magno exercitu in agrũ Dunelmensem proficisci iussit, ut præstò adesset, si Scoti quos nõ diu quieturos quasi certò sciebat aliquid noui repentè molirentur, cui socium dedit Rodulphum Conferenũ hominem Scotũ, ut quidam sentiunt, qui cũ multis alijs Edouardum sequebatur. Ioannes ubi ad loca finitima peruenit, & iam exeuntibus inducijs, per exploratores cognouit Scotos in armis esse, Scotiam petit, ac recta Edimburgum contendit, ubi quia nihil hostile à Scotis parari comperit, qui in montibus agebant, exercitum tripartitò ordinat: duabus enim partib. procul ad quatuor millia passuũ pari spatio inter se distantibus duce Rodulpho collatis, tertiã sibi reseruat, atq; ibi castra ponit: quod consiliũ potissimè cepit, ut si exercitus uno in loco totus maneret, ne in angustijs rei frumentarię premeretur. Sed id hostes animosiores fecit: ubi enim Scoti per speculatores, certiores facti sunt, exercitum hostium diuisum esse, & Ioannẽ ducem cum paucis secundum oppidũ castra habere, repentè eò cum electa iuuenũ manu, nocturno tempore properãt, ac paulò ante lucẽ, circum oppidum consistunt, seq; ad præliandum expediunt. Cognouit interea Ioãnes Scotorum insidias, quas quò facilius uitaret, à suis admonebaẽ, ut aut relictis castris, cũ reliquo exercitu se cõiungeret, aut ad se duas trésue cohortes accerseret: neutrũ tamen fecit uir sanè in ea parte maioris animi, quàm prudentiæ: nam suos cohortatus, tuba signũ extemplò dari, atq; in hostes iam lucente sole appropinquantes impetum fieri iussit. Pugnatur fortiter, atq; dubia uictoria diu, cùm ad extremum Angli multitudine hostium undiq; pressi, passim cadere cœperunt, pauci fugiendo euaserunt, equites numero uiginti cum Ioanne duce grauiter uulnerato capti sunt, sed Ioannes à nõnullis equitibus qui audito fugientium clamore, ex proximis castris adfuere ab hostibus eripitur. Reliquum exercitũ post hanc acceptã plagam in Angliam Rodulphus reduxit, cùm cerneret non esse, quod tunc cum hostibus amplius confligeret, qui & numero & uiribus longè præstabant. Rex nuntio allato de re male gesta, maturè acto principũ conuentu, ex eiusq; sententia pecunia in sumptus noui belli decreta, ac à populo exacta, exercitum parat,

parat, atq; haud ita multò pòst Scotiam petit, ulturus suorum cædem. Scoti audito regis aduentu, ad paludes atq; montes more patrio confugiunt. Interea Edouardus Beruicum adortus, per deditionem recepit, & inde digressus ad spem constituendæ rei, quacunq; ibat, agros populabatur, oppida uexabat, qui ubi propè accessit, tanto affecit timore profligatos hostes, ut supplici-
ter ueniam petierint, quam & dedit.

Tum Edouardus rerum potitus in Scotia, nam præter Syluestres aliquot, qui ad occidentem spectant, loca omnia tenebat, statuit rei Scoticę firmamentum ponere: itaq; principes ad Fanum Andreæ conuocauit, qui statim con-
uenere frequentes: solus Vallas non comparuit, qui nullo neq; precio, neq; metu, de fide, de opinione deduci potuit, ut uellet aut sequi, aut uidere Anglum regnantẽ. Hîc habito concilio, rex multa patria instituta introduxit, leges dedit, Odomarũ Valentianum Penbruchi comitem, præfectũ Scotiæ fecit, dein à singulis iusiurandum dari iussit, & postremò, ut ne uestigium maiestatis regiæ desiderij ullum apud populum remaneret, sedem lapideã in qua insidentibus regibus corona imponi solebat, ex Scotia deferendam Londinum curauit, quæ etiã nunc ad Vuestmonasteriũ seruatur. Edouardus hisce rebus ita peractis, in Angliam redeundo Beruicum diuertit, idq; præsidio firmat, mœnia reconcinnat, oppidanis largitiones facit: inde Lincolniam uenit,
rotamq; hyemem ibi cõmoratur, eodem loci conciliũ habet, quo in concilio, ut populo generatim gratum faciat, leges, immunitates, & priuilegia ab Henrico patre suo antè irrogata, quę Magna charta cõtinentur, de concilij sententia approbanda curauit. Ea res ita omniũ animos deuinxit, ut populus ex decimaquinta parte fructus prædiorum unius anni, tributum pependerit, quò princeps sentiret suum beneficiũ in uulgus gratum fuisse. Itẽ Edouardus regis filius fit Vualliæ princeps. Ipso illo anno iudices cum magno cancellario, cæterisq; magistratibus, post septẽ annos, quàm Eboraci cõuentus forumq; peregerant, Londinũ reuocantur. Per eosdem dies decessit Thomas Eboracensis antistes, cui successit Gulielmus Grinfildius. Migrarunt & è uita duo
illustres uiri Ioannes Varanius, ac Edmundus comes Cornubiæ. Huius Edmundi sine liberis mortui, omnis hæreditas Edouardo regi uenit. Rex dimisso concilio, Londinum reuertit, qui in belli apparatum deinde toto biennio, quod secutũ est, dum Scoti in officio manebant, mirum in modum incubuit.

Interea Robertus Brusius qui primum cum Gulielmo Valla in bello gerendo Scotorũ dux steterat, & postremò ad Anglũ se adiunxerat, ad regnũ aspirandi cupidus, cum optimatibus agitabat, ut se regem dicerent, qui aduocata concione sic uerba fecisse fertur: Non me equidem fugit, optimi principes, salutem patriæ unicuiq; uestrũm pariter atq; mihi curæ esse, uobisq; nihil antiquius ea unquam fuisse, qui postquã Ioannem regno pulsum uidistis, acriter
eam ab Anglis infestissimis hostibus defendistis. In qua re, ipse etiã uos nonnihil iuui, ut tandem aliquando uniuersi essemus ab omni periculo uacui. Nimirũ in hac mortali uita nihil est detestabilius dedecore, nihil importunius, nihil fœdius seruitute, quam Angli nõ modò nobis, sed terræ nostræ Scotiæ in perpetuum imponere curant, aliudq; nihil laborãt, urgent, pugnant. Prò, bone Deus, ecquis nollet mille potius uitas, si totidẽ haberet, amittere, quàm in seruitutẽ adduci, cùm præsertim ad decus & libertatẽ, perinde ac uos in pri

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis estis, natus esset? Hæc igitur fortissimi principes aut teneamus, aut cum dignitate amittamus, quò testemur tentasse nos tandē aliquando propulsare iniurias factas ab Anglo, qui cùm esset à nobis regis creandi arbiter statutus, non dubitauit ius dominatus Scotię sibi adiudicare, quē nos aliquando non uoluntate, sed necessitate secuti sumus, quo uitam istam ad Reipublicæ usum reseruaremus, à qua nunquā mentem deieci. Sed cùm ea omnia ob oculos uestros posita uobis nota esse, & in uestris iampridem animis insedisse perspiciam, solùm quod factu quamoptimum puto uobis in præsentia exponam. Pugnauimus nō satis prosperè hactenus cum Anglis, quos tametsi bis intra paucos dies uicimus, & pertimescendū est, ne deinceps ab ipsis opprimamur, cùm nequaquam pari imperio rem geramus: illi enim regem domi habēt, ad quem omnia referuntur, qui dies noctesq; conseruandæ Reipublicæ consilium diligenter capit, at militiæ ei omnes parent, omnia eius auspicijs geruntur, & denicq; unus est rerum omniū moderator ac gubernator, qui suis consilijs, sua autoritate præstò ubicq; est. At nos multitudo hominum perinde sine rege sumus, ac corpus sine capite est, qui, ut de reliquis taceam, in bello gerendo, sicuti probè scitis, dum de rebus minimis inter nos sæpenumero disceptauimus, totum Reipublicę corpus tueri parum curauimus, unde clades aliquot accepimus, resq; in statum miserabilem ducta est, & nisi maturè prouideamus, peiora patiemur. Igitur regem inter nos faciamus, qui sua autoritate, & tanti nominis maiestate nos regat & tueatur. Est illud munus mihi iure hæreditario debitum, quod si demandare cordi uobis erit, quanquam grue est, obire tamen non abnuam. Hæc ubi ab eo grauiter dicta fuerunt, magno omnium qui aderant, accepta sunt fauore. Vnus tamen extitit Ioannes Cuminus, qui Reipublicæ statum non esse mutandum contenderet, sed eius sententia non uicit. Itaq; Robertus statim rex creatus est, assumpto sibi, ut non nemo falso prodidit, Dauid nomine, quòd ad eum, uti suprà demonstrauimus, genus suum referret. Ille autem certò sciens Anglos periniquo animo id factum laturos, contraq; uenturos, ad resistendum se parat, studia sperans se summa habiturum omnium ordinum.

Postquam Odomarus præfectus de Roberti coniuratione resciuit, statim se cum suo præsidio Edimburgū cōtulit, reliquis militibus ad loca cōmunita missis, ac Edouardū rei gestæ certiorē facit. Rex ubi cognouit Scotos sibi regē creasse, fremere minaciter, palamq; uociferari cœpit, aduolaturū se in Scotiā, ac Scotis ad internecionē cæsis, omnia oppida direpturū, direpta ferro & igne excisurū: itaq; irarum plenus, Edouardū filium principem Vualliæ cum bene magnis copijs in Scotiā proficisci iubet, & quia adolescentē ad tantum bellum gerendū, neq; uirium robore, neq; consilio idoneū ducebat, mandat, ut de Odomari prefecti sententia cuncta gerantur. Iam aderat annus salutis humanæ MCCCVI, cùm Edouardus princeps in Scotiā peruenit, is agrū passim populatur, omnia primo accessu de hostibus capta, militibus donat, deinde castella & oppida natura locorum parum munita aggreditur, præterùm leuia alia alijs locis facit. Erat spectaculum uni Anglo iucundum, cæteris non item, uidere Scotos timore perculsos, aut abiectis armis, manus tendentes mortem deprecari, aut resistentes multis affectos uulneribus passim concidere. At Robertus rex ubi de aduentu Edouardi principis compe-
rit, quia

rit, quia nondum iustum exercitū conflarat, in loca abdita abijt, ita ei placuit, speranti deinde in effusos hostes se tutius inuadere posse, quos remoto metu, latius licentiusq;, uti solet uenire usu, euagaturos putabat. Verùm contrà atq; ille ducebat, accidit: enimuero princeps, uti faciendum statuerat, oppida castellaq; munita partim ui, alia metu, alia præmia ostentando capit, cum magno hominum numero, inter quos fuit Gulielmus Vallas, qui nō multò pòst Londinum ductus, securi percutitur. Dum ita Angli regionem percurrunt, Robertus in montibus exercitum parat, simul locum & tempus obseruans, quo hostes aggrediatur: sed ut id sine sui ipsius capitis saltē periculo rentet, iubet suos super arma induere candidissima saga, quæ in singulos milites dederat: eo ipso sago utebatur, ut ne inter alios ex colore uestitus internosceretur, néue ab hoste maiore impetu peteretur: quo facto in campum planū descendit sequiturq; hostes à tergo, ac sequendo peruenit ad oppidū Calidoniæ Castrum olim dictū, ad Taum situm, quod incolę Dounkeldinū uocāt. Hìc non procul conspicatus Anglos, facto impetu, extremū adoritur agmen. Angli qui extremi in agmine, & primi erant ad recipiendum hostium impetū, paulisper territi cōturbantur, reliqui citò subueniunt. Cōmittitur pugna utrinq; acris: Robertus cohortatur suos, inter confertissimos hostes se infert, ter confossis equis, humi cadit, atq; pedes pugnam edit: sed dum eo modo cum paucis suorum præliando hostes acriter cædit, eius milites qui in altero cornu pugnabant, passim aut cadunt, aut fugiunt, quos cùm ipse accurrens subleuare, & propè iam adeptam uictoriā, omnibus modis retinere nititur, circumuentus ab equitibus in pedes se quoq; dare cogitur: equites fugientē Robertum aliquot passus secuti, consequi nō potuere. Princeps de parta uictoria statim patrem certiorē facit. Ille immortaliter gauisus, tum demū ratus tempus aduenisse, cùm in multos annos prouinciā pacatam reddere sine ullo negotio posset, continuò in Scotiā aduolat, eam quaquauersum lustrat, hostes deficiētes partim supplicio afficit, partim captiuos in Angliā mittit, quorū nonnulli post Londini pœnas capite soluerunt. In ijs fuerunt Simon Frysellus, & Ioannes comes Bochamius honesti equites. Fuit in eo bello & Isabella uxor Roberti Brusij capta, & quę Londinū ducta in custodiā tradit̄. Rex dum Scotos sic domabat, in aduersam ualetudinē incidit, qua ualde affectus Carliolū reuersus est. Robertus rex qui post acceptā cladē, cura & solicitudine angebat̄, ubi cognouit Edouardum excessisse finibus, maiore q̄ antea animo exercitū cōparat. At rex interea dum Carlioli morat̄, ingraueſcente ui morbi, moritur nono & sexagesimo ætatis anno, & post quartū & trigesimū, q̄s regnare cœperat, nonis Iulij. In quibusdā annalib. legimus eum apud Scotos in castris obijsse mortē, præcepisseq;, ut corpus nō prius illinc exportaretur, quàm ipsa Scotia penitus deuicta esset. Ita subitò ac leui labore eam prouinciā ex animi magnitudine putabat subigi posse. Corpus per milites Londinū deportatū, ad Vuestmonasteriū ad sepulturā datur. Filios ex Aleonora priore uxore genuit, Ioannē, Henricū, Alphonsum, & Edouardum: iste successit patri in regnum, illi omnes longè antè à uita discesserāt. Itē filias quinq;, Aleonorā, quę Henrico duci Barri locata est: Ioannā, quę nupsit Gilberto comiti Gloceſtriæ: Margaritam, quam in matrimonium duxit Ioannes dux Brabantinus: Elizabeth, quæ bis nupsit, & secūdo loco Humfredo comiti Herefordensi: & Ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam,quæ monacha facta est. Ex Margarita posteriore uxore sustulit liberos Thomã,& Edmundum,ac unicã filiam nomine Margaritã. Statura fuit eminenti,colore subnigro,corpore ualido, ac minimè pingui, id quod continua exercitatione uitauit,facie uenusta,oculis subnigris,qui dum ira inflammabatur,subitò subrubri efficiebantur, ac inde ignem emittere uidebãtur, capillo nigro ac crispo. Valetudine usus est satis prospera,animo magno,qui eum in rebus aduersis nunquã defecit, ingenio præclaro, cuicunq; enim rei operam dabat, eam facilè imbibebat,prudentia summa,religionis studiosissimus, insolentiæ sacerdotum inimicus acerrimus, quam ex opibus cum primis proficisci putabat, quam ob rem legem ad Manumortuã perpetuasse fertur, ut ita eorum luxuries coërceretur. Cõdidit cœnobiũ monachorum ordinis Cistertiensis,in Cestrẽsi comitatu,quod ex dignitate autoris,& natura loci Vallisgale appellauit. Amicitiã cõstantissimè seruabat, contrà quos semel oderat, non facilè deinceps in gratiam recipiebat. Dum aliquid uacui temporis habebat, plurimũ in uenationibus erat. Hæc de primo Edouardo scribere habui. Viros autem qui in ea tempestate ingenio & uirtute clari fuerint, quia suprà de illis sæpe meminimus,idcirco hîc cõmemorare superuacaneum duximus.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XVIII.

EDOVARDVS princeps Vallиæ post mortem patris conuocato maturè concilio, primum Scotos principes in sua uerba iurare iubet,ius quod iurandum cuncti, extra paucos, qui Robertum Brusium sequebantur,ultrò dederunt: deinde relicto in Scotia firmo militum præsidio, Londinum reuertitur, qui ubi urbem ingressus est,magno omnium plausu,rex consalutatur,ac nõ multò pòst unà cum Isabella uxore filia Philippi Pulchri Francorum regis,quam sub idem tempus in matrimoniũ duxerat,ad Vuestmonasterium multa cum cærimonia corona redimîtur, ad x calend. Martias, anno salutis humanæ MCCCVIII,dictusq; est post primũ Gulielmum Normanũ Edouardus secundus. Initio sui principatus,etsi ad leuitatem suapte natura propensus erat, quorundam tamen suorum consiliariorum coërcitus monitis, ut bonam indolem ostentaret,grauitatem,probitatem,modestiam præ se ferre cœpit:uerùm haud omnino potuit ita coërceri, quin breui tempore petulantiam acuminitatem sensim quidem primò & occultè uelut iuuenili errore cõplexus fuerit:at cùm postea Petrum quendam cognomento Ganestonem hominẽ longè contaminatissimũ, quem Edouardus pater ut à familiaritate filij remoueret,in exilium eiecerat,reuocasset,ac ita statim ab exilio reuocatum,apud se in maiore gratia posuisset, comitemq; Cornubiæ regnique gubernatorẽ fecisset, adeò est illius hominis societate repẽtè deprauatus,ut ad maiora uitia palàm irruperit: nanq; tum demũ Petrò impulsore,ac comprobatore, ad suos principes respectum non habere,bonas artes minus colere,Rempublicam minus curare,sic,ut mox delicijs sese daret,ac uitam mollissimam luxuq; circunfluentem traduceret. Cuius studium ut Petrus qui adolescentem uisus est non nolle infatuare, facilius iuuaret, eum à primo armauit scurrarum, ganeonum, parasi-

torũ,citharœdorũ,ac omniũ uilissimorũ hominũ pariterq; sceleratissimorũ cæteruis,ut princeps cum illis dies noctesq; iocãdo,ludendo, comessando,ac multa alia parum honesta exercẽdo transigeret. Quid,quòd sui similes iuuandi cum primis cupidus,illis ipsis magnos honores deferendos curabat? Hęc Petri maleficia tantam in regem cõmouerunt inuidiam,ut optimates nõ amplius toleranda constituerint:itaq; sperantes animũ iuuenis principis posse mutari,& moribus nondum malum uenenum penitus insitum euelli,si modò corruptor ab eo ablegaretur,in Petrum impetũ faciunt,eumq; fugientem in Hyberniam exulatum agunt. Tulit id factum rex molestissimè,palamq; generatim omnibus uincula,cruciamenta,mortes intentare cœpit, per quos staret,quin Petrus in Angliam continuò reuocaretur:tanto repẽtè sui Petri desiderio affectus est,cuius memoria ex eius pectore tolli minimè posset. Principes arbitrantes ista nõ tam molesta exitu,quàm auditu, & animo confidentes regem deinceps facilius ad se rediturum,ac Petrum iam metuentem simile sui nunquam futurum,haud se rursus opponendum duxerunt. Cęterùm opinio ualde fefellit:nam Petro tali modo ab exilio in Angliam restituto,ut timere desijt,nihil prius fuit,q; ut in omnes truculenter inuaderet, ac refricaret exulceraretq; regis animũ uehementius. Quod ut optimates animaduerterunt,Petrum armis prosequuntur,fugientemq; assecuti paucis pòst diebus non longè à Varuico obtruncant. Hunc uitæ exitũ habuit Ganesto,qui nullam uiuendi habuit rationem. Atqui tantum absuit,ut Edouardus in posterũ tempus,ob interitũ Petri,deterritus sit à suo instituto,ut etiã flagitiosissimos quosq; in suam familiaritatẽ,in suum domesticũ senatum receperit. In ijs fuere Hugones Spẽserij pater & filius duo insignes eius indolis corruptores,quorum consilijs cum primis regebatur. Quæ res cùm multos angeret,ante tamẽ alios Robertũ Cantuariẽsem antistitẽ cruciabat, qui fore prospiciebat, ut rex breui regnũ sęue ipsum perditũ iret:qui tanto imminenti periculo quamprimum remediũ aliquod adhibendũ iudicans,principes in conciliũ cogendos curauit. In quo concilio,postq; status regni quasi deintegro fundatus est,datiq; sunt noui consiliarij,qui de summa rei decernerent, mitigatis interuentu boni antistitis optimatum animis,rex iureiurando promisit ea omnia se seruaturum,quæ de concilij sententia constituta essent. Sed cęcus,uti iam uulgò dicitur,parietem palpabat. Sanè iuuenis non reputans quid iurarit,quidue in sponsione datæ fidei religionis foret,nihil quod recepisset postea seruauit. Iã agebatur annus ab eo, quo Edouardus regnare cœperat,quartus,& salutis MCCCXII, cùm Robertus Cantuariensis mortem oppetijt,post annum XIX, quàm sedere cœperat,qui quantum in eo fuit,de religione iuxtà atq; de Republica promereri studuit, à qua nunquam discesit,nunquã oculos deiecit, ita officio suo ac omnium cõmodis sibi seruiendum censuit. In Roberti mortui locum substituitur Gualterus,qui ordine Cantuariensium antistitum fuit XLIX. Item è uita excesit Gulielmus Eboracensis archiepiscopus,quem Gulielmus Meltonus ordine antistitum XLII secutus est. Eodem etiã anno Philippus Pulcher rex Franciæ moritˉ,cui Ludouicus Hutinus maior natu filius succesit,idem & Nauarræ rex.

Dum rex Edouardus otium trahit,& malorum consilijs adductus suorum principũ animos iratos sibi maiorem in modũ facit,Robertus rex Scotorũ au

Universidad de Deusto
Biblioteca

diens eum patris simile habere nihil, tum demũ ratus aduenisse tempus, cùm patriam seruitute liberare posset, sine ulla mora, aggressus Anglicum præsidium partim fundit, fugatq́, partim interficit, & in ijs Ioannem Cuminum, qui Anglicas partes sequebatur, ac ita omnem ferè Scotiam uno puncto temporis recipit: qui uidens id incœptum optimè sibi cecidisse, inde confestim progressus ad fines Anglicos, omnia cæde & populationibus complet, Beruicumq́ oppidũ obsidione cingit, quam paucis pòst diebus cùm se nihil proficere uideret, sua spõte dissoluit. Quæ statim ut Edouardus cognouit, ira inflammatus, iurat se primo quoq; tempore Scotorum gentem deleturum, ac unà exercitum studio parat, ornatq́ pulcherrimè, perinde quasi non bellum gesturus, sed triumphum acturus. porrò milites auro, argento, atq; gemmis arma ornata ferentes, equis phaleratis insignes, pretiosas uestes induerant. Cum eiusmodi igitur copijs non multo pòst in Scotiam proficiscitur, rectaq́ uia Castellũ Sterlyngũ petit, quod Philippus Mombraius loci custos fortiter hactenus defenderat, & ibi castra ponit, ac cũ Roberto acie cõfligit. Quo in prælio Edouardus uictoriæ quasi non incertus ita ordines peruerterat, ut Angli primo congressu disiecti nõ modò cominus opprimerẽtur à pugnantibus, sed eminus à subsidiarijs acriter cõuulnerarentur, qui ita cum multa cæde pressi, salutem fuga quærere coacti sunt. Rex cum paucis in agrum Eboracẽsem se retulit. Interfecti sunt equites aliquot, & in ijs Gilbertus Glocestriæ comes, Robertus Clyffordius, Aegidius Argentinus, Paganus Tiptostus, Gulielmus Maresc allus, & Reginaldus Dancortus. Desideratorum numerus fuisse traditur decem circiter millia. Multi itidem nobiles capti sunt, qui postea magno pretio se redemerunt, & in ijs Humfredus comes Herefordiæ, pro quo liberando, Isabella uxor Roberti Brusij missa facta est, quam superiori libro dixi captiuã Londini in custodia teneri. Habuit inde rex Eboraci, ubi aliquandiu fuit, conciliũ, in quo de exercitu in primis reficiẽdo, cum suis principibus egit, cupidus farciendi incommodi, quod nuper accepisset. Ea quæ secuta est æstas, qui fuit annus salutis MCCCXV, fame primò, deinde pestilentia grauiter infesta fuit.

Scoti interim elati tanta uictoria, in Hyberniã duce Edouardo Brusio Roberti regis fratre traijciunt: nam ubi cognouerunt Edouardũ regem in agro Eboracensi substitisse, atq; exercitum reficere, ne fortunam temerè tentarent, non persequendum hostem, sed alibi bellum faciendum constituunt: itaque ubi Hyberniam attigerunt, expositis in terram copijs, insulam ex improuiso hostiliter adorti latè populãtur, passimq́ uicos, castella, ac oppida minus munita diripiunt, direptaq́ incendio deformãt. Insulani ex ea trepidatione in unum collecti, sese cum regio præsidio, cui Ioannes Bernyngamius uir fortis præerat, coniungunt, atque ita iunctis armis, hostium conatibus quamfortissimè possunt, resistunt. Est deinde totum quadriennium inter utrunq; populum mutuis cædibus dimicatum, hinc Scotis imperiũ insulæ obtinere conantibus, quippe qui iam bona parte potiti, Edouardum ducem sibi regem creârant, illinc Hybernis hostem procul pellere nitentibus. Sed uicit ad extremũ insulanorũ pertinacia: enimuero cùm nihil laxamenti Scotis daretur, sed continuato certamine urgerentur, superueniente tandẽ ex Anglia nouo militum supplemento, uno prælio profligati sunt, in quo Edouardus eorum dux eccidit, reliqui partim simul cæsi, partim in naues quas ad omnem euentum paratas habebant, repulsi in suam Scotiam redire coacti sunt. Sed hoc post quartum deniq; annum, quàm Scoti in eam insulam uenerãt, factum est. Amplius triginta millia hostium, & insulanorũ plus quindecim millia, per id tempus interijsse annales Anglici produnt.

Anno qui secutus est, Ioannes uigesimus secundus Romanus pontifex factus est: huic in primis curæ fuit conciliare pacem inter Scotũ & Anglum, audierat enim diu multumq́ utrinq; certatum esse: itaq; duos Cardinales misit, qui primò in Angliam, inde in Scotiã proficiscerẽtur. Ii ubi in Angliã perueuerunt, missis ultro citroq; in Scotiam nuntijs, de pace agitant, & quia Robertus nullis æquis conditionibus ad concordiam descendebat, in Scotiã ire perguntuerùm antequã eò peruenirent, Robertus qui ex re sua fore non iudicabat id temporis habere pacem cum Anglo, milites obuiã misit, qui Cardinales ingressu Scotiæ prohiberẽt. At antistites ea iniuria affecti, Scotos sua autoritate execrantur, illisq́ interdicunt sacris, ac ita uidentes compositione nil esse apud Robertum desperatius, re infecta ad pontificem redeunt. Perstrinxit animum Roberti ea sacrorũ interdictio, partim quòd sibi id probro ducebat, partim quòd putabat procuratũ esse ab Anglo, ut ea ignominia afficeretur genus Scoticum, quò diceretur ex piorum cœtu eiectum esse: qui ita exagitatus ira, Beruicum oppidum oppugnatum contendit, ac ubi ad locum peruenit, oppidanis incolumitatem pollicetur, si intra triduum, oppidum tradant, quod si non faciant, exitium omnibus denuntiat. Oppidani qui intelligebant regẽ Edouardum rebus suis indiligenter prouidere, ac propterea nullum ab eo expectandum subsidium iudicabant, sese continuò Scoto dediderunt. Robertus potitus oppidi, Anglos omnes, prout promiserat, incolumes dimisit, atq; inde munito suorum præsidio oppido, uictor domum redijt. Habeo tamen autores, qui affirment oppidum per proditionem Petri Spaldyngi eius loci præfecti, ante regis aduentum, traditum fuisse Iacobo Douglassati, quod à uero non magnopere abhorret, siquidem satis constat oppidum lõgè munitissimũ id temporis fuisse, adeò ut Scotus paulò antè frustra id tentarit per uim capere, quemadmodum suprà scripsimus. Sed parũ refert, quoquomodo res acta sit, quandò amissa est. Quid quòd omnes Anglorum conatus eo tempore quasi obstante fato male cadebãt: nam Henricus qui ex Bellicampo erat, uir multæ uirtutis, comparata nõ mediocri armatorum manu, Scotiam sub idem tempus ingressus, postquam multum prædæ fecerat, à Iacobo Douglassate circumuentus, præda & magna parte comitatus spoliatur. Adauxit domesticum malum perditissima audacia Gilberti Midletonij, is iratus Ludouico Bellimontensi, qui nuper repulso Henrico Stanfordio, Dunelmensis episcopus rogatu Edouardi regis, à Romano pontifice factus fuerat, eum cum Henrico fratre cepit, duxitq́ in Mitfordiam arcem, nec prius dimisit, quàm ambo se grandi pecunia redemerint. Ob eam rem Gilbertus animo elatus, se Northumbriæ ducem dicit, iunctoq; cum Scoto fœdere, Richemondiam comitatũ crudeliter populatur. His maleficijs Gulielmus Feltonus & Thomas Hetonus commoti, arcem primò Mitfordiam expugnãt, dein Gilbertum cum Gualtero Sebio eius socio capiunt, captosq́ Londinũ mittunt, ubi post paulum pœnas scelerum dederunt. Edouardus ubi cogno-

uit Beruicum esse amissum, eò cum paucis copijs profectus, oppidum circun sidet. Adfuit nõ multò pòst Robertus subsidio suis, ac confestim ut loco ap propinquauit, positis castris, suos ad pugnã cõmittendam se expedire iubet: iamq; in hostẽ ibat, cùm Anglus relicta obsidione, perpetua fuga Eboracum se recepit. Robertus nihil, fugiente rege, sibi formidandum ratus, hostẽ usq; Dunelmum insectatus, & postquam multos interfecerat, magnã redeundo aduexit prædam. Sunt qui tradant Scotum fretum suo præsidio, quod Beruici erat, alio itinere Angliam ingressum, cursitando peruenisse ad Suellem flumen, quod flumen Langtonum uicum præterlabitur, & circa eum locum, se fœni cumulis qui tunc in agris frequentes erant, texisse, ac Anglos more lu dentium obuiam factos repentè adortũ, ad duo millia interfecisse, & eam rem Edouardum ab obsessione auertisse. Atq; ita omnis regis conatus uno uel al tero modo frustra euasit. Fuit is annus salutis humanæ M C C C X V I I, & I X, cùm regnare cœpit Edouardus.

Habebatur iam nomen Anglicum ab omnibus cõtemptui, propter infeli citatem principis, qui ut deuius & præceps nihil nõ præposterè ageret. Quæ res ita principes angebat, ut iugiter cogitarent, quonam pacto iuuenem non utiq; improbum ad officiũ reuocare possent, quò tandem pateretur exactis Spenserijs, eos optimates sui esse uicarios, quos conciliũ iampridem sibi de disse non ignoraret. Itaq; post longã consultationẽ armis agendum rati, Tho mam Lancastri & Humfredum Herefordiæ comites, ac duos Rogerios Mor timerios duces summa omniũ uoluntate sibi deligunt, atq; statim sumptis ar mis, Hugones Spenserios patrẽ & filium labes regni nefarias, furias & faces Reipub. teterrimas, in exilium eijciunt. Quo facto, ad regem adeunt, expo nuntq; Hugones nõ odio, sed regni eiusq; salutis causa ab sese exterminatos, tanquam duas pestes, quòd illis gubernantibus, Respub. salua esse nõ posset, ac propterea rogãt, ut nihil ægrè ferat. Rex, ut suapte natura lenis, & in quam uis partem nõ consilio magis quàm cuiusq; persuasionibus facilè inclinatus, suorum principum consilijs acquiescẽs, id factum satis tum probauit, ac non multò pòst habito concilio, ipse Hugones suo etiam decreto exules edixit, publicatis simul eorũ bonis. Quibus actis rebus, comites Lancastrius & He refordensis in Vualliam proficiscuntur, ut oppida quædam recipiant, quæ adhuc ab exulibus tenebantur, quæ cùm satis munita forent, præsidiũ quod intus erat, negauit se iniussu Hugonum, ea redditurum. Quo accepto respon so comites ad oppugnandũ iam aggrediebantur, paratis omnis generis ma chinis, cùm (etenim difficile est, tam abstinere à consuetudine, quàm non mo ueri desiderio eorum hominũ, qui iampridem per uoluptatum societatẽ, à te gratiam iniuerint) Edouardus cui pluris erat Spenseriorũ amicitia, quàm pa triæ decus, aut salus, interim sententiã mutauit, qui cùm pro suo iure, nihil sibi agendum duceret, & horreret bonorũ monitiones, rursus habere suos Hugo nes consiliorum autores, uoluptatũ socios, in omni cogitatione cõiunctos cu piebat: itaq; primò clàm admonuit Hugonẽ patrẽ, ut nõ decederet de regno, sed se abderet in loca Vualliæ maritima, deinde cũ exercitu profectus utrum que Hugonẽ palàm ad se euocauit. Erant in parte eius complures Hugonum amici, & in ijs Ioãnes comes Arundellius, Robertus Baldochus cancellarius, & Simon Redyngius homines nõ minimi usus. cum ijs igitur inito consilio, quo-

quonam pacto factam à principibus iniuriam ulciscereturꝛ (iniuriam enim ap pellabat, inultamq; esse nolebat princeps, quòd ab se Hugones malarum ar tium doctores, quibus maximè pollebant, ablegati essent) exercitũ diuisit, & partem secum tenuit, alteram duce Andrea Hertleio, Derbium uersus ire iussit, ut comites circumueniret, qui interim expugnatis locis ferè omnibus, quę Hugonum erant, apud Burtonum uicum, citra Trentam flumen, castra habe bant. Ipse uerò Salopiam progreditur, ac inde recto itinere, pagum proximũ Tutberiam, quæ trans amnem est, petit, ut à tergo comites adoriatur. At ubi comites per crebros nuntios cognouerũt, regem more hostis appropinqua re, ancipiti malo perculsi fugam necessariò parant, quippe quòd nihil tale in præsentia à suo principe formidabãt, licet antea intellexerint eum accersiuis se in patriam Hugones, qui cum globo militum Eboracum uersus iter confe runt, sed obsessis ab Andrea Hertleio uijs, in insidias præcipitãtur. Hîc ingẽs pugna cõmittitur. Humfredus comes Herefordiæ cùm ferocius in hostem e ueheretur, telo trãsfixus concidit. Amisso tanto duce, cæteri cadentes animis in fugã se conferunt, passimq; fugiendo, aut interficiuntur, aut capiunt. In ijs fuere Thomas comes Lancastrius, duo Rogerij Mortimerij, Gilbertus Tal botus, Robertus Clyffordius, filius eius, quẽ in bello Scotico suprà ostendi mus cecidisse: item tres Gulielmi, Varanius, Chenius, & Tuchetus, Ioannes Pagius, ac multi alij nobiles, qui ferè omnes paucis pòst diebus, alij alio in lo co supplicio affecti sunt. Comiti Thomę postquã Pontifracti aliquot dies in custodia fuerat, caput amputatum est. Hunc quidam tradunt hominem fuis se summa integritate atq; innocentia, ac ob eam sanctitatem, post mortem, multò clarissimum factum miraculis: è cõtrario iam inde à principio multo rum opinio tulit, eundem haud puris præditũ moribus: adeò perdifficile est cuiuspiam metiri uirtutem uulgi iudicio, cuius proprium est, ex ueritate, pau ca, ex opinione, multa æstimare, ac unumquenq; omnino iure uel iniuria car pere. Incidit hæc principum clades in annum salutis M C C C X X I, & cùm re gnare cœpit Edouardus, X I I I.

Rex secundum hanc uictoriã, suis Hugonibus omnia credere, summã im perij deintegro tradere, item gloriari, q̃ suos dolo oppressisset, tum demũ se in cœlo esse arbitrari, iracũdè minitari, de reliquis omnib. iniuriosè decerne re, nisi dicto parẽrẽt, simul & Isabellã uxorẽ quia bene admonebat, iam palàm aspernari. Cõtrà optimates cernentes iam omnia desperationis plena esse, cũ in metu, tum in dolore erãt, ac insuper funestæ nobiliũ cædis exprobratione moti, iam inde locum & tempus insidijs perappositũ quærebant, quò Hugo nes primò perderent, ac per hoc deinde principẽ ad sanitatẽ reducerent, quẽ non poterant nõ odisse, ac omnibus precibus execrari, quòd tam suis nocen dum iudicaret, quàm sue ipsius saluti minimè omnium prospiciendum cura ret. Verùm Edouardus quãuis ab omnibus ita male audiret, malis Hugonũ artibus instructus, non lenire tamen suorũ principum in se odium, aut simul tatem, sed augere studebat, ut qui hebes ad intelligendum cõsiderandumq; quid periculi immineret, non animaduerteret: itaq; anno qui insecutus est, E boracum proficiscitur, ibiq; cõcilium habet, quò pauci admodũ accesserunt, quòd omnes sibi ab Hugonibus timerent. Quo in concilio Edouardus regis filius primùm princeps Vualliæ ac Aquitaniæ dux creatur: deinde Hugo pa

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter Vintoniæ,& Andreas Hertleius Carlioli comites fiunt,cuius quidem rei causa huiusmodi concilio habitum est. Interim Gualterus Cantuariensis antistes sacerdotum conuentum Londini egit,in quo postquam nonnulla constituta sunt, quę ad statum ordinis pertinerent,rogatu regis,publicè declarauit eos omnes impios,suaq; autoritate à reliquorum Christianorum cōmunitate exclusit, qui persecuti essent duos Hugones, quòd illi tum perperàm primùm in exilium acti fuissent, quàm deinde iure optimo in patriam restituti: qua quidē ille declaratione stulta pariter atq; iniqua,& Dei iram in se,uti credere par est, & odium populi non iniuria concitauit. Sub idem tempus, arx ad Leuisum oppidum Sutsexiæ posita quæ à principibus tenebatur, deturbata in præsidij parte, à rege capitur, qui omnes intus captos exemplo post homines natos importunissimo,ad unum necauit.

Dum ita domesticis seditionibus laboratur, hinc Scoti Dunelmensem agrum deuastant,illinc Franci Aquitaniā excursionibus uexāt:sed isti ne dicerentur pacem aut fœdus rumpere, prædicabāt se id eam ob causam facere, q Edouardus non iurasset in uerba regis Ludouici ut beneficiarius, qui possessor esset principatus ipsius Aquitaniæ,& comitatus Pontiui,cùm reuera ipsi, ut illud est hominum genus imperij fines propagandi longè cupidissimum, cognoscentes Edouardum bello parum felicē, & consilio minus bonum, nō uti cum suis cōcordia, ac semel atq; iterum intra paucos dies plagam à Scoto accepisse grauem,putarent tempus uenisse,cùm tandem Anglum omnis Gallię possessione haud multo sudore uel labore pellerent:quare nomine iurisiurandi exigendi,primo quoq; tēpore arma mouerūt. Et hæc causa belli. Nunc ad rem redeo. Edouardus duplici malo uno tempore affectus,postquā quod facto opus esset deliberauit, in Scotos à quibus uicinius ac magis imminens periculum futurū arbitrabatur, armis à finibus quamprimùm arcendos sibi ipse eundum cōstituit:ad Francos uerò compescendos,Edmundum fratrem comitem Cantij in Aquitaniam misit. Itaq; nō multis inde interiectis diebus, cùm iam hostes præda onusti intra suos fines se recepissent, non paruo cum militum numero Scotiā petijt,& quia nullos hostium habuit primo ingressu obuios, audacter & ultra quàm deberet, multa millia progressus, repentè à tergo inuaditur ab hostibus,in fugamq; momento conijcitur. Scoti postquā fugientes cædendo usq; ad arcem Norhamum insectati sunt, confestim consistunt,atq; rei bene gerendę occasionem nacti,arcem oppugnare aggrediuntur,qua post decimum diem,quàm oppugnare cœperant,potiuntur. Rex Edouardus partim ira, partim ignominia turpis fugæ stimulatus, haud multò pòst exercitum reparat,atq; celeriter in Scotiam iter facere incipit,quem Scotus cùm appropinquare cognouisset,obuiam factus prius in fugam conijcit, quàm armis inuaderet: nam dum ille ut iam minus insolens infamiæ in loco syluestri ad Blakmuram(id locomomen est)citra Thesim amnem,magis feris capiendis operam dabat, quàm imperatoris officium faciebat,superuenientę hoste,parum abfuit,quin caperetur. Rege per hunc modum fugato, Scoti eodem impetu Eboracū usq; progressi, post uicos & ædificia aliquot incensa,bene magnum numerum frugum atq; pecorum, secum in patriam deportarunt,principibus Anglis certè quidem patriæ uicem dolentibus, sed ex eo nihil iuuantibus, atque tantum calamitatis æquius ferentibus, quòd per id existi-

existimabāt citius futurum, ut de Hugonibus actum foret,quandò illorum culpa rex ob amicorum inopiam,tam infeliciter cum hoste quotidie congrediebatur. Fuit is annus salutis humanæ MCCCXXIII, & cùm regnare cœpit Edouardus,XV.

Peruenerat interea Edmundus in Aquitaniam,sed quia magnis actus tempestatibus tardius expectatione suorū accesserat, iam Franci maiorē partem Aquitaniæ occuparant. Quod postquam Edouardus cognouit, ut quoquo modo posset,rebus suis opportunè subueniendi causa,cum inimico transigeret,initio sequentis anni,Isabellam uxorem ad Carolum Pulchrū fratrem regem Franciæ,qui Ludouico Hutino successerat,legauit,quæ cōtrouersias tolleret. Audiuit Carolus sororem libens,promisitq; se omnia oppida de Anglo capta redditurum,si modò Edouardus more maiorum,iusiurandū daret. Fecit Isabella uirū certiorem de responso à fratre dato,hortataq; est ut fidem debitam iureiurando daret. Edouardus accepto ab uxore nuntio, statim filium Edouardum duodecim annos natum,quem nuper principem Vuallię ac ducem Aquitaniæ fecerat,sicut suprà scripsimus,in Gallias misit. Ille iureiurando de more dato,renouatoq; fœdere,omnē Aquitaniam ab auūculo,cui iam plena manu satisfecisset, recepit.

Dum ita Francus placatur,proditio nefaria domi nascitur:cùm enim res ob ties male gestæ cum Scoto,iam Edouardo documento essent,ut fortunā belli timeret,ac pacem demum quæreret,negotium dedit Andreę Carliolensi comiti, ut bono modo cum Scoto de concordia ageret. Is iussu regis in Scotiā profectus,cum Roberto rege nihil de pace,sed de bello egit:nā siue quòd desperaret de rebus Edouardi,cui tam domi quàm foris omnia infesta erant,idque mali in primis eius incuriæ assignabat,siue quòd suapte natura,præ fraudibus & dolis,nulla re alia delectaretur,cum Scoto paciscit,quādo,quóue loco insidiæ Edouardo intenderentur: & ut fides data ac accepta firmior esset, eam noua affinitate obstrinxerunt,despondente Roberto sororem quæ præter cæteras electa atq; formosa erat,ipsi Andreæ. Tali modo dolo iam composito,post paulùm de ea perfidia, tametsi nescitur à quo, rex certior factus est. Adeò difficile est de re quam facis,licet id enixè efficere studeas,omnes cælare, & præcipuè de proditione, quæ mille graditur pedibus, & quocunque pergit, mille post se uestigia relinquit, quibus facilè deprehendi possit. Vbi igit Andreas Carliolū reuertit,à militibus regijs qui illic hybernabant,ipsius regis iussu captus,atq; facinoris statim cōuictus morte mulctat. Ita Andreas crucem sibi construxit, ex qua tandem aliquādo penderet. Atqui se res aliter habet:nō nemo enim cuius sententiæ me esse nō pœnitet,tradit Andream patriæ malis permotum fecisse pacem cum Scoto,& eam quidem honestam, ac coēgisse præfectos uicinos in eam simul iurare: sed quoniam id negotij iniussu regis & Hugonum confecisset, idcirco proditione notatum male periisse, utpote quem ob alia permulta facinora, talis utiq; pœna manebat. Ita homo facinorosus nusquam tutus est, id quod illa prophetica allegoria ualde prouerbialis perspicuè docet:Si ascēdero in cœlum tu illic es,si descendero in infernū, ades. Vtinā tabella huiusce prophetici carminis ante oculos multorū esset,qui autoritate nixi nihil pensi habēt,quod agāt. Ad rem redeo. Attamē Edouardus Scoto diutini belli molestia tędioq; defatigato,& ob id ipsum pa

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem deinde sua spõte petenti, inducias in decem & tres annos dedit, cui post quam ita Anglo ad tempus reconciliatus fuerat, Ioannes pontifex Romanus perdiu contumaci peccatũ ignouit, sublatoq; interdicto, omnẽ gentẽ piorum numero habendã cẽsuit. Fuit ille annus ab humana salute MCCCXXIIII, & Edouardo ab administratione regni XVI. At nõ omittã illud: sanè peridẽ tempus, bene rei literariæ est consultũ. Siquidem Henricus ex Stantonia, uir eque stris ordinis, cùm diuitijs redundaret, statuit eas collocare in usum & cõmodum bonorũ ingeniorũ, quę deinde patriæ honori atq; utilitati essent. Is itaq; homo magnificus eodem anno cœpit Cantabrigiæ ædes extruere, in quibus paulò pòst discipulorũ optimis artibus studentiũ instituit collegiũ, dedicauitq; opus diuo Michaëli archangelo, quod hodie bonarũ artiũ cultu summè frugiferum est. Eo ipso anno Edouardus habito Londini concilio, omnes patriæ hostes iudicãdos curauit, qui stetissent cũ comitibus Herefordensi & Lancastrio, iratus q; alter Rogerius Mortimerius paulò antè aufugisset clàm ex turri Lõdinensi. Itẽ cùm id tẽporis, per Hugonũ crudelitatẽ cõplures quotidie uarijs afficerentẽ supplicijs, essetq; acerbũ spectaculũ uidere passim damnatorũ corpora in furcis, quas uocant, pendentia, cibo esse auibus, per idem conciliũ statutũ est, ut corpora hominũ qui deinceps suspẽdio strangularentẽ, statim ad sepulturam darentur, id quod etiam nunc seruatur.

Post hæc, iam ineunte uere, cùm rex intellexisset. Edouardum filium iurasse, uti moris est, in uerba Caroli, & facta pace, amissa recepisse, continuò Isabel lam uxorẽ cum eo domũ euocauit. Illa accepto nuntio, siue quòd à fratre detineretur, cui læsa iam patientia, uelut par est credere, patefecisset se nihil autoritate aut gratia posse apud uirum, siue quòd idcirco grauatè reuerteretur, ut ne uideret Hugonum consilijs omnia domi turbari, quæ etiam auditu longè grauissima ducebat, siue denique, ut mulierum est, omnia tardè ageret, totam çstatem reditum de industria retardauit, causas morandi uarias per literas eo dem exemplo datas, excusando: sed ut ne apud Edouardũ uirum, in suspitionem caderet, cœpit aliquot ex suis, quos secum in Gallias duxerat, domũ gradatim præmittere. Cæterùm rex ob id Carolo, cuius consilio fœminã regi exi stimabat, ualde iratus, ita egit cum Ioãne Romano pontifice, ut ille per literas Francum increpando admonuerit, ut sororem cum filio, ad uirum remitteret: & quia nihil eo modo profecerat, & ipsam Isabellam & Edouardũ filium hostes patriæ publicè declarauit. Qua re cognita, regina animo turbata in Angliam sibi redeundũ statuit. Hîc inter se dissident autores: quidam traduntilla bellam eo consilio iter in Angliam maturasse, ut cum uiro in gratiam rediret. Apud alios legimus, eam tam uiro quàm utriq; Hugoni iratã decreuisse redire, ut orto per se populi tumultu, acceptam iniuriã ulciscereturid quod, sicuti mox ex rei euentu apparuit, ueriſimũ est. Equidem cùm mulier longè prudentissima intelligeret Hugones exclusisse, distraxisse, segregasse omnes bonos à senatu regio, à Republica, & in locum illorum suas operas, hoc est, clientes, asseclas induxisse, ecquid spei ponere potuisset aut in uiro, qui Hugones libens audiret, præterea neminem, aut in suo consilio, quæ hostis iudicata ipsi Edouardo tam contemptui quàm odio esset? Interea Gualterus Stapyltonus Exoniensis episcopus, qui hactenus cum regina in Gallia fuerat, in Angliã ad regem clàm aufugit, ac omnia ei consilia pariter atq; Isabellæ studia patefecit.

Regina

Regina comparata iam non mediocri militum copia, inter quos erant Angli exules, & in primis Rogerius Mortimerius, qui summam belli scientiam habebat, duce Ioanne Annone Gulielmi comitis Annoniæ fratre, in Angliam cum filio Edouardo nauigat, quò ad VII calendarum Octobris peruenit. Hęc de profectione, ac reuersione Isabellæ, ex Anglicis annalibus dicere habui. Verùm nonnulli alij qui eorum temporum historiam scripserunt, aliter de ea re sentientes, tradũt Isabellam duorum Hugonum atq; uiri iniurijs offensam, clàm cum filio Edouardo, Edmundo comite Cantiano, & Rogerio Mortimerio, aufugisse in Gallias, ad Carolum fratrem: sed Hugones ita egisse cum Carolo, ut tantum abfuerit, ut sororem opibus deinde iuuerit, uti etiam regno expulerit suo, & illam postea persuasione Roberti comitis Atrebatis, à fratre occultè ad Gulielmum comitem Annoniæ confugisse, atq; sic demum duce Ioanne comitis fratre, in Angliam redijsse, accitam à maiore principum parte. Sed utcunq; res se habuerit, satis constat illam applicuisse suas naues ad eam partem insulæ, quam Suthfolchiam uocant, quæ ad orientem solem spectat, unde rectà iter ad Londinũ pertinet. Posteaquàm Isabella in hãc maritimam oram delata est, ut suos à labore reficeret, se Oruellum qui est uicus celebris, contulit, quòd inde ei iter Londinum esset. At ubi fama de eius aduentu per regnum peruasit, incredibile dictu est, quot uno tẽporis puncto heroës sumptis repentè armis, in partem reginę uenerint, adeò ut Edouardum principẽ pro rege iamiam haberent, consalutarent, obseruarent, in cœlumq; laudibus ac plausibus ferrent, & eius patrem apertè clamoribus, conuitijs, maledictis consectarentur.

Erat per eos dies Edouardus rex Londini, qui cùm intellexerit uxorẽ cum filio aduenisse, & magnos tam principum quàm aliorum ad eos undiq; concursus fieri, primò urbem præsidio firmat, cui Gualterum Exoniensem episcopum præponit, deinde capto de sententia suorum Hugonum consilio, trepidus paruo cum numero militum, in Vualliam contendit, atq; ubi Bristollium peruenit, oppidum prę sidio munit, mandatoq; negotio loci custodiendi Hugoni comiti patri, cum Hugone filio Vualliã ingressus ad oram regionis maritimam se recipit: interim quacunq; ibat, diligenter locorum præfectis de rebus omnibus prę cipiebat, ut ne imparati offenderentur. Placuit potissimum Edouardo eò se cõferre, quòd iampridem Vuallos suo nimio certè obsequio sibi fideles fecisse existimabat, idq; ita in animo hęrebat, ut eos pro suo iure uiuentes quasi pro certo haberet nõ esse regij decoris ulciscẽdi causa, neq; laboribus, neq; periculis parsuros: siue ut inde in Hyberniam confestim trajceret, si ita casus ferret, ut sibi fugiendũ esset, aut ad extremũ sibi ad aliquẽ montem impeditámue paludem receptus foret. O res humanas in cõtraria semper mutabiles: rex ritu feræ latebras quærit, qui dum regnũ obtinebat, nõ sanè intelligere uoluit, illud tale esse, quod gubernatorem dormientem facilè obruere, uigilantem uerò erigere, augere, ornare posset. Interea Londinenses ciues, qui eo maioribus affecti fuerant contumelijs ab utroq; Hugone, quo rex diutius apud eos consueuerat esse, & licet antea illorum alijs consilium, alijs occasio, alijs animus ad uindicandas iniurias defuisset, at uolũtas nemini, tum demum ubi reginam aduentare sensere, conuocato per Hamonẽ Chikuuell prætorẽ senatu, captoq; sequẽdi reginã consilio, arma cõmuniter sumũt, ac primo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gualterū Exonienſem epiſcopū, qui urbi præerat, deturbato ſtatim inde præſidio, cum nonnullis aliis, qui regis ſtudebant rebus, cōprehendunt, atq; illos in forum protinus tractos ſecuri percutiunt: dein turrim ui expugnatam ſpoliant, cuſtodias omnes dimittunt, miniſtros regios aut occîdunt, aut adminiſtratione priuant, ac eorū bona paſsim diripiunt: deinde nouos præfectos faciunt, qui reginæ & Edouardi principis amici ſint: quibus rebus ita peractis, ad Iſabellam reginam legatos tres uiros, primarios ciuitatis ſuæ mittunt, qui ſignificēt ea quę in urbe acta eſſent, ac ſe eius dicto audientes fore polliceant. Hæc ubi regina cognouit, & ſimul certior facta de profectione regis in Vualliam, omiſſo itinere incœpto, Oxonium proficiſcitur, quæ dum hîc paulîſper moratur, confluunt undiq; ad eam populi auxilio iuxtà iuuantes, atq; incolumitatē gratulantes. Ad iſtos Adam Herefordenſis epiſcopus, quem Edouardus rex paulò antè grauiter mulctarat, quòd diceretur eſſe ſeditionis ſuaſor, concionem habuit, exponens reginā cum filio eam duntaxat ob cauſam reuertiſſe in Angliam, & Hugones perſequi, ut ſtatus regni corrigeretur, ac ita melior fieret: & quoniam propè ad finem tyrannidis contaminatiſsimorū hominum, ac periculorum eſſet peruentū, æquo animo quod parum ſupereſſet laboris, in perſequendis inimicis ferrent, omniaq; ex uictoria & liberalitate reginæ expectarent, quæ ſummū in Rempublicam amorem haberet, cunctaq; ex eius uſu ageret. Quibus dictis, una uoce generatim conclamarunt omnes, quæcūq; illa præciperet, ſe perlibenter facturos. Quo facto, regina iam ingenti ſtipata armatorū agmine, Oxonio diſcedit, ac ſtatim Gloceſtriam petit, indeq; Briſtollium. Eius aduentu audito, Hugo pater qui oppido præerat, ſe ad defendēdum parat, prouidet, omnibus locis adeſt. At ubi appropinquarūt, aduerſarij oppidum circunſident, ſcalas & alias machinas bellicas admouent quibus muros aut aſcendant, aut demoliantur: iamq; acriter oppugnare incipiebant, cùm oppidani incolumitate pacta, ſe atq; oppidum cum arce Iſabellę & Edouardo eius filio dediderunt. Eodē die Hugo pater furente populo captus, ac extra oppidum per longū ſpatium equorū caudis tractus, ſuſpendio necatur. corpus à plebe dilaceratur, caput uerò ceruicibus abſciſſum fixumq; geſtatur in pilo Vintoniam, ut eo cōſpecto, ciues timore perculſi citius in deditionem ueniant, id quod continuò fecerūt. Atq; ita potētia per ſcelus quæſita, per ſupplicium concidit. Hos ſequuntur Sarisberienſes, Vuellenſes, Bathonienſes, & reliquæ finitimæ, ac demum totius Angliæ ciuitates, miſsisq; ad reginam legatis, ſe atq; omnia ſua in eius fidem & poteſtatem permittunt. Iſabella poſtquam uidit omnes ferè principes atq; ciuitates in ſuam poteſtatem ultrò ueniſſe, & nihil amplius reſtare, niſi ut Edouardus rex aliquo incōmodo affectus diſceret tandem aliquādo reſipiſcere, cum toto exercitu Herefordiam proficiſcitur. Hîc poſt longam diſputationem, negotiū comprehendi Edouardi datur Henrico comiti Lancaſtrio Magni Thomæ fratri, & Rheſo Houello homini Vuallo, qui confeſtim cum electa militum manu, regem perſecutum ierunt.

Dum iſta gerebantur, Edouardus qui ſummis ſolicitudinū aculeis atq; ſcrupulis dies noctesq; de re ſua cogitādo pungebatur, & nullum tempus ad medicinam idoneū reperiebat, nuntiata ſuorū ferè omnium defectione, ira pariter accenſus, atq; timore perculſus, aliquantum ſuſpenſus manſit: nunc enim fugam

fugam tentare, nunc collecta Vuallorum manu, aduerſus inimicos ire perop portunum ducebat: ſed cùm ad extremū omnia timeret, nec quicq; tam calamitoſum putaret, quod non in ſuam fortunam cadere poſſe uideretur, ſtatuit in locū aliquem munitū ſe abdere, ibidemq; expectare, dum amici opera & armis iuuarent: itaq; noctu cum paucis ſuorum, per Sabrinam nauicula uectus ad oppidum Brygnorthum, in arcem quæ ibidem egregiè poſita eſt, clàm ſe recepit. Interea Lancaſtrius cum Rheſo ſuperuenit, quærens ubi Edouardus latitaret. Sed in eo inueniēdo parū laboris fuit, nanq; præſtò fuere ex Vuallis, qui pecunia corrupti eis locum indicarint, quo ſe rex exanimatus teneret: igitur cognito loco, ad arcem accedunt, eaq; ſine contentione, primo impetu potiuntur. Hîc demum Edouardus cum Hugone filio, Roberto Baldocho, ac Simone Redyngio, captus ducitur ad Keneluorthem arcē, ibiq; in cuſtodiam traditur. Quo negotio maturè confecto, comes & Rheſus ducentes ſecum alios captiuos ad reginam, quæ nondum Herefordia ſe cōmouerat, reuertuntur. Ea maiorem in modum gauiſa eſt, quòd ſine cæde, omnia pacata eſſent: exin iuſſu Rogerij Mortimerij, cui de conſilij ſententia, ſumma rerū omnium cōmiſſa erat, cōuocato principum ſenatu, de maieſtate damnantur Hugo & Simon, qui per totam urbem, multo cum probro trahuntur, ac poſt acerbos cruciatus, publicè necantur. Simili atq; illi mactati ſunt ſupplicio, paucis antè diebus affectus fuerat Ioannes comes Harundellius, unus omniū Spenſeriorum longè ſtudioſiſsimus. Hunc finem uitæ duo Hugones cum aliis eorum aſſeclis habuerunt, ſtatim ut paxillus infractus eſt, uti dicit, hoc eſt, confeſtim atq; regio ſunt præſidio deſtituti, quo innitentes potentia & autoritate temerè abutebant. Poteſt talis iſtorum infelix exitus eſſe bene multis documento, qui idcirco inhumaniſsimi iniuſtiſsimiq; ſunt, q; apud principes plurimū poſſint, ſuoq; arbitratu cūcta agant, immemores ſe precariam habere in alios poteſtatē. Robertus uerò cancellarius multis affectus ignominiis poſtquā miſſus factus fuerat, à ciuibus Londinenſibus è manu Adæ Herefordenſis epiſcopi, qui eum diu apud ſe principum iuſſu cuſtodierat, per uim raptus inter fures in carcerem rurſum traditur, ubi ſe tanto mœrori dedit, ut paucis pòſt diebus mortem oppetiuerit.

Quibus rebus ita peractis, regina cum filio Edouardo Londinum proficiſcitur: egregiè prorſus atq; lætè, ut populi gratiam captaret, incedebat: nanq; inchoato itinere per media oppida atq; pagos, ritu triumphantis, uehebatur, & quacunq; ibat, inter profuſiſsimos opſoniorum apparatus, populi gaudentes Hugonum tyrannidem è medio ſublatam eſſe, epulum ubiq; publicè præbebant, multaq; inter eos facta gratulatione, omniū animi ad lætitiam excitabantur. Sed Londinenſes ciues longè ſplendidiſsimo rerum apparatu, reginam uenientem ſumma omniū uoluntate acceperunt, pari affecti lætitia, tam ob aduentum eius, quàm Edouardi principis, quem inter plaudendū, regem conſalutabant. Cæterùm regina quò plus lætitiæ uultu præ ſe ferebat, hoc minus uoluptatis animo capiebat, q; ita uſu ueniſſet, ut neceſſariò ſe oporteret gaudere uirum ex tam amplo ſtatu, tantis ornatū opibus, tantis facultatibus abundantem ſubitò concidiſſe: ſed, ut diximus, uitandæ inuidiæ cauſa, quantum poterat, dolorē diſsimulabat. At poſtq; illa ac principes omnes qui eam ſequebantur, Londinum peruenerunt, cōuocato primo quoq; die concilio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

de collocando regni statu inter se agitant: placuit omnibus, ut Edouardus primùm concilij decreto priuaretur regno, ac deinde filius rex crearet: sed ut prosua dignitate, iudicij acerbitatem remouerent, uisum est optimũ factu, prius tentare, si ipse sponte uellet sese imperio abdicare, quàm filius in locum patris surrogaretur. Quocirca legati ad Edouardum missi sunt, quorũ princeps fuit Ioannes Borthonus Elyensis episcopus, qui ei exponeret, optimates auere, ut uellet in potestate cõcilij esse, atq; Edouardo filio imperiũ per manus suas dare, & nisi id quamprimũ faceret, statutum cunctis esse, unum aliquem quem sors offerret, sibi regem optare. Edouardus auditis legatis, non tenuit lachrymas: iam tum enim illud ex seipso uerũ esse percepit, nihil tam miserabile esse, quàm hominẽ ex beato miserum fieri: sed seipsum statim colligens, ac denuntiationi parens, respondit, scire se suis multis peccatis in hanc ærumnam incidisse, & propterea minus moleste ferre: sed primùm dolere se publicũ fuscepisse odiũ, deinde agere generatim principibus gratias immortales, quòd acceptarũ iniuriarum obliti, tanto complecterẽtur fauore Edouardũ filium, ut eum habere regẽ cuperent, quare ut illis satisfaceret, quandò aliter fieri nõ posset, iã sese & regno ac ipsius administratione abdicare. postremò addidit, se rogare, ut principes sibi tam afflicto misericordiam impartirent. Legati accepto ex sententia responso, Londinũ redeunt ad principes, atq; ordine legationem renuntiãt. Fuit cõmune omnibus gaudiũ, q̃ iam optimatibus liceret alium sibi optare regem. Quapropter habito ad Vuestmonasterium cõcilio, quarto calend. Februar. anno salutis MCCCXXVI, Edouardum secũdi Edouardi filium annos natum decem & quatuor, regem fecerunt, ordine regum tertium Edouardum nuncupatum, quẽ Gualterus Cantuariensis antistes more maiorum sacrauit. Huic quia per ætatem regia munia obire nõ poterat, tutores cum primis dantur Edmundus Cantianus, Henricus Lancastrius comites, & Rogerius Mortimerius, quòd uiri singularis uirtutis haberentur. Deinde Isabellæ eius matri dos multò amplissima assignatur, unde honestam uitam degeret. Postremò datur negotium custodiendi Edouardi per hunc modum dignitate deiecti, Thomæ seu Mauritio, utrunq; scriptum reperio, Barkeleiensi, & Ioanni Matreuersio honestis equitibus. Hi ineunte uere, Edouardum ab arce Keneluorthi Barkeleium noctu & clàm abducunt, atq; in arcem quæ ibi munitissima est, custodiendum conijciunt. Est arx ista in medio ferè itineris spatio sita, inter Bristollium, & Glocestriam oppida, ad mille ferè passus cis Sabrinam.

Dum Edouardus hîc tenebatur, non deerant, qui eius uicem dolẽtes, summæ principes perfidiæ, ac Edouardum regem & Isabellam impietatis crimine palàm notarent, insimularentq; iniquitatis: quia, ut quidam Græcus historicus ait, Infelices misericordia, potentes inuidia semper sequitur: ac uictus accepisse, uictor feciſſe iniuriam uidet. Ita fiebat, ut præsens regni status bene multis, non item omnibus, ut solet, omnino probaret. Quare aliquot optimates, autore Edmundo Cantij comite, secreta passim iam consilia & sermones deliberando Edouardo, unà conferre cœperunt, qui inuidis eius calamitatem crimini dabant. Quæ ubi Isabella & alij tutores comperierũt, arbitrantes nõ esse tutũ initio principatus Edouardi, in autores cõspirationis animaduertere, tantũmodo occasionem inimicis auferendam perficiendi negotij iudicarunt, itaq;

itaq; custodibus iubent, ut Edouardum captiuũ atq; huc atq; illuc continenter ducãt, quò deniq; ubi loci sit, nemo homo certum habeat. Ii quod imperatum est, faciẽtes, miserum principẽ ex Barkeleio ad arcem Corsim cõmouent, & inde ad alia loca nocturnis itineribus traducunt, defatigãdo usq; eò, dũ postremò quamsecretissimè potuerunt, rursus Barkeleium reduxere. Dum hîc Edouardus custoditur, Isabella uxor ei sæpissimè salutem scribebat, significabatq; dolorem se accipere, quòd prohibentibus principibus, uisere sibi nõ liceret: mittebat insuper munera frequẽter. Quę res tantum suspicionis custodibus attulit, ut de eo necando statim pòst cogitare cœperint: qui cùm eum inhumaniter tractassent, uerebantur, ne tandem rex paterna charitate uictus hortante matre, ipsum liberaret, & ille inde de se supplicium sumendũ in primis curaret: sic hominem paucis pòst diebus necãt, eoq; nefario edito facinore, clàm in Galliam aufugiũt. Quo autem genere mortis Edouardus interierit, non facilè constat: fama exit in uulgus, illum dum uentrem purgaret, fuisse ueru transfixũ per clunes, anno ætatis XLIII, & cùm regnare cœperat XIX. qui fuit annus salutis humanæ MCCCXXVII. Corpus nulla funebri pompa Glocestriam delatum ad diui Petri cœnobium, ubi loci monachi ordinis diui Benedicti degunt, sepelitur. Creauit ex Isabella uxore quaternos liberos, Edouardum, qui, ut demonstrauimus, eo uiuo, rex factus, est: Ioannẽ cognomẽto Helthamium à loco ubi natus est, sumpto: Aleonoram, quę ante nubiles annos mortua est: & Ioannam, quę postea Dauid regi Scotiæ nupsit. Fuit statura penè iusta, corpore ualido, qui prospera usus est ualetudine: non deerant etiam animi uires, si repudiatis malis suasoribus, eas in aliqua re honesta exercuisset, quod ei per consocios facere minimè licuit: adeò curandum est, quem à principio in amicitiam aut familiaritatem recipias, quãdoquidem ut illius cum quo diu societatẽ habes, quotidiano usu persimilis fias necesse est, dicente Græca parœmia: Si iuxta claudum habitaueris, disces subclaudicare. Nam aliquãdo literarũ studia, quæ ipse, ut dixi, attingere et gustare nõ potuit, admirari cœpit, qui Oxonij autor fuit collegij regalis, quod Orial uocant, ac aulæ diuæ Mariæ, ut in his cœnobijs doctrina coleretur, quemadmodum hodie duo hæc collegia bonarum omniũ artium plena sunt.

POLYDORI VERGILII ANGLICAE HISTORIÆ LIBER XIX.

RES GESTAS Edouardi secundi regis per annos decem & nouẽ, ac illius eędem, superiore libro persecuti sumus: dehinc Edouardi tertij eius filij facta dicemus. Is postquam est rex factus, aliquandiu fuit in tutela Isabellæ matris, & optimatum, quos illa à primo in regium senatum deligẽdos curauerat, ad res gubernandas, causas que sine litium tumultu cognoscendas. At Edouardus ut primùm ex pueris excesit, animum suum grauioribus conformauit moribus, & cùm ætas patiens militiæ fuit, Scotum reprimendum, & si fortuna belli faueret, in deditionem sibi redigendum statuit, qui paucis antè annis, Edouardo patre rege, sæpe Anglicos fines impunè uastasset, ac assiduis abactis prædis, tam animosior quàm locupletior effectus esset: itaq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

copijs primo quoque tempore coactis, Eboracum proficiscitur, facta omnibus suis magna uictoriæ expectatione. Dum autem hîc de inuadendo in hostem, consilia agitat, orta discordia inter Ioannis Annonis milites, & aliquot Anglicos duces, nonnihil cædis factũ est. Quæ discordia, etsi iussu principis est euestigiò sedata, tamẽ quia animi utrinq; offensi clàm odium alebãt, fecit, ut omnis regis conatus male ceciderit: nam paucis deinde interiectis diebus, rex cum omnibus copijs Scotiã ingressus, Robertũ regem parua militũ manu stipatũ obuium habuit, quem à tergo, à fronte, à lateribus circumuenien-
dum ratus, dũ milites certis in locis disponere festinabat, ecce tibi, Scotus de re à transfugis certior factus, protinus è conspectu hostium in mõtes proximos conuolauit. Rex dolens ereptam è manibus fraude suorũ, bene gerẽdæ rei facultatẽ, ut ne fortunã frustra rursus tentaret, qui optimè norat nihil boni fieri posse à militibus discordia agitatis, infecto negotio, Londinũ confestim reuertitur, ac Ioannẽ Annonem de se & matre bene meritũ, amplissimis donatum muneribus, domum dimisit. Is nõ multi interceserũt dies, cùm autor fuit, ut Philippa fratris Gulielmi filia, ætate & forma longè florentissima, Edouardo nuptũ collocaret. Quæ equidẽ affinitas magno deinceps Anglo usui fuit, quippe quæ ad illum Flandrorũ animos aduersus Francos cum primis, ut infrà declarabit, adiunxit. Porrô fœdus inter ipsum Anglum & Francum antè percussum nõ diu inuiolatũ permansit: quoniã eo anno qui fuit humanæ salutis MCCCXXVIII, noua causa redintegrandi odij incidit, unde magnarũ ducta sunt initia rerum, quæ iam tum utrunq; populũ solicitũ habere cœperũt, ac nunquã postea peruenire ad exitũ potuêre: nã cùm Carolus Pulcher, qui id tẽporis uita excesserat, reliquus unus ex stirpe regia uirili fuisset, inde factũ est, ut disceptatio de regno Frãcię orta sit, quę adhuc sub iudice est, cùm Anglus regnum illud uti certam maternã hæreditatẽ sibi uenire contenderet, contrà Francus idipsum se iure quamoptimo possidere affirmaret.

Quoniam autem ad hunc locum peruentum est, non alienum esse uidetur, de origine huius magnæ controuersiæ proponere, ut historia nihil non in re etiam ambigua, si fieri possit, planum faciat. Philippus Pulcher rex Franciæ, tris ex Ioanna uxore creauit filios, Ludouicũ Hutinum, Philippũ Longum, & Carolum Pulchrum: filias uerò duas, unam, quam infantem mors rapuit, & alteram Isabellam nomine, quæ nupsit Edouardo secundo regi Angliæ, ex qua natus est Edouardus tertius, de quo nunc sermo est. Illi tres filij deinceps regnarunt. Successit Philippo patri Ludouicus: is ex Margarita priore uxore, filia Roberti ducis Burgundiæ, Ioannam filiam suscepit, quæ deinde data fuit in matrimoniũ Ludouico Eburouicum comiti, sed nullis ex se genitis liberis, haud diu superstes fuit. Alteram uxorẽ Clementiam nomine, filiã Martelli, qui pater fuit Roberti Sicilię regis, moriens grauidam reliquit, quę puerum peperit, cui nomen Ioannes est impositum, qui pauculos dies uixit. Post hunc Ioannem, regnat Philippus Longus, quamuis nõnullis inclamantibus regnum Ioannæ Hutini filiæ deberi, id quod Odo Burgundiæ dux auuncuius puellæ cum primis faciebat: plus tamen uis potuit, quàm ius. Philippus deinde post annum quintũ, quàm regnũ occuparat, sine liberis moritẽ. Postrèmò Carolus Pulcher regnũ obtinuit, is septimo pòst anno mortẽ obiuit, relicta Ioanna uxore grauida, quæ paucis pòst diebus filiam nomine Blancham enixa

enixa est, quæ statim patris fatum secuta est. Per hunc igitur modũ, regia uirilis stirps Philippi Pulchri in Carolo filio defecit, ex quo de regno inter Francum & Anglum contentio orta est, quæ, ut antè diximus, etiam nunc sub iudice restat. Edouardus enim rex sibi ut legitimo hęredi Francię regnũ uenire cõtendebat, quòd ipse solus ex stirpe regia esset, qui Philippũ Pulchrũ auum maternũ proximo cognationis gradu attingeret, utpote qui ex Isabella eius filia genitus esset. Quocirca primo quoq; tempore per legatos, cum Francis principibus egit, uti se regem dicerent: sed legati nunquã gratè auditi, domũ re infecta rediere, cùm ipse statim pòst se utriusq; regni & Franciæ & Angliæ regem appellare cœpit, aliquãdo armis, quam iure nõ poterat, recuperaturus hæreditatem. Quo quidem titulo etiam nunc Anglię reges sic utuntur, ut ne scripto quidem quotidianóue sermone uocentur aliter. At Franci qui iniuriã filiæ Ludouici Hutini regis paucis antè annis factam pro iure habebant, præ dicantes iam inde à principio suorũ regum, lege exceptum esse, ne regnũ Frãciæ ullo unquam tempore fœmineo sexui deberetur, Philippũ Valesium filium Caroli Valesij, qui Philippi Pulchri frater fuerat, regẽ fecerũt, quem memorię proditũ est Flandros finitimos populos illudentes, regẽ repertũ extra iocum appellasse, tanq; nõ iure creatum. Hinc colligere licet, nullam fuisse ab initio legem apud Francos, qua uetitum esset, regni hæreditatem mulieribus uenire, id quod testimonio Odonis Burgundionis ducis potissimũ compro batur, qui, ut suprà ostendimus, magnopere reclamauit, cùm Philippus Longus est rex creatus, nec prius à negotio destitit, quàm Longus locata illi filiarum maxima, & comitatu Burgundię nomine dotis dato, in suas traxerit partes. Illud item uerissimũ esse attestatur Flãdrorũ scomma in Valesium uulgi sermone iactatum, quòd ille fortuitò, nõ iure ad regnum peruenisset. Atq; ita recens cõmentũ fuisse uidetur, quo Edouardus regno Franciæ est fraudatus, quod quemadmodũ ille tã iure sibi quàm qui optimo, repetebat, ita nũc Angliæ reges nõ iniuria repetere uidentẽ. Sed unde digressi sumus, reuertamur.

Per idem tempus Robertus rex Scotiæ moritur, cui Dauid filius successit, is formidans potentiam Edouardi, et tædio longi belli affectus, quo nouerat Ioannem Baliolum & patrem Robertum pressos longè miserrimã egisse uitam, confestim legatos de pace ad Edouardũ qui tunc Northantoni erat, misit. Audiuit rex legatos libenti animo, & quia iam tum Scotico bello Gallicũ anteuertendũ decreuerat, de sui familiaris senatus sententia, dedit pacem Dauid regi, ac simul eidem Ioannam sororem locauit. Quod fœdus ut parũ honorificum nõnulli ex optimatibus, quibus iustitia cordi erat, minimè probarunt, periniquũ esse prædicantes, ut Dauid regnum Scotiæ obtineret, quod Robertus eius pater cõtra ius fasq; occupasset. Atq; ita demum cessatum est ab armis inter Anglum & Scotum, post annum trigesimũ, quàm Ioannes Baliolus rex Scotiæ ab Edouardo primo uictus, regno est priuatus. Eodẽ anno moritur Gualterus Cantuariensis antistes, post annũ quàm sedere cœperat, XV. cui successit Ioannes Stretfordius Vintoniẽsis episcopus, ordine antistitum Cantuariensium quinquagesimus, uir tam pontificij quàm ciuilis iuris peritissimus. Anno qui secutus est, qui fuit salutis humanæ MCCCXXIX, rex conciliũ ad Sarisberiam cõuocauit, quo in concilio posteaquam ex patrũ consensu, permulta quę è republica erant, partim correcta, partim constituta

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, nouissimè autē Ioānes regis frater cognomēto Helthamins Cornubiæ, & Rogerius Mortimerius Merchiæ Vualliæ comites facti sunt. Dū ita Edouardus ad res suas domi constituendas incumbebat, Philippus rex Franciæ ab eo postulauit, ut sibi iusiurandū nomine possessionis Aquitaniæ, & Pontiui daret. Quocirca ille in Ambianos profectus, ubi Philippus erat, in uerba eius, prout est mos, iuratus est: exin de locis quæ Carolus Valesius Philippi pater aliàs Edouardo primo regi ademisset, nec reddita essent, coràm pauca pro suo iure locutus, quamobrē Francus eius animū perspiceret, in Angliam redijt. Anno illo ipso Ioānes Cantuariensis antistes suorū sacerdotū concilium habuit Londini, in quo postquā pleraq; uiolata expiata sunt, atq; alia multa ad modū pristinū à patribus olim institutū redacta sunt, quibus res ordinis cōmodiorem in statū peruenirēt, omnes generatim qui mortē Gualtero Stapyltono Exoniensi episcopo machinati essent, eūq; percussissent, ex Christianorū cœtu eiecti sunt. Hūc Gualterū, ut diximus in uita Edouardi secūdi, Lōdinenses securi percusserūt, q fortè præsenserat se nō posse diu saluo capite, suis seruire principibus, idcirco antè duo multorū seculorū opera Oxonij fecerat, in quib. artiū bonarū scientiæ uacantiū adolescentiū collegia collocauit. Istorū alterū Exoniēse collegiū, alterū Ceruina aula nūcupat. Rex interea cōcilium Vintoniæ habet, quo in cōcilio Edmundus comes Cantij eius patruus proditionis insimulatus damnat capite, q nōnullos de nobilitate cōcitasset, q, uti suprà memorauimus, Edouardū fratrē clàm è carcere ducerēt, ac in administrationē regni restituerēt. Quare ille urgēte Isabella regina matre regis, quæ cū homine apertas habebat inimicitias, paucis pòst diebus securi percutit. Anno deinde qui secutus est, qui fuit humanę salutis MCCCXXX, & cùm regnare Edouardus cœpit IIII, Philippa regina peperit filiū, quē Edouardum pater nominauit: moris est enim tam regum, q̄ priuatorū Anglorū, ut pater in filio maiore natu plerunq; suum renouet nomē. Eodem tempore Thomas seu Mauritius Barcleiensis unus ex percussoribus Edouardi secundi, captus in Gallijs, in Angliā ducit, ac merito supplicio afficit. Itē Rogerius Mortimerius comes Merchiæ Vuallię à proditionis scelere non abesse cōpertus, pari pœna mulctat. Rex interim uestitu incognito in Gallias profectus, illic nonnullas ędes sacras uoti nomine uisendi causa, aliquot dies peregrinatus est.

Dum hæc in Anglia gerebantur, Edouardus filius Ioannis Balioli qui rex Scotiæ fuerat, cui diximus in uita Edouardi primi, Carolū Valesiū Philippi Pulchri fratrē locasse filiam, qui toto eo tempore ex quo pater à regno deiectus fuerat, in Gallia exularat, tum demū fretus ope Philippi regis Franciæ uxoris fratris, in spem recuperandi regni Scotici non incertam uenit, atq; comparata nō parua militum copia, in Angliam traiecit, ut partim tentaret, an rex permitteret se per Angliam iter in Scotiā habere, quod ualde cōmodum esset, partim uerò ut in societatē belli adduceret aliquot principes regni, qui eo dem tempore post eiectū Ioannem regem, possessiones in Scotia amiserant, quorum sanè in numero cum primis erat Henricus Bellimontēsis comes Atholiæ, & Ricardus Talbotus, ambo summe uirtutis uiri. His itaq; cum nonnullis alijs Edouardus sibi copulatis, maiore cum fiducia adit regem, oratq;, ut permittat se per Angliam in Dauid regem exercitum ducere, atq; id pollicetur sine ullo maleficio se facturū. Rex cognita eius postulatione, rem ad familiarem

liarē senatū detulit, ut quid illeagendū argumentaret, audiret: qui interim cœpit ancipiti cura solicitari, quòd diu antea eum pœnituerat icti fœderis cum Dauid, cui nullo iure regnū Scotiæ debebatur, et idcirco ęgrè patiebat illū regnare: cōtrà cogitabat, si Dauid regno pelleretur, illud malum illi fore cōmune cum Ioanna sorore eius uxore. Vicit deniq; de senatus sententia, fraternæ charitatis affinitatisq; uinculū, negauit enim rex se daturū iter: noluit tamen, quēadmodū potuit, Baliolum ab incœpto deterrere, quippe qui non inuitus sinebat Scotū bello peti, quem ipse per hunc modum iam debilitatū tandem aliquando sub imperiū suum redigendum statuerat. Baliolus accepto responso, & cognito, etsi obscurè taciteq;, regis animo, cōducit undiq; naues, atq; in Scotiam nauigat, qui in Fortheam delatus, ubi litus attigit, ecce conspicit ratos milites quaquauersum dispositos, qui orā maritimā tuerentur: qua re cognita, quia hostes pauci eo in loco erant numero, cùm alij alibi aduentū eius obseruarent, præcesserat enim fama aduētus Edouardi, quamprimū in terrā descendit, atq; dum primi egressi cum hoste pugnant, reliqui omnes tutò descendētes, pugnam redintegrant. Hîc magna contentione dimicatū est, cùm illi ea in re uictoriam celerem, & isti suam salutem consistere animaduerterēt. Sed rem obtinuere Baliolani: nanq; Scoti post multa accepta uulnera pedem retulere, hostem uenisse passim clamitātes. Baliolus eo successu animo elatus Fanum Ioannis rectà petit, ad oppugnandumq; aggredit. Ad hunc clamorē fit concursus adeò frequens, ut breui tempore Patritius Doumbar, & Donaldus Marriæ comes, qui regni gubernatores erāt, quòd Dauid rex esset ętate admodū puer, cum reliquo exercitu adfuerint, confestimq; ad hostes properarint, qui castra in proximis tumulis, secundum Ernam flumen, ad Duplynū uicum, metati erant. Hîc commisso prælio, gubernatores qui omnia negligēter curarant, multitudine freti, profligantur, amissis ex suis amplius sexdecim hominū millibus, in quibus fuit Donaldus alter dux, cum bene multis equestris ordinis uiris. Baliolus tanta potitus uictoria, protinus de principū Anglorum sententia, Fanum Ioannis rursum inuadit, nulloq; negotio capit, quid uidens rem incipere melius ire, quàm putarat, se Scotiæ regem dicit.

Hæc ubi rex Edouardus accepit, ualde gauisus est, quòd uenisse tēpus putaret, cùm Scotos subigeret: sed ut ne sibi crimini daretur, si bellum tentaret, cœpit prædicare palàm Scotū nō esse secum in fœdere, quòd se insciente, qui id temporis legitimam ætatem non ageret, illud factum fuisset. Atq; ita fracti fœderis culpam delendo, in Scotiam contendit: qui ubi Beruicum peruenit, oppidum obsidione cingit, ac interdiu noctuq; continenter urgēdo respirare non sinit. Erat loci præfectus Alexander Setonus uir singulari uirtute, qui oppidum fortiter defendebat, cùm Andreas Morauius qui Donaldo comiti nuper interfecto surrogatus fuerat gubernator, regis Edouardi ab obsidione auertendi causa in Angliā excursiones facit: In hūc rex Baliolū qui ad eū paulò antè uenerat, misit, qui leui prælio apud Roxburgum facto, Andream cepit, fuso aut cæso omni eius comitatu. In Andreæ locum Scoti principes Archibaldū Stuartū, uirum æquè fortem ac prudentem substituunt. Is magnis repētè instructis copijs, oppidanis subsidio uadit, qui Deum uiolati fœderis ultorem inuocans, cum hoste ad Halydonū mōtem proximū confligit, ac demum uincit. Rex Edouardus parta uictoria, Beruicū reuertit, acriusq; quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

antea urget. Tum oppidani desperato subsidio, incolumitate pacta, ilicò sese dediderũt. Cõciderat in ea pugna à Scoto infinitus hominũ numerus, & præsertim nobiliũ, in quibus fuit ipse Archibaldus cum Iacobo Alano & Ioanne fratribus, item Alexander Brusius Caricte, Hugo Rossensis comites. Captiuorũ numerus penè par. Secundum hanc cladem acceptam, Alexander Setonus datur collega in procuratione regni Patritio. Ii uidẽtes res domi in summo ubiq; uersari periculo, ut conseruarent Dauid regem uix tum decem natũ annos, cum Ioanna sponsa in Galliam miserunt, qui apud Philippum regem usq; eò esset, quoad idoneus foret per se administrare bella. Fuit ille annus salutis humanæ MCCCXXXIII, & cùm regnare cœpit Edouardus, VII. Cæterũ autores habeo, aliam huiusce belli causam fuisse, & eam omnino ueriorẽ, qui tradunt Edouardum regem ideo bellum fecisse Dauid regi, quòd ille pernegasset more maiorũ, in eius uerba iurare, ut ne per id Anglũ terræ Scotiæ dominum se agnouisse fateretur. Sic Edouardus recepto oppido, ac alijs postea locis de Scoto captis, Baliolum quem sibi iureiurando obligauerat, præfecit, cum Ricardo Talboto, relictoq; exercitus robore in Scotia, ipse cum paucis Londinum uictor belli rediit.

At Baliolus rebus suis strenuè uacans, ad Ioannis Fanum conuentũ facit, quò bona nobilium pars conuenit. Hîc post nouum regni statum de concilij sententia rectè collocatum, generatim omnes ei iusiurandum dederunt. Quo facto, Baliolus regionem obire, loca passim præsidijs firmare, & denicq; ubiq; regnare cœpit, cùm gubernatores nullam morã interponendã rati, conflato repentè nouo exercitu, hostes adoriunt. Fuit certamen diu anceps, ad ultimũ Angli singulari prælio profligantur, cæsis ad magnum utriusq; partis numerum militibus. Capti Anglorũ permulti, & in ijs Ricardus Talbotus, qui postea permutatione Andreæ Morauij missus factus est. Rex allato male gestæ rei nuntio, in Scotiam suorum cædem ulturus aduolat, simul terra simul mari copijs ductis, quanquam maritimarũ pars aliqua tempestate perijt. Fuit Eduardus totum fermè annũ in Scotia, qui affectis magnis passim stragibus aduersarijs, maiorem partem in ditionem suam reduxit: quibus rebus feliciter confectis, postquam à populo iusiurandũ est datum, in Angliam reuertitur, ducitq; secum Baliolum, cuius fidem nondum satis exploratã habebat, commissa rerũ summa Ricardo Talboto, & Dauid Cumino Atholiæ comiti. Scoti post hæc, qui in altera parte erant, sibi Robertũ Stuartum & Ioannem Ranulphum gubernatores constituunt. Illi libertatis cupidi, statim nouis rebus studentes, cum Cumino loco idoneo congressi, eum interficiũt, exercitũ profligant. Qua re nuntiata, rex Edouardus cum Baliolo in Scotiã accurrit, quila tè hostes sese in syluas & paludes more patrio abdentes, multa cum cæde persecutus, oppida amissa recipit, ac diruta reparat, murisq; deintegro aut cingit, aut fossis cõmunit, in quibus fuere Fanum Ioannis, atq; Andreæ, Cuprum, Aberdonia, Doufermilis, ac arces nõnullæ, eaq; omnia loca præsidijs firmat, ratus satis prouidisse se, ut ne Scotus posthac posset seu auderet ab officio discedere, quo facto, quia multis de causis in Angliam reuocabatur, Baliolum in Scotia sibi relinquendum statuit. Est deinceps aliquandiu uariè dimicatum, modò fortuna in unam, modò in alteram partem inclinante, donec ad extremum Baliolus amissis uel ui, uel proditione multis locis, & urgente fame

fame, ac passim dominãte, cœperit sibi timere, animaduertẽs nullo pacto posse se Scotorũ studium habere, quare sibi necessariò ad Edouardũ redeundum putauit, cùm eodem tempore, hinc orante Ioanna sorore Edouardi, illinc Benedicto duodecimo Romano pontifice Scotorum precibus moto, eorumq; calamitatẽ miserato, intercedente tanto certamini, atq; iubẽte, ne ultra utrinque arma mouerentur, induciæ aliquot mensiũ datæ sunt. His demum rebus ita compositis, Dauid rex domũ ex Gallia reuertitur, qui regnum suum pariter bellis ac rectorũ incuria, penitus deuastatum inuenit, id quod fecit, ut nihil ei deinde potius fuerit, quàm studere, ut pacẽ ab Anglo modis omnibus impetraret, ne rursus in tam exitiale incideret bellum.

Edouardus interim Londinum reuersus causa habendi delectus, neruosq; belli cõparandi, quod celeritatis indigere uidebatur, ne post finitas inducias, procrastinatio suis malo foret, concilium cõuocat, causam belli exponit, auxilium querit. Patres audiunt, & pro tempore & negotio pecuniam decernunt in rem bellicam. Post hæc & alia multa ex Reipublicæ usu constituta, placuit prouidere, ne opes quæ merciũ usu in dies singulos in insulam inferebantur, aliquando dissiparentur: itaq; legè exceptũ est, ut nemini homini neq; Anglo neq; externo liceret in posterũ tempus aurum, argentum cælatum siue signatum, de regno in continentẽ exportare. Quo factum est, ut mercatores extranei mercium suarum pretia coacti sint in alias merces insumere. Decretũ istuc etiam nunc seruatur, perpetuatum uti regno utile ab alijs qui secuti sunt regibus. Dein publicè demonstrantur multorum in Rempublicam merita, quæ eis magnę laudi, magnoq; decori esse deberent. Quare illis noui honores dantur, & ante omnes, reuerentię causa, Edouardus regis filius fit princeps Vualliæ & dux Cornubiæ, atq; sex creantur comites, id est, Henricus filius Henrici Lancastrij Derbij, Gulielmus Bonnus Northãtoni, Gulielmus Montacutus Sarisberiæ, Hugo Andlaius, seu Audellus Glocestriæ, Gulielmus Clyntonius Huntyngtonæ, & Robertus Offordius Suthfolchiæ. Fuit is annus cùm ip se Edouardus regnare cœpit, x. & salutis, MCCCXXXVI, quo Ioannes regis frater comes Cornubiæ paulò antequam illud concilium baberetur, in Scotia cùm fuerit aliquot dies in morbo, interijt. Eodem etiam in cõcilio, Henricus Lancastri comes, factus est Aquitaniæ præfectus, quò haud ita multò pòst, cum bene magna armatorum copia profectus est.

Per idem tempus, Robertus Atrebas transiuit ad Anglum, cuius alienationis causam, ut more nostro planiorem faciamus, ab ouo, sicut aiunt, incipiendum ducimus. Robertus Atrebatiũ comes uir fortissimus, de quo suprà nõ uno in loco meminimus, genuit ex se Philippum & Mathildem: hæc nupsit Othoni Burgundiæ comiti, ille ante patris obitum uita exutus reliquit Robertum filium, de quo nunc sermo habetur. Exin Roberto comite in pugna Curtracensi cum Flandro facta, interfecto, Philippus Pulcher rex Atrebatium comitatum Othoni Mathildis uiro dedit, tametsi reclamante Roberto, hæreditatẽ à Roberto auo paterno & diuino & humano iure sibi uenire debere. Sed uis plus ualuit, sic, ut iudices postea de re controuersa cognoscentes, regis præiudicium secuti, & contrà atq; ius poscebat, secundum Mathildem sententiam tulerint. Cœpit Robertus magis inde apud suos queri atq; indignari, quòd amitæ quam dote tantum contentam iura uolũt, cùm stirps

Universidad de Deusto
Biblioteca

uirilis superſit, perperàm ſuus auitus principatus eſſet attributus. Haud longo pòſt tempore cùm Valeſius Philippus ad regnum euocaretur, Robertus eius cum primis cauſam aduerſus Anglum regnum Franciæ repetentem acriter defendit, idq; fecit, partim quòd eius ſororem in matrimonio haberet, partim uerò quòd confideret futurũ, ut autoritate regis, tandem aliquãdo ſuum reciperet comitatũ. Sed contrà accidit: Valeſius enim Mathildi apertè fauẽs, nullo pacto eſt paſſus rem utcunq; iudicatam reſcindi. Robertus ex ea cauſa, alieno tũ à Franco iam animo fuit, & uxore ac duobus filijs Ioanne & Carolo relictis, ad Edouardũ profectus eſt, quẽ ille quòd honeſto loco natus eſſet, liberaliter accipiens, magno in honore habere, ad omniaq; ſua cõſilia adhibere cœpit, ac nõ multò pòſt Richemõdiæ comitatu donauit. At Robertus ex illo, dies noctesq; nõ ceſſauit Anglo perſuadere, ut Frãco bellũ faceret, atq; ita iniuriã ultus eſt. Hęc Edouardo de bello iãpridẽ cogitãti accidere uiſa eſt facultas bene rei gerẽdæ, qui quãprimùm bellũ ipſum ſuſcipiendũ, & eius initium in Flãdria faciendũ ſtatuit: nanq; Guidoni comiti in carcere apud Frãcos mortuo, ſucceſſerat Robertus filius natu maior, ingenti pecuniæ ſumma à Franco mulctatus, quẽ Ludouicus ex filio nepos ſecutus eſt. Is cùm pecunia factę redemptionis ab auo debita nõdũ Frãco perſoluta eſſet, & ob id populũ uexaret exactionibus uſq; eò, ut iam grande æs alienũ tam locupletes q̃ pauperes iuxtà fecerint, ſubitò principatu deijcitur, ad Philippũq; Valeſiũ regem cum uxore et liberis confugere cogitur. Tum Flãdri certò ſciẽtes rẽ ſibi cum Frãco breui fore, Iacobũ Arteuillã hominẽ ſumma animi ui præditum, cæterùm ſordido loco natum, qui Edouardi rebus enixè ſtudebat, ducem eligunt.

Initio inſequentis anni Benedictus pontifex Romanus audiens tantã belli molem impendẽre inter Anglum & Francum, qui de iure regni Frãciæ, deq; imperio ſummè contenderent: miſit duos legatos ad Edouardũ regem in Angliam, qui cognita controuerſiæ cauſa, redirent ad Philippum regem in Galliás, & pacem, ſi fieri poſſet, inter eos facerent. Ii poſtquã cum Anglo de compoſitione agitarunt, in Galliã pergunt, atq; cum Philippo conferunt, quibus conditionibus controuerſiæ ſedandæ ſint. Adfuere ſimul ex Anglia Ioannes Cantuarienſis & Ricardus Dunelmenſis antiſtites, miſsi ab Edouardo. Hi tametſi legati pontificis maximè conati ſunt ſua autoritate res terminare, pax tamẽ conuenire nõ potuit, Franco nõ ſe accepturum, ſed daturũ conditiones pacis palàm proclamãte. Atq; ita legati infecto negotio, ad pontificem redierunt. Cantuarienſis uerò cum Dunelmenſi epiſcopo in Flandriam proficiſcitur, illic expectaturus, dum rex ueniat, quem interim per literas, de rebus cũ Franco agitatis certiorem facit, populumq; confirmat, eius beneuolentiam humanitate & largitionibus Edouardo modis omnibus conciliando.

Edouardus ubi cognouit Francũ ad nullas per pacificatoriã pontificis Romani legationem, ęquas pactiones deſcendere, tum demum armis repetendũ iudicat, quod ab hoſte contra ius faſq; negabatur, & ad id ocyus obtinẽdum ex iuſtitia ſpem bonam animo concipiebat, quandò ipſe, ut prædicabat, non inferre, ſed propulſare iniuriam cogebatur: ſic paraturus magnum bellum cum ingenti claſſe quamprimùm in Flandriam traijcit, & ut ne Flandris ulla ſuſpicio ex ſuo aduentu oriatur, ſecum Philippam uxorem ducit, ut illa apud eos quaſi obſidis nomine ſit: qui ubi Antuerpiam peruenit, ſumma omnium principum

principũ uoluntate accipitur, cum quibus primùm de bello inferendo Gallis agitat, deinde Annoniam petit, atq; Gulielmum comitem ſocerum rogat, ut conciliatis ſibi Flandrorũ animis, in ſocietatem belli contra Francum ueniat. Non abnuit Anno, qui data acceptaq; fide, unà bellum continuò comparat. Cuius rei poſtquam rumor increbuit, ſtatim omnes finitimę ciuitates, pręter Tornacenſem & Cameracenſem, quæ in fide Franci regis permanebant, ad ambos certatim ex ciuibus ſuis, legatos mittunt, qui ſuam operam, laborem, officium, ſtudium, ad omnem euentum polliceantur. Rex concilio aduocato poſtquã de ſumma rei deliberauit, ita legatis reſpondit: Ego ſimul mea, ſimul ueſtra cauſa huc ueni, ut aliquam rationem inter nos iniremus, qua ipſe meã hæreditatem reciperẽ, & uoſmet malis leuaretis, quibus nũc uexamini. Quæ incõmoda & iniuriæ à Frãco duntaxat proficiſcũtur: ille etenim pernegat mihi reddere, quod materno iure debetur: uobis negotiũ exhibuit, quod cum ueſtris comitibus habetis. An putatis aliam ob cauſam, Roberto comiti eum olim millia aureorum ducenta redemptionis nomine imperaſſe, niſi ut per id ueſtras abſorberet fortunas? quandò ipſe Robertus minimè ſoluendo erat, id quod poſtea accidit, cùm Robertus primò, & Ludouicus deinde ad eã mulctam ſoluendam uos cogere tentarunt. Præſtat igitur arma capere, ſi in ea libertate quam à maioribus accepiſtis, manere, quàm Francorũ ſeruitutẽ perferre malueritis, cùm pręſertim certa fiducia confidere poſsimus uictoriã nobiſcum fore, quòd noſtræ uires non ſunt infirmæ, quòd auxilia ex Anglia, ex Germania licet arceſſere. Proinde ueſtros principes meis uerbis iubete bene ſperare, ac bono eſſe animo, & ſimul eos hortamini, quod ſpõtè ſunt polliciti nauiter pręſtẽt, certũ habẽtes me nihil niſi cõmuni cõſilio acturũ. Ad hæc adiungit, ut quæq; ciuitas certum militũ numerũ cogat, ad ſeq; ducat, cùm opus fuerit. Dimiſſa concione, cũ ſingulis ciuitatibus fœdus icit, gratias agit, & legatos muneribus donatos domũ remittit. Inter has finitimas ciuitates in primis fuerant, quæ ſunt ſocietatis fœderatæ regionis, quã Anze Theutonicam dicũt, quibus pro antiqua amicitia, Edouardus gratificatus priuilegia omnia immunitatũ ſuo regio diplomate cõfirmauit, rurſumq; irrogauit, quę Henricus III proauus eius & Edouardus pater antea cõceſſiſſent. Rex Flãdris ita in ſocietatẽ belli adſcitis, & ad amicitiã iũctis, deinde Ludouicũ cognomẽto Bauarũ Imperatorẽ in ſuas partes ducit. Ille cõtinuò copias cõgregat, & ut Edouardo gratũ faciat, eũ uicariũ imperij facit: q̃d munus Anglus non abnuit, ſed obire noluit, ne Benedicto põtifici diſpliceret, ęa Bauarus eius inimicus erat. Dum Edouardus Antuerpię morat, Philippa uxor filiũ peperit, quẽ Leonellũ appellauit. Fuit ís annus cũ regnare cœpit XII, ac humanę ſalutis MCCCXXXVIII.

Iſta omnia Philippus facilè intelligebat, eruditus in ſingulas horas & literis amicorũ & nũtijs: quãobrẽ maiorẽ Flãdriæ motũ expectãs, ex omni Gallia, ac uſq; à Scotia, copias q̃citiſsimè poteſt, quærere, cogere pręſidia incipit: itẽ belli duces rerũ geſtarũ fama clarosad ſe euocat, in quib. fuere Ioãnes Boëmię, Ludouicus Nauarrę reges, Ioãnes Britãnus dux, cũ Rodulpho Lotharingo, atq; nõnullis alijs, adeò ut breui M armatorũ C cõuenerint. Dum uterq; rex nouas amicitias ſibi cõciliãt, & ueteres cõfirmãtes auxilia parãt, in Aquitania fit belli initiũ: nã Carolus Alẽconij comes Philippi frater, Anglicos fines excurſionib. uexare primo cœpit. Qua re ꝓmoti Angli, ĩ Sãtones inuadũt, Paracolũ oppidũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

capiunt, agros circa populantur, incensis passim ędificijs, aliquot'que secundis factis prędijs, bellum continuant, cùm alia parte Philippus classem mittit, quę omnem Anglię oram infestam reddat. Ea primò Vectam insulam petit, quò cùm prohibente uento, accedere non posset, rectà, maioris prædæ faciędę causa, in Suthantonensem portū se appulit. Hîc Franci in terrā sese eijciūt, ac oppidum diripiunt, inde ad oram insulæ in occasum solis uersam cursum tenentes, eam pari modo hostiliter deuastant: sed dum in terrā aliquot egressi, longius euagantur, subito incolarū concursu circumuenti passim obtruncantur, aliquot etiam naues minores quæ decrescente Oceano, in sicco litore resederant, captæ sunt, reliquæ naues cum præda domum se receperūt. Atq; tale fuit Gallici belli initium.

Edouardus parato interim ingenti exercitu, acceptisq; auxiliarijs copijs à ciuitatibus, unà cum obsidibus, qui pignora essent beneuolentię, ac datę ab eis fidei, ut signa ueris ptima apparuerūt, Tornacū proficiscitur, & quia urbs munitissima erat, ne terat tempus, per uim expugnando, Cameracū contendit, præmissisq; nuntijs ad oppidanos, ut quę imperaret, facerēt, eos extimore summissiores fore sperabat. Verùm tantum abfuit, ut Cameracenses fuerint regi dicto audientes, ut freti præsidio Frācorum, quod intus erat, portas clauserint. Tum Edouardus iudicans oppidum inimicissimum à tergo non relinquendum propius accedere ac oppugnare constituebat, cùm Anno & Atrebas comites admonuerunt, negotium præ bello in Francum iam moto, minimi omnino momenti, nō esse tunc curandū, sed illud gerendū, ad quod maturandum milites paratissimi essent, cùm periculum esset, ne si retardaretur, eorum animi elanguescerent, remitterentq; uirtutem. His rationibus rex adductus, oppugnationem dimittit, atq; fluuium Scaldam traijcit, constitutumq; iter facere pergens, Peronā uersus, quod est Veromanduorū oppidū, proficiscitur. Dum eò properat, nuntiatur Philippum Sommam flumen traduxisse copias, atq; non procul consistere: igitur recta uia ad hostium castra contędens, millia passuum circiter tria, locum castris idoneum capit, postero die per nuntios hostem qui studio pugnādi ardere uidebatur, ad certamē inuitat. Francus dehortantibus suis heroibus, & multis argumentis docētibus, non præstare offerre se periculo & niti multitudine militū, noluit ad manus uenire, sed unde uenerat, retro abijt, fortasse intelligens, in tanto negotio minus omnino externi militis, cuius maior pars in exercitu erat, uiribus confidēdum, & idcirco pedem referendum, cùm cuiusuis hominis sit interdum errare, cæterùm in errore permanere tantum insipientis. Qua re cognita, Edouardus qui festinando nullum desidiæ quietiq; locum relinquebat, ut hostem armis & nō obsidione premeret, & ob id magnos cōmeatus nō parauerat, Antuerpiam reuertitur, ac inde non multò post relicto exercitu cum Philippa uxore Gandaui, in Angliam redit, ad parandum in militem stipendium, cæteraq; curanda. Fuit is annus quo rex in Angliam redijt, XIII cùm regnare cœperat, & salutis MCCCXXXIX. Tum conuocato ad Vuestmonasteriū concilio, ita egit, ut eius autoritate imperatum sit populo tributum, quod statim cuncti soluerunt, pręter sacerdotes, quibus parsum est, quò aliàs illi ampliores erogarent pecunias.

Interea in Flandria, quæ id temporis belli administrandi, sustinendi, propulsan-

pulsandi principatum tenebat, post discessum Edouardi, Gulielmus Sarisbe rienſis & Robertus Suthfolchiæ comites, cum parua manu militū, oppidum Insulam quod Francus cum Betunia, & Aduaticis, nomine pignoris, ob non persolutam mulctā olim Roberto comiti indictā, adhuc tenebat, oppugnatum eunt, atq; uno tēpore obsidione pariter ac oppugnatione opprimere incipiūt. Oppidani missis celeriter ad Philippū nuntijs, auxiliū petūt, quod ille opportunè tulit. At Angli qui temerè se inter hostes coniecerāt, ubi subsidiū oppidanis submissum esse cognouerunt, desperata oppugnatione oppidi, fugantur, & amisso magno militum numero, comes Sarisberiensis capitur. Est eodem tempore par clades à Franco accepta, siquidem classis Anglica secundum oram Bononiensem delata, noctis silentio bonam militum partē in terram exponit. Ii derepentè suburbanos uicos incendunt, prædas faciunt, dum eodem temporis puncto, reliqui naues aliquot quæ in anchoris consistebāt, capiunt, & abducunt onustas frumento, ac machinis bellicis. Atq; ita tam mari quàm terra quotidie incursionibus utrinq; decertabatur, cùm Edouardus in Anglia nouum militum supplementum parabat, cum classe, ad uehendum in Flandriam militem. Quod ubi Philippus per exploratores cognouit, classem quadringentarū nauium, quas ex omni litore Gallico collegerat, in Flandriam præmittit, ut Edouardum uenientem procul arceat. Huic ingenti classi præfecit Hugonem Quieretum, & Nicolaum Bochettum, uiros rei nauticæ peritissimos. Illi idoneam tempestatem nacti, ubi ad oram Flandricam delati sunt, portum qui contra Clusas oppidum est, & ad Angliam spectat occupant, ac litus omne dispositis circum nauibus tenent, ut mox classi Anglicæ interceptæ, aut fugatæ, non possint Flandricæ naues quæ ad Clusas erant, auxilio ire: ac ita instructi, hostis aduentum præstolantur, obseruant, expetunt. Atqui Anglus qui tale quid non suspicabatur, ut comperit hostes præpropera festinatione portum præoccupasse, & nullam esse uiam, nisi quam ferrum sibi patefaceret, adauget quamprimùm numerum tum hominū tum nauium, in plures q; dies commeatus parat: ita post coactam in unum classem ducenta rum & sexaginta nauium, ad decimum calend. Iulias anno salutis MCCCXL, ex ora insulæ, quæ ad ortum solis spectat, quò naues conuenerant, soluit, qui tota ea nocte, quæ secuta est, secūdo uento usus, mane lucescente die, cōspicit ex alto Gallicā classem, quæ, ut dictum est, portū prior occuparat. Qua re cognita, ilicò iubet uela deponi, atq; milites sumpto cibo, sese ad pugnā expedire, ut dum ita se parabāt, sol qui oriens prospectū adimebat, interim ad occidentem inclinaret. Ductores Franciæ classis hostem itidem uenientē conspicati, ad certamen accinguntur, obuiamq; procedunt: qui uix per mille passus extra portum in altum exierāt, cùm Edouardus cum tota classe adfuit, datoq; signo, suos sese in eos incitare præcepit. Hîc ubi uentum est ad manus, pugnatur aliquantisper utrinque acerrimè, donec impellente uento, qui Anglis secundus erat, naues Gallicæ ad litoris angustias sensim transcurrerint, ubi tandem uictoria ab Edouardo parta est, captis aut fractis omnibus ferè hostium nauibus. Occubuere mortē in hac nauali pugna, si autoribus qui ad fidem scribere uidentur, credimus, Franci fermè omnes, extra nobiles quàm multos captos: ex Anglis plus quatuor millia ceciderunt. Secundum istud singulare prælium, Francorum animi uehementer fracti. Anglis autem spes

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingens addita est. Rex ubi Gādauum peruenit, Flandrorum animos ob rem male gestam ab Anglis ducibus ad Insulam, territos maximè cōfirmauit. Philippa regina paulò ante aduentum regis, Gādaui filium enixa est, quem Ioannem cognomine Gandauensem appellauit, quæ res lætitiam adauxit.

Rex Edouardus post hęc ad exercitū uenit, ubi cum Ioāne Brabantino duce, Gulielmo minore Annoniæ comite (nam eius pater Gulielmus paucis antè diebus mortuus erat) Iacobo Arteuilla, ac pluribus Germanis principibus belli socijs, qui arma, qui equos, qui milites polliciti, se totos & animis & corporibus in id bellum gerendum contulerant, fœdus renouat. Quo facto, Robertum Atrebatem cum parte copiarum mittit oppugnatū Fanum Odomari, quod ab hoste tenebatur, qui ubi oppido appropinquauit, obuios habuit Francos, qui intus in præsidio erāt, in quos dato signo ad inuadendum equites suos concitat, ipse deindè instructa acie sequitur. Non refugerunt pugnā Franci, qui non modò sustinuerunt primū equitum impetum, sed eos loco dimouere, atq; pedem referre coēgerunt. Tum Robertus cum reliquo exercitu in hostem delatus, certamen redintegrauit: pugnatū est ad uesperū, sed uter uicerit, non facilè constat. Non nemo tradit Francos fudisse primo congressu hostes, & in fuga interfecisse ex illis quatuor millia & octingentos, accepisse quadringētos. In annalibus uerò Anglicanis inuenio Robertū bis fugatum, sed ad extremum collectis per suos centuriones raptim omnibus subsidijs, quæ huic necessitati reseruarat, in hostes conuersum, posteaquam sensit, nec clamorem hostium, nec impetū, nec tela missa eandem uim habere, quę haud dubiam lassitudinem significabāt, quanto maximo potuit impetu incurrisse in Francos, & illos deniq; in fugam cōiecisse, magnamq; fecisse stragem, licet beneficio noctis, Francis fugiendi spatiū datum fuisset. Robertus postea ad Edouardum redijt, qui interea cum reliquo exercitu Tornacū profectus, urbem obsidebat, & quamuis uallū circunduxisset, & dies ac noctes oppugnationem continuaret, nec tamen proficiebat hilum, quòd ciues muniti ualido Francorū præsidio fortiter se defendebant, cùm Philippus inter hæc Tornacēsibus opem laturus, in Atrebates copias duxit. Dum ita reges paruo inter se interuallo in armis stabant, ac simul de pace amici inter eos agebāt, Ioānes Anno siue Gulielmus eius ex fratre nepos comes Annoniæ (uter enim fuerit, ambigitur) cum ualido Anglorū robore, ad Fanum Amati oppidū egregiè munitū contendit, & quacunq; incedit, ferro & igne omnia deuastat, exhaurit, urit: quò ubi peruenit, tāto impetu inuasit, ut ui ceperit, ac diripuerit, direptumq; inusserit: quo feliciter ac celeriter confecto negotio, per omnem proximū agrum excurrit, unde magnum numerū pecoris atq; frumēti adduxit. Vrgebat interim Edouardus Tornacēses usq; eò, ut nihil ei oppidanorū deditione desiderabilius esse uideret, cùm illi per legatos Philippo significarunt, se non posse diutius obsidionem tolerare, nisi confestim auxiliū ferret. Qua re intellecta, Francus Tornacū uersus se mouet, ac millia passuū tria, ab hostium castris castra ponit. Fuisset haud dubie paulò pòst aliquo singulari certamine inter reges dimicatū, nisi induciæ in duodecim menses factę interuenissent, quarum conditiones fuerunt, ut Francus restitueret Anglo aliqua in Aquitania oppida belli tempore capta, ac Flādris residuas pecunias remitteret, ex mulcta Roberto comiti irrogata, id quod illi in primis postulabant.

Igitur

Igitur sic constitutis ad tempus rebus, Ludouicus tandem comes in Flandriam restituitur, & Philippus domum repedat, cùm Edouardus Gandauū concesisset, ac non multò pòst in Angliam. Fuit ille annus salutis humanæ MCCCXLI, & cùm Edouardus regnare cœpit, XV.

Quo tempore concilium habitum, quo in concilio bene multi locorū prefecti, quòd officium non fecissent, uel multa commisissent, quamobrem cum populo peius actum esset, turpiter priuati, mulctatiq; sunt, et in locum eorum alij surrogati homines multò probiores, integrioresq;. Eodem anno mortem obijt Gulielmus Meltonus archiepiscopus Eboracēsis, cui successit alter Gulielmus Zōchis, ordine antistitum tertius & quadragesimus. Eo qui secutus est anno, Dauid rex Scotiæ aliquot derepētè cum Anglis finitimis tumultuosa prælia fecit, superbior effectus ex noua amicitia, cum Frāco conciliata: nam Philippus rex cùm uideret Anglum repetundo hæreditatem Franciæ regni, futurum in perpetuum hostem, putauit peropportunū habere Scotum qui illi propinquus esset, amicum, ut sibi instar sagittæ foret, quam cùm uellet, in Anglum adijceret: itaq; omnis oblitus necessitudinis, quæ ipsi cum Edouardo Baliolo intercedebat, fœdus cum Dauid iūxit, opibusq; enixè iuuit. Sunt deinceps Franci reges Philippi institutum nauiter secuti, adeò ut Scotum in amicitiam acceperint, fouerint, protexerint, rem suam cum eo semper coniunctam putarint. Quo ille beneficio auctus, etiam nunc Franci regis nutu, atq; renutu, & pacē habet, & bellum cum Anglo gerit, ut qui semper paratus est, ex eius uoluntate facere id, quod patrię bono magnopere est: etenim Frācus Scoto milite continenter utitur, item reliquos in terra Frācia, libens dat mercaturam facere, habere agros, habere domicilium, cōsequi honores, obtinere dignitates, perinde ac si Franci homines essent. Sed ego dixerim illam amicitiam iam inde ab initio, ab Achaio rege, uti alibi ostendimus, contractā fuisse, qui se cum Magno Carolo coniunxerat fœdere perpetuo, ut illud postea nō factum, sed renouatum fuerit. Nunc ad prima redeo. Dauid non multò pòst sibi timēs, quā summississimè potuit, rursum ab Edouardo inducias petiuit, ac simul curauit, ut Philippus sua causa missum faceret Gulielmum comitem Sarisberiensem, qui, ut suprà docuimus, apud illum captiuus erat. Quam ob rem rex Edouardus placatus, qui maioribus rebus simul distentus erat, inducias Dauid in aliquot menses dedit.

Per idem tempus, subitum bellum in Britannia ortum est: eius belli causa hæc fuit. Siquidem Petro duci, de quo suprà sæpe memorauimus, Ioānes successit ex Ioanne Ruso filio nepos, qui moriēs filium dignitatis superstitem reliquit Arthurum. Is ex Beatrice priore uxore genuit Ioannem & Guidonem, & ex altera Iolantide nomine comite Montisfortis sustulit Ioannem. Ioannes tertius maior natu Arthuri filius dux, sine liberis mortuus est. Ex Guidone uerò nata est Ioanna cognomento Clauda, quòd subclaudicaret. Hæc nupsit Carolo comitis Blesensis filio, ex Margarita Philippi regis sorore procreato. Igitur Ioanne tertio uita priuato, orta est de principatu Britannię controuersia, inter Ioannem qui iure materno comes erat Montisfortis, & Ioannā Claudam. Ista in senatu Parisiensi, hæreditatem eò sibi uenire contendebat, quòd filia Guidonis esset, qui si uiueret, sine omni cōtrouersia, fratri succederet. Ille ècōtrario affirmabat ius secum facere, propterea quòd esset cognationis gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

du propinquior Ioanni duci, quàm Claudia, quę neptis esset, remq; suam corroborabat exemplo causæ comitatus Atrebatiũ paucis antè annis actæ. Itaq; iudices ad quos controuersię cognitio pertinebat, postquam de causa cognouerunt, secundum Carolum, qui uxoris causam agebat, iudicarunt. Noluit Iohannes eo iudicio esse contentus, qui prædicabat illud non iure, sed autoritate Philippi Caroli auunculi factum: quare de controuersis rebus non amplius iure, sed armis decertandum iudicans, primo quoq; tempore Edouardi auxilium implorat, atq; ita armatus primùm omnium pecunias ab arce Lemouicum tollit, quas frater eo loci recondiderat, deinde Nanetes atq; Redones in potestatem redigit, item Brestum cum arce, deiecto Caroli præsidio, capit, ac postremò Venetos in deditionẽ recipit. Quod ubi Philippus cognouit, qui Carolo fauebat, continuò Ioannem filium ducem Normaniæ in Britanniam mittit. Ille cum exercitu profectus, paucis pòst diebus, quàm eò peruenerat, Nanetes recepit. Hîc Ioãnes comes captus Lutetiam in Lupatam arcem mittitur, ubi ad extremum uitam amisit, qui ex se filium superstitem etiam nomine Ioãnem reliquit. At uxor comitis Claudia Ludouici comitis Flandriæ soror, fœmina nobilissima, quę se Redoni tenebat, nihil ferè animo territa propter uiri casum, Ioannẽ filium impensè Britannis principibus qui eius factionis erant, commendat, missisq; legatis, qui auxilia Anglica accersirent, filium ducem renuntiandum curat. Edouardus uicem amici dolens succurrendum censuit, qui habito militum delectu, paratisq; nauibus, Robertum Atrebatẽ aduersus Blesensem in Britanniam mittit. Is ubi regionem ingressus est, omnia cædibus & incendijs disturbat, uastat, fœdat: sed ut belli sciens cùm animaduerteret maioribus uiribus esse opus ad resistendũ hosti, unà cum Claudia, & Ioanne eius filio, aliquanto pòst redit in Angliam, docétque Edouardum de Britanniæ statu, déque belli gerendi ratione: Claudia uerò omnibus orat precibus, ut pro sua liberalitate, se opera, consilio, gratia, opibus iuuet. His rebus permotus rex statuit opẽ ferre, sed ut iure affinitatis, id honestius faceret, Mariam filiam Ioanni duci despondit, atque rursus Robertum maioribus copijs instructum cum Claudia in continentem mittit, cum eóque Sarisberiensem comitem ac Ioannem Burscherium uirum cùm prudentia, tum fortitudine præstantem adiungit. Illi secundo uento usi, simulatq; Britanniam attigere, ecce tibi, subitò obuiam habuerunt Francorum classem & uiris & armis ualidam, tum orto certamine, ita est pugnatum, ut æquo Marte discessum sit: postero die, exposito in terram exercitu, Robertus Venetos aggreditur, manúsque dare cogit. Adfuit aliquãto pòst Carolus Blesensis cum ualido exercitu, fractáque una portarum, captam Venetorum urbem recuperauit. Angli per alias portas egressi, in Redones se receperunt, multis illorũ captis, aut interfectis: ibi Robertus Atrebas uulnus accepit, eoq; continuum dolorem faciente acerbè affectus paucis pòst diebus occidit. Is honestum apud regem ordinem duxerat, cuius immaturo interitu, res Anglica maximũ fecit damnum. Hac clade cognita, rex Edouardus in Britanuiam confestim traiecit, ac Nanetes obsedit, ubi Carolus se tenebat: sed cũ illi firmo essent muniti præsidio, ut ne operam perderet in oppugnãdo, inde digressus, Dinanũ oppidũ per uim cepit, ac diripuit: quo facto, Venetos obsessum perrexit, qui dum eos acriter opprimebat, superuenit Ioannes dux Normaniæ, cũ maximo exercitu,

exercitu, positisq; propè castris, ad pugnã se accingebat, cùm Clemens sextus Ro. pontifex, qui in Benedicti demortui locũ substitutus id tẽporis Auenione sedebat, ita per legatos egit, ut induciæ paucorũ mensiũ renouatę fuerint.

His actis, rex in Angliam reuertit, atq; statim pòst legatos Auenionem ad pontificem misit, quò iam antea Philippi legati cõuenerant: põtifex enim pacis conciliandæ cupidus, se magnopere cõfidere demonstrabat, si sibi eius rei esset facta potestas, fore, ut æquis conditionibus omnes controuersię dirimerentur, qui tamen postquam utriusq; partis audiuit rationes, desperans de cõpositione, id negotij in aliud tempus reiecit. Ita rem sæpius frustra tentatam Edouardus aliquando dimittendam, & tantummodo de bello agẽdum iudicat, nõ quo nomẽ pacis horrere, sed eã ipsam uictoria, nõ pactione complecti deinceps uelle dicatur: quocirca naues, arma, uiros, cõmeatũ studio cõparat, ut mox in Normaniam, ubi initium belli faciẽdum deliberarat, proficiscatur, ac simul Henrico Lancastrio Aquitanię præfecto imperat, ut in armis sit. Fuit hic annus salutis MCCCXLVI, & cùm Edouardus regnare cœpit, XX. Philippus interea regno purgando uacabat: nanq; nonnullos qui Angli partes secuti fuerant, exilio aut morte mulctauit, in quibus fuit Oliuerus Clissonius, Gulielmus Baccho, & Ricardus Perseius, qui suis & amicorum opibus Edouardum enixè iuuerant. Vnus fuga euasit Gotthofredus homo Normanus Aricuriæ comitis frater, qui ad Anglum transiuit. Altera parte Iacobus Arteuilla opera Ludouici Flandri comitis, Gandaui à plebe interficit, eiusq; corpus ad ignominiam inhumatum relinquitur, feris escæ futurum. Quibus reratius fuit, quàm ut aliquot Francos captiuos supplicio mactaret, sed humani tatis memor illis pepercit, ex quibus unum Henricum Leonensem ea conditione dimisit, qui Philippum suis uerbis ad certamẽ inuitaret, quod ille profectus celeriter fecit. Non abnuit Francus, qui undiq; copias cogebat. Interim inducíarum finis obrepserat, cùm Lancastrius in Aquitania initium belli fecit: is socio Gualtero Manio uiro singulari uirtute, in Francos arma mouet, ilisq; passim profligatis, Engolismenses, Villamfrancam, item Rionis & Fani Basilij arces cum oppidis aliquot minus amplis, capit. Secundum hæc, iuuit auxilio suos Ioannes Normaniæ dux, qui nonnullis factis cum hoste pręlijs, Engolismum cum Villafranca, sese oppidanis dedentibus, recepit. Dum ita Aquitania bello ardet, Edouardus omnib. rebus paratissimus in Normaniã transmittit, qui ubi eò peruenit, quia audiebat regionem militibus uacuam, eductis in terram copijs, recta uia Cadomum petit, in itinere oppida aliquot capit ac diripit, uicos & ędificia cunctis timoris incutiendi causa, incendit. Cadomenses sese muniuerãt, & pro Vallo stabat Rodulphus Francorum equitum magister, ac Ioannes comes Tancredouillanus, qui turrim quę ad pontẽ sita est, tenebant. Cùm igitur Anglus appropinquauit, in eum impetum faciunt, sed facilè repulsi in oppidum effusè sese concitant, quos ille secutus simul intrat. Hîc aliquid cædis utrinque factum, Anglo uiam ferro faciente, & oppidanorum alijs repugnantibus, alijs infirmioribus è tectis saxa pariter demittentibus, atque aqua feruenti hostes per uias commeantes perfundentibus, cùm ad extremum uniuersis manus tendẽtibus, rex receptui cani iussit. Hîc Rodulphus & Ioannes comes cum bene multis alijs capiuntur. Post Ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

domum captum, tantum Normanos omnes timoris inuaſit, ut uideres non hominum modò turbam mulierum puerorúmque agminibus immiſtam omnes paſsim complere huc illuc fugiendo uias, ſed pecora quoque præ ſe agreſtes agere, ut omnem Normaniam relinqui ſubitò crederes, necnon oppidanos ultrò ſeſe Anglo offerentes, claues oppidorum ac arcium tradere, quos ita facientes Edouardus perbenignè atque humaniter accipiebat, bonoq; animo eſſe iubebat, ut tali clementiæ exemplo, deinde alios in fidem ſuam uenire alliceret.

Philippus à quo nullum tempus prætermittebatur, de rebus inſtantibus agendi, & prouidendi, interea cupiens tot detrimẽta ab Anglo hactenus accepta ſarcire, coactis magnis copijs, & in ijs Ligurum ſagittariorum mercede conductis millibus duodecim, claſſem parabat, quò tranſceret in Angliam, ut eo omne bellum auerteret, uocatus in eam ſpem, ut par eſt credere, Romanorum exemplo, qui nõ prius Annibalem hoſtem acerrimum à ceruicibus ſuis excutere potuerint, quàm duce Scipione, in Africã bellum mouiſſent: ſed ubi audiuit Anglum Normaniam inuaſiſſe, mutata neceſſariò ſententia, cum illis copijs, quas paratas ad id tempus habebat, hoſti obuiam eundum conſtituit. At Edouardus in cauſam ſuam ſedulò incumbens, utpote qui certò ſciebat uictoriam in celeritate eſſe poſitã, capto Cadomo, ut ne labori neu periculo parcat, poſtquam oppido milites præſidio reliquit, confeſtim præmittit Gotthofredum Aricuriã cum electa leuis armaturæ equitum manu, qui iniecto paſsim populis timore ad deditionem ſolicitet, commeatumq; paret. Ipſe deinde cum toto exercitu ſubſequens, Rothomagum uerſus contendit, eam urbem quæ regionis caput eſt, primùm omnium petiturus armis. ſed per exploratores certior factus, ciues longè firmiſsimo munitos præſidio nõ omnino pariturum negotij fore, aut expugnare, aut ad deditionem breui cõpellere, ad Põtem Archæ qui in Sequana eſt, pergit, quem hoſtis præſidio teneri audiẽs, Piſciacum proficiſci maturat, ac ſimul quocunque equites dimittit, qui prædam, qui cædem, qui incendia faciant, ut Francus rex qui prope Lutetiam, ad diui Germani Fanum cum exercitu erat, ſuorum detrimentis motus, ad oram maritimam deſcendere cogatur, ubi loci multis de cauſis præſtare ducebat manus cum hoſte conſerere, & eo in primis, quòd ex Anglia continẽter illuc auxilia confluebant, quodq; miles præda præpeditus, ac longo itinere defeſſus, non libenter ire longius uidebatur. Itaq; equites longè lateq; euagati magna edita ſtrage, ingentem fecerunt prædam. Poſtquam rex Piſciacum peruenit, pontem qui ibi erat, à Franco diſiectum eſſe inuenit, propter quod poſitis eo loci caſtris, pontem reficere inſtituit. Ea temporis mora damno cum primis fuit uicinis populis, quia ille interim omnem circumiacẽtem agrum fœdè uaſtauit: ita demum ponte reſtituto, in Bellouacos profectus eſt, atq; inde Caletum oppugnatũ contendebat, cùm Philippus interea motis caſtris, cœpit hoſtem pedetentim ſequi, ſimul locum quæritãs ad pugnam faciendam idoneũ. Sed occultũ erat, quod omnino obſtabat, cur minus cum hoſte cõfligeret Philippus: is etenim talis erat, qui magnum præ ſe ferret animum, & ut id facilius oſtentaret, pro ſuo iure res gerens, minus aliorum conſilio nitebatur, ut etiã qui cibum alienis dentibus manſum, uti iam uulgò dicitur, nauſeam mouere ducebat. Quæ tamen animi magnitudo ſiue quòd eius mens nihil boni diuinaret,

naret, ſiue quòd reuera timidus eſſet, nequaquam apparuit in committendo prælio cum Anglo, quod infrà perſpicuè demonſtrabitur. Sed ad incœptum reuertamur.

Philippus igitur ubi cognouit per exploratores Edouardum in Bellouacos peruenisſe, & inde ad mare feſtinare, arbitrans eum fugere, & ob id ſe uictoriæ compotem fore ſperans, Abbatiſuillam perrexit, ut hoſtem qui comperto eius aduentu, iter commutarat, & ad Arenas uicum profectus ad ripam Sommæ conſtiterat, inuaderet: & ne flumen derepentè tranſiret, Godomarum egregium belli ducem cum magna militum manu, ad alteram ripam præmiſit, qui Anglum fluminis tranſitu prohiberet. Edouardus cognito Philippi aduentu, ut ne inter arenas pugna, ſi pugnare cogatur, fluctuet, ſtatim reperto fluminis uado ad tranſeundum tuto, copias omnes, Godomaro nequaquã ſeſe opponere audente, traducit, ac recta uia Creſciacum ſui Pontiui comitatus oppidum petit, atque eo loci factis caſtris, triplicem aciem deducere incipit: in prima, ſuo more, ſagittarij erant, in altera equites, quibus Edouardus Vualliæ princeps præerat, tertiam ipſe cum militum robore tenebat, qui ſingulos duces cohortatus ut pro ſe quiſque fortiter pugnaret, ſub ſignis Francum expectabat. Sequitur hoſtem Philippus, ac traiecto flumine ab eius caſtris ad tria millia paſſuum caſtra locat, credens, ſe longius abeſſe: ſed ubi cognouit eò uentum eſſe, ut denique aut pugnandum, aut turpiter retrorſum abeundum eſſet, ac ſimul per ſpeculatores intellexit Edouardum inſtructo iam agmine, in campum qui inter utraque caſtra intercedebat, reuerti, ut ſe in pugnam traheret, tum neceſſariò ocyus quàm conſtituerat, ſuos in aciem educit, in frontemq; locat Ligures ſagittarios, qui arcubus utebantur, quos baliſtas uocant, quibus plurimum confidebat, ac protinus in campum deſcendit, ipſo illo die, qui fuit dies x calend. Septembris. Datur utrinque ſignum pugnæ: Ligures tenſis arcubus, prælium incipiunt. Angli ubi primos ictus ſcutis exceperunt, emiſſa ſubitò ſagittarum nube, ita Ligurem turbant, ut ſpatium tendendi arcus non ſit: ita acriter urgent, ut ad extremum pedem referre cogatur. Id Philippus animaduertens, ira pariter atque metu turbatus, iubet equites per medios Ligures impetum in hoſtem facere, quos etiam ſagittis primùm propè confectos, Edouardus princeps cum equitatu obuiam factus, facilè inde fundit. Tum ſagittarij qui ferè ſoli pugnabant, ſpe certa uictoriæ ictibus crebrioribus urgentes, uno temporis puncto, totum hoſtis exercitum diſsipant. Sic Franci in fugam coniecti paſsim aut interficiuntur, aut capiuntur. Philippus cognita ſuorum ſtrage, cum paucis ea nocte, quæ ſecuta eſt, in Ambianos ſe retulit. Ceciderunt in ea pugna triginta circiter Frãcorum millia, in quibus fuere uiri principes Ioannes Boẽmus rex, Carolus Alenconij comes Philippi frater, item duo Ludouici, dux Lotaringus, & Flandriæ comes, complureſq; alij. Numerus etiam captiuorũ ingens fuit. Interijt & in eo prælio comes Aricuriæ frater Gotthofredi, quare ille rerum ſuarum ſortem dolẽs, ad Philippũ poſtea redijt, cui uenia data. Eſt res profectò dictu mirabilis, ut tãtus ac potẽs exercitus à ſolis fere Anglicis ſagittarijs uictus fuerit, adeò Anglus eſt ſagittipotens, & id genus armorum ualet.

Edouardus tanta uictoria potitus, maximè collaudat ſuorum militum

Universidad de Deusto
Biblioteca

uirtutem, atque omnem prædam illis concedit, deinde corporibus omnium occisorum ad sepulturam traditis, Caletum contendit, cui uenienti quoniam oppidani portas clauserunt, positis secundùm muros castris, iurat se nequaquam prius illinc abiturum, quàm per uim oppido expugnato, omnem necarit senatum: atque ita factis confestim ibidem hybernaculis, illud obsidione cingit. Dum hæc alibi geruntur, Ioannes dux Normaniæ necesse habet ex Aquitania ire subsidio patri, cuius post discessum, Henrico Lancastrio eius regionis præfecto tantùm animus creuit, ut continuò Santones cum Pictonibus in suam potestatem redegerit, atque inde omnis generis prædam Burdegalam abegerit. Premebat interea Edouardus Caletum arcta obsidione, qui ita omnes uiarum aditus dispositis passim militum custodijs, tenebat, ac ingenti classe omne maris litus anteceperat, atque diligenter obseruabat, ut iam neque terra neq; mari spes ulla oppidanis superesset habendi aut auxilium, aut uictum à Philippo, qui interim reparabat exercitum. Ita Caletes desperato omni subsidio, ac fame domiti, ad ultimum incolumitate habita, datáque facultate, ut cum singulis uestimentis, quò terrarum uellent, sibi migrare liceret, præter principes, qui in uictoris potestate essent, se Edouardo dediderunt, post undecimum mensem, quàm oppidum oppugnari cœperat. Qui fuit annus salutis humanæ M C C C X L V I I, & cùm regnare cœpit Edouardus, X X I. Præsidium quod in oppido erat, rex partim dimisit, partim ad redemptionem retinuit: principes uerò oppidanorum, quos, uti diximus, neci destinauerat, cùm supplicio affici mandasset, Philippæ uxoris uictus precibus ad extremum uita donauit. Hisque actis, oppidum & natura loci & manu munitum, quippe quod specus habet ad Oceanum pertinentes, per quas aqua crescente æstu, circunduci potest, atque per id inexpugnabile fit, ualido firmauit præsidio, crebrasq; posuit uigilias, quò ab omni uacuum foret periculo: item & Anglicam eo coloniam deduxit, sed id aliquanto pòst fecit, sicut infrà ostendetur. Considerauit enim prudens princeps locum patriæ peropportunum esse, tam ad gerenda bella transmarina, quàm ad merces apportandas. Porrò oppidum in litore Oceani, ut alibi scripsimus, contra insulam situm est, à quo ad iam est longè breuissimus transmissus, triginta non amplius passuum milia. Quare reges etiam nunc id oppidum ut regni arcem continuis custodiunt excubijs.

Scoto interea per Francum solicitato, cùm audiret Edouardum in Gallia bello esse ingenti implicatum, tantùm fiduciæ ac spiritus accessit, ut omnis immemor inducíarum religionis, non de ratione belli innouandi cum Anglo cogitaret, sed uicisse iam sibi uideretur: itaque primo impetu aut cæsis, aut alijs fugatis Anglis, qui locis aliquot quæ ad Scotiam pertinent, præsidio relicti fuerant, in Angliam erumpit, atque passim uicis ædificijs'que incensis, usque Dunelmum, in omnes incursat agros, ac auiditate prædæ ductus longè latéque uagatur, ut qui planè confidebat omnem breui tempore regionem incolis iam territis, posse se in potestatem redigere. Sed multum interest inter os & offam, sicut in prouerbio est: nam hunc cùm Angli incautius progressum uidissent, sperantes intercipi posse, confestim bene magno ex quocunque hominum genere, etiam sacerdotum, quibus necessitas pugnandi

gnandi patriæ defendendæ causa, ueniam dabat, coacto exercitu, duce Ioanne Coplando uiro forti, inuadunt, ac singulari certamine, non sine tamen suorum detrimento haud mediocri, uincunt. Cædes tanta fuit, ut pauci euaserint. Dauid rex post suorum stragem, cum aliquot principibus captus, Londinum in custodiam mittitur. Scoti principes post acceptam cladem, ut ne suis desint rebus, confestim Robertum Senescallum regno præficiunt, adiungúntque ei consiliarium Gulielmum Douglassatem uirum singulari prudentia. Ii statim exercitum cogunt, unaq; per legatos à Philippo Franco rege auxilium rogant, qui paulò pòst illud ultrò misit. Ita breui magnis comparatis copijs, bellum cum Anglo redintegrant, solùm tamen de resistendo eatenus cogitantes, quoad æquis conditionibus rex ab hoste redimi posset. Multæ itaque utrinq; interim cædes factæ sunt, fortuna modò rerum euentus, modò hominum animos uariante. Atque talis secutus est Scotiæ status.

Per idem ferè tempus, ut cuncta ubiq; Anglo arriderent, & idem hominũ opinione in cœlo esse uideretur, Carolus Blesensis in Britannia à regio præsidio quod illic ad tutelã Ioannis pueri Montisfortis comitis relictum erat, cum duobus filijs Ioanne & Guidone capitur, sed certis non multò pòst conditionibus per operam Philippæ reginę dimittitur, filijs in custodia remanẽtibus. Dum fortuna ita Francas res afflictat, & adhuc Edouardus Caleti moratur, ueniunt legati à Clemente pontifice Romano, quibus demum autoribus induciæ in duodecim menses inter reges pactæ sunt. Hæc inducíarum compositio incidit in annum salutis M C C C X L V I I I. Eo ipso anno Edouardus constituto Caleti præfecto Almerico, homine Italo, ciue Papiensi, uictor more triumphantis in Angliam redijt. Est statim pòst primùm fame, deinde pestilentia tam in Gallijs, quàm in Anglia uehementer laboratũ, quę infinitum mortalium numerũ absumpsit. Eodem tempore Ioannes Cantuariensis archiepiscopus decessit. Huius extant etiam nũc permulta decreta sacerdotali ordini salutaria. Successit in eius locum Ioannes Offordius, uir pari doctrina clarus, qui postea haud diutius decem mẽsibus in uita mansit: cui successit Thomas, & hic non longius anno uixit. Est demũ tertio loco creatus à Clemente sexto antistes Cantuariensis, Simon Isleppus ordine antistitum quinquagesimus tertius. Et non multò pòst mortem obijt Gulielmus Eboracensis archiepiscopus, cui successit Ioannes Toresbius, qui fuit ordine antistitum quartus & quadragesimus.

Philippus interea tantis uno tempore malis affectus, de inuadenda Anglia, cum suis consilia conferebat, certum propémodum habens non alia aggrediendum esse uia, ad damna compensanda, eáque huiusce rei consilia non suo periculo, sed Reipublicæ duntaxat utilitate metiebatur, qui tot curis anxius incidit in morbum, quo breui ualde infirmus effectus interijt. Successit patri Ioannes Normaniæ dux. Huius principatus initia Delphini nouo honore aucta se feliciter dederunt: siquidem id temporis mortuo sine liberis Humberto Delphinatium principe, qui Francum regem testamento hęredem fecerat, Carolus Ioannis filius, primus Delphinus creatur. Vnde mos natus, ut regum filij quibus regni uentura esset hæreditas, Delphini uocarentur. Hanc olim Galliæ partem Allobroges tenuerunt, cuius caput est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vienna urbs multo celeberrima. Contrà exordium eiusdem Ioannis regno inauspicatissimum dedit fatum Rodulphi magistri equitum: is apud Cadomum captus, & ab Anglo missus factus, ubi domum uenit, est, causa non satis cognita, mulctatus capite: & statim pòst cùm Gaufredus Charnus, qui Fano Odomari præerat, de Almerico Papiensi Caletum pretio redimere tentaret, in emptoris perniciem fraus recidit: Gaufredus enim spe delusus inani, cùm ad oppidum occupandum uenisset, captus, in Angliámque ductus, deinde pretio quo Caletum emere uoluerat, seipsum redimere coactus est. Sed felicius successit Anglo, qui per eos dies, Guinas oppidum non procul à Caleto situm, cum arce occupauit. Franci historici aiunt præfectum arcis pecunia de fide deductum, oppidum prodidisse hostibus. Anglici uerò autores tradunt captiuum quendam Anglum dum in ea arce custodiebatur, dormientibus uigilijs, uiam ostendisse suis, & eos noctu in muros ascendisse, ac ita arce & oppido simul potitos. Sed cùm induciæ nondum exissent, turpe fuisset uictori Anglo uiolare inducias. Quare cum Francis scriptoribus omnino consentiendum censeo, qui uel illud tradunt, Franco postea iniuriam expostulanti, Anglum Thracio commento usum respondisse, de rerum emptione nihil inducirum religione esse exceptum. Est autem Thracium commentum prouerbium, quod nos in libro nostro adagiorum declarauimus, in eos qui uafrè fidem fallunt. Post mortem Philippi, Romani pontificis rogatu, induciæ inter Edouardum, & Ioannē regem, in biennium factæ sunt.

Rex Edouardus inducirum tempore dum Reipublicæ domi operam dabat, concilium ad Vuestmonasterium habuit, quo in concilio, postquam res regni in commodiorem redactæ sunt statum, Henricus comes Lancastri & Derbij ex comite dux, & Rodulphus Staffordius comes Stafordiæ factus est. Rex autem instituit Garterium ordinem, cui tantus deinde accessit honor, ut maximos quosque reges non pœnituerit in id uenire collegium. Sunt numero sex & uiginti Garterij equites (sic enim appellantur) & alius in alij demortui locum per electionem reliquorum coptatur. Horum autem princeps eques rex Anglus habetur: utuntur pallio cœruleo, crus sinistrum parum infra genu, corrigia fibulata gemmis & auro ornata cincti, à qua quidem corrigia nomen ordini inditum constat, quòd garter lingua Anglica, id ligaculum significet, quo mulieres tibiarum tegumenta sibi ligant. Illa præterea corrigia ornatur eiusmodi titulo Gallicis uerbis inscripto, Honni soit, qui mal y pense: id est, uituperetur, qui male cogitat. Ordo uerò est diuo Georgio, ut bellatorum præsidi dicatus, quare equites quotannis diem ei sacrum multis cærimonijs colunt, in templo ad Vindesorium Castrum, ubi loci eius collegij sedes est, opiparóque conuiuio diem illum festum agunt. Quapropter rex Edouardus ibidem instituit celebre sacerdotum collegium, qui res curarent diuinas. Habent isti equites certas leges, quibus illud cum primis est constitutum, ut mutuò se iuuent, defendantq́, ac bellando nunquam se in turpem conferant fugam. Habent insuper apparitores ministros, quos Haraldos dicunt, quorū præfectus armorum rex uocitat. Ii belli & pacis nuntij, ducibus, comitibusq́ à rege factis insignia aptant, ac eorū funera curant. De causa autē instituendi ordinis omnino ambigitur: fama tamen apud uulgus etiam nunc tenet, Edouardum aliquando è terra collegisse reginæ seu amicæ tibiarum tegminis ligamen, quod fortè resolutum ita, ut usu uenit, ceciderat, & nōnullis heroibus id uidētibus, ac iocosè cauillantibus, dixisse, breui tempore futurū, ut eiusmodi cingulo etiam ab illis summus haberetur honor, atq́ non multò pòst istiusmodi ordinem instituisse, ac eum addidisse titulum, quo testaretur ipsos heroës contrà quàm erat, de se iudiciū fecisse. Et fama uulgi talis. Atqui autores Anglici uerecundè superstitiosi, fortè timentes ne imminutæ maiestatis regiæ crimen subirent, si tale quid ut minus insigne prodidissent, maluerunt tacitum relinquere, perinde quasi nunquam aliàs usum esset, rem ab initio, à parua sordidaq́ origine ortam, magno esse incremento dignitateq́ auctam. Ecquid deformius despicatiús ue apud multos olim populos habitum est, quàm rasus uertex, qui nunc unicum est sacri prophaniq́ capitis discrimen? An aruales fratres quos Romulus creauit, eo in honore à principio fuere, atq́ postremò extiterunt, uti nos utrunque in nostro de Rerum inuentoribus opere docuimus. Quid, quòd Censura, magistratus olim apud Romanos, ab initio, teste Liuio, à primoribus omnino spreta est, at non longo pòst tempore, omnis Vrbis ordo sub eius ditione fuit? & id genus exempla sexcenta sunt. Proinde origo uera Garterij ordinis non erat prætereunda silentio, etiam si profecta esset ab amore, quo nihil est nobilius, dicente Ouidio: Nobilitas sub amore iacet. Quocirca famā uulgi de istiusmodi causa rei, dubio procul non uanam dixerim. Edouardus item cùm diuum Georgium suæ militiæ præsidem optasset, postea ei armato et equo insidenti dedit scutum album rubra cruce perinsigne, dedit & militibus suis saga alba utrinq́ binis crucibus etiam rubris munita, quæ illi super armaturam induerent, ut tam decorum cū magnificū esset, uidere Anglicanas legiones armatas instar orientis solis procul albescere, micare, fulgere, cùm aliarum nationum milites uelut gregarij uestitus colore minimè internoscantur. Nunc redeo rursus eôdem. Edouardus postremò pecunias populo ex consensu patrum imperādas curauit, in stipendium militum, quas omnes libentissimis animis soluerunt. His actis, cùm Innocentius sextus, qui paulò antè Clementi sexto in pontificatū successerat, reclamaret, quòd ipse & Ioannes rex Francus mutuis inter se odijs rotum Occidentem solicitum haberēt, ac demum discordiam tam pernicioſam sedare conaretur, Edouardus primo quoq́ tempore Henricum Lancastrium ducem Auenionem misit, qui pontificem de summa rei controuersæ doceret, rogaretq́, ut sua autoritate litem terminaret. Misit et Ioānes suos oratores, qui causam defenderēt. Pontifex auditis legatis, cùm unam rem peterent, hoc est, regnum, quod consortem non patitur, talia mandata dedit: Debere utrunq́ regem pertinacię finem facere, & ab armis discedere, neq́ amplius fortunā belli periclitari, cùm satis essent magna utrinq́ incommoda accepta, quæ pro disciplina habere possent, ut reliquos casu timerent. Atque ita legati cum his mādatis domum redeunt, narrantq́ ordine omnia.

Hæc ubi uterq́ rex accepit, tantum abfuit, ut quieuerit, ut etiam longè ardentissimè ad arma eundum cum primùm per anni tempus liceret (erat enim hyems) statuerit. Itaq́ Edouardus habito nouo militum delectu, Edouardū filium principem Vualliæ annum ætatis uigesimum quartum agentem, iuue

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem & indole animi,& uirtutum fiducia ferocem,cum ualido militum robore in Aquitaniam mittit,eiq; præfectos copiarum ac cõsiliarios dat Ioannem Candium,Robertum Canolum,Francum Hallum, atque alterum Ioannem Dandellũ,equites summa prudentia,summaq; militaris artis scientia. Ille ubi eò peruenit,cùm induciæ iam exissent,per Tolosatium agrum erumpens, omnem eam regionem usq; Narbonẽ urbem populatur,paucis procedere obuiam audentibus,ex tot copijs,quæ ad præsidium prouinciæ,passim à Ioanne locatæ erant,adeò terror eos inuaserat:& inde secundum Garumnam flumen iter tendens,cum bene magna præda Burdegalã proficiscitur. Fama interim huiusce cladis Auenionem perfertur,ubi pontifex Innocentius resi- 1
bat,qui mira affectus molestia,quòd sua mandata nihil põderis apud principes habuissent,duos continuò Cardinales in Aquitaniam misit,qui & Edouardi principis ferociam saltem mollirent,et Ioannẽ regem ob recentem acce
ptam plagam ulciscendi auidum compescerent,ne dum hic ulcisci tentaret,il
le instar leonis irritatus maiore exardesceret ira. Sed summa mandatorũ fuit, ut concordiæ in primis inter reges conglutinandæ studerent,ad quos ponti
fex etiam literas uno exemplo dederat. Ioãnes rex interea duplici cura sese af-
flictabat:una erat,quòd Dauid rex Scotiæ captiuus apud Anglũ detineret, à quo permagna expectarat auxilia,& idcirco eius casus summum ipsius animo inusserat dolorẽ:altera,quòd domesticis laboraret hostibus:sic enim ma 20
lum rarò incomitatum est:nam cùm pecuniam à populo sine modo exigeret, Carolus rex Nauarræ cum nonnullis optimatibus id factum palàm improbans,in Normania magnas facere cœpit seditiones,sed Carolo statim capto, atque aliquot principibus qui cum illo sentiebant, securi percussis,eum populi motum facilè compressit: quo celeriter ex animi sententia expedito negotio,quicquid Francarũ uirium id temporis erat, in unum colligit, ut illud opponat Anglo uenienti. Qua re aut illis copijs defendi posse Francorum regnum, aut spem nullam aliam esse,satis declarabatur. Itaq; ut erat recentis animi,& ob id ferocior,nullam dilationem passus,omnem exercitum in Carnutum fines educit,& quia audiuerat Edouardum principẽ, qui tunc in Pictonibus erat,in Turones cum exercitu iter habere,ipse eò præcedit,ut tempore oblato,ducibus paratis,animis militum incitatis,cum hoste agmine minimè, uti fit,expedito ueniente manus conserat. Verùm Edouardus animaduertẽs Frãcum sua sponte ad certamen accedere,quod etiam auebat, ut ne suos atq; huc atq; illuc ducẽdo defatigaret,eodẽloci quo erat, castra posuit,eaq; uallo muniuit. Superuenit nõ multò pòst Ioãnes, & castra adeò prope hostẽ fecit, ut nisi tria millia passuum inter bina castra interessent. Postero die ingẽtibus animis utrinq; ad pugnã se accingentes,ad mille passus propè accedũt. Quo die pontificis legati adfuere,qui uarias pacis conditiones utriq; principi prę- 40
ponentes,magnopere studebant iniurias reuellere,odium delere,et deniq; à prælio eos auertere. Petebat rex anteq; pax ulla fieret multa inhonesta, quò pauca honesta obtineret, illud scilicet, ut princeps quatuor datis obsidibus, sese cũ toto exercitu,ut iam uictus suæ cõmitteret fidei. Contrà princeps offerebat se paratum esse ad restituẽdum loca omnia,quę paulò antè de eo cepisset,unà cum captiuis. Noluit rex qui à suo malo ducebatur genio,istiusmodi æquas pacis conditiones accipere:unde tantus repentè ardor inuasit omnes pugnandi,

pugnãdi,ut nõ facilè postea inter armorũ strepitus, rationes pacis audirent. Tum legati uidẽtes rem eo loci esse,ut nihil amplius foret,quod de coagmentatione concordiæ ullius ageret,etsi dolentes castris excesserunt. Igitur edito utrinq; signo,præliũ committit. Franci equites qui in prima acie erant,Carolo Delphino duce, in sagittarios Anglos qui pro uallo castrorũ pugnabant, sese concitant, sed crebris sagittarum ictibus primò retardati, deinde fugati sunt. Quod ubi Edouardus accepit,laxatamq; pugnam,& equitatũ hostium auersum uidit,protinus equitibus dextera læuaq; emissis,in hostem ipse cum peditũ robore erumpit. Franci qui in ultima acie erant,turbatis iam ordinib.
10 suorumq; fuga perterriti,non ultra sustinuerũt impetũ. Capitur Ioannes rex cum Philippo eius filio,ac nobilibus mille & septingentis, Delphinus fuga sibi salutem quæsiuit. Cæsa sunt eo die ad sex millia Francorum: præda magna alia tum omnis generis, tum auri argentiq;, signa militaria ultra centũ relata sunt. Postridie facta à sacerdotib.re diuina,actisq; Deo gratijs,princeps concione aduocata,in conspectu captiuorũ milites collaudat,totumq; exercitum donat præmijs,ac inde motis castris,Ioannem regem summa complexus humanitate cum reliquis captiuis,secũ Burdegalam ducit, atq; confestim patri Edouardo in Angliam scribit uictoriam populi Anglici esse,ac Frãcorũ exercitũ capto Ioanne eorũ rege,in Pictonibus profligatũ. Est mira affectus uolu
20 ptate rex,ut par erat,ob rem bene gestam,sed ubi uictoriæ fama exiuit in uulgus,tãta fuit omnibus lætitia, ut homines uix compotes mentiũ præ gaudio essent. Rex uerò in primis Deo acceptam referebat uictoriam, quam ob rem primùm omniũ egit cum Simone Cantuariensi antistite,ut octo dierũ publicas supplicationes decerneret, id quod maturè factũ est. Parta est tã insignis uictoria XIII. calend. Octobris,anno salutis humanę MCCCLVI,qui fuit Edouardo à gubernatione sui regni annus XXX.

Princeps haud multò pòst Ioannẽ regẽ cum reliquis captiuis in Angliam ducit,quẽ ubi appropinquare allatũ est,tum enimuero omnis ætas,pueri,iuuenes,senesq; currebant obuij:primus enim quisq; oculis uidere captiuos ho
30 stes,spolia opima demirari,ac auribus tantũ gaudium haurire cupiebat. Vsq; ad Plimuthũ portũ,qui in Deuonia est,in quẽ princeps se applicuit,cõtinens agmen peruenit. Atq; ita princeps triumphantis more,ingenti comitatus nobiliũ caterua Londinũ peruenit,cui Edouardus pater ad pontẽ Thamesis obuiam factus,inquit:Macte uirtute fili,nobilissimã uictoriam hanc tibi meritò gratulor. Deinde multa charitate Ioannẽ regem complexus iussit saluere,bonũq; animũ habere,atq; sibi persuadere,se iure belli captiuũ ad eos uenire hominem,à quibus ut rerum humanarũ uicissitudinẽ nõ ignorantibus,humaniter atq; liberaliter tractaret. At uictor princeps in urbẽ diuerso apparatu operа & studio Henrici Pichardi prętoris ac ciuitatis senatus ornatã,mirifico om
40 niũ ætatũ gaudio,atq; ordinũ incredibili cõcursu,plausuq; acceptus est, cunctis generatim eum una uoce in cœlũ ferentibus: ab infima autẽ plebe ita uiæ cõpletæ erãt,ut uix incedere possent equites. Cęterũ in maxima lætitia,& exoptatissima cõgratulatione,ut in primis Deo gratię agerentur,& illo ipso die sacerdotes orantes uenerunt obuiam uenienti principi, & totũ biduum pòst supplicationibus publicis celebrarũt. Vbi demum ad Vuestmonasteriũ uentum est,Ioãnes rex ad ædes ducis Lancastri ductus,ibi honestè unà cum filio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philippo custoditur Istæ olim ædes ad Thamesim fuerunt,ubi memoria nostra Henricus septimus domum hospitalem diuo Ioanni Baptistæ dicatã posuit,quam Sauoyam uocant,ita nominatã quondam à Petro Sabaudiensi.Petrus enim pater Bonifacij Cantuariẽsis archiepiscopi, qui Aleonoræ Henrici tertij uxoris auunculus fuerat,uir singulari uirtute,ad filium in Angliam uenit,quemadmodũ suprà demonstrauimus,circiter annũ salutis humanæ MCCXLI.Hunc igitur propter grauitatẽ,prudentiamq́,rex Henricus humaniter accepit,habuitq́ in cõsilio in rebus agẽdis, ac idcirco tantis auxit opibus, ut ille eo in loco magnificas ędificauerit ędes,quem à patriæ nomine Sauoyã dixisse fertur. Alij uerò captiui partim dimissi,pro quibus Ioãnes redemptionis soluendæ sponsionem fecerat,partim aliò custodiendi mittuntur.Postridie uerò ac deinde per aliquot dies, inter iuuenes glorię cupidos fuit equestre certamẽ,quod gaudio & uoluptati publicę finẽ imposuit.Interfuit isti ludicro Ioannes animo quidẽ tristi,uti in uultu indicia existebant,qualis captiuum decebat, quem cùm Edouardus rex & princeps omni humanitatis officio consolarent,rogarentq́,ut lætitiam cum alijs,caperet oculis,ille dolorem quammaximè poterat,permens,fertur subridendo illud propheticũ iam celebre carmẽ repetisse,Quomodo cãtabimus canticũ in terra aliena? At tota Gallia post acceptam plagã cùm re tum tempore longè maximã,nil aliud nisi gemitus,nisi ploratus,nisi fremitus incusantiũ illius diei fatum,audiebatur.Carolus autem Delphinus suos consolando nõ luctu,sed consilio, cura, studio, rebus affectis occurrendũ ratus,quamprimũ cum pontifice Romano egit,ut sua autoritate pacem demum cum Anglo conficiẽdam curaret. Quapropter adfuere nõ multò pòst ex Auenione,Londinũ legati ipsius põtificis,qui demum pacem facerent inter reges,& in primis ad id hortarenturEdouardum, eumq́ monerent memorẽ esse debere,res humanas esse tales,quæ ad punctũ tẽpotis in contraria semper mutarent,ac propterea misericordiã impartiri Ioanni regi,cui nũc,in quẽ se duriusculũ prębere posset,si parceret,magnũ profectò ederet clemẽtię exẽplũ.Est igit̃ de pacificatione toto anno q̃ secutus est agitatũ,quæ conuenire nõ potuit,impetratis tãtùm duorũ annorũ inducijs.

Inter hæc Edouardus rex miserat in Britanniã Henricũ ducem Lancastriũ auxilio Ioanni Montifortensi,qui cum Carolo Blesensi iugiter de principatu certabat,ut tandem aliquando omnemBritanniã sub eius imperiũ redigeret. Itaq́ ubi eò dux peruenit,Redones qui paucis antè diebus adBlesensem defecerãt,arcta obsidione,acriq́ oppugnatione premere cœpit,adeò ut illos breui pòst ad deditionẽ cõpulerit.Quo facto, omnis belli motus subitò refrixit: nam Lancastrius certior factus inducias in duos annos Franco esse datas, nil amplius hostile tentauit,sed confestim in Angliam redijt. His tẽporibus duo Franciscani ordinis pseudomonachi post multa male facta,Londini igne necantur, quòd de religione male sentirent. Annus qui secutus est nobilis fuit morte Isabellæ Edouardi regis matris,fœminę immortalitatis nomine longè dignissimę,quippe cuius potentiam nemo sensit,nisi aut boni accessione,aut leuatione mali.Hæc tamen apud nonnullos principes non caruit calumnia, quòd esset persecuta uirum,tametsi non nocendi uiro,sed Reipub.succurrendi causa,id facere coacta est:quare profectò uenia dãda est,si ob amorem patriæ,præ qua reliqua omnia negligenda sunt,minus priuato officio seruierit.

Corpus

Corpus Londini in cœnobio Franciscanorũ sepulturæ datũ est.Per idẽ tempus Dauid rex Scotiæ qui hactenus in arce quę prope pagum Suthantonensis comitatus sita est,quem uocant Odiham,in custodia fuerat,post annũ decimũ,quàm fuerat captus,dimittit̃,decẽ millibus aureorũ redemptus:impetrauit enim multis precibus Ioanna eius uxor à fratre Edouardo,ut tandẽ in regnũ restitueret eo paruo ære.Equidem Dauid soluendo nõ erat,magna de eius bonis iã facta diminutione,qui suo populo pecuniã imperare non audebat,cùm Scoti ne belli quidẽ tempore,soleant suũ principẽ præter operã,facilè pecunia iuuare:nec ex possessionib.uectigalia interim ceperat,quæ in belli sumptus cõsumpta erãt,id quod causa fuit,quamobrẽ serius sit missus factus.

Interea Ioannes rex cum filio ad Vindesorium castrum ducitur,ubi loci de pacis compositione actum propositumq́ est,eius summam hanc fore,ut Angli in perpetuũ Aquitania esset ijs finibus,ad quos iungerent̃ Vascones, Pictones, Turones, Santones, Petracorij, Cadurci, Lemouices, Engolismenses, Caleti, Ginarum, Bononiæ,& Pontiuũ comitatus,& ipse Anglus nullũ deinceps neq́ uectigal penderet,neq́ iusiurandum Franco daret, sed è contrario quicquid iuris in Normaniã, Andegauenses, Cenomanósue haberet,illud ipsum remitteret.Francus uerò certam pecuniæ summã redemptionis nomine solueret,atq́ datis obsidibus,liber domũ abiret. Hasce pacisconditioñes Delphinus ac principes Franci admittere nequaquam uoluerũt, quocirca finitis iam inducijs,ad arma itum est. Primùm itaq́ omnium Francis hominibus omnis Anglia interdicitur, deinde Edouardus Lancastrium cum quadringentis equitibus & mille sagittarijs Caletum præmittit,& mox parata tam marì quàm terra in multos dies ingenti cõmeatus copia,ipse sequitur cum ualido armatorũ exercitu,qui ubi Caletum peruenit, cœpit cum suis ducibus de ratione belli gerendi cõsultare. Erãt qui sentirẽt,ut Ludouicus Flãdriæ comes, qui Ludouico patri in pugna Cresciacensi cęso successerat,primò tentaretur, ac inde in Franciam iretur. Verùm rex cui decretũ erat,aut in Francię possessionem per uim uenire,aut eam funditus deuastare,nõ probata sententia,ante omnes in Atrebates arma uertit,quibus intra triduũ deuictis,Rhemos inde petit,positisq́ prope urbem castris,natalem Christi diem ibi agit : exin in Campaniam pergit, & Niuernenses atq́ Senonenses adortus,in potestatem redigit:quo facto,in Burgundiones proficiscitur , quibus tantus incessit terror,ut aliquot millia aureorum dederint,ne uastaretur ager:igitur ibi paucos dies moratus,dum suos à laboribus reficit,ecce põtificis legati subitò adsunt qui de pace iterum locuti:sed uidẽtes omnia plena odiorum,plena discordiarum,plena irarũ esse,re infecta dolenter abeũt. Tum ille sublatis castris,rectà Lutetiam contendit,ubi Delphinũ cum exercitu esse intellexerat , ut cum eo aut prælиũ faciat,aut urbẽ,si ita occasio suadeat,oppugnet:qui in suburbano agro castra metatus,Carolo Delphino pugnandi copiam facit.Sed ille recentis cladis in Pictonibus acceptæ nondũ oblitus,fortunã periclitari nõ audet. Tum rex impetu facto,usq́ ad muros urbis, ustóq́ latè agro , per Normaniã exercitũ ducens,in Britanniã perrexit,eo consilio,ut eã iure belli quæsitã uectigalẽ sibi faceret, relinqueretq́ integrã Ioanni genero Montifortis comiti, qui ipsius beneficiarius esset.Cæterũ dum hîc ęstiua habet,cùm plures in negotio conficiendo difficultates obijcerentur quàm putarat,ut ne militem de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fatiget, quo recentibus uiribus in Lutetiana oppugnatione utendum statuerat, quiescit paulisper, atq; non multò pòst Lutetiam oppugnatū reuertitur, positisq; propè ad mille passus castris, hostes ad pugnam prouocat. Verùm Franci qui satis habebāt urbem seruare, clausis repentè portis, nequaq; hosti obuiam fiunt, sed armati in muris crebras uigilias agunt, se ad laborem conferunt, ad resistendū expediunt, ac stationes passim militibus dantes urbem tantùm custodiendam curant. Qua re cognita, Anglus castra mouit, ac ad diui Marcelli suburbanū uicum uenit: sed ne eo quidem modo ciues, néue præsidium extra urbem ad certamē elicere potuit, licet miles ipsis portis obequitans, inureret circa muros, passim domos, adeò ut uideretur omnino à lasso rixam quærere, uelut in prouerbio est. Carolus interim omni spe bene rei gerendæ desperata, legatos ad Edouardum de pace mittit. Audiuit rex benignè legatos, cognitisque eorum postulatis, respondit se daturum pacem, sed illis duntaxat conditionibus, quibus cum Ioanne rege de concordia paulò antè conuenisset. Quo accepto responso, legati ad Carolum redeunt. Edouardus uerò oppugnationem tantæ urbis in aliud tempus differendam iudicans, in Carnutum fines contendit, quos dum latè populatur, præfectus classis Normanicæ cum magno nauiū numero, in oram Anglicam subitò delatus, in terram noctis silentio descendit, ac Vincelseium oppidum maritimū oppugnare aggressus, ante solis ortū, oppidanis omnibus rebus imparatissimis ad defendendum sese, expugnat, ac diripit, direptūq; incendit, interfectis absq; ullo discrimine, etiam impuberibus, nō sine tamen suorū cæde: atq; ita multa abacta præda, cùm uideret ex clamore concursum agrestium fieri, eò unde uenerat, celeriter discedit.

Dum Edouardus in Carnutibus moratur, pontificis Romani atq; Caroli legati ad eum redeunt, hîc de pace multis utrobiq; oblatis conditionibus, aliquandiu agitatum est, quæ ad extremum conuenit. Leges ferè eædem fuere, atq; antea præscriptæ erant, de quibus suprà memorauí, excepto, quòd additum est, ut Anglus (si quibusdam credimus, qui res eius temporis scripserūt, & pactiones eiusmodi fœderū cognitas omnino habere potuerunt) omni hæreditatis iure quod in Franciæ regnum, in aliósue principatus quos in Gallijs ipsius maiores possedissent, sibi esset, Franco cederet, & Francus pariter iure sese exueret, quod in omnes Gallicanas urbes, quæ Angli in præsentia essent, haberet, ac tam sui quàm aliorum captiuorum redemptionis nomine, ad certam diem tricies centena millia aureorum solueret, datis obsidibus duobus filijs Ludouico Andegauensium, & Ioanne Biturigum ducibus, cum alteris duobus ducibus Ludouico Borbonienſi, et Petro Alenconienſi, qui eatenus in Edouardi potestate essent, quoad promissa sine fraude exoluerentur. Ex priore item formula exceptum est, ut Turones & Bononiæ comitatus Franci essent. Quibus rebus ita peractis, Edouardus Ioannem regem post quartum quàm captus fuerat annum, Caletum perduxit. Incidit hæc regum concordia in annum salutis MCCCLX, & cùm regnare cœpit Edouardus, XXXIIII. Huc pòst paulùm utriusque gentis principes conueniunt, ubi ex communi omnium consensu, fœdus iureiurando sancitur, atq; Romani pontificis autoritate ratum habetur, quò in perpetuū inuiolatū maneat, quandò per id omnes iam controuersiæ sublatæ erant, & nunquā in posterū tempus uide-

uidebantur rursus erupturæ. His igitur ritè peractis, Ioannes rex dimissus in Franciam reuertitur, & Edouardus acceptis obsidibus, in Angliam. Secundum hæc, Edouardus rex iam sui desiderij compos, bellorúmque curis relaxatus, postquàm Deo gratias egit, quòd tot uno tempore consecutus esset uictorias, diuo Georgio ordinis ab se instituti præsidi uotiuum templum intra Castrum Vindesorium condidit, ibíque sacerdotum collegium instituit, quod & amplissimis locupletauit possessionibus: item quia ibi natus erat, regias ædes quoque amplificauit, magnóque ædificiorum apparatu exornauit. Ea tempestate quietis tandē à bello rebus, ut ne mortales aliquando à metu ac periculis uacui essent, pestilentia ingens orta est, quæ multos magnos absumpsit uiros, ex multitudine uerò infinita funera fuisse tradunt. Sed eam pestilentiam insignem mors Henrici ducis Lancastri fecit, etenim uir fuit eo tempore domi clarus, foris admirandus, ac rebus omnibus laudandus: is reliquit superstitem filiam Blancham nomine, quæ postea nupsit Ioanni Gandauensi regis filio, qui per eas nuptias, in ducis successit opes. Et Edouardus princeps in matrimonium duxit Ioannam filiam Edmundi comitis Cantij, paucis antè annis ob suspitionem seditionis, ut suprà est dictum, capite mulctati: & quia Edmundus frater fuerat eius paterni aui Edouardi secundi, idcirco cùm ea cognatio nuptias infirmaret, haud prius fieri potuerunt, quàm Romanus pontifex lege soluendo utrunque, id impedimenti sustulerit. Suscepit princeps Edouardus ex ea duos filios, Edouardum, qui impuber interijt: & Ricardum. Ioanna à principio data est à patre in matrimonium priori uiro Ioanni Holandio equiti, ex quo genuerat binos liberos, Thomam & Ioannem. Post hæc, princeps à patre dux Aquitaniæ factus est, qui simulatque ob id in eius uerba iurauerat, eò cum uxore se contulit. Sub eius discessum, circiter Idus Ianuarij, uentus meridionalis, quem nos Austrum, Græci Notum uocant, tanto impetu repentè flare cœpit, ut ædificia passim deiecerit quamplurima, id quod prodigij loco habitum est.

Interea Edouardus rex iam cœperat agere annū ætatis quinquagesimum, qui fuit humanæ salutis MCCCLXI. & memor ueteris iubilei instituti, quod quinquagesimo quoque anno Christianis celebre erat, decreuit liberalitate aduersus populum uti. Sed, ut rem planiorem faciamus, subijciam breuiter, quare suæ ætatis solennem iubileum agere uoluerit. Bonifacius enim octauus Romanus pontifex anno salutis MCCC, iubileum retulit, qui generatim cunctis delicta remiserat, qui limina apostolorum centesimo quoque anno adiuissent, secutus Hebræorum institutum, quòd apud illos, anno iubilei, debitores à creditoribus laxarentur, & serui libertate donarentur, quoniam uerè liberi dici possunt, quibus peccata remittantur. At Clemens sextus deinde petentibus Romanis concesit, ut quinquagesimo quoque anno iubileus ageretur, cùm in omni mortalium memoria nemo homo id ætatis fuerit, qui iterum Bonifacianum iubileum uiderit. Rex igitur cùm eodem anno, quo quinquagesimum agebat ætatis annum, haberet concilium ad Vuestmonasterium, postquam de concilij sententia filios Leonellum ducem Clarentiæ, & Edmundum comitem Cantabrigiæ fecerat, exules reuocauit, perduellibus pepercit, custodias omnes dimisit, condonatis maleficiorum pœnis, leges aliquot salutares tulit, priuilegia olim à maioribus populo irroga-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta,quæ uulgus Magnæ chartę immunitates uocitat, deintegro cõcesit. Hinc ortum dixerim, ut reges etiam nunc iubileum ætatis colerent. Verbi gratia, rex seu regina in annos singulos, tot inopes homines in cœna domini, uestit, eisque largitiones facit, quot illo ipso die annos ætatis habuerit. Postremò de eiusdem sententia decretum est, ut iudices item atque litigatores, patroni, procuratores, causarum cognitores, non amplius Gallicè, uel potius Normanicè, quemadmodum hactenus fecissent, sed Anglicè loquerentur, ac causarum actiones, sententię, & cætera acta lingua Anglica Latináue conscriberentur, id quod populo fuit commodo, quippe quem deinceps in causis agendis non oportuit interprete uti. Eodem in concilio senatus decreuit, ut Anglihomines tantùm Caletum habitarent. Eam coloniam statim pòst rex deduxit: qui uerò sunt ducti, fuere uiri diuites, qui mercium diuersarum, & præsertim lanæ commercio, eum locum emporium totius regni celebre fecerunt. Fuit ille annus salutis humanæ MCCCLXII, & cùm regnare cœperat Edouardus, XXXVI. At mense deinde Martio ineunte, Ioannes rex Francus ueritus ne negligentia iter amoris & officij non interrumperet, ad Edouardum in Angliam uenit, excusaturus multa, quamobrem nondum sui promissi summam compleuisset, qui dum de obsidibus liberandis cum eo agebat, in morbum incidit, quo pariter atque animi tristitia grauiter affectus breui interijt: corpus eius inde funerali pompa nobilium humeris ad Parisios deportatum, in cœnobio diui Dionysij more maiorum sepelitur. Carolus quintus, filius demortuo patri in regnum successit. His temporibus Carolus Blesensis singulari prælio in Britannia à Ioanne Montisfortensi uincitur, suis partim cæsis, partim fugatis, ipse etiam pugnans interfectus est. Ita demũ Ioannes, fauente & auxilium ferente Anglo, Britanniæ potitus est. Cæterùm Caroli memoria apud posteros sanctitatis nomine celebris extitit, quòd ille uitam duxisset innocentissimam.

Iam tum denique otium à bellis partum uidebatur, cùm repentè nouam sumendi belli occasionem fortuna inuexit, quo semper aliquid esset, cur minus à cædibus cessaretur: nanque Henricus frater nothus Petri regis Castellæ ac Legionis, uir sagacis ingenij, cùm ea tempestate animaduerteret Castellanos infensos esse Petro fratri, propter crudelitatem, quam in omnes æquè exercebat, perpessus & ipse sæuitiam eius, ad Petrum Aragoniæ regem confugit. Hîc comiter acceptus in spem potiundi regni Castellæ adducitur, adeò ut armatorũ manũ aliquam maturè undecunque comparandam constituerit, quòd uidebat in Petro fratre nullum esse ingenium, nullam rationem, nullam cogitationem, nullam diligentiã, qui sua auaritia multitudini odio esset, qui suos nullis præmijs deuinciret, qui aduersarios nulla arte, aut humanitatis specie leniret: itaque postquam cum Aragonensi de ratione belli communicauit, qui eum ad id hortatus auxilium pollicitus est, quòd ipse à Petro uexaretur bello, in Franciam pergit, ubi non inuito Carolo rege, qui Petro iratus erat, ob diuortium cum uxore haud ullo iure factum, sicut infrà demonstrabitur, sibi Bertrandum Gesquinum hominem Britannum, uirum fortem sociat, cóque duce, bene magnum eorum hominum numerum, qui pace inter Anglum & Francum nuper facta offensi, latrocinia passim facere incipiebãt, cogit, ac per Aragoniæ fines in fratrem ducit: cui ne suspitionem afferat, prædicat se in Mauros

Mauros unà cum alijs militiæ exercendæ causa ire: sed res cælari non potuit. Igitur de fratris aduentu Petrus rex qui nil esse quod id temporis pertimesceret, cogitabat, certior factus, suis subitò diffisus uiribus, animo ualde infirmo, inter manendi fugiendique consilium, deficitur, quippe qui nec fugam nec certamen expedire iudicabat: ad ultimum tamen cùm exercitum paratum non haberet, quo staret contrà, placuit salutem fuga quærere: sic ad Edouardum principem Vualliæ in Aquitaniam profugit, eiusq; auxilium suppliciter implorat. Henricus interea regnum à defensoribus uacuum occupat, seque regem dicit. Petrus in Aquitaniam fugiens, secum tulit partem thesauri, quam ad manus habuit, quo se iuuaret: & filias tris simul duxit, Beatricem, Constantiam, & Isabellam, quas ex Maria Padilla reginæ pellice genuerat, unà cum filio nomine Alphonso. Hos filios sua autoritate legitimos antea declarauerat, iusserátque à populo eo loco haberi, perinde ac si nothi non essent. Sed Alphonsus paulò ante patris fugam, mortuus est. Ex Blancha uxore filia ducis Borbonensis, Petrus nullos sustulit liberos, quam contra ius, ac sine ulla iusta causa, ab se ablegauit, quę non multò pòst mœrore confecta mortem obijt. Fama tamen tenet Blancham pellicis tori æmulæ odio concitatam donasse uirum cingulo, cui ille comperit uim inesse magicam, arte cuiusdam Iudæi insertam, & ob eam causam, reiectam: quod factum à Petro fauorem auertit Francorum.

Edouardus princeps dolens Petri uicem, qui fratris proditione regno deiectus esset, pro sua humanitate, ac gloriæ consequendæ, cuius uerum gustum habebat, cupiditate, hominem iuuandum existimat: sed ne sibi nimium sumere uideatur, si exulis causa uelit se tanto bello implicare, primo quoque die confert de ea re cum Roberto Canolo, & Ioanne Candio consilium, ac de eorum sententia ad patrem in Angliam scribit, narrátque Petrum regem patria extorrem ad se uenisse rogatum auxilium, & in animo habere illum in regnum restituere, si modò id ipse faciendum decernat. Rex Edouardus ubi cognouit Henricum ope Francorum, regnum Castellę adeptum esse, ac certum habẽs euim si regnum diu obtineret, esse deinceps illorum partes secuturum, nonnihil etiàm motus misericordia exulis regis, iussit principem id bellum maturè suscipere. Princeps accepto patris responso, maiorem in modum lætatus est, quòd oblata esset occasio exercendi militis, qui nihil æquè atque pacem & otium abhorrens, uix imperio contineri poterat. Postquam militi suo cauit, ne stipendio fraudaretur à Petro, nihil cunctatus cum ipso Petro, primum in Nauarram pergit, ubi Carolum eius regionis regem sibi belli socium adiungit, qui etsi in itinere statim pòst seu uolens, nolensúe, à Francis interceptus est: sed ea re minimè retardatus, deinde rectà in Castellam cum ingenti exercitu contendit, quò incitato agmine, paucis pòst diebus peruenit, cuius aduẽtus fama iam antea præcesserat, multúmque timoris hostibus intulerat: fit tamen Anglo obuiam Henricus, & positis loco idoneo ad pugnandum castris, sexcentos leuis armaturæ equites præmittit, qui hostem uenientem interdiu noctúque infectando defatigent. Isti aliquot leuibus prælijs factis, circiter ducentos equites Anglos occidunt. Sed felix initium, tristis excepit successus: iam enim Nauerretem princeps peruenerat, ubi se Henricus intra castra continebat, cùm facta pugnandi potestate, suos in aciem duxit. Non re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cusauit Hispanus certamen, pugnatur primò utrinq; strenuè, dein superante Anglo, Henricus celeri equo uectus ausugit, capto Gesquino duce, ac multis alijs Francis pariter atq; Hispanis ordinũ ductoribus, & in his Guidone Dennensi comite, qui Franco Hallo in diuisione prædæ obuenit. Desiderata sunt circiter sex Hispanorum & Francorũ milia, pręda uerò nõ admodum opulenta obuenit. Princeps tanta uictoria potitus, ubi Petrum in regnum suum restituerat, cœpit conquerente in primis milite, poscere ex pacto stipendium. Petrus non inuentis pecunijs, ubi reliquerat, quòd eas Henricus frater paulò antè rapuisset, tum soluendo non erat, quod aliquot dies blandè loquendo comiterq; appellando dissimularat, sed ad extremũ cognita eiusmodi morę causa, ita rursus conuenit, ut rex Petrus intra quatuor mẽses, dimidiã partem stipendij solueret procuratoribus, quos princeps in Castella ob eam causam relinqueret, et reliquam intra spatiũ unius anni, ac interim apud Anglũ essent tres eius filiq obsides. His ita actis, princeps Burdegalam uictorem exercitum reduxit. Cęterũ ea uictoria non fuit Petro saluti, quippe qui statim post principis discessum, ab Henrico uictus occiditur, ac ita exitum uitę habuit sua crudelitate dignum. Atq; Henricus deinceps rerum potitus est, anno salutis humanæ MCCCLXV.

Fuit eo anno uis frigoris solito acrior, & cometes per plures dies apparuit, inter occidentem & septentrionem, cuius radij ad Franciam pertinebãt, quasi demonstrantes eam paucis pòst mensibus rursus magnis belli motibus fluctuaturam, perinde ut accidit. Sub idem tempus, Ludouicus comes Flandriq cupidus ineundæ gratiæ ab Edouardo rege, utpote qui duos parietes, uti aiunt, ex eadem fidelia dealbare studebat, uenit in Angliam, quem ille benignè accepit hospitio, atque abeuntem amplissimis donauit muneribus. Is Ludouicus Margaritã unicam quam habebat filiam, Edmundo comiti Cantabrigiæ regis filio despondit, sed paulò pòst à Carolo rege Frãco suborna-tus, eam Philippo Burgundionum duci eius fratri locauit. Quæ res Edouardi animum non minus commouit, quàm paulò antè offenderat fuga Ludouici Andegauensis ducis unius obsidum, qui dum Caleti quò ductus erat, à præfecto loci humaniter tractaretur, & aliquando animi causa, uenatum ire permitteretur, inter uenationem longius à socijs digressus, Bononiam celeri cursu se proripuit. His temporibus migrauit è uita Dauid rex Scotiæ sine liberis, cui Robertus Steuartus secundus ex sorore nepos successit, qui feliciter regnum obtinuit, cùm etiam nunc id decus in ea Steuartorum familia remaneat. Item Simon Cantuariensis antistes moritur, cuius pontificatus decem & septem habuit annos. Is optimus pater ut de Anglica pube bene mereretur, autor fuit collegij Cantuariensis Oxonij, quod hodie celeberrimũ est, cùm discipulorum nobili cœtu, tum doctrinæ frequenti cultu. Successit Simoni Isleppo Elyensis episcopus nomine etiam Simon, qui biennio pòst ab Vrbano quinto pontifice Romano, qui Innocẽtio successerat, cardinalis creatus, archiepiscopatu se abdicauit: in cuius locum ab eodem Vrbano surrogatur Gulielmus Vigornensis episcopus, ordine antistitum Cantuariensium quintus & quinquagesimus. Fuit is annus salutis humanę MCCCLXVI, & cùm Edouardus regnare cœpit, XL. Illo ipso quoq; anno Gulielmus Vuykhã cõsiliarius regis creatur Vintonensis episcopus. Is sanè uir ornatissimus breui

ui tempore Oxonij collegium collocauit, loco magnifico, illud'que diuę uirgini Mariæ dedicauit, licet uulgò nouum nuncupetur collegium, & fundos dedit ad conuictum eorum, in quibus memoria & docilitas ad discendum ibidem disciplinas inesset. Id fecit opus Gulielmus, ut sui quasi corporis simulacrum informaret, in quo continenter bona deinde nutrirentur ingenia, quæ effigiem aliquam ingeniorum posteris relinquerent. Nõ equidem fefellit opinio: nam inde uelut ex equo Troiano, uiri omni tempore uirtute excellentes prodeunt.

Eiusdem anni facinus multorũ annorum angorem attulit, quò aliqua semper mala tempestas tum Galliæ tum Angliæ impendêret. Siquidem instrumentum nouæ dissensionis ad utrunq; regem delatum est, ex recenti fœderis uiolatione: sed in quo culpa resederit, neutiquam satis cõstat, si uolumus aut Anglicis aut Francis autoribus credere, qui nõ minus inter se scribendo alterationibus aliquando decertãt, quàm uterq; populus longè fortissimè armis dimicarit. Igitur ne nos etiam ad gratiã uel odium aliquid de tãta re scripsisse dicamur, proponemus ueram uiolati sacrosancti fœderis causam, quã illi tradunt, qui de suis temporibus historiam diligẽter composuerunt. Postquam princeps Edouardus restituto Petro in regnum suum, nõ potuit promissum stipendium militi, ut suprà memorauimus, dare, reuersus Burdegalam, ut ne eum mercede fraudaret, pecunię egens adauxit Aquitanis uectigalia, ac in singula hominũ capita tributum imposuit. Re graui ac insolita Aquitani permoti indignabant, præsentem rerum suarum statum deplorabant, palamq; prædicabant se non passuros ita diu opprimi, qui demum ob id uidebãtur breui esse defecturi, si modò autorem inuenirent, cùm ecce tibi, duo fulmina belli Ioannes Armeniacus, & Carolus Petragoricus comites adfuere, qui maximè omnium contra principem facere non dubitarunt. Ii Carolum regem Francum continuò appellarunt, ad senatumq; Parisiensem prouocarunt, perinde quasi ad eos pertineret Aquitanorum adhuc querelæ cognitio. Interea Ioannes Candius cum alijs principibus, qui ex ea re seditionem fore prospiciebat, principem orabat, ut de negotio desisteret. Verùm ille militum tãtummodo rationem habens, de sententia deduci non potuit. Ita Carolus data occasione persequendi inimicitias, quas secrètò cum Anglo habebat, comitum causam suscipit, sed primùm omnium datis prædibus, obsides ab Edouardo recipere conatur, ac dein legatos in Aquitaniam mittit, qui principi diem dicant, quo Lutetiam ueniat causam in senatu dicturus. Legatis mandata executis princeps respondit: Dicitote Carolo, me breui cum quinquaginta armatorum millibus Lutetiam uenturum. Et his dictis, abeuntes legatos in itinere retineri iussit, ne per eos hostem præmoneret. Quocirca comites infestiores facti, sumptis repentè armis, populos passim ad defectionem solicitant, & ante alios Cadurcos ad id alliciunt. Secundum hæc, Carolo regi qui uidebat ad arma iam ueniendum esse, ita creuit animus, ut primo quoque tempore Edouardo regi per nuntios bellum indixerit, qui & ipse stomachatus, Carolo per eosdem nuntios, se suo tempore in armis fore significauit. Atque ita bellum utrinq; summo studio comparatur. Hęc de fracto fœdere scribere habui. Iam antea princeps de noui belli motu patrẽ fecerat certiorẽ, sed quia id temporis nõ bellè se habebat, tentatus ualetudine, in quã inciderat in Hispania, idcirco

Universidad de Deusto
Biblioteca

non potuit statim ire obuiam iniuriæ factæ.

Ista ubi rex cognouit, conuocato ad Vuestmonasterium principum concilio, coràm de toto negotio docuit, sic locutus: Hodierno die principes rẽ uobis sum expositurus magni quidem momenti, sed uobis minimè nouam, si Francorum unquam naturam cognitam habuistis: habuistis autẽ sæpissimè. Abhinc sex annos, pacem oranti Franco dedimus terra mariq; uicto: is ex illo non cessauit clandestina inire cõsilia, quomodo aliquod nobis graue exhiberet negotium: quippe primùm omnium Margaritam Ludouici Flandriæ comitis filiam, Edmundo filio pactam, Philippo Burgundionum duci locandam curauit: deinde Ludouicum Andegauensium ducem, unum ex obsidibus, contra ius fœderis, fugientem recepit: nuper Aquitanos de uectigalibus disceptaturos ad se uenire passus est, perinde quasi nõ antea omni iure quod in eos habuerat, sese penitus exuisset, nobisque cessisset. Quid, q; ei audacia tantùm dedit animi, ut principi Edouardo diem dici iusserit? Cadurcos ad defectionẽ solicitarit, ac in fidem receperit? tertio loco bellum nobis indixerit, perinde ac si de nostra gente consuesset frequentes agere triumphos? Atque ita uiolato turpiter fœdere, in nostra etiam capita insultare nõ dubitat. Quare ut ne quid de iure aut legibus nostri regni diminuisse dicamur, iã nunc ius in Franciæ regnum mihi iustè atque sanctè resumo, & in animo est prosequi iniurias, ac nõ ante finem belli facere, quàm nomini nostro infestissimum hoc hominum genus perenneq; inimicum perdomuerimus. Et hoc mei consilij est. Cæterũ superest, ut uobis cordi sit, ueterem militiæ gloriã retinere, propulsare iniuriam, gentem crebrò uestris armis uictam, tandem aliquando sub nostrum redigere imperium, id quod facilè fiet, si auxilium ferre libuerit. Talia dicentem, cuncti Angliæ & Franciæ regem salutantes, non oportere plura loqui conclamant, unoq; consensu pollicentur se omnibus omissis rebus, bello iam indicto fortiter operam daturos, ac uim ui illatam pro sua parte defensuros. Rex dimisso concilio, ac singulis nominatim gratijs actis, deinde Ioannem filium Lancastri ducem cum ijs quas habebat expeditas, copijs Caletum præmittit, ipse intetim maiores domi parat. Lancastrius se ex Caleto mouẽs, non longè à Morino (uocant hanc urbem hodie Terrauanam) castra ponit, qui continuò obuiam habet Philippum Burgundiæ ducem magnis stipatum copijs, quem facta pugnandi potestate, ad certamen inuitat. Verùm Philippus nolens ad manus uenire, de media nocte, sublatis castris, discessionem fugæ similem in Parisiensem agrum facit. At Lancastrius spe pugnandi abiecta, inde digreditur, ac Rothomagum usque omnem populatur agrum, & ea præda contentus dum Pontiuum reuertitur, in medio itinere capit Hugonẽ Castilionensem, cum aliquot equitibus, qui speculandi gratia circumuagabatur. Moratur Lancastrius aliquot dies ad Pontiuum, & quia populum minimè suspectum habebat, quòd diu sub Anglico imperio fuisset, non cognouit eius consilia, quæ iam tum de defectione facienda agitabantur, quare in Angliam hyeme iam ineunte reuertitur, ubi de totius belli summa agebatur. At Pontiuenses post ducis discessum, autore Guidone diui Pauli comite, omni ilicò deiecto præsidio, ad Francum deficiunt: atque ita longè nobilissimus comitatus à Franco receptus est, post annos centum & duodecim, quàm dotis nomine Edouardus primus illum acceperat. Vsu uenisse

nisse hoc Pontiuensibus admodum mirum est, & eis, qui à regibus Anglis honores accepissent, ut Anglorum patria incolumi, fortunisq; omnibus, maluerint per proditionem se Francorũ fidei dare, quàm sub suorum regum ditione manere. Sed naturæ hominum attribuendum est, quòd illa ut plurimũ prioris rerum status etsi minus felicis auida, semper sit præsentis fastidiens, uel quia ea duce, nos facimus, quòd pecudes, quę dispulsæ sui generis sequũtur greges, ac ut bos armentum, sic Gallus Gallum, & Anglus Anglum sequitur. Hæc iactura comitatus portendisse uisa est nobilis reginæ mortem: nam eo ipso tempore Philippa Edouardi uxor moritur, cuius mors totum regnũ dolore oppleuit. Fœmina hæc probatissima Anglicam iuuentutem suis opibus ad uirtutem pariter excitare ac iuuare cupiens, instituit Oxonij collegiũ, magnificis cum tẽplo extructis ædibus, ut ibi discipuli in bonis se artibus exercẽtes & religionem & literas simul colerent, ex quo Reginę collegium est dictum. Rex ut primùm uxoris funeri iusta persoluit, de Pontiuensium defectione cognoscit, qui licet duplici dolore perculsus, nihilo tamen segnius rebus suis prouider, uacat, inuigilat: itaq; confestim Robertum Canolum cum eo exercitu, quem toto anno conflarat, Caletum mittit, qui ut primùm uer appareat, in Francos ducat, cùm ipse interim domi subsidia rei nummariæ comparat. Fuit is annus salutis humanæ MCCCLXVIII, Edouardo regi omnino infelix, eò quòd ei uel alia id temporis inciderit calamitas.

Sanè circiter anni initium Leonellus eius filius dux Clarentiæ, amissa Elizabeth uxore, sponsalia fecit cum Iolantide Ioannis Galeatij primi Mediolanensium ducis sorore, eiusq; rei gratia Mediolanum profectus, splendidissimis nuptijs se cum puella coniugauit, qui cùm paulò pòst domum rediret, in itinere mortẽ obijt, filia unica superstite, nomine Philippa, quam ille ex priore uxore susceperat. Ea puella Edmundo Mortimerio comiti Merchiæ postea nubit, ex qua Edmundus Rogerium creat, Rogerius Annam, quæ in Eboracensiũ ducũ familiam nupta, genti hæreditatẽ regni importauit, quemadmodum alibi planius fiet. Cæterùm cùm partim uetustate, partim scriptorum negligentia, iam omnibus incognitum esset, unde duces Clarentiæ nominarentur, nos idcirco eatenus uestigauimus, quoad tandem aliquando inuenimus originem, quamuis ob oculos fermè latêret, quæ ne rursum in tenebras incidat, genus ipsius Elizabeth prioris Leonelli uxoris, à qua hæreditas Clarentiæ principatus duci uenit, demõstrandum ducimus. Vixit olim cum rege Ricardo primo eques honestus, nomine Ricardus, Clarentiæ dominus. Clarentia est pagus nobilis comitatus Suthfolchiæ, ad fines Essexiæ comitatus, ubi fluuius Clarentius alterũ ab altero discriminat, munitus ualida arce, quæ nunc bona ex parte diruta est. Ricardus Gilbertũ creat: is deinde Gilbertus, qui factus Glocestriæ comes, in matrimoniũ duxit Ioannam Edouardi primi regis filiam. Gilberto orta est Elizabeth, ea nupsit Ioãni Borgth equiti, ex qua ille Elizabeth genuit, quę cum Leonello nupta est. Ita hęreditas Ricardi equitis Clarentię domini, ab Elizabeth filia Ioannis Borgth ultima eius hęrede Leonello uenit, unde ille à patre dux factus, Clarentiæ cognomen sumpsit. Id postea mansit nonnullis alijs ducibus: nam Thomas Henrici quarti filius, & Georgius frater Edouardi quarti regis, duces Clarentiæ dicti sunt, licet eius loci possessionem neuter habuerit: quia Anglis mos est, ut eiusmodi

Universidad de Deusto
Biblioteca

tituli arbitratu principis dētur, etiam sine possessione locorum, è quibus ipsi tituli petantur. Quare rex solet ijs qui nihil in eo comitatu habeāt, ex suis uectigalibus dare quotannis aliquam pecuniæ summā, in possessionis loco. Sed oratio ad suum redeat exorsum.

Aderat iam annus salutis humanæ MCCCLXIX, & ab eo quo Edouardus regnare cœpit, XLIII, cùm Canolus statim ut copia pabuli esse cœpit, ex hybernis deduxit exercitum, & se Caleto commouens, quà commodum iter in Andegauenses per Parisiorum agrum erat, rebus Aquitanicis quę in maiore periculo uersabantur, opem ferre cōtendit. Is Rhemos primùm, Sommam & Osam flumina trajiciens, armis adoritur, & quia urbs bene cōmunita nullam spem expugnandi per uim in præsentia præbebat, agrum latè populatur: inde omnibus copijs, triplici instructa acie, Lutetiam proficiscitur, et sub muris urbis, ad ludæā uicum cōsistit, ac ibi paulisper sub armis moratus, facit æquo loco Parisiensibus, qui omnis generis expeditam armatorum manum intus habebant, pugnandi potestatem. Potestate facta, Parisienses nihilo secius intra muros se continent. Canolus ubi cognouit per Francos stare, quò minus prælio dimicaretur, iter inceptum conficere pergit: iam ad Ligerim propè uentum erat, cùm miles effusè agros passim uastare cœpit, atque prædam sequendo longius uagari. Interea Bertrandus Gesquinus superuenit, quem in bello Hispano à principe Edouardo captum, uti suprà ostendimus, Carolus rex paulò antè pretio redemerat, magistrumq; equitum fecerat, & eos Anglos qui per agros palantes prædam faciebant, aggressus, non exiguum numerum interficit, amplius centum capit: reliqui fugæ se mandantes, ægrè ad castra incolumes peruenerunt. Qua uictoria sublati Franci, quòd primo aduentu tot ex hostibus interfecissent, intrepidè subsistere, nōnunquam etiam usque ad castra, Anglos prælio lacessere cœperunt. Canolus consultò pugna supersedebat, quia in castris discordia orta erat, quod omnibus iuxtà nocuit: nam non multò pòst conserta bis cum hoste manu, male pugnarunt. Canolus cum suis in Pictones profectus, se principi iunxit, qui iam morbo afficiebatur, & officio fungi non poterat, cui ob id Canoli, tametsi milite diminuto, aduentus gratissimus fuit. Ad id tempus plures Aquitaniæ ciuitates, quas pecuniarum exactionibus princeps acerbè oppresserat, defecerant, ea labe à Lemouicibus facta, qui post Cadurcos primi se Franco dediderunt. At post iter Canoli, ubi rei gestæ fama per regionem peruasit, tum ea alienatio ita crescere cœpit, ut princeps satis haberet, & conuenientes contra se inimicorum manus dissipare, & reliquos in fide continere. Hęc ubi Edouardo regi nuntiata sunt, confestim Ioannem ducem Lancastri, & Edmundum comitem Cantabrigiæ filios cum expeditis copijs in Aquitaniam mittit subsidio principi, ij secunda nauigatione usi, celeriter eò perueniunt. Princeps interea Lemouicum urbem quæ illius defectionis caput fuerat, oppugnabat, quam sub aduentu ducis, per uim expugnauit, atque diruit, interfectis ad unum omnibus, qui intus fuerant, ac arma mouerant, ut eiusmodi crudelitatis exemplo reliquos populos in fide manere cōmonefaceret. Post Lemouicum urbem dirutam, princeps quia multis necessarijs rebus reuocabatur in Angliam, dato imperio tuendæ prouinciæ duci, ad patrem proficiscitur. Rex tot simul acceptis detrimentis, concilium principum conuocat, quo in con-

cilio pecuniæ, & quę belli usui necessaria erant, de principum uoluntate imperata sunt. Per eos dies Carolus Nauarræ rex ad Edouardum in Angliam transiuit, secq; eius partes secuturum promisit, sed fidem facere non potuit: is equidem paucis antè annis socius fuerat belli, quod Edouardus princeps in Hispania fecerat, ut antè dictum est, & in itinere non inuitus, uti multorum opinio ferebat, à Francis captus, se pretio redemit, qui tunc cum eis rursus inimicitias gerebat, uerùm non multò pòst cum illis in gratiam rediit, quod indicio fuit, non esse homini temerè fidendū. Item Vrbano quinto Romano pontifice per legatos officium optimi patris præstante, de pace concilianda agitur, quæ nullo pacto conuenit.

Est postea uariè ac perquàm ualde inter utrunque populum armis certatum, cùm pro se quisque sua aut retinere, aut recipere conaretur, & ex factionibus Aquitanorum, omnia uaria euaderent. Itaque Robertus Canolius, Thomas Spenserius, Ioannes Triuettus, & Hugo Hastyngius partiti inter se copias, alij alia oppida recipiunt, quædam nequicquam tentant, oppidanis fortiter resistentibus, ut qui timebant, ne sibi defectio antè facta fraudi esset. Alia parte Ioannes comes Penbruchi magnis instructus copijs, nonnulla etiam loca recuperat, sed cùm animaduerteret hostes qui in proximo erant, trepidationis significationem facere, modò inconstanter prodeundo, modò immoderatè circumeundo, castra imprudenter adortus profligatur. Ioannes quoque Candius Pictonum præfectus, magnam Francorum manum urbem aggredi conantem in fugam dissipat, uerùm ipse uulnere ictus pòst paulùm interijt. Amisso tanto belli duce, Lancastrius ingentem accepit dolorem, & in eius locum Thomam Percium protinus substituit. Secundum hæc, Canolus à Lancastrio Caletum remittitur, ut alia in parte hostes in bello habeat, & si ullam faciat successus spem, tentet armis Pontiuenses. Is itaque per fines Parisiorum iter faciens, in Ambianos uenit. Et quia præ istius uiri uirtute, cæteri Anglici duces minus Francis formidolosi erant, idcirco Gesquinus relicto locis opportunis præsidio, Canolum sequitur, modò postremum agmen carpens, modò à latere insistens. Interdum nonnulla in itinere leuia fiunt prælia, multis utrinque cadentibus. Verùm cùm nullus felix appareret processus, Canolus deposito tentandi Pontiuenses consilio, se Caletum contulit, & Gesquinus retrò abiuit. Ita alternis aspirante fortuna, satietas cædium tam Anglum quàm Francum sensim capiebat, usque eò, ut uterque eorum cuperet iam manus abstinere. Carolus rex interim Rothomagi erat, ac studio parabat classem, qua post exactam hyemem, quæ iam instabat, exercitum in Angliam traduceret, si ita res deposceret. Cuius rei Edouardus optimè gnarus, rem nauticam pari diligētia curabat. Cùm igitur milites iam hybernatum utrinq; ierant, interea Lancastrius cum Edmundo fratre in Angliam uenit: is amissa paulò antè Blancha uxore, Constantiam alteram Petri regis Castellæ demortui superstitem filiam, cui regnum Castellæ debebatur, in matrimonium ducit: altera uerò Isabella nomine Edmundo comiti Cantabrigiæ locatur. Istæ duæ puellæ unà cum Beatrice sorore maximo natu, quę Ferdinādo Petri regis Lusitaniæ filio desponsa paulò antè Baionæ mortem obiuerat, erant apud Ioannem principis uxorē in Aquitania obsides, ut suprà diximus, quandò pater interfectus fuit, quæ postea in Angliam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ductæ bene habitæ cultæq; ſunt. Dux ſimulatq; Conſtantiam uxorem duxit, ſe regem, & eam reginam Caſtellæ appellare cœpit, exin id regnum armis recuperaturus, quod non multò pòſt tentauit, prout infrà dicetur.

Interea in Britannia ſeditione laborabatur, quòd bona nobilium pars iam inde uſque ab interitu Caroli Bleſenſis, cum Franco ſecretò ſentiret, quod tamen Ioannes dux comperit, timensq; inſidias rogauit Edouardum ſocerum, cuius, ut ſuprà diximus, Mariam filiam in matrimonio habebat, ut ſibi ſubueniret. Edouardus exiſtimans eam rem non parui eſſe momenti, ac idcirco nequicquam deſerendam, continuò Canolum qui Caleti erat, naui in Britanniã adiutorem duci ſummittit, ut eius autoritate eatenus Britanni in officio tenerentur, quoad exacta hyeme, copias eò traduci liceret. Canolus ubi in Britanniam peruenit, uidens rem in periculo eſſe, & diligentiam requirere, conſulit duci, ut ille ipſe in Angliam proficiſcatur rogatum auxilium, quoniam nemo homo aliena ut ſua diligenter negotia gerit. Dux itaque ſumma imperij Canolo tradita, in Angliam aduolat, docetq; regem de præſenti rerum ſuarũ ſtatu, atq; in primis auxiliũ rogat, quod, uelut infrà explicabitur, facilè impetrauit. At ubi rex Carolus per exploratores cognouit, Lancaſtrium ab hybernis diſceſsiſſe in Angliam, & ducem Btitannum eôdem aduolaſſe, ratus non multum abeſſe ab eo, quin & tota Aquitania & Britãnia potiri poſſet, nouas protinus conſcribit copias, atque cum ijs Geſquinum hybernis nõdum peractis, ire iubet primùm in Pictones, deinde in Britanniam. Is pari fortuna, in uno atq; altero loco rem proſperè geſsit: nam primo ſuo acceſſu, Pictones proximè animo alienatos ab Anglo ob exactiones pecuniarum, in fidem recepit, ac omnem occupauit Britanniã, præter Breſtum & Deruallum, quæ loca in loãnis ducis fide permanſerunt, ſed non multò pòſt Deruallum etiam expugnauit. Atq; ita ſolum Breſtum quod Canolus defendebat, pertinaciter reſtitit. His actis, Geſquinus furtim & itineribus propè deuijs, Rupellam petit, quò etiam poſt paulùm Ioannes Biturigum dux adfuit, qui ſimul iuncto exercitu oppidum obſident, & ne oppidanis naualis ſubſidij habẽdi ſpes ulla ſit, néue fugiendi pateat aditus, naues quas confeſtim cogere poterãt, circa portum diſponũt. Edouardus rex certior factus de obſidione Rupellæ, claſſem quadraginta nauium continuò duce Ioanne comite Penbruchi, qui paulò antè cum Lancaſtrio domum redierat, mittit, ut terra & mari ſuis auxilium ferat. Interea Henricus Caſtellæ rex qui inimicum gerebat in Anglos animum, auxilio miſit Carolo regi Ambroſium Bochanigrum, uirum ſtrenuum, ac cum eo alij quot belli duces non contemnendos, cum multis nauibus tam uiris quàm armis bene inſtructis. Is ex Hiſpania digreſſus breui in portum Rupellæ defertur, qui à ſuis, quos ſpeculatorijs nauigijs paulò antè ad colluſtrandum mare foras miſerat, certior factus Anglicam claſſem appropinquare, protinus extra portum egreditur, atque diſpoſitis nauibus ex utraq; parte ſinus, qui ante portus ingreſſum, latè in altum patet, inſidias tendit. Adfuit non multò pòſt claſsis Anglica, quæ tota nocte ſecundo uſa uento ſub lucem eò delata eſt. Vbi naues ſinum intrare cœperunt, Hiſpani dextra læuaq; uno ferè tempore in Anglos qui confecto iam curſu, non ſe ſtatim ad pugnam accingere, ſed aliquantulum quieti dare meditabantur, ſeſe incitãt. Angli repentina re permoti, ſubitò arreptis arcubus atq; ſagittis, multa eminus hoſti uulnera inferunt.

Verun-

Veruntamen ubi cominus pugna iuncta nauibus fieri cœpit, paſsim gladijs interficiũtur, quippe qui ſpatium armandi ſui nõ habuere: ſic nulla ex nauiũ numero euaſit, quin fuerit aut depreſſa, aut incenſa, uel capta: homines itidẽ aut occiſi, uel capti ſunt, & cum ijs Ioannes præfectus. Acita Anglus qui ſuperioribus annis inſignem calamitatem Henrico intulerat, parem ab eodem in præſens accepit. Incidit hæc clades in eum annũ, qui fuit humanæ ſalutis MCCCLXXI, & cùm regnare cœperat Edouardus, XLVI.

Rupellani interim deſperatis præſentibus auxilijs, nihilominus oppugnationem acriter tolerabant, cùm Edouardus rex cognita ſuorum clade, quia filius princeps ualetudine propè perdita afficiebatur, ſibi eundũ ſubſidio ſuis ſtatuit, qui nõ cunctandum ratus in tanta re, omnes copias quas raptim comparare potuit, ad mare præmittit, ac unà conſcendere naues undiq; cõductas iubet: ipſe inde ſuos ſecutus, ubi naues ad iter paratas cognouit, ſignũ dedit proficiſcendi, qui uento ſecundo ſatis uehementi profectus, celeriter è conſpectu terræ iam ablatus erat, cùm uentus momento perincõmodè mutatus eſt, ita ut ad terram redire compulſus ſit, & cùm uentum cõtrarium continenter perflare uideret, mutato conſilio, copias omnes duce Ioanne Lancaſtrio, Caletum trajicere iuſsit, ut ille approperandi cauſa, quaquauerſum ferro uiã patefaceret, ſuiſq; auxilio eſſet. Itaq; dux inſtructo agmine in Burgundiam, quò primum tetenderat iter, ſine ullo impedimento peruenit, populatis agris, ac uicatim inflammatis ædificijs, quacunq; ierat. Hîc aliquot dies ad reficiendum militem dum moratur, Franci trans Ligerim paſsim inſidias ponunt, quò hoſtem itinere prohibeãt. Quod ubi dux per ſpeculatores cognouit, magnis diurnis, nocturnisq; itineribus contendens, Ligerim tranſire maturat: qui ut in Biturigum agrum peruenit, tripartitò exercitum ducit: in prima enim acie equites leuis armaturæ cum parte ſagittariorum locat, in altera pedites, cum parte equitatus grauis armaturæ, ut alas utrinq; faciant, in qua ipſe erat: in tertia, quæ duas præcedentes ſequatur, reliquum equitatum cum ſagittariorum parte reliqua ponit, qui exercitus ad triginta millia hominum fuiſſe fertur, & ita quantumcunq; poteſt itineris efficiens, in Pictones pergit. Franci paſsim Anglos modò in primo, modò in nouiſsimo agmine laceſſebant, dux tamen manum à prælio abſtinens iter cõtinuabat, ſed cùm ad Pictones adhæreſcere cœpit, tenens memoria illius populi proditiones, tum demum ſuos quacunq; incederent, pugnare, uaſtare, incendere omnia iuſsit. Qua de re Franci qui ibi in præſidio erãt, perterriti, ad loca munitiora raptim confugerunt. Ipſe uerò nihil de uia recta egreſſus, agris quacunq; inceſſerat populatis, ac oppidis nonnullis incenſis, Burdegalam peruenit incolumis. Eius aduentu cognito, & Rupellanis ſtudium defenſionis maius acceſsit, & hoſtibus eadem de cauſa, ſpes potiundi oppidi deceſsit. Quare dux Biturigũ relicta continuò obſidione, in Pictonum fines pedem retulit, ut eum populũ Anglorum armis etiam territum confirmaret. Lancaſtrius collaudatis generatim Rupellanis, ac eorum ſigillatim principibus actis gratijs, pro ſeruata fide, remuneratoq; præmijs toto præſidio, reliquos populos ad defectionem ſpectantes in officio continere ſtudet. Item per idem tempus, uel paulò antè eſt naualí prælio dimicatum inter Anglum & Flandrum, qui cum Franco ſentiebat, & uictoriam Anglus obtinuit. Sed ſtatim pòſt conciliata inter eos

Universidad de Deusto
Biblioteca

pace, bellum nequaquam latius serpsit.

Detestabatur interea omnibus precibus Gregorius undecimus qui triennio antè in Vrbani demortui locũ pontifex Auenione factus successerat, regum discordiam, quòd Reipublicæ Christianæ colamitosa cum primis esset. Is missis ad Biturigum urbem legatis, iussit & eò principũ conuenire oratores, qui prestò fuerunt. Multa legati pontificis nomine coràm pronuntiarũt, quamobrẽ ab armis esset maturè discedendũ: multas proposuerũt conditiones, quas uterq; princeps & dare & accipere deberet, idq; multis uerbis. Atqui animis commotis nihil uidebatur æquum, ut quibus illud certum staret, finire cõtrouersiam armis. Ac ita desperato negotio, legati ad pontificem redierunt. Rex Edouardus interim habuit Londini suorum principum concilium, quo in concilio cùm esset stipendium in militẽ petiturus, uoluit omnes ad id libenti animo dandum beneficio quopiam hortari, adducereq;: itaq; populo nonnulla irrogauit priuilegia, sacerdotibus uerò iureiurando promisit, per se nõ staturum deinceps, quo minus esset integrum, optare sibi quos uellent episcopos, aliosq; præfectos atq; idem à Romano pontifice concedendũ se curaturũ. Pontifex Romanus tum primùm illud concessisse uidetur, cùm etiã nunc apud Anglos nihil potestatis habeat, in eligendis episcopis, sed tantùm à principe designatos faciat. Sic reges suo constanter utuntur instituto, quippe qui suo arbitratu episcopos designant, id quod Edouardo ipsi paulò pòst ut faceret, est persuasum ab ambitiosis sacerdotibus. Porrò illi in aula diu uersati, cùm non sperarent posse se tam facilè sui ordinis honores de collegarum sententia, quàm à principe consequi & pontificis & regis irrogati priuilegij ut sibi minimè commodi, autores uiolandi extiterunt. Atq; ita res priuata publicam sustulit. Ad Edouardum redeo. Rex postquam sic cunctis gratificatus est, patres ex eius animi sententia, pecuniam ad necessarios belli sumptus faciendos imperarunt, cuius magnam partem sacerdotes soluerunt, collato ex decima tributo: tum enim primùm annui fructus omnium possessionum ordinis sacerdotalis æstimati sunt, ac secundùm eam æstimationem, postea sacerdotes cùm regi, tum Romano pontifici decimas soluerunt, cùm antea quisq; ex decima uectigalium, quæ in singulos annos caperet, tributũ conferret. Quapropter ea æstimatio postea ordini damno fuit, cùm fructus multorum sacerdotiorum ita diminuti sint, ut decima interdum quintam partem absorbeat. Fuit is annus humanæ salutis MCCCLXXIIII, & cùm regnare cœpit Edouardus, XLVIII. Quo anno Gulielmus Cantuariensis antistes moritur, cui successit Simon Londinensis episcopus, ordine Cantuariensium antistitum septimus & quinquagesimus. Iam tum obsoleuerat decretũ illud, quo constitutum erat, ut episcopi à sacerdotum collegijs eligerentur, quando quidem Simon Cantuariensis & alij deinde episcopi non sacerdotum suffragijs, sed pontificum Romanorum, regumq; arbitrio & autoritate designati factiq; sunt, donec ad extremum ira usu uenit, ut soli reges Angli episcopos designarent & episcopi minores præfectos facerent. Ac ita demum Romanus pontifex paucis pòst annis, omne ius quod ei olim fuit in Anglia in episcopos, ac alios præfectos creandos, habere desiuit, quemadmodũ uel breui potestatem imperandi sacerdotiorũ decimas amisit. Atneutrum Angliæ malo fuit, quandò illa per id minus omnino suas opes alienigenis hominibus deinceps impartire

partire coacta est, id quod iam tum degustare cœpit: siquidem in eodem conuentu, autore Edouardo, de concilij sententia lex lata est, quæ uetuit cunctos mortales in posterum tempus impetrare ubiuis gentium Anglicana sacerdotia à Romano pontifice, aut causas, nisi per appellationẽ, ad eundem deferre, constituitq; pœnam immanem contrà facientibus, quam & ad illos etiã peruenire uoluit, qui talia cõmittentibus adiumẽto essent. Quod quidẽ decretũ posteriores reges nõ modò seruandũ paulatim curarunt, sed puniendi seueritate multò semper terribilius reddiderunt, cùm pœna eiusmodi sit, ut uiolator legis & bona amittat, & ipse in æternas carceris tenebras abdaĉ. Sed reo datur tempus duorum mensium, antequam ad causam agendam aggredi cogatur, & ex eo, lex prouisionis, siue de præmoneri uocitatur, tametsi uulgò de præmuniri nuncupatur, quòd illa scilicet tali pœna ita præmunita sit, ut perrumpi nequeat. Cæterùm lex nõ mansit in suo instituto, quandò nunc tot gerit horrida tela manu, ut perdifficile sit ea uitare, proin non utiq; iniuria instar mortis timetur. At ubi Gregorius undecimus, qui id temporis Romanus erat pontifex, de ea re resciuit, ualde multum reclamauit illud aliud esse nihil, nisi Christianam ecclesiam diuidere, nisi religionem exinanire, nisi ius fasq; delere, ac concilia omnia deniq; rescindere: quare primo quoq; tempore cum Edouardo egit, ut legem tolleret. Exin orto schismate, non fuit pontifex, qui tale quid curaret, donec postremò Martinus quintus super ea re, literas uehementiores ad Henricum sextum regem scripsit: sed utriq; unum datum est responsum, non posse rescindi decretum concilij, sine autoritate cõcilij, & propterea futurum esse, ut tale concilium quamprimùm haberetur, quod tamen postea nunquam est habitum. Anno eodem moritur Ioannes Eboracensis archiepiscopus, cui successit Alexander Neuyllus, ordine antistitũ quintus & quadragesimus, quẽ octauo pòst anno mortuũ secutus est Thomas Harundellius Elyensis episcopus.

Dum hæc gerebantur, Ioannes Britannus dux, cuius suprà mentionem fecimus, apud Edouardum regem partim precibus, partim pollicitationibus agebat, ut se adiuuaret. Re ad regium senatum delata, placuit omnibus, cùm ob uetus hospitium, quod ipsis cum Britannis erat, tum quòd ducis calamitatem cum suis rebus coniunctam iudicabant, ut Edmundus regis filius id bellum cum Ioãne duce susciperet. Itaq; bene magna comparata militum manu, & in naues imposita, ambo in Britanniam proficiscuntur, qui ubi litus attigerunt, obuium habent Robertum Canolum, qui, uti suprà dixi, Brestum tenebat. Hinc singulis ducibus datis muneribus, tripartitò copias ducunt: nõnullæ ciuitates sponte in ducis potestatẽ ueniunt, aliq; cõtrà portas claudunt. Verum aliquot captiuis in medio campo ob resistentiũ oculos iugulatis, tantũ formidinis omnibus iniecere, ut oppida maritima uno propè tẽporis pũcto, in fidem uenerint. Adfuit aliquanto pòst Ludouicus Andegauensis dux, ut suis contra Anglum, auxilio esset: cæterum cùm hostem accedere scisset, siue propter militũ paucitatem, metu affectus, siue propter suspectam accolarum fidem impigrè domum repedauit, & suos qui in præsidio erãt, iussit tantisper intra oppida se continere, quoad cum maioribus copijs rediret: illi tamen auxilium petebant, sed eum remorari non potuerunt. Tum plura mediterranea oppida deditionem facere cœperunt, cùm Angli uictoria utendum iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantes, omnem impetum in Francum præsidium fecerunt, quod fortiter ubi-
que resistebat. Ita res Britannicæ in articulo uersabantur, cùm per idem tem-
poris, autore pontifice Romano qui pacem inter reges conciliare in primis
studebat, induciæ duodecim mensium factæ sunt, quæ Anglo nihil commo-
di attulere. Porrò Edmundus cum Canolo certior factus de inducijs, Ioan-
nem ducem deserere coactus est: & Lancastrius qui positis in propinquo sta-
tiuis, suos instructos armatosq; habebat, ut cum Biturigum duce in Santo-
num agro acie cõfligeret, de inducijs edoctus prælio itidẽ abstinuit. Et quan
quam penes quem uictoria futura esset, in incerto erat, attamẽ cùm Angli ma
iore animorum alacritate, quàm aliàs unquã reuiuiscente spe, parati & expe-
diti pugnam efflagitarent, ut qui pro iusta causa, ardentius pugnaturi essent,
contrà & Franci numero longè inferiores, in solo, quod Anglorum iuris e-
rat, omnia suspecta habentes, trepidè ad certamen accederẽt, ut re ipsa postea
compertum est, quippe qui ob inducias factas, mirè gauisi sunt, haud dubiè
res Anglica superior euasisset. Atq; ita inducíarum pactio intempestiua, para
tam Anglis interpellauit uictoriam. Quapropter Franci læti oppida omnia
de hoste capta præsidio firmant, Angli uerò certum habentes uictoriam de
manibus amissam, tristes dicto parent. Rex autẽ Edouardus eo consilio istas
inducias pactus est, ut aduersæ fortunæ impetum infringeret, eo præsertim
tempore, quo & ipse id ætatis erat, ut minus bello utilis esse inciperet, & prin
ceps Vualliæ in quo omnes spes eius erãt, ex morbo admodum infirmus es-
set. Sed Ioanni Britanno duci ea interposita temporis mora cum primis dam
no fuit, qui in cursu medio desertus, pedem referre coactus est. Cæterùm ille
nihil animo territus, post finitum inducíarũ tempus, usq; eò pugnauit, ut to-
to principatu sit ad extremum potitus, Francis reliqua oppida quæ per uim
amplius retinere non poterant, per pacis conditiones restituentibus.

Per hunc modum quietis aliquantisper à bello rebus, ut ne otium domi iu
cundũ esset, pestilentia orta est, qua multi mortales periere. Incidit hæc lues
in annũ salutis MCCCL XVI, & cùm regnare cœpit Edouardus, L. Quo anno
Ioannes comes Penbruchius, quẽ suprà ostendimus nauali prelio uictum ab
Hispanis captũ fuisse, grandi pecunia redemptus, dum in Angliã redit, in iti-
nere moritur. At Ioannis comitis uxor nomine Maria, quę erat è Sancto Pau
lo Belgicæ Galliæ oppido ad fines Atrebatũ sito, fœmina nobilis, pia, sancta,
ut suo beneficio iuuentutẽ Anglicam excitaret ad studia literarũ, quarũ auxi-
lio intelligebat rem Christianã summè adiuuari, collocauit collegiũ eorũ ado
lescentiũ, qui ad doctrinas percipiendas ingeniũ aptũ haberẽt, Cantabrigiæ
in ædibus, quas ipsa ad id extruxerat. Illud nũc uocitat Bembruchensis aula,
uerè morũ, modestię, doctrinę magistra. Rex interea multis implicatus curis,
ad Vuestmonasteriũ concilíũ habuit, in quo primùm de uarijs rebus, quæ ex
rep. esse uidebantur, cum suis principibus, deinde de tributo indicendo, agi-
tauit, quod uniuersi se collaturos negarũt, argumentantes quod moueret le,
quamobrem nollent id facere, ac multa pariter conquerentes de eius quæsto
ribus. Audiuit rex patienter populi querimonias, ac habita quæstione, nõnul
los ex quæstoribus in culpa esse comperit, acriterq; puniuit. Quo facto, dum
incœptum negotium studet, agit, curat, ecce tibi, Edouardus princeps longi-
tudine morbi confectus, ad VI Iduum Iulij mortẽ obijt, annum ætatis agens
XLVI.

XLVI. Quam ob rem populus in summo protinus dolore fuit, & hoc etiam
acriore, quòd talem princeps omnibus expectationem suę uirtutis mouerat,
ut eum si regnum obtinuisset, facilè confiderent maiorum suorum gloriã su-
peraturum. Cæterum ante omnes Edouardum patrem mœror lacerauit, uul
nerauit, confecit, adeò ut decimo pòst mense ex angore animi in morbum in-
ciderit, ac eo grauiter oppressus mortuus fuerit: sed ut rebus suis ne deesset:
belli cura addita, statim ut filij funus fecerat, ac concilium dimiserat, miro stu-
dio exercitum nouum facere cœpit, quo finitis inducijs, de summa rei cum
Franco decertaret. at (ut diximus) uis fati mortalem animum uicit, quia mor-
te sublatus est. Corpus ad Vuestmonasterium sepulturæ datur. Vixit annos
LXV. regnauit LI. Filios ex Philippa uxore sex, siue secundum alios, septem
genuit: Edouardum principem Vualliæ, Gulielmum, qui puer mortem o-
bijt, Leonellum Clarentiæ, Ioannem Lancastri duces, Edmundum Langley,
Cantabrigiæ, Thomam Vuodestok Bochyngamiæ comites, ambos à locis
ubi nati essent, ita cognomine appellatos. Hunc Ricardus rex, prout inse-
quenti dicetur libro, Gloceſtriæ, & illum Eboracensium ducem fecit. item al-
terum Gulielmum, qui impubes interijt. Filias uerò tris reliquit, Mariã Ioan-
nis Britanniæ ducis uxorem, Isabellam Bedfordiæ, & Margaritam Penbru-
chi comitibus locatas. Huic regi absq; cęteris naturę ornamentis cum primis
formæ dignitas suffragabatur, ingenium prouidum, perspicax ac mite, nihil
porrò non sapienter, non considerate agebat, & homo permodestus & fru-
gi, illos summè diligebat, honoribusq; ornabat ac amplificabat, qui probita-
te, modestia, atq; uitæ innocentia alios antecederent. Corporis habitus con-
gruens, pulchra uirilisq; facies, oculi micantes, canities in senecta ætate deco-
ra, quæ omnia ad gratiam comparandam ei magnopere conducebant. Mi-
litaris disciplinæ apprimè sciens fuit, ut res ab eo gestæ testimonio sunt. At li
beralitatis & clementiæ exempla passim non uulgaria edidit, ita ut unus om-
nium fermè regum inuentus sit, qui nullis uel leuibus deditus fuerit uitijs, si-
cut nec malorum expers fuit: nanq; ut regnans rebus omnibus quadraginta
annos beatissimus fuit, ita reliquo tempore grauem fortunæ commutatio-
nem sensit, adeò nostra humana negotia raro sub manus perdiu succedunt:
id quod fecit, ut ille de altera uita frequentius cogitationẽ susceperit, in remq;
diuinam multò studiosissimè incubuerit, qui idcirco templum diuo Stepha-
no magnificum ad Vuestmonasteriũ locauit, in eoq; ornatissimum sacerdo-
tum collegium instituit: & alterum Cantabrigiæ, quod Aulam regiam appel
lant, dedit q; facultates, quibus ibi uiuerent, qui se in bonis exercerent discipli
nis. Sed breui tempore præter morem atq; legem, cœperunt collegę loca uen
dere. Quod quidem institutum non uetante rege, cuius autoritate emptio fa
cta approbatur, etiamnum & durat, & bene multis minus utile uidetur, quo-
niam sæpenumero nonnullis illorum qui de collegijs loca mercantur, potius
in otio, quàm in literis eo loci uitam uiuere constitutum est.

Fuere ea tẽpestate uiri longè sanctissimi, multò doctissimi atq; fortissimi,
quorum suprà mentionẽ appositè fecimus, idcirco nihil est, quod de eis rur-
sum cõmemoremus. Extitere & aliqui insigni infamia, quorum caput & prin
ceps fuit Ioannes Vuythcliffus: is, ut fama est, à primo indignatus, quòd non
potuisset ad summos sacerdotalis ordinis aspirare honores, factus inde sacer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dotibus cunctis inimicior, cœpit diuina scripta peruersè interpretari, atque nouam instituere sectam, usque eò, ut in nobili Oxoniensi gymnasio publicè sit in sacerdotes ut legis euersores debacchatus. Et ut impunè tantum facinoris fautore pariter atq; audacia armatus faceret, regi ante omnes summum in cunctos ordinis præfectos imperium, iusq; tribuit. Præterea homo nocendi cupidus, certum habens non facilè uiros doctos ueneno infici, utpote qui rationes admittunt, cogitauit imperitum uulgus in suam in primis sectam sibi trahendum, quòd ille pertinacius soleat, id quod semel imbiberit, modis omnibus retinere. Non contentus itaq; impleuisse codices latinè scriptos de sua hæresi, etiam ex illis commentarios patria lingua conscriptos fecit, atque protinus edidit, ut etiam agrestes maleficæ superstitionis peritos redderet. Certè eum non fefellit sua opinio: ij nanq; commentarij quamuis breues, longo tempore durarunt, ut etiam nunc è manibus plebis auferri nequeant, tametsi ob id scelus, nõnulli uiui interdum comburuntur cum suis libellis. Ad extremum homo nimium confidens, cùm rationibus ueris cogeretur ad bonam redire frugem, tantum abfuit, ut parêret, ut etiam maluerit uoluntarium petere exilium, quàm mutare sententiam, qui ad Boëmos nonnulla hæresi antè inquinatos profectus, à rudi gente magno in honore habetur, quã pro accepto beneficio confirmauit, summeq; hortatus est in ea remanere sententia, ut ordini sacerdotali parum honoris, & ad Rom. pontificẽ nullum respectum haberet. Hæc de Vuythocliffo, qui illius temporis æqualis fuit, habui breuiter memorare, quò historia quæ rerum gestarum expositio est, suas etiam in hoc partes ageret.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XX.

POST Edouardi mortẽ, principes regni habito ad Vuestmonasteriũ cõcilio, Ricardũ ordine regũ eo nomine secundũ, principis Edouardi filiũ annos undecim natum, regem dicunt, ad XVII cal. Augusti, in eiusq; uerba more maiorum iurant. Qui fuit annus salutis humanæ MCCCLXXVII. Propter ætatem regis iam inde ab initio in procuratione fuere Ioannes Lancastrius dux, & Edmundus Cantabrigiensis comes, eius patrui, ac pleriq; alij paterni amici. Erat in puero bona indoles, sed ætas flexibilis, quæ faciebat, ut tutores à patribus dati omnes adhiberent machinas, ad continendam eius adolescentiã: sed cùm pro se quisq; postremò magis suis quàm publicis commodis seruire coepisset, aditus patefactus est alijs, qui ad deprauandum parati, ubi uiderunt Ricardum pro suo iure agere, paulatim sese in eius familiaritatem insinuarũt. Et hæc Ricardi regni malorum initia fuere, quæ Francis sic animum dederunt, ut illi postea finitis iam induciis, duce Gesquino equitum magistro, in Aquitaniam excursiones facere, prædas abigere, terra mariq; irrumpere coeperint: quibus exercitus non parum fortiter resistebat, quem Lancastrius audita morte patris, rediens in Angliam illic paulò antè reliquerat. Illi tamẽ partim ui, partim incolarũ uoluntate, aliquot oppidis potiuntur, in quibus fuit Fanum Macharij, Castellio, Bergeracum, & Durassi arx. Dum ita inter se alibi præ-

bi præliantur, pars hostiũ cum uniuersa nauiũ classe in Angliam repentè delata, omnẽ maritimã orã latrocinijs diuexat: nam priusquã Angli parata classe obuiã eant, omnes ferè ad Occidentẽ uersus, insulæ portus, qui frequentes ac locorũ natura ampli sunt, incensis circunquaq; ædificijs, ac uicis, & nauibus aut abductis aut inustis, spoliat, indeq; magnã uim hominũ ac pecoris, & omnis generis prædę trahens, in Normaniã se refert. Sed hæc præda Francis funesta fuit: siquidẽ procuratores regni coacto statim ingenti exercitu, Thomã Edouardi regis mortui filiũ, Caletum mittunt, iubentq; in Franciã protinus erumpat. Is igitur traiecto mari, ac se Caleto mouens per Atrebatiũ fines, iter in Veromanduos, Suessiones, Senones & Carnutes uertit, tenetq;, dum haud procul à Lutetia est, ac per omnẽ quaquauersum regionem bene multis passim oppidis uicisq; aut incensis aut excisis, excurrit. Ita Anglũ omnia uastantem ac bidui absentẽ sequebatur à tergo Ludouicus Andegauensis dux, qui ad cõgrediendum uspiam cum eo, tempus & locũ idoneum obseruabat: sed à Carolo fratre prohibitus tentare fortunam non est ausus. Equidem Carolo regi tot cladium ab Anglo antè acceptarũ memori, iam inde ab initio statutum decretumq; erat, per duces tantũmodo bellum cum tali hoste gerere, nec ipsos duces permittere ad manus uenire, nisi manifesta foret spes uincẽdi, ut res Franca ne amplius in extremum adduceretur discrimen: quamobrem sæpe passus erat ante id tempus, omne agrum uastari, sub muris etiam Lutetiæ, quæ regni caput est. Quod hercle strategema eo magis eius rebus utile fuit, quòd quemadmodum Anglorum uirtus, nisi sint longo belli usu exercitati, in præsenti negotio recens habetur, ita mora quam belligerando intoleranter ferũt, interposita, fatigari soleat. Quocirca Angli in ciuili bello omnia, sicut alibi diximus, uni prælio cõmittere consueuerunt. Ad Thomam redeo. Is ex Carnutibus præda onustus pari locorum populatione in Britanniam se recipit, cuius aduentus res Ioannis ducis maiorem in modum confirmauit: hîc enim aliquot dies moratus, breui omnem ferè Britanniam metu perterritam in fidem sui ducis uenire compulit, exin in Vasconiam ad suos profectus est, qui etiam per eosdem dies, Turones, Andegauenses, Cenomanosq; iniectis passim ignibus, incursionibus uexarant. Interea Gesquinus Castrum nouum oppidum in Auernorum finibus situm obsidebat, quod Anglorũ clientes tenebant, ubi ille morbo correptus interijt.

Dum per hunc modum Angli & Franci æternũ, ut ita dicã, inter se bellum ducunt, ambo eius perennis molestiæ tædentes, Carolum quartũ Imperatorem pacis disceptatorem statuunt. Huius iussu, cõtinuò Gandauum utriusq; populi legationes cõuenêre, ubi cùm de pace consultaret, subitò ex discordia Vrbani sexti, & Clemẽtis septimi pontificũ, orto schismate, Carolus necesse habuit id negotij intermittere. Quare dimisso cõuentu, rursus ad arma itur, uariæq; pugnatur. Cæterum paulò pòst satietas cædiũ fecit, ut quasi induciis tacitis quodammodo sua sponte exortis, cessatum sit aliquantisper à bello inter Francos & Anglos, quòd illi mortuo per idem tẽporis Carolo rege quinto, ac in eius locum Carolo filio substituto, de rectoribus regni constituendis soliciti essent, & isti Ricardo puero rege nuper facto, status regni bene collocandi pari studio & cura tenerentur. Itaque optimates nacti pacis aliquid, de autoritate regis concilium ad Vuestmonasteriũ conuocant. Fuit is annus

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutis humanæ MCCCLXXX, & cùm regnare cœpit Ricardus, III.

In eo concilio postquam acta correctaq; multa sunt, ad ultimum, sicuti iam tum mos fuerat, & nunc idem est, de pecunia exigenda agitari cœptum est. Principum nonnulli tributum sacerdotibus iuxtà atq; reliquo populo imponendum iudicabant, quod imperari ab episcopis rogatu regis, hactenus consueuerat. At alij qui Rempub. gerebant, aliter sentientes affirmabant, plus pecuniarum esse necessariũ, ad explicandos rei militaris sumptus, quàm per tributum exigi posset, cùm præsertim Edouardus rex aduersa postremò fortuna pressus tantũ pecuniæ consumpsisset, ut nihil nepoti reliquerit, & ideo populum oportere liberalius suum iuuare regem. Hæc illi siue dicerẽt, quòd ita optimũ factu censerent, siue quòd suæ auaritiæ plus alimenti futurũ arbitrarentur, si grande tributum conferretur, cuius ipsi quæstores futuri essent, ad extremũ decretum est, ut nouũ tributi genus misellæ plebi indiceretur: tametsi qui magis populares erant, huic rei quæ deinde multorũ malorum causa fuit, aures nõ facilè accõmodabant: uicit tamẽ regis procuratorũ autoritas & sententia. Itaq; tributum in capita singula utriusq; sexus hominum, qui id ætatis essent, quam Iurisconsulti legitimam uocant, impositum est, ut singuli numos singulos argenteos, quos grossos dicunt, soluerent. Et hoc pauperũ fuit onus. Diuitibus uerò ac sacerdotibus amplior pecunia, ut par erat, imperata est. Hæc exactio cùm noua & insolita, tum intolerabilis, ita plebis animũ uulnerauit, ut posteaquã pauperes qui soluendo nõ erant, passim conquerentes diras uoces in autores tanti facinoris iactarunt, & nihil se eo modo proficere uiderunt, arma demum capienda statuentes, iamiam mortes & manus ubiq; exactoribus intentarint. At non nemo principum auribus seruiens, aliam tradit tantæ seditionis causam, cui utiq; non assentiendum censeo, cùm scribat quendam Ioannẽ Vallæum sacerdotem tam suũpsius quàm sui similium generis humilitatẽ horrentem solicitasse plebem Cantianã, ut armis se cum nobilibus exæquaret, & populum nouitatis auidum uanis hominis uerbis motum ad arma temerè cõcurrisse, perinde quasi populus Anglicus nõ antea ex plebeiorũ ac patritiorũ ordine constitisset, & tum primũ fremere debuisset, cp plus uni quàm alteri honoris accessisset. Sed dum alibi plus minarũ iactatur, quàm cædium fit, Cantiani, & illi qui ad alterã Thamesis ripam, Essexiam accolunt (id comitatus nomen est) simul iniurias cõqueruntur, uociferantes actum de se, ac fortunis suis esse, quandò aliud agendum cogitandúmue non sit, quomodo resistatur, nisi ut plebs seipsam defendat, ac propterea unũ esse ad hoc cõsilium optimũ, ut ui & armis regios procuratores persequatur, quirem tam horrendã & in omni memoria inauditã facere ausi sint. His uocibus alij alios incitantes, Ioannẽ quendam Strauum & Gualterũ Tylerum de plebe homines mortaliũ omnium fæces, cæterũ manibus promptos, ac consilijs præcipites, sibi duces constituũt, quo facto, ducibus bellicũ canentibus, concitati homines ueluti ad prælium se expediunt, ac Londinum approperant, confidentq; aliquot dies in monticulo, qui prope urbem est, ad millia passuũ quinq;, quẽ Blakhethum dicũt. Interim missis ultro citroq; nuntijs, ad ripam Thamesis demum descendunt, prædicant, inclamant, denuntiãt, si per consiliarios liceat, uelle se regem conuenire, ac nõnulla quæ è Republica essent, coràm cũ eo conferre. Qua re cognita, Ricardus ut semina malorũ, in ipso exortu extin-

tu extingueret, nauicula uectus ad ripam uenit, & de flumine cũ eis collo quitur. Sed cùm in terram descendere nollet, quod ipsi uehementer poscebant, tum demũ maiore quàm antea furore cõmoti ad urbem cõcurrunt, suburbanum diui Georgij uicum primo accessu spoliant, fractoq; publico carcere, custodias omnes liberant, in societatẽ recipiunt, inde urbem ingressi turrim oppugnant, quò se rex cum toto senatu suo, paulò antè declinans furẽtis plebis impetũ, receperat. Hîc primo accessu Simonẽ Cantuariensem antistitem, Robertum Halisium diui Ioannis Baptistæ militũ collegij præfectum, & Ricardum quendam ordinis Carmelitani monachum, qui regis confessionẽ audire solebat, ad se missos contrà quàm ius fasq; erat, retinent, ibiq; in subiecta area, eodem tẽporis momento securi percutiũt, gaudentes ac uociferantes sibi eos pœnas dedisse, qui cũ primis nocuissent. Ferũt illos tres per uim ex turri à populo furẽti abductos fuisse, quod omnino tam dicere, quàm credere absurdum est: nam si uulgus ita concitatũ turrim expugnasset, nõ eos utiq; trisduntaxat, uti credere par est, sed & regẽ & reliquos omnes quos in primis ad supplicij petebat, interfecisset. Item nec uerisimile est, Cantuariensem & cum eo illos duos honestos uiros tam temerè sese populo armato obiecisse, atq; primo congressu captos fuisse. porrò alterũ accidisse necesse est, si illud quod falso scriptores nõnulli tradiderũt, uerũ sit, ut cæteris saluis, illi duntaxat per uim, ex turri abstracti sint. Quocirca illud pro certo affirmauerim, quod autores quos sequimur produnt, regem existimantem condimentis humanitatis multitudinẽ mitigandam, de concilij sententia misisse Cantuariensem antistitem, cum alijs duobus uiris & ordine & uitę sanctimonia præclaris, extra turrim ad concitatã plebem, qui bene admonendo ac orando, furorẽ tantũ omnibus modis cohiberent, leniréntue: quoniã credibile erat, populũ etsi ira agitatum, nõ esse uiolaturũ sacerdotes Dei in primis ministros, & ea de causa, bonos uiros incidisse in manus inimicorũ, qui perfidia abusi sunt ad eorũ exitiũ.

Cantiani edito tanto scelere læti & alacres, perinde quasi ex sentẽtia uicissent, ac in omnes regis cõsiliarios quos neci destinarant, iuxtà iam uindicassent, gratulationẽ inter se facientes omittunt turris oppugnationẽ, atq; ad diripiendam urbem se conuertunt: itaq; in omnes uicos penetrant, aduenas, ciues passim occidũt, domos, templa, cœnobia depeculantur, sed ante omnia, ædes ducis Lancastri, ac cœnobium militum diui Ioannis diripiunt. Tunc si qui erant intus, fortuna miseri, aut uoluntate perditi, uel fures, ganeones, ac reliqui parricidijs contaminatissimi atq; flagitiosissimi homines in medium prodeunt, rapinas simul faciunt. Quid, cp ubi rumor per agros peruasit, momento diei ingẽs perditissimorũ hominũ numerus eò aduolat, ad prędamq; pariter incumbit? Postquã omnis urbs direpta est, in uetus templum irrumpunt, & inde in Vuestmonasteriũ, ubi loci incenso statario (uulgus, quemadmodum alibi dictum est, schacarium uocat) pleno antiquarum tabularum, quibus monimenta regni continebantur, & multa facta præda, in urbem redeunt, fractisq; reliquis furum custodijs, quod reliqui erat fortunarum, rapiunt: quã ubi rapinis & incendio fœdè deformauerãt, ac iam omnibus præda onustis, tumultus paululum refrixerat, tum Ioannes Strauus, princeps ductor cõcitatæ plebis, ut urbis imperium penes se esse testaretur, per præconẽ quædam suo nomine publicè denuncianda curauit, quæ obseruanda forent:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd homo fordidus maioris dedecoris tam regi quàm prætori ciuitatis im primendi causa, fieri uoluit, quia eorũ iussu talia huiusmodi denuntiari popu lo solerent. Hæc ignominia fecit, ut formidinẽ tandem fortitudo uicerit. Por rò Gulielmus Valuorthus prætor in eum annũ ciuitatis, ac omnis senatus ea re permoti, cõtinuò timore excusso, plebem urbanã & sellularios atq; opificũ uulgus quamuis parum pugnę idoneũ cogunt, eos armant, hortantur ad suũ ulciscendum decus. Rex itidem copia interim armatorũ comparata, in urbẽ egreditur, ut populi licentiã cõtumaciamq; coërceat. Dum ubiq; in patriæ ho stes arma parantur, Gulielmus prætor uir singulari uirtute urbanæ iuuẽtutis stipatus caterua, iussu regis in uicũ diui Georgij, siue, aut alij sentiunt, in forũ equinũ quod Smythfildũ uocãt, ad plebem proficiscitur, quæsiturus, ecquid deniq; illa sibi uelit. Admisit turba sine maleficio, aduenientẽ prętorẽ, utpote quę inops consilij furore iam remisso, incipiebat animo deficere, ignorabatq; quid amplius sibi faciendum foret. Seduxit prætor Ioannẽ Strauum ductorẽ in colloquiũ, quasi de pace acturus: hîc ubi hominẽ tot malorum autorem co ràm habuit, ira accensus, stricto pugione paulùm infra iugulum uulnerat, at que interficit. Hunc simul atq; multitudo interemptũ esse cognouit, mirũ di ctu est, quanto repentè perculsa sit timore: nam nihil cunctata in fugã se con fert, in qua multi fugiendo, aut interficiuntur, aut comprehensi ad supplicĩ trahuntur. Alij uerò qui euaserant, statim ex se delectos miserunt ad regẽ, qui mortẽ deprecarentur. Isti amictu reorũ, regem cum lachrymis adiere, eiq; ad pedes iacentes orarũt, ut ueniam miseris, aut errore lapsis, uel furore compul sis daret. Spes uenię ostensa: cæterũ rex quæstione habita, quorum opera tu multus cõflatus esset, quos sontes cõperit, supplicio affecit, reliquos grauiter mulctauit. Atq; ita Cantiani cum socijs post tertiũ diem, quàm Londini insa nire cœperant, ad sanitatẽ multa cum suorum cæde, redire coacti sunt. Incidit hæc populi seditio in annum salutis MCCCLXXXI, & cùm regnare cœpit Ri cardus, IIII. Rex sedato per hunc modum Cantianorum motu, Gulielmum Valuorthum prætorem equestri ordine donauit, & cum eo, Ioannem Philip potum, Nicolaum Tuuiffordium, Robertum Gaytonum, Nicolaum Brem bræum, & Robertum Landreum senatores de repub. bene meritos, qui & ur bem extremo periculo, & ciuitatem metu liberassent.

Initio anni qui secutus est, terræmotus subitò exortus, multa passim ædifi cia diruit. Quæ res cùm rara, in Anglia præsertim, tum horrenda ita hominũ mentes perterruit, ut toto eo anno maximus eos timor occuparit: nam præ ter accepta in præsens detrimenta, aliquid grauius eum motum terræ in po sterum tempus portendere suspicabantur, cùm nihil ob tumultum, à tributi exactione cessaretur. Ea istorum temporum uis fuit, ut totus Occidens ciuili bus seditionibus ob unã eandemq; causam ortis simul turbaretur: siquidem dum Anglia ea morbo afflictabat, multò grauiore Flandria laborabat: idem enim temporis Ludouicus comes noua uectigalia imposuit mercibus, quæ nauibus eò ueherentur: item rerum capitalium cognitiones ad se pertinere contendebat. Contrà Flandri reclamabant, rogabant ut portoria tolleret, iu dicia non uiolaret: sed cùm minus audirentur, arma corripuêre, ducem Ioan nem Leonem fecere, insigne factionis tegmen capitis album, quod Capi tium dicunt, induêre. Atq; hinc belli initium, quod Gandauenses omnium primi

primi fecerũt. Illi igitur plebe albatorum armata stipati, primò ædes comitis, quas ille magnificas in suburbano uico Gandaui habebat, funditus compla nant: deinde Brugas profecti dare obsides cogũt, Dammũ expugnãt, ibi Leo dux agminis morbo affectus perijt, Hypras occupant, ac demũ omnem Flan driam suarũ partium efficere cõtendunt, comite Ludouico strenuè furori re sistente. Exin de pace actũ sæpius est, sed plebis imperitæ amentia rationẽ su perante, nunq; certa cõuenit, quia comes factam cum ea pacem, quam ipsa da re nõ accipere uolebat, nõ pacem sed pactionem seruitutis fore suspicabatur. Quocirca Gandauenses postremò cum Anglo fœdus iunxere, atq; inde bel lum, uti infrà demonstrabitur, multò acrius renouatũ. Peruasit ea pestis per Franciam: pari atq; alibi furore & stultitia illam ipsam affecit: nanq; rectores re gni cùm pecunię ad sumptus rei militaris faciendos indigerent, tributũ impo suerunt. Ea res ita plebem cõmouit, ut præceps ad arma cõuolarit. Parisij pri mi à quibus ea iniuria cœperat, impetũ facientes in regios quæstores & exa ctores, Rothomagensem, ac cæteras uicinas ciuitates ad arma capienda cõci tarunt. Qui quidẽ populi motus fecit, ut Frãcus domi seditionibus eiusmodi impeditus, nihil in Anglũ moliri potuerit, quod paulò pòst sedatis motibus, ut suo ostendetur loco, impigrè fecit. Sed iam unde aberrauimus, tandem re deamus. In locũ Simonis Cantuariensis antistitis post annum q̃ sedere cœpe rat septimũ, à Cantianis, uti dictũ est, crudeliter occisi, surrogatur Gulielmus Corteneius, & huic postea Thomas Harundellius Eboracensis archiepisco pus successit, antistitum ordine nonus & quinquagesimus. Eboracensis uerò archiepiscopus fit Robertus Valdby, cui breui tempore mortuo succesit Ri cardus Scruppus, qui fuit ordine antistitum octauus & quadragesimus.

Interea altercationes pernitiosæ nõ sine mutuis odijs, factæ sunt inter Vr banum sextũ pontificẽ Romanũ, & Cardinales Gallos numero decẽ & tres, quòd isti post illum renuntiatũ pontificem, argumentantes id neq; iure, neq; ritè factum, hominem Gallum pontificem faciendum curabant. Ex ijs igitur octo (reliqui enim cũ Vrbano sentiebant) nõ multò pòst Gebennensem car dinalem Pontificem dixerunt, eumq; clementem septimũ appellarunt. Hinc nouum schisma ortum, hinc diuersa principum studia, diuersi urbium fauto res. Iuuabat ante omnes Clementẽ pontificem Ioanna Apuliæ regina, & Ca rolus rex Francus eius partes pari studio susceperat. Quo factum est, ut ma gnus Francorum exercitus, quẽ paulò antè Gebennensis ipse legatus à Gre gorio in Italiam missus secum duxerat, Romam properauerit, ad res Roma nas noui pontificis nomine recipiendas, qui à populo Romano Vrbani stu dioso, ad Marinum oppidum penitus deletus est. Hęc accepta iniuria effecit, ut Vrbanus ualde infensus Carolo, rogarit Ricardum regem Angliæ, ut pro sua in Romanum pontificem obseruantia, uellet se gratia, consilio, opibus iu uare, & quò id facilius faceret, decimas ei sacras concesit, ueniamq; ad remis sionem peccatorum, pro tam iusta causa pugnaturis dedit. Rex pontificis ro gatu, continuò millia peditum quindecim, equitũ amplius duo millia coẽgit, illisq; præfecit Gulielmũ Bellicampensem, uirũ militaris artis scientem. At tributi sunt huic belli duces ualde bellicosi, Hugo Chauerellus, Thomas Tri uettus, Gulielmus Helmus, Hugo Spẽserius, pluresq; alij. Itẽ Henricus Spen serius episcopus Nordouicensis, uir & animi magnitudine & multarũ rerum

Universidad de Deusto
Biblioteca

experientia præstans, cõstitutus erat ab Vrbano põtifice legatus in exercitu, ut eius cõsilio & autoritate cuncta gererentur. Is exercitus ubi Caletum peruenit, cœptũ est agitari, ubi loci bellum inciperetur: & quia rex ducibus præceperat, ut in eos duntaxat populos arma mouerent, quos constaret Clementis sectã sequi, placebat ferè omnibus prius Francos inuadere, quos nemo homo ignorabat eum enixè iuuare. At Henricus episcopus aliter sentiens, iudicauit nihil Flandrico bello præuertendum, ꝙ paulò antè Ludouicus comes ubi intellexerat regem Ricardum percussisse cum Gandauensibus fœdus, homines Anglos toto suo principatu expulisset: itaq; sic iubente Henrico Grauelingam oppidum cõfestim oppugnãt, & capiunt: inde Dammum petunt: cõsertaq; cum magna Flandrorum multitudine, secundum oppidum, manu, nouem millia hostium perimunt, oppidiq; potiuntur: Inde Hypras circumsident: ea enim duo oppida à Gandauensibus paulò antè capta, ut suprà dictũ est, comes mox recuperarat, sed cùm oppidani fortiter resisterẽt, in aliud tempus eam oppugnationẽ reijcientes, Casletũ cõtendunt, atq; per uim occupãt, ibi magnã prędam faciunt. Post hæc Borburgum profecti, primo accessu per deditionẽ recipiunt, præsidioq; muniunt. Sic à Clusis oppido usq; Dammũ, paucis diebus loca omnia in suã potestatẽ redegerunt, & his actis, Hypras redeunt, obsidionemq; instaurant, euocatis illuc Gandauensiũ auxilijs. Ludouicus comes interea suis diffisus uiribus ad Carolum regem Francorum cõfugit, docetq; Anglos oppida aliquot occupasse, atq; magnis uiribus Hypras obsidione premere, & propterea rogat, ut maturè sibi subueniat. Carolus qui de Anglorũ aduentu antea cognouerat, & idcirco iuuẽtute omni ex tota Gallia excita, exercitum nõ mediocrẽ iam conflarat, ubi à comite audiuit tantum periculi ab Anglo imminere, uelut nouis agitatus stimulis, protinus cum ualida armatorũ manu Dammũ cõtendit, nulloq; negotio oppidũ, Anglis qui intus erant ad suos se recipientibus, capit: eaq; feliciter re expedita, Borburgum proficiscitur, quò Angli cognitũ habentes eius aduentũ, omissa Hyprarum obsidione, se antea contulerãt. Dum hîc positis castris, de oppugnando oppido cum suis agitat, amicorũ opera cũ Anglis paciscitur, ut illi relicta terra Flandria, cum capta de hoste prœda Caletum repedent. atq; ita tantum bellum finitum, in quo Vrbano pontifici nihil inseruitũ est, cuius iuuandi causa inchoatum fuerat. Ludouicus post partam quietẽ, statim mortuus est, in cuius opes Philippus Burgundionũ dux cum Margarita uxore comitis filia successit. Is Gandauenses ab Anglis destitutos post paulùm domuit, coëgitq; parêre imperio. Sed Angli in patriã reuersi apud Ricardum in suspicionẽ proditionis facilè ceciderunt, prædicantibus cunctis passim illos pecunia corruptos uendidisse Francis comitatum Flandriæ, quẽ iam penè in suam redegissent potestatem, ex quo nihil propius est factum, q̃ ut omnium ordinum duces securi percuterent. Ita isti duo populi tanto inter se odio ardebãt, ut nulla pacis ratio animos mutare posset, tametsi tot quotidie malis per hæc bella reges affecti, non grauatè ad pacẽ inclinabant: sed modus conglutinandæ concordiæ multò utriq; difficilimus uidebatur, tamen quia optimates erant, qui suam operã pollicerentur, ut tandem aliquãdo armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis, aliqua ratione fœdus iceretur, missi sunt ultro citroq; legati frequentes, per quos conuenit, ut Caleti de concilianda pace maturè

turè consultaret. Venit illuc prior Ioannes Lancastrius dux, quò etiã nõ multò pòst adfuit Ioannes Biturigum dux à Carolo missus. Hîc quoq; cùm nulla medicina inueniret, quæ grauiter affectos stomachos subleuare posset, ut ne sub nomine pacis, bellũ latêret, quod uelut tectus ignis aliquãdo uehemẽtius latè manaret, repudiata tali pace fucosa, inducię in pauços menses factæ sunt.

Ricardus quietis aliquantisper à bello rebus, Annam Vinceslai Romanorum Imperatoris filiam in matrimoniũ duxit, quam à patre in Angliam missam, miro rerum omniũ pari ac ludorum apparatu accepit. Collocatio istius puellæ incidit in annum salutis humanæ MCCCLXXXIIII, & cùm regnare cœpit Ricardus, VII. Dum rex inter uoluptates & gaudium, uxori blandiebatur, et regni ostentabat opes, ac summa in omnes liberalitate utebatur, subito extitere nõnulli domestici, qui suę utilitati seruiendi causa in eum inuidiã deriuarent. Siquidem illi quod à rege gratuitò impetrabãt, alijs pretio concedebant: qui absq; pretio, gratias agebãt, perinde quasi gratia nõ à principe, sed à uenditoribus fieret. Res ista effecit, ut in caput Ricardi sit coniuratũ, quò eo adempto, omnis inuidendi materia tolleretur. Ita princeps beneficiũ serebat, ut fidei fructũ meteret: sed quia in immeritos priuatim conferebat, nihil à suo populo beneuolentię consequebatur, quinimò odium generatim sibi cumulabat, usq; eò, ut iam tum permulti fremerẽt male cum rebus publicis agi, passimq; iactarent illud Hebræorum prouerbium: Væ terræ, cuius rex puer est. Istę autem uoces ad principis aures non penetrabant, utpote qui semper ultimus omniũ uerum audit: cæterum nõ mediocriter mouebant optimates nõnullos, qui tametsi studebãt, è latere regis summouere malos, cupientes quãoptimos in eorum locum surrogari, nihil tamen profecere, fato quasi obstante. Est igitur conspiratũ, sed odium quod tandem in regis caput emissurũ erat fulmen, subitò erumpens, partim cõspirationem in præsens patefecit, partim ipsum regem ad præcauẽda in posterum tempus pericula eiusmodi admonere potuit. Erant in domo regia Ioannes Ansleius eques, & Hugo Cartonus, duo teterrima capita, qui iam pridem inter se nõ dilexerant, sed postremò sclere cõiuncti cõiurarant aduersum Ricardum regem: sed urgente maleuolentia, ambo in suspitionẽ facinoris adducũtur, ut alter diceret alteri, certum sibi esse cum suis pedissequis, in regem impetũ facere, eumq; occîdere. Hoc Anseleius ad præfectum cubiculi regij detulit, ille ad regem: res delata ad senatum regium, introductusq; Cartonus, pernegauit se unquam cum Ansleio contulisse, sed affirmauit Ansleium uoluisse secum coniurare, & non dedisse aures, ut ille prior peccaret, & eum ueritum ne nõ insimularetur, suum falsissimè detulisse nomen. Cæterũ post altercationes, cùm certus index non interfuisset, qui testaretur, in quo culpa esset, & illi alios, si qui erant, coniuratos indicare nollent, placuit inter se dimicare, & palàm per præconẽ denuntiari, eum pro ditorem habitum iri, qui ab altero uictus foret, non quò sic uictus, incognita causa puniretur, sed ut aliquod rei indiciũ liquidius fieret, per certamẽ. Quo facto, in certamen descendunt, pugnant pro honore, pro uita, pro fortunis, nituntur, urgent, instant, magna populi expectatione, ad extremum Cartonus accepto graui uulnere, humi prosternitur, iamq; spiritum edens, ut criminis conuictus, culpam fassus, ad supplicium trahitur.

Erant reges adhuc in inducijs, & fastidio belli affecti, pacis impendiò magis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cupidi, cùm Francus Biturigum principem, & Anglus Lancastrium rursus Caletum miserit, qui de fœdere agerent. Hi postquam ad locum conuenerũt, et uarias inuicem conditiones cõtulerũt, ad extremũ cùm nulla pacificationis spes esset, infecto negotio abeunt: nam neuter ad æquas pacis conditiones inclinabat. Carolus ubi cognouit nullam fermè amplius spem esse pacis, ac non alium eiusmodi cõtentionũ terminũ fore, nisi quem Mars poneret, Angliam denique armis sibi inuadendam cõstituit, ut eò bellum auerteret, unde uenisset, qui cõuocato suorũ principũ concilio, exponit se ueteribus externisq; multis exemplis admoneri, qua demũ ratione possit bellũ cum Anglo finiri, atq; ita argumentatur: Memoriæ proditũ esse insulam Britanniã primũ à Romanis nullo ferè labore occupatã, deinde ab Anglis Germaniæ populis sedes quærentibus captam, & ab ijs diuturna possessione Angliã dictam, atq; hanc longo pòst tẽpore Dacos uictis Anglis, aliquot annos tenuisse, ac postremò Normanos uno duntaxat cõmisso prælio, eandẽ cepisse. Istam igitur toties uictã facilè posse armis Gallicis uinci, cùm præsertim ex Gallia transmissus in insulam breuis, tot ubiq; portus classi hostili aperti sint, & Scotia amica in eadem insula portio extrema septentrionalis, item passim circa litus, loca cõsistendi procedẽdiq; tuta nõ negentur, & eas ob res, sibi tantũ animi esse, ut si placeat bellum huic præuertere, quod domi tot iam annos sine fine cum hoste transmarino geritur, nõ dubitare se ita facturũ, quò breui tempore audiant unà & traiecisse se, & bello ardere Angliã, ac eam protinus uel captã, aut uectigalem esse factam. Auditus est lætis animis Carolus, summaq; alacritas & cupiditas eius belli faciendi multis simul innata est, qui illud ipsum facilè factu arbitrarentur, quiq; in primis iuuenẽ animo & ætate florentẽ, ad eam rem obeũdam antea incendere studuissent. Itaq; principis consiliũ fertur in cœlum, ac simul classis ingens, & omnia quæ ad bellum gerendum opus sunt, summa cura parantur. Sub idem tempus Leo rex Armeniæ Turcarũ crudelitatẽ et potentiã effugiens, primò in Italiam ad Vrbanũ pontificẽ rogatum auxiliũ, deinde in Gallias ad Carolum regem uenit. Carolus misertus fortunę regis Leonis adueršæ, respõdit se maximè omniũ illud primũ auere, ut sibi liceret esse à domestico bello libero, atq; deinde in cõmunes religionis hostes arma mouere, sed id in prẹsentia & tempore exclusum, & bello Anglico occupatũ, minimè posse facere. Qua re cognita, Leo impigrè curare cœpit, ut sublatis cõtrouersijs, ipsi reges iunctis armis sacrũ bellum susciperẽt, quamobrem cõfestim in Angliam traiecit, qui postq; causam aduentus sui exposuerat, cœpit de pace concilianda magno studio curare. Accepit eum amicè Ricardus hospitio, audiuitq; benignius, atq; respondit se pacẽ quidem amplexurũ, si modò æqua esset, & eo confecto negotio, nõ defuturũ cùm eius priuatis, tum Christianę rei publicæ rebus: et ut edoceret se utrunq; esse grato animo præstaturũ, si ita fieri per simultates aliquando licitum foret, designauit quamprimũ nouos legatos, qui pacis faciendę causa, Caletum peterent. Misit et Francus suos legatos Bononiã, qui cum Anglo rem componerẽt. Sed fata obstabant, odium quod uterq; populus in alterũ habebat, turbabat omnia: superbia nonnihil officiebat, cùm alter alteri nulla in re cõcederet. Sic multis cõsumptis diebus, de pace nihil cõstitutũ est. Leo interim magno apud Ricardũ in honore habitus, ac nullo non humanitatis genere acceptus, postquã non modica ad necessitatem

tem belli aduersus Turcas gerendi, pecunia donatus est, in Galliam reuertit.

Francus ubi cognouit nil de fœdere esse transactum, tum demũ in Angliã primo quoq; tempore transmittendũ iudicat: itaq; nihil moræ, classem mille nauiũ iam paratam atq; exercitũ Clusas conuenire iubet. Quò posteaq; uentum est, & iam milites ordine naues conscenderant, gubernatores incipiente secundo uento flare, signum proficiscendi à rege edi petunt. Ille autem, siue quòd iam eum tãti cœpti pœniteret, siue quòd ita fieri oporteret, cœpit de industria iter extrahere, excusans absentiam ducis Biturigũ, qui id temporis in celebrãdis nuptijs filij, qui Catharinam regis sororẽ in matrimoniũ duxerat, Lutetię detinebatur. Verùm haud multò pòst cùm dux accessisset, ita ab illo ei persuasum est, ut nihil non quam tardissimè agere inciperet. Nimirum dux uir certè quidem prudens, nõ putabat è Republica fore, ut rex in alieno terrarum orbe, quò subsidia ex Francia accersiri, Oceano intercedente, haud facilè possent, fortunam tentaret: nec multum mouebatur exemplis, quibus constaret insulam, aliàs fuisse captam, cùm secum reputaret, nõ omnes unum in bello gerendo habere euentum, ac non idcirco quempiã debere se periculo committere, quòd quis antea illud adiuisset sine detrimento, admonente prouerbio: Non omnibus tuta inter Cyaneas petras contigit nauigatio. Quare postremò placuit, ut ne rex tantum animi quod præ se ferebat, sine successu aliquo remisisse, curámue rei bellicę abiecisse diceretur, periculum facere per duces, ecquid Francorum uires in terra Anglia ualerent. Igitur Ioanni Viennensi uiro strenuo prouidoq; id negotij datum, qui sexaginta nauium classe copias in Scotiam traduceret, quam pro uetere ac perpetua erga Francos fide, prẹstò futuram confidebant. Is itaq; accepto exercitu, magna omnium expectatione iter ingressus est, secundóque uento usus, in Scotiam celeriter perue nit. Dum hæc ad Clusas à Franco deliberantur, orta interim tempestas ita naues onerarias quæ ad anchoras erant alligatæ, afflictauit, ut compluribus nauibus fractis, multæ aliæ funibus, anchoris, reliquisq; armamẽtis amissis, ad nauigandũ inutiles factę sint. Vnde magna totius exercitus perturbatio orta effecit, ut Carolus se ab eo demũ bello multò facilius abstinuerit. Ita multorũ dierum labor & impensa, simul deliberandi mora, simul tempestatis ui malè cecidit. At Viennensis à rege Roberto liberaliter accipitur, qui ubi exercitũ refecit, hyeme nondum confecta, iunctis cum ipso Scoto armis, de improuiso in fines Northumbrorũ contẽdit, & priusquam illi aut conuenire, aut profugere possint, magna facta præda, & ea militibus concessa, uastatisq; agris, aliquot oppida et pagos incendit, rectaq; uia Dunelmum pergit, ut eam urbem armis aggrediatur: sed per exploratores certior factus, Dunelmenses cum tota Northumbria, in armis esse, in itinere cõsistit, nouaq; ex Scotia auxilia euocat, quibus aliquanto pòst acceptis, in agrum Eboracensem incurrit, eo consilio, ut Eboracum obsidione tentet.

Ricardus rex interea certum habens Francũ terra mariq; in se bellum parare, pari studio classem comparat, & dispositis passim circa litora militum custodijs, exploratores constituit, qui uenientẽ Francam classem obseruent: sed cùm paulò pòst cognouisset hostem amissa maiore parte classis, nihil esse moliturum, & eodem tempore nouos motus in locis Scotiæ finitimis fieri, cum magnis copijs Beruicum proficiscitur. Præcesserat fama eius aduentus, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

effecit, ut Franci & Scoti spe subitò lapsi oppugnandi Eboraci, ac diffidentes posse se tam longè gentium progressos cum prꝛeda in Scotiam tutò remeare, deuitandi hostiu impetus causa, in Vualliã diuerterint, quam pari depopulatione deuastare cœperũt. Quod ubi Ricardus comperit, ratus se facilè posse uno tempore & Scotiam milite uacuã deuincere, & hostes qui in Vualliam concesserant, itinere intercludere, ducem Lancastrium mittit, qui locis omnibus circa Sabrinã præsidio firmatis, hostes si ex Vuallia excedere tentent, adtu ac frumentatione usꝛ eò prohibeat, quoad fame domiti in potestatem uenire cogantur. Ipse uerò Scotiam ingressus, Merchiam Laudoniamꝙ igne ac ferro deuastat, expugnatisꝙ aliquot arcibus ac castellis, Edimburgum capit, captumꝙ hostiliter diripit. Dum hîc moratur, ad eum secretò adit Robertus Verius comes Oxoniensis, admonetꝙ de instanti periculo, doló ne, an quòd ita sentiret, in incerto est, ac hortatur, ut quamcitissimè potest, ex hostili solo omnibus rebus omissis, in Angliam discedat: & ut adolescentẽ magis terreat ait eius consilij principem esse Lancastrium. Credidit Roberto Ricardus, qui ita illius uerbis cõmotus est, ut statim Beruicum redierit, datisꝙ Scoto inducijs, inde Londinum male in ducem animatus. Enimuero dux nõ insidiabatur uitꝛ regis, nec ei rerum gestarũ gloriam inuidebat, sed cùm bellum ab omni uacuum utilitate longius ductum iri animo cerneret, rebus componendis studebat, ut ocyus suo negotio, quod regni Castellæ recuperãdi gratia gerẽdum sibi iampridem statuerat, seruire posset. At Scoti qui in Vuallia penè cõsumpti fame erant, cognito regis discessu, cum Francis patriam cõfestim repetunt. Rex Robertus tot acceptis detrimentis, iam iratus erat Ioanni Viennensi, quòd bellum transtulisset in Scotiam, quare eum bonis ferè omnibus spoliatum domũ redire coëgit, ut aliquid solatij suis Scotis ex eo bello fuisse uideretur. Fuit hic annus salutis humanæ MCCCLXXXVI, & cùm regnare cœpit Ricardus, IX. Atqui sunt, qui tradant Viennensem anno antè, in Scotiam traiecisse, & domum reuersum postquam de moribus utriusꝙ gentis, & insulæ statu docuisset, Carolo persuasisse, ut traductis copijs, bellum Anglis faceret, quòd facile esset illos domi, non item foris uincere, & Carolum eius secutum consilium comparasse bellum, de quo suprà memorauimus.

Ortum est ea tempestate graue bellum, inter Ioannem primum regem Castellæ ac Legionis, filium Henrici secundi, & Ioannem Lusitaniæ regem. Causam belli hanc fuisse cõstat. Habebat in matrimonio Ioannes Castellanus rex Beatricem filiam Ferdinandi regis Lusitani, quo sine uirilis sexus legitimis liberis mortuo, regnũ Lusitanię iure hæreditario uxori ac sibi debitum repetebat. At Ioannes filius nothus ipsius Ferdinãdi, qui ab initio factus monachus in ordinem diui Benedicti, siue, ut alijs placet, Cistertiensium uenerat, ubi accepit de morte patris, exutus monastico indumento, uocantibus eum Lusitanis principibus, regnũ paternũ obtinuit. Est nõ multò pòst nauali prælio inter reges dimicatũ, in quo Castellani superiores fuerũt. Ioannes post acceptã cladem, cupidus ulciscendi, ad Ioannem ducem Lancastrium legatos misit, ut auxilium ferret aduersus cõmunem hostem, qui regnum ei debitum per uim retineret. Dux nactus idoneã conterendi, debilitandi, infirmandi uires inimici occasionem, rege Ricardo non inuito, Edmundũ fratrem comitem Cantabrigiæ cum mille equitibus grauis armaturꝛ, & bene magno numero peditũ pariter

pariter ac sagittariorũ, mittit in Hispaniam. Is celeriter transgressus Oceanum liberaliter à rege Lusitano accipitur, & ambo cõmunicato cõsilio, in fines hostium quamprimũ eundum existimant: itaqꝙ cum copijs iam iter facere incipiebant, cùm intellexerũt Castellanũ fiducia adeptæ nuper uictoriæ elatum, contra se exercitum ducere, tum necessariò approperandum iudicãtes, ad hostium castra quàm possunt proximè accedũt, cohortatiꝙ suos, ut pristinꝛ uirtutis memores essent, dant signum prælij. Primo cõcursu, ab dextero cornu, ubi sagittarij constiterant, hostes pelluntur: ab sinistro, quem locum equites tenebant, eatenus incerto uictoriæ exitu acerrimè pugnatum, quoad sagittarij accurrentes, hostẽ à tergo sunt adorti, qui impetũ uictorum sustinere non potuit. Desiderata sunt Castellanorũ millia circiter decem, capti amplius mille: ex Anglis summùm sexcẽti cecidere, ex Lusitanis paulò minus duobus millibus. Ioãnes Castellanus rex continuato die noctuꝙ itinere, in Castellam aufugit, paucis cinctus equitibus, qui ex tanta strage euaserũt. At Lusitanus ita omni periculo defunctus, non amplius in præsentia fortunã belli tentare ausus, quiescendum tantisper statuit, quoad sibi regnum confirmaret, & dux ipse Lancastrius cum maioribus copijs in Hispaniam accederet: quæ spes, ut alibi perappositè demõstrabitur, eum nequaquam fefellit. Edmundus uerò magnis donatus à Ioanne muneribus, & stipendio militi soluto, cum uictore exercitu in Angliam redijt.

Ricardus interea ad Vuestmonasteriũ suorum principum conuentũ facit, in quo conuentu posteaꝙ de regni statu confirmãdo mediocriter prouisum est, aliquot uiris summis de patrum sentẽtia, maiores deferunt honores: nam Edmundus & Thomas regis patrui, ex comitibus, hic Glocestriæ, ille Eboracensium duces creantur. Item Robertus Verius ex comite, Marchio Dubliniensis: istum, ut non nemo ait, Ricardus postea ex Marchione ducem Hyberniæ fecit. Item fiunt comites sex. Henricus Bolyngbrochus filius Ioannis ducis Lancastri, comes Derbij, Edouardus filius Edmundi Rutlandię, Ioannes Holandius ex matre frater ipsius Ricardi regis Huntyngtonæ, Michaël Polа Suthfolchiæ, Thomas Percius Vigorniæ, & Henricus Percius Northumbriæ. Erãt enim anni propè CCXCII, cùm nullus fuerat eius regionis comes, post Robertum Mulberiensem, præter Hugonem Dunelmensem episcopũ, qui à Ricardo primo comes factus fuit, quemadmodũ idoneo est loco demõstratum. Ad propositum redeo. Exin Michaël, Angliæ cancellarius, & Thomas Mombraius Notyngamiæ comes magister equitũ, id est, Conestabilis, quem uocant, dicitur. Postremo deniqꝙ loco, eodem in conuentu, ut ne ambigeretur, néue contentio foret, cui Ricardi hæreditas, si sine liberis è uita excederet, uenire deberet, Edmundus Mortimerius Merchię Vualliꝛ comes, successor regni renũtiatur, ex eo, quòd in matrimonio haberet Philippam filiam unicam Leonelli ducis quondam Clarentię. Hinc ad posteros manauit declarandi successoris institutũ, ad extirpãdas seditiones quamoptimũ: tametsi id potius Ricardo primo assignandum iudico, qui, ut in eius uita ostendimus, iturus ad bellum Asiaticũ cùm cœlebs esset, Arthurum Britanniæ ducem ex Gaufredo fratre nepotem, hæredem publicè fecit. Is etenim Leonellus filius fuit tertius Edouardi tertij, & cùm fratres eius natu maximi, Edouardus princeps & Gulielmus, qui admodum puer mortuus est, extra Ricardum, nullos

reliquissent liberos, sine cõtrouersia iam tum Philippæ omnis Ricardi hæreditas, si sine liberis mortuus fuisset, iure optimo uenisset. Sed quoniam locus perappositus uidet, nõ alienũ ducimus, genus Edmundi & Philippę ponere, quò planũ faciamus, utrũ iure iniuriáue postea orta sit de regno cõtrouersia, inter Eboracenses & Lancastrios duces. Edmũdus itaq; ex Philippa suscepit liberos Rogeriũ & Elizabeth: hæc Henrico Percio comiti Northumbriæ locata fuit. Rogerius ex se genuit filios duos, Edmundũ et Rogeriũ: ac totidem filias, Annã & Aleonorã. Isti moriunt omnes sine liberis, sola Anna superstite, quæ maior natu erat, ea Ricardo comiti Cantabrigiæ filio Edmundi ducis Eboracensiũ minori natu nupsit. Atq; ita omnis Leonelli hæreditas & eorũ qui principe Edouardo orti sunt, nomine dotis Annę, Ricardo Edmundi ducis Eboracensiũ filio uenit. Ex quo ipsi duces Eboracenses postea usq; eò regnũ iure repetierũt, dum ad extremũ consecuti sunt. Sed agè, iam eius domus stirpem ponamus, Edmũdus enim primus Eboracensis dux, Edouardũ Rutlandię, & Ricardum Cantabrigiæ comites creat: ille sine liberis occidit, hic ex Anna Ricardũ cognomine Plãtagenetã: ex quo quidẽ Ricardo Plantagenęta & Cecilia eius uxore nati sunt liberi duodeni: Edouardus, qui, ut alibi demonstrabit, regnũ adeptus, regũ serie, eo nomine quartus fuit: Gulielmus & Henricus in puerili ætate mortui: Edmũdus comes Rutlandiæ, Georgius & Ricardus, horũ alterũ Clarentiæ, alterũ Gloestriæ ducẽ postea fecit Edouardus rex: Ioannes & Thomas, qui in flore ętatis mortẽ obierũt. Item Anna, Elizabeth, Margarita, & Vrsula. Et hoc cõmodè habui dicere de stirpe generis, quod deinde Edouardus quartus, & Ricardus tertius illius frater reges ad Leonellũ per Philippã eius filiam referebant. Ex hac domo, per matrẽ, Henricus octauus, qui nunc regnat, genus etiam ducit. Sed ad incœptũ redeamus.

Dimisso concilio à rege post tertiũ mensem, quàm cõuocatum fuerat, cùm populus uideret nullas Reipublicæ uitiosas partes esse per id sanatas, ac non modò illius succum et sanguinem, sed etiam omnem speciem amissum iri, molestè ferebat, & occurrendũ omni modo ratus, ex se aliquot uiros graues primo quoq; die delegit, qui apud Ricardum suo nomine expostularent. Illi patrocinio Thomæ ducis Gloestriæ uiri popularis fulti, regem qui ad Castrũ Vindesoriũ id temporis erat, adeunt, coramq; humili ac lamentabili uoce, de rapinis, quæ ab eius quæstoribus quotidie fierẽt, deq; iniquis iudicijs, quæ iudices pecunia corrupti, nullo iuris seruato ordine, aut forma, facerent, exercerent, cõquerunt. Rex auditis oratoribus populi diem dedit, quo Londini adessent, exposituri querimoniarũ causas patruis eius ducib. Gloestrẽsi & Eboracensi, alijsq; cõsiliarijs. Quo accepto responso, oratores abeũt. Interim ambo duces, Thomas Harundellius archiepiscopus Cantuariensis, Ricardus eius frater Harundelli, alter Ricardus Varuici, Henricus Derbij, & Thomas Notyngamiæ comites, nacti occasionẽ idoneã male mulctandi aliquot magistratus, cõmunicato consilio, populũ solicitãt, ut statuta die adsit, audacterq; suas querimonias proferat. Quod nauiter factũ est: adfuit enim populus frequens ad diẽ, palamq; multos repetundarũ, alios aliorũ flagitiorũ insimulat, rogatq; sibi dari præfectos, & iudices, qui ius ęquè omnibus dicant, qui nihil loci gratiæ esse sinant, qui rapinas non faciant. Re iussu regis ad senatum delata, multi non modò administratæ Reipublicæ, sed exactæ etiam uitæ rationem

nem reddere coguntur, quorũ habita quæstione, alij præfecturis priuantur, alij urgente conscientia, ante damnationem in continentem transfugiunt, alij uerò cùm plus rapuissent, quàm soluẽdo essent, in carcerem mittuntur. In ijs fuerunt Simon Beuerleius, Thomas Triuettus, & Gulielmus Helmus, qui accusabantur subtracti à militibus stipendij: sed Thomas per eos dies excussus ab equo inter curationem antè spiritum edidit, quàm furti cõuinceretur. Gulielmus qui falso accusatus fuerat, facilè se expurgauit. Simon uerò qui repetundarũ reus est factus, in carcerem conijcitur. At Robertus Tryuilianus, alter Robertus qui ex Bellicampo erat, ac cõplures alij in paris delicti crimen uocati ad regem confugiunt, qui rerum suarum parum accurans, animi causa in Vualliam proficiscebatur: hos Robertus Verius Marchio Dublinensis, præ cuius consilio, Ricardus reliquorũ principũ monita ne flocci quidem faciebat, à præsenti periculo defendit, nisusq; est Simonem quoq; seruare: sed Glocestrensis, homo certè nimis seuerus acrimoniæq; plenus, & qui à suo sensu deduci non facilè poterat, nequaquam confici siuit mãdatum regis, qui per literas iusserat Simonem missum fieri, quinimò regiæ literæ attulerunt homini mortem: nam dux sine mora, Simonẽ inter hæc capite mulctari iusit. Quare cognita, Ricardus ita permotus est, ut haud multum abfuerit, quin ducem arripi, in uincula q; trahi iuberet: sed ueritus ne sine tumultu fieret, tantùm uehementioribus uerbis illum deinceps hominẽ facinorosum uocitare, puniẽdumq; clamare, quòd per speciem seruandæ iustitię, optimum quenq; perdere destinasset: nõnihil etiã succensebat duci Eboracensi, ob nimiã fratris seueritatem, licet ille mitis ingenij uir, Reipublicę utilitatem sine cæde ac crudelitate quærendam cum primis iudicaret. Atqui Gloestrẽsis & bona principũ pars eius consilij particeps, quanto minus regis minis mouebat, tanto maiore rumpebatur dolore, quòd Marchio unus omnia iam apud Ricardũ posset, magnoq; loco esset: quem cùm uideret nec cõmodum populi, nec leges, nec libertatis iura chara habere, sed discordijs delectari, exterminandũ cõstituit: itaq; primùm substitutis amicis in damnatorum magistratuum locum, concilium ad Vuestmonasteriũ alicuius status collocandi causa, sua autoritate indicit, dein ad id peragendum Ricardum inuitat.

Interea Dublinensis Marchio cum suis asseclis, maiorẽ inuidiæ flammam ac materiam criminibus suggerendo, iustumq; odium incendendo, persuasit regi, ut exercitum pararet, quò se ac sua tueretur aduersus patruos duces, qui eum perdere conarent. Credidit facilè iuuenis Marchioni, credidit turbulentis, credidit suis, qui dum duces Londini cõuentũ celebrabãt, ipse ad Bristollium copias undecunq; cogere cœpit: sed antequã aliquid hostile tentaret, de consilio Marchionis, Robertum Tryuilianũ uestitu incognito Londinũ præmisit exploratũ, si quid illic patrui in se molirentur. Is fortefortuna cognitus capitur, ac eodem momẽto Gloestrensis iussu trucidatur. Rex cædis Roberti certior factus uociferari, ultorem inuocare Deũ, illam uim esse, quòd patrui suos cõsiliarios occidere, exilio mulctare, bona eorũ rapere iniussu suo auderent, inclamare nõ cessabat. Gulielmus Scruppus domesticus quæstor ac Marchio iram principis adaugebant, ipsi quoq; exclamantes iam ducum fraudes satis dilucere. Verùm postquam paululum consedit furor, rex Marchionem in duces quam primũ armat, cum exercitu Londinum uersus proficisci iubet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marchio qui diffiſus uiribus omnia timebat,ab ea ducũ tyrannide (ita eorũ regimen appellabat)Exoniæ conſtitit,aut ibi maiores copias paraturus, aut propter loci opportunitatem pugnaturus,ſi ita uſu ueniret. Adfuere nõ mul tò pòſt duces cum magno militum numero,cõmiſſoq; prælio,Marchionem ad primos impetus fugant,qui cum Michaële Pola comite Suthſolchiæ,continuato curſu,in Scotiam ſe cõtulit,ac ambo paulò pòſt de Ricardi rebus deſperantes in Flandriam profecti,finem demum uiuendi in exilio habuerunt. Non equidem putarat Robertus Marchio tantam ſuam potentiam et autoritatem tam citò ad nihilum caſuram,qui à principio ſe cœlum digito attigiſſe duxerat,quòd Ricardus omnia ſibi crederet,præterea nemini.

At ubi de prelio rumores nõ boni ad Ricardum allati ſunt,actutum animi defectione turbatus,deſperare potius quàm ſperare cœpit. Duces ubi hoſtilem exercitum diſiectum eſſe uident,ſuis per preconem precipiunt, ut aduerſariorum neminem niſi reluctantem, aut arma ferentem percutiant. Quo cognito edicto,milites depoſitis armis, mortem deprecantur, quibus parſum eſt. Ex ducibus uerò qui ſe in pedes dederant,Ioannes minor Bellicampẽſis: & alter Ioannes Salbery in fuga deprehenſi ſecuri percutiuntur. Sedato hoc ciuili motu,duces Londinum redeunt,uocatóque principum concilio,Cantuarienſem archiepiſcopum oratorem deſignant,qui ad regem proficiſcatur, eúmque doceat ſtatum regni per ipſos, meliore loco eſſe, atque ex ſua parte roget,ut Londinum redeat ad curam & cuſtodiam regni ſui. Interim Nicolaus Brembreus eques,qui ex pugna Exonienſi in Vualliam profugiebat,deprehenſus in fuga,Londinum ducitur,ac ilicò iuſſu ducum capite mulctatur: is fuit Londinenſis ciuis, unus ex illis ſex,quos rex ob enauatam ſingularem operam,in ſedanda Cantianorum ſeditione,ut in principio huius uoluminis demonſtratum eſt, equeſtri ordine donauerat. Peruenit Cantuarienſis Briſtollium,cum regeq; congreditur,cui primùm mandata ducum expoſuit, ac ſpem bonam fecit,deinde cœpit multis eum hortari,atque rogare uerbis, uti Londinum reuerteretur, affirmans eius reditum ſimiliter ducibus patruis, atq; omni populo futurum ſolatio: tertio loco ſui etiam purgandi cauſa, docuit in ea regni cuſtodia,propter quam Londini conuentus erat peractus,nihil prius ducibus reliquis ue optimatibus fuiſſe,quàm ut omnia agerentur, quæ tantummodo è Republica eſſe iudicarent. Ricardus qui licet neq; acris, neq; ſagacis eſſet ingenij,rectè tamen ſciebat Cantuarienſem caput eſſe factionis,à ſuis antè admonitus,ad ea paucis reſpondit,ac ut potuit, odium & conceptam ob cædem ſuorũ indignationem in præſens diſſimulans,relicta Anna uxore Briſtollij, haud ita multò pòſt Londinũ profectus eſt. Acceperunt uenientem principem libentiſsimis animis duces, & populus Londinenſis. Poſt hæc,conciliũ habetur: eo in concilio duces,quorũ fides tam regi,quàm principibus iam in dubium uenire cœperat,facta ſua multis rationibus excuſare conantur,affirmantes peropportunè fuiſſe,afficere pœna aliquot magiſtratus,quæſtores,præfectos regiæ domus,qui ex longa patientia principis, adeò licentiam atq; improbitatem in promiſcuo eſſe uoluerint,ut ſibi impunè liceret rapere,ſpoliare,uerberare,uulnerare,occidere,ſtuprare matronas, rapere uirgines,ac idcirco illa omnia iam impudenter facerent: ſimul cætera multa expoſuerunt,quibus oſtenderent ſe non ex ſuo, ſed ex regni tantum uſu,

uſu,malos male mulctaſſe. Poſtquam duces ita ſe concilio purgarũt,de rebus abſente rege actis,ut tutior hominũ fides erga regem foret, placuit ut populus in eius uerba rurſum iuraret. Ea res bene multis præſertim ducibus et illorum clientibus documento eſſe potuit, quantũ ſibi deinceps eſſet cauẽdum: ſiquidem dum ſigillatim cũcti principes ordine iuſiurandum coràm dabant, non potuit adoleſcens non odium ſimul et beneuolentiam unicuiq; oſtendere: quos enim oderat,truculenter,quos amabat,comiter aſpexit, id quod in eum maiorem multò inuidiam cõmouit. His actis,ad belli uſum tributũ populo imponitur. Fuit is annus ſalutis humanæ MCCCLXXXVIII,& cùm regnare cœpit Ricardus,XI.

Dum hæc in Anglia fiunt,dux Lancaſtri in Hiſpaniam ad recuperandum regnum Caſtellæ & Legionis proficiſcitur,ducens Conſtantiam uxorem,& Catharinam filiam ex ea genitam,ac duas filias,quas ex priore uxore ſuſceperat. Is itaq; cum ingenti apparatu egreſſus,in Luſitaniam primò peruenit,ubi facto cum Ioãne rege fœdere,atq; Philippa una filiarũ eidem deſponſa,deinde in Caſtellam procedit. Obtinebat regnum Caſtellæ,uti ſuprà demonſtrauimus,Ioannes Henrici ſecundi filius,qui ubi de aduentu ducis accepit, loca munire,exercitũ parare,ſuos in fide cõtinere uehementer ſtudet. Dux cùm in fines Caſtellę celerius omniũ opinione perueniſſet,eosq; uexare cœpiſſet,populi undiq; ad eum ciues primarios legatos miſerunt,qui dicerent ſe ſuaq; in eius fidem permittere,& paratos dare obſides, & oppidis recipere, iuuareq; cõmeatu,ac imperata facere. Hac populorũ deditione confiſus dux,nihil dubitandum exiſtimãs,quin rectà Burgum oppidum peteret,caſtra mouet,diebusq; paucis propè accedit. Fit illi obuiam Aluarius Perreſæus uir bello egregius,quem Ioannes rex cum ſexcentis equitibus,& magno peditum numero præmiſerat,ut hoſtem uenientem aditu ac frumentatione prohiberet,aut loco idoneo,ſi ita præſtaret,cum eo manum cõſereret. Lancaſtrius ubi comperit Aluarium in ſe uenire,compoſito agmine,ſuos cõfertim ire iubet,ut ſimulata militũ paucitate, eum ad certamen alliciat. Non fefellit eum ſuum conſilium: porrò Aluariũ per eam artem ad pugnam duxit, nulloq; ferè negotio eũ in fugã ſe dare coëgit. Secundũ hæc, nõ armati ab Hiſpano,ſed legati de pace ad Anglũ frequẽtes miſsi ſunt: quippe ille cò quòd ſibi timebat,honeſtas offerebat cõditiones,ac ante omnia,affinitatem cum duce petebat. Cunctas pacis conditiones dux ducebat abnuendas, quoniam ei illa Aluarij profligatio inſtar inuitamenti erat belli ſequendi,ac ob id in animo erat,modis omnibus eo potiri regno. Fames interim in caſtris erat, & rerum penuria, quæ mala pòſt peſtilentia ſecuta eſt,qua cùm multi paſsim mortales morerentur, cœptum eſt neceſſariò inde commoueri, atq; unde uentum erat, in Luſitaniam remeatur. Rex Caſtellanus qui pacem quàm bellum malebat, nihilo ſecius legatos rurſum ad ducem mittit,qui de pace,qui de nuptijs cum eo agant. Hi poſtquam coràm uenerunt,mandata regis exponũt,& in primis docent multis rationibus in rem utriuſque principis fore, ſi maturè facta pace,Catharina unica ex Conſtantia uxore ducis filia,locaretur Henrico Ioãnis filio. Dux auditis legatis,cùm id quoque temporis per literas fratrum,intellexiſſet omnia domi ſeditionibus turbari,& ob id bellum quod gerebat, multò periculoſius fore, cùm nullum inde expectandum eſſet ſupplementum,tantum

Universidad de Deusto
Biblioteca

abfuit, ut oblatas conditiones amplius repudiarit, ut etiam non inuitus admiserit. Itaque icto fœdere, ad pactiones uentum est, ut dux Catharinam filiam nuptum daret Henrico Ioannis filio, ac ipse & Constantia eius uxor cederent omni iure, quod in regnum Castellæ & Legionis haberent. Contrà rex Ioannes dotem puellæ & matri daret, assignaretq; ambabus dotales fundos, ac duci & Constantiæ in singulos deinde annos penderet uectigalis nomine, aureorum uicena millia, atque pro impensis in id bellum factis, certo tempore tercentena millia. Istud pro conditione rerum, Castellanus iugum ferre non recusauit, quippe qui iam norat quantum periculi supra caput esset, nisi cautioribus uteretur consilijs, in posterumq; prouideret. Quibus peractis rebus, & Catharina puella uiro coniuncta, Lancastrius mox cum Lusitano affinitatem iunxit, locata ei Philippa filia, quam ille tamen non prius sibi copulauit, quàm Vrbanus Romanus pontifex eum lege soluerit, qua innodatus esse dicebatur, quia, uelut suprà scripsimus, Ioannes antè monachus fuerat, quàm regnum obtinuisset. Atque sic denique Ioannes dux Lancastri rebus in Hispania compositis, domum cum Constantia uxore, atque exercitu, reuenit incolumis, post menses decem & tres, quàm eò concesserat. Peruenit in Castellam sub idem tempus, quo inter reges factum est fœdus, Ludouicus Borbonensis dux, cum bene magna armatorum manu, quam Carolus Ioanni regi auxilio miserat. Hunc Castellanus post actas pro beneficio gratias, & partem stipendij militi datam, multis donauit præmijs, atq; domum dimisit, acceptum perinde referens finem belli Franco, ac si eius solius opera, is factus reuera fuisset, ut ne apud amicum diceretur ingratus.

Interea Ioannes Britanniæ dux animaduertens Anglorum uires seditionibus passim inter principes factis, in dies singulos infirmiores fieri, propterea quòd id malum intestinũ ac domesticum inclusum esset medullis animorum ipsorum principũ, & dolens suum principatũ à Franco partim possideri, partim uastari, tandem aliquando patriam eo detrimento liberãdam constituit: itaq; amicitiæ Caroli se dedit, receptisq; oppidis amissis, in eius quoq; uerba iurauit. Angli autẽ qui ei præsidio relicti fuerant, sine fraude dimissi, alij in patriam, alij in Aquitaniam se recipiunt. Renouauit ea res inter Anglũ & Francum furorem: Robertus Canolus Aquitaniam prouinciã obtinebat, qui audita Britanni ducis defectione, confestim suos hostium fines uexare iussit. Mi les si uspiam prædæ aliquid esse nouisset, eò cõcurrebat, leuiaq; quotidie prælia faciebat, cùm ita usu uenit, ut Angli qui in Lemouicibus erant, cùm excursiones crebrò in Aruernos facerent, circumuenti subitò à magna Francorum manu & præda exuti, & post tumultuosam pugnam, in fugam uersi fuerint, aliquot captis, qui postea grãdi auri pondere se redimere coacti sunt. Ii dolore incensi, quòd ita insidijs temerè excepti essent, cladem per hunc modũ uindicandam excogitant: cum expeditis enim equitibus noctu Monferandum accedunt, & quia oppidum à præsidio uacuum esse sciebant, nihil cunctati prope portas consistunt: hîc oppidanum quendam casu eo noctis tempore domum redeuntem capiunt, quem ad unam portarum accedere cogunt, admonentq;, ut custodes excitet, illisque dicat, secum esse aliquot mercatores, eosq; cum oneratis iumentis ad nundinas uenire, quæ illic breui futuræ erãt, & pro-

& propterea roget, ut ex itinere fessis aperiant portas, quò in diuersorium se recipere possint. Oppidanus non ignarus omnia libertate patriæ posteriora ducenda, & nulli mortalium quicquam ea antiquius esse debere, primùm negauit se tam nefaria mandata executurũ, postea tamen cùm Angli cruciamenta, supplicia, mortem intentarent, uti doctus erat, custodes excitauit. Illi nihil tale suspicãtes portam pandunt, qua subitò occupata, Angli custodes obtrũcant, oppidumq; ingressi diripiunt, tantum templis ab omni maleficio, & mulieribus à dedecore uacuis relictis: postero die multa abacta prꝛda, captiuisq; abductis Chalucetum oppidum, unde uenerant, properè reuertuntur. Atq; ita Anglus inustam paulò antè per fraudem ignominiæ notam, fraude autoribus facta, deleuit. Erat per huiuscemodi clades mutuò acceptas, uterq; rex diuturni belli cura & solicitudine magnopere affectus, ita ut solùm bellandi finem optaret. Qua de causa Carolus per nuntios egit, ut Ricardus miserit Lancastriũ Lutetiam, siue, ut non nemo tradit, in Ambianos. Huc postquam conuenere legati, inter se uarias conditiones pacis conferendo, in contentionem uenire incipiebant, cùm dux ita effatus est: Ecquid oportet nos de noua forma fœderis faciendi cogitare, cùm illa iamprídem præscripta nobis fuerit à Ioanne & Edouardo patre meo regibus? Illud ergo fœdus summo utriusque populi consilio, consensuq; sancitum permaneat, sitq; eo contentus Carolus rex, atque ita tandem ab armis discedere licebit. Ad ea Franci oratores respondêre, per suos reges non stetisse, quò minus id fœdus corroboratum foret, sed ab Edouardo principe contra iurisiurandi religionem fuisse uiolatum, & propterea Carolum quintum, & sextum, de pace postea sæpissimè expertos nihil potuisse efficere, nisi uoluissent pactionẽ pacis talem facere, quæ seruitutis lex foret, & id Anglorum causa factum, qui pacem dare, non admittere, & datam nunquam seruare uellent. Inter has disceptationes, cùm utraq; pars non pacem, quam summè quærebat, sed eius conditiones repudiaret, inducíæ tantùm trium annorum pactæ sunt. Fuit is annus salutis humanæ MCCCXCI, & cùm regnare cœpit Ricardus, XIIII. Quo anno multarum rerum agendarum causa, concilium habitum est ad Vuestmonasterium: eo in concilio regi pariter atque principibus uisum est è Republica sua Anglicana fore, si pars aliqua imperij Romani pontificis Oceano terminaretur, quòd multi quotidie uexarentur, ob causas, quas Romæ non facilè cognosci posse putabant: quapropter sancitũ est, ut nulli mortalium deinceps liceret, pro quauis causa agere apud Romanum pontificem, ut quispiam in Anglia eius autoritate, impius religionisq; hostis publicè declararetur, hoc est, excommunicaretur, quemadmodum uulgò dicitur, néue exequi tale mandatum, si quod ab illo haberet. Pœna uerò ijs constituta est, qui legem uiolassent, ut amissis omnibus bonis, uitam perpetuò in carcere agerẽt. Deinde pecunia ad usum belli imperata est.

Iam arma ubique deposita erant, cùm ecce tibi, ab Aquilone nouum erumpit fulmen: nam Scoti quibus quinquennio antè induciæ datæ, & ut Anglici annales tradunt, nondum finitæ erant, cupidi prædandi, contrà atque fas erat, in finitimos agros egrediuntur, ac subito accessu, uicis ædificijsq;, quæ adire potuerant, incensis, hominum pecudumque prædas agunt, & studio prædandi, usque Dunelmum excurrunt: hinc ciuium occursu, qui ex fuga

Universidad de Deusto
Biblioteca

agrestium de hostium aduentu cognoscentes se armauerant, repelluntur: uerùm quia Angli qui sumptis repentè armis, obuiam ierant, pauca millia passuum prosecuti sunt, quòd ipsi longè numero præstarent, nõ fugiunt, sed lentè & pedetentim cum præda Nouum castrum uersus contendunt. Hæc ubi passim nuntiata sunt, Henricus Northumbrorum comes cum armatorũ manu hostes à tergo secutus, nõ longè ab eo oppido inuadit: dimicatur utrinq; fortiter, ac incerto euento, & cùm anceps cædes fuisset, aduersæ tamen rei fama in Anglos uersa est, quòd nonnulla amisissent militaria signa. Paucis deinde interiectis diebus, est iterum inter Nouumburgum, & Nouum castrũ singulari prælio pugnatũ, & ibi quoq; æquo ferè Marte certatũ, multis utrinq; interfectis. Ex Scotis ducibus Iacobus comes Douglassatium graue uulnus accepit, quo nõ multò pòst ingrauescente, à uita discessit. Post hæc, exercitus utrinq; reficiuntur, & ad nouam edendam pugnam pro se quisq; parat, hinc Scotis, illinc Anglis recẽtioribus auxiliatũ suis uenientibus, ita ut rursum omnibus copijs ad manus uentum sit: tantis nunquam aliàs cùm copijs, tum animis dimicarũt, tantoq; irarum certamine res gesta est, ut à neutra parte emissa sint tela, sed gladijs & cœperint, & finierint pugnam, in qua demum Scoti superiores fuerunt. Captus est Henricus comes, totq; alij nobiles, ut illis sua redemptio constiterit centum aureorũ millibus. Cecidit Anglorum amplius tertia pars, Scotorum uerò dimidio minus. Quieuerunt posthac Scoti, cùm intercedere inducias inter Francum & Anglum comperissent: nam, uti alibi diximus, in perpetua Francorum amicitia atq; gratia, ac tam belli quàm pacis cõmunitate sunt, & Ricardus se per omnia segnem gereret, qui acceptam plagam in primis ulcisci debuisset: sed iuuenis uoluptatibus deditus, ac suorum æqualium collusorũ sodalium societate corruptus, haudquaquam libens beligerabat. Quid, quòd ut omnem bellandi materiam ab se uerteret, suadentibus suis, qui ei seruiebant, ei lenocinabantur, donauit patruum suum ducem Lancastrium Aquitaniq; principatu: Eò ille continuò profectus est, ut in possessionem ueniret: cæterum Aquitani animo cernentes breui tempore futurum, ut Francis prædę essent, nisi principem haberent, à quo ab iniuria defenderentur, non dubitanter ducis imperium abnuerũt, atq; uenienti tantũ abfuit ut gratulati sint, ut etiam denũtiarint, nolle se in eius uenire potestatem: quo facto, legatos uiros primarios suarum ciuitatum ad Ricardum miserunt, qui dicerent se regi parêre assuetos, non posse ab officio discedere. Excusatio Aquitanorum à rege accepta est, ac ita legati optati compotes domũ remittuntur. Dux autem ut uir prudens, æquo animo repulsam tulit, qui nihil ea re motus, in Angliam paucis pòst mẽsibus reuertit. Attulit eius aduentus in Aquitaniam, suspitionem Francis, etsi inducię adhuc non exiuerant, adeò, ut nihil propius factum fuerit, quàm ut tumultus concitaretur ab ijs, qui in præsidio erant. Verum ubi constitit nihil hostile à duce tentari, facilè est temperatum armis.

Finis tertij anni iam propè obrepserat, ab eo, quo inducię factæ fuerant, cùm Carolus rex spe pacis coagmentãdæ, legatos Bononiam, Ricardus suos Caletum misit. Legati summa usi diligentia & studio, ad extremũ postquam nulla negotij pacis conclusio esse potuit, inducias in quatuor annos prorogarunt. Est res mira tam dictu, quàm creditu, ut pax toties utrinq; petita et cupita, nunquam conuenire potuerit, cùm præsertim utriq; populo commoda æquè ut peropportuna uideretur. Equidem Franci facilè animaduertebãt, bellum neutiquam è re sua fore, quòd Carolus rex mentis errore affectus, iam tum rebus agendis uacare minus paratus erat. Anglis uerò nec spes magna uictoriæ erat, quòd domi ex seditionibus laboraret, & Ricardus quanquam dives operis, tamen expers laboris non inuitus bello otium sæpe præverteret. At eiusmodi tamen rationes uincere non poterant obstinatos animos, quò tandem aliquando pace facta, ab armis cessarent, cùm alter nihil de possessione, & alter nihil de iure proprietatis dimittere uellet. Id temporis uita excessit Robertus rex Scotiæ, cui Ioannes filius in regnum successit. Placuit optimatibus huic nomen patris imponere, quod Ioannes parum esset nomẽ regibus felix, omen à Ioanne Francorum rege accipientibus, qui inauspicatò cum Anglis pugnasset. Franci interim per inducias nacti otium, ac simul Genuensium precibus defatigati, bellum in Afros, qui omnẽ oram, insulasq; Italiæ latrocinijs infestas reddebant, suscipiũt. Ricardus quoq; rogatus auxiliũ, mittit Henricum comitem Derbiensem cum electa Anglicæ pubis manu, ad id bellum faciendum. Igitur Franci Angliq; uiribus & animis consociatis, in Africam trajiciunt, qui ubi litus attigêre, eatenus à barbaris descensione prohibiti sunt, quoad Anglorum sagittariorum uirtute factum est, ut aditus patêret: in terram egressi rectà Tunetam urbem regiam petunt, ac obsident. Barbari timore affecti de pace ad eos legatos mittunt, quã nostris dare placuit, ut soluta certa pecuniæ summa, ab omni deinceps Italiæ Gallięq; ora manus abstinerent. Ita peractis rebus, post paucos menses, quàm eò itum erat, domum repedatum est.

Eisdem temporibus rex Ricardus bellum sumere repentè cogitur: cùm enim nuntiaretur Hybernos Syluestres excursiones faciendo, prędari in agris, atq; omnẽ prouinciã populari, iudicauit in insulam cum exercitu trajiciendũ: itaque dato imperio regni administrandi duci Eboracensi, non multò pòst unà cum Lancastrio, & Gloecestrensi ducibus, Bristollium profectus, nauem conscendit, secundóque uento usus in Hyberniam transmisit. Quò ubi peruenit, cùm intelligeret prædatores raros per agros uagari, ac nullo certo loco se tenere, equites quoquò uersum dimisit, qui palantes hostes inuaderent. Ipse uerò cum peditatu subsecutus obseruabat, si uspiam liceret cum aliqua collecta prædonum manu congredi. Hyberni ubi se undiq; armis peti conspiciũt, pars incipit dare se in pedes, pars stare incerta, utrum progredi, an regredi tutius foret: inter cunctationem, permulti imprudentes passim opprimuntur: cędes tamẽ modica effecta est, quoniam superueniente nocte, in suas syluas se facilè incolumes receperunt. Aliquot Angli equites in persequendo hoste, dum incautè feruntur, iaculis conficiuntur à fugientibus, quibus adijcendis illi plurimũ ualent. In ijs Edmundum Mortimerium comitem Merchiæ fuisse opinor, quem, ut suprà ostendi, Ricardus sibi hæredem fecerat, quem omnino aut tunc, aut prius posterius ue ab Hybernis interemptũ fuisse constat. Cæterum tantus terror Hybernos inuasit, ut quatuor reguli ultrò Dublinum uenerint, ubi Ricardus erat, seq; eius fidei commiserint, quos tantum abfuit, ut ille pro commisso delicto pœna afficiendos statuerit, ut etiam equestri ordine donauerit, reliquos uerò quos fontes comperit, partim supplicio

Universidad de Deusto
Biblioteca

affecit,partim hostes iudicauit,eorumq; bona publicauit:& ut ne Syluestres posthac loca insulæ culta populatū exirent,præsidia opportuna posuit, quæ eos transitu prohiberent. Pacata per hunc modum insula,cùm Ricardus eodem tēpore ex literis Eboracensis intellexisset Annam uxorē esse mortuam, citius quàm decreuerat in Angliam reuersus est. Qui fuit annus salutis humanæ MCCCXCIIII.

Regi autē ut in Angliam accessit, cùm nullos ex Anna suscepisset liberos, nihil fuit potius,quàm ut de nouo cogitaret connubio:& quia nullus erat in regno, cum quo placeret genus & sanguinem miscere,legatos protinus misit ad Carolum regem,qui Isabellam eius filiam octauum agentem annum sibi uxorem peterēt. Audita est benignè legatio,ac posteaquam de modo iungendę affinitatis aliquandiu consultum est,puella Ricardo despondetur. Secundum hæc,missis ultrò citroq; legatis,de pace inter reges continenter agitatur,quæ ad ultimum nullo pacto fieri potuit,sed tantum inducię in triginta annos pactæ sunt. Atq; ita fœdus totidem annos duraturū factum est, sed quibus conditionibus,nullus,quem sciam, scriptor ponit,adeò negligenter ea tempestate res gestæ literis mandatę sunt. Fuit hic annus cùm utrinq; induciæ datæ sunt,MCCCXCVI,& cùm regnare cœpit Ricardus,XIX. His actis, Ricardus Caletum proficiscitur,ibiq; ad accipiendam quamhonorificentissimè uxorem,omnia quæ usui necessaria sunt,quamliberalissimè parat. Interea Carolus rex cum puella Arderam uenit, quò Ricardus se postridie contulit. Hic reges mutuis amplexibus congrediuntur,blandisq; appellationibus paria inter se paribus respondentes,multa facta congratulatione, alter alterum certatim honore, dignitate, gratia tractat:Ricardus enim Carolum patrem, Carolus Ricardum filium appellat. Deinde Carolus epulum dat opiparum, preciosissimisq; donat Anglos muneribus,facit & idem Ricardus erga Francos. Post hæc,factis sponsalibus,puella Isabella etsi nondum matura uiro traditur Ricardo, quam ille secum Caletum primò, deinde in Angliam magna cum pompa ducit. Quòd si cæteri omnes ex ea affinitate aliquid lætitię cœperunt, non item Thomas dux Gloecstriæ, is enim grauiore erat in Gallicum nomen odio,& quamuis affinitas intercederet, attamen nullum fœdus cum Franco ratū religiosumq; fore putabat:sed maior inuidiæ cumulus ex eo accedebat,quòd Francus retineret principatus & loca celebriora aliquot in Gallia,quæ Anglicæ ditionis fuissent,& toties repetita non restituerent. Et quia Ricardus talia detrimenta minimè sarcienda curabat,non poterat se continere,quin eum ignauiæ passim accusaret,clamaretq;,hostibus qui toties datam fidem fregissent, non esse fidem seruandam. Quibus uocibus cùm nihil rex moueretur,dux ut ei aliquod exhiberet negotium,quo locum daret uoluptatibus,& ab otio ad arma auocaretur,egit sic cum Gulielmo Moro qui in eum annū factus erat prætor,ac cum ciuitatis senatu,ut ciues Londinenses regem adiuerint, rogarintq;,ut iam pacatis rebus, & cum Franco multorum annorum renouatis inducijs,ueller suos ciues leuare tributo, quod belli causa impositum,& nondum exactū esset. Ad rogatū populi, ita dux Lancastrius respondit,ut ille eius responso contentus ab inccepto negotio destiterit,tributumq; suo tempore pependerit.

Per eos dies uenit in Angliam Guido comes diui Pauli missus à Carolo, ut officij

officij ac amoris gratia, eius uerbis Isabellam filiam & Ricardum salutaret. Rex multa conferendo aperit comiti, quemadmodum dux Gloecstriæ summa ope nitatur,ut bellum Carolo inferatur,& quia id ex animi sententia obtinere nōdum potuerat,populum ad seditionem solicitet,quò domi bellum ardeat,quod foris gerendū summè cōcupiuerat. Item narrat eūdem ducē iussu suo, bene multos ex suis domesticis & amicis, affecisse supplicio,ac denique sibijpsi exitium machinari. Hæc ubi comes accepit, subitò respondit, non esse diutius tantum iniuriarum patiendum,sed continuò uindicandum, simulq; præcauendum malum,quod omnino futurum esset,nisi maturè obuiam iretur. His comitis uerbis Ricardus permotus,ex illo tempore statuit ducem & Ricardum Harundellium comitem,ut duos seditionis autores, ac eorum clientes modis omnibus è medio tollendos: sic, ut quod destinarat animo, quamcitissimè perficeret,cœpit diligentius facta dictaq; ducis notare,& quoniā qui suspicantur,ita usu uenit,ut peiora semper coniciant,quàm uideant,idcirco nihil non in malam capiebat partem,ita ut de ipso duce identidem cum eius fratribus Lancastrio & Eboracensi quereretur,quòd ille contra se ueniret, sibiq; rebus in omnibus aduersator esset, ad interitum suum, ad perniciem suorum domesticorum, ad disperditionem regni. Duces autem ut ab omni suspicione principis animum liberarent,ad ea respondebant, se haud clàm esse,Gloecstrensem fratrem ut interdum imprudentem plura ę penumero effundere,quàm ut efficere posset,uellet'ue,& ea tamen ex fidelitate proficisci,quòd ille in primis doleret regni fines angustiores fieri,ac propterea bono esset animo,quandoquidem nullum caperet detrimentum,nullumq; ei crearetur periculum,quandiu sana non sperneret consilia. Hæc animum regis ad tempus mirificè confirmarunt. Gloecstrensis interea non cessabat omnia tētare,quibus inducias frangeret,adeò bello studebat: quod cum minimè procederet,usque eò furere cœpit,ut iactarit se coniecturum Ricardum tanquam hominem imbellem,minimeq; qui imperet idoneum, in aliquam arcem,ubi sine Reipublicæ iactura,pro suo iure otium traheret. Isti sermones ubi in uulgus emanarunt (emanarunt autem subitò per eos, qui duci inuidebant)fratres eum acriter castigarunt,id quod ille paruipendit. Ea de causa,duces qui uidebāt non esse quod amplius fratrem monerent,et se propter eius insolentiam,iam omnibus suspectos esse,prospicientes fore, ut ille in dies criminosior esset,si ipsi Rempublicam diutius gubernarent,existimarunt per aliquot menses sibi aula cedendum, quò Gloecstrensis minus frater na autoritate fultus mitius se gereret:itaque Lancastrius in principatū suum, Eboracensis Eboracum se contulit. Cæterum secus euenit,atque illi cogitarant:secessus enim fratrū,Gloecstrensi exitio fuit:nam ubi duces procul à regia fuerunt,non defuere contra Gloecstrensem accusatores,qui regem incenderent,ad eum necandum,quiue hortarentur,ad ulciscendam mortem suorum consiliariorum:ita demum iuuenem ad facinus edendum incitarunt, ut ille statuerit, non ultrà timoris ferre moras. Post ducum discessum, secesserat quoq; Gloecstrensis in Essexiam ad uillam suam, quam iuxta celebrem pagum habebat,quem Chelmisfordiam dicunt, illicq; se tenebat. Rex interim cum Thoma Mombraio equitum magistro,qui cum ipso in summa erat gratia,consilium opprimendi ducis capit,compositoq; dolo,ambo uenatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

eunt: Thomas in medio itinere se in syluam abstrusit, rex uerò uenando, ad ducē cum paucis uenit, ibiq; sumpto cibo, negotium simulat, quamobrē sibi Londinum actutū redeundum docet, eumq; rogat, ut festinandi causa, paucis contentus comitibus secum Londinū eat, ac reliquos suos ministros post se eò uenire iubeat. Dux nihil tale quod ei mox accidit, suspicatus, cùm Ricardo iter facere incipit: pergunt simul colloquentes usq; eò, dum loco insidiarū appropinquant: inde rege de industria præcedente, dux insidijs excipitur, inclamās alta uoce, atq; regis opem implorās. Rex nihil eo clamore motus, perinde quasi non audisset, iter continuat: Glocestrensis uerò à Mombraio ad Thamesim trahitur, ibiq; in nauem ad id antè paratam imponitur, atq; Caletum perducitur, ubi loci pessimo post hominum memoriam exemplo, postridie illius diei strangulatus est. Hic exitus fuit ferocissimi ducis, uiri præcipitis ingenij: corpus postea funerali pompa in Angliam deportatū sepulchro infertur, quod ipse sibi in sua uilla posuerat. Ricardus ubi Londinum peruenit, duos Ricardos Harundellij, cum Thoma eius filio, & Varuici comites, item Ioannem Cobanum, & alterum Ioannem Chenium equites, à suis satellitibus arripi, & in custodiam tradi iubet. Quo facto, conuentum ad Vuestmonasterium indicit, ut in eo sibi populi fauorem conciliet, ad cætera quæ destinauerat peragenda. Fuit is annus Ricardo ab administratione regni sui xx, et salutehumana MCCCXCVII.

Duces Lancastrius & Eboracensis cognita nece fratris, dolere, ac sibi ualde timere cœperunt: nam cùm secum reputarent regem contaminatorum consilijs adactum non abhorruisse à tanto facinore, non iniuria arbitrabātur eum alia atq; alia peiora in dies admittere nō dubitaturū: itaq; confestim exercitū parāt, ac armis stipati Londinū proficiscunt, quos Ricardus Vuittyngtonus urbis prætor & senatores receperūt libentissimis animis, utpote qui parimœrore ob Gloecestrensis necem angebant, eam indignā querentes: quapropter regi maiorē in modū irati, contra eius uoluntatē atq; mandatū, ducibus ueni-entibus portas aperuerunt. Hîc de rebus agendis inter se consultant: diuersa cōsilia afferebātur, quibusdam placebat, Gloecestrensis mortem persequi, alij Mombraium, & Ioannem Holandium comitem Huntyngtonæ, nōnullos q; alios ut malorum omniū autores petendos censebant, qui regis animum iam inde ab ineunte eius ætate, uitijs & malis artibus inquinassent. Sed duces ad extremum ubi aliquantulum dolor mitigatus est, pro tempore angoris aculeos occultare, & si princeps melius uitam instituet, etiam iniuriarum obliuisci decreuerūt. Rex interim prope Londinum, ad quatuor millia passuum, in Helthamo uilla se tenebat magno armatorū numero septus, munitus, obuallatus, cùm interea currebant ultrò citroq; optimates quamplurimi, qui regem & duces inuicem in gratiā reconciliandos magnopere curabant. Diluebat rex crimē cædis multis rationibus, quòd Gloecestrēsis inducias quas ipse cum Franco pepigisset, uiolare se inuito tentasset, quòd populū ad seditionē solicitasset, quòd denique suæ uitæ insidiatus fuisset. Contrà duces fratrem immerito suo morti deditū, quòd ab eo nihil foret tentatū, factum'ue, quamobrem tali pœna afficiendus esset, indubitanter asserebant. Inter has disceptationes, cùm rex ad ultimū fidem daret, se in posterum tempus nihil acturum nisi ex ducum consilij sententia, illi cum eo in gratiā redierunt. Sed Ricardus iam omnia

omnia per imperium sibi facere licere ratus, tantum abfuit, ut promissis steterit, ut etiam multò insolentius se deinde gesserit: quippe cùm ad diem principes conuenissent, primùm omnium in eo conuentu ducum uulnera refricare cœpit, coràm exponēs aliquot conspirasse in se, & eius flagitij caput fuisse Gloecestrensem, ac propterea uim parantem ui coërcitū esse, & meritò primū pœnas dedisse, reliquos uerò in uinculis haberi, ut cōmuni omnium iudicio condemnarentur. His dictis, eos produci iussit, qui quæstione eius arbitratu acerbè habita, de maiestate damnantur, eorumq; bona publicantur. Verùm de Ricardo Harundellio tantùm sumpto supplicio, & altero Ricardo Varuicense in exilium acto, alij in custodiā in perpetuū dantur. Ferunt etiam Thomam Cantuariensem exilio mulctatum, quod aliqui negant. Secundùm hæc, regni statu pro tempore constituto, in quo ut aliquid populi compendium esse uideretur, captandæ regi beneuolentiæ causa, nonnulli augentur honore: nam ex comitibus, Henricus Herefordiæ, Edouardus Abermaliæ, Thomas Surræ, Ioannes Excestriæ, & alter Thomas Northfolchiæ duces fiunt: comites uerò Hugo Spenserius Gloecestriæ, Rodulphus Neuyllus Vuestmerlandiæ, Thomas Percius Vigorniæ, Gulielmus Scruppus Vuylshyriæ, & Ioannes Montacutus Sarisberiæ, at Marchio Dorcestriæ, Ioannes Sommerseti comes creatur.

Rex dimisso conuentu, & rebus ex animi sententia compositis, non modò quicquā consultius agere, uel ducū patruorū suorū consilijs inhærere nō cœpit, sed ex sequundis rebus animū sumens, ferocius omnia uolūtate, omnia imperio, omnia immanitate metiebatur, quàm solitus erat, qui generatim omnibus cruciatus & mortes minitabatur, nisi dicto parêrent, & demum quò magis suo utebatur imperio, hoc plus uiolentiæ præ se ferebat, ita ut principes iamiam ab eo tanquam insaniente cauerent, sibiq; timerent, quem simul oderant. Quocirca erant quamplurimi, qui hæc mala deplorarent, & apud eos præsertim, quorū consilijs sciebant regem deprauari, & ob id illos in eius intimis esse, ut uel illi à male consulendo desisterent, uel princeps male audiendo ad bonos mores se reuocaret. Sed neutrum secutum est, nanque aliquanto pòst Henricus dux Herefordiæ casu sermones conferēdo cum Thoma Mombraio duce Northfolchiæ, multa dolenter potius quàm libenter questus est, quòd Ricardus principes suos negligeret, nullo numero haberet, & quantum in eo esset, perdendos curaret, cùm alijs exilium, alijs mortes minaretur, ac nō ei aliquoties ueniret in mentē quanto esset sibi dedecori, & Reipublicæ damno, pati per suam inertiam regni fines angustiores fieri, ac cuncta domi iuxtà atq; militiæ labefactari: & demum dux haud dissimulanter addidit, cùm ea ante omnium oculos uersarentur, eum maximè omnium debere regem admonere, à quo solitus esset facilè audiri. Hæc Mombraius ubi accepit, non bonī consulit, sed ratus se prædam facturum, per quam apud principem, in maiore se poneret gratia, tacitus in præsentia seruat: uerùm paucis pòst diebus forsan timens ne sibi fraudi esset, si fileret, nactus tempus idoneum gaudens, ut delatores esse solent, quando habēt quod in aures principis instillare possint, quæ & quomodo audierat, ad regem defert, & ut reddat quod nuntiaturus erat, grauius delictū, multa affingit. Ea res uehementer incendit Ricardi animum ad iracundiam, sed ira pòst paululū deferuescente, placuit rem conside-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratè cognoscere: itaque uocatis ad se duce Lancastrio & Henrico, Mombraiũ proferre coràm, quæ sibi antè indicasset, de ipso Henrico iubet. Mombraius præsenti animo uerba in regem dicta recitat. Ista ubi Henricus audiuit, siue subitæ rei casu territus, siue ira percitus, aliquantisper tacitus regẽ aspexit, deinde collecto animo, ac dimisso honoris gratia uultu, postulat à rege, ne quid de se facilè credat: & his dictis, conuersus in delatorem, constanter quæ ei dixerat, fatetur, docetq; eius rei rationem, at falso obiecta pernegat, aitq; se insontem esse, & id crimen armis, si modò rex permittat, in caput autoris relaturum. Contrà Mombraius pertinaciter obstinatoq; animo delata ab se asseuerat uerissima esse. Ad ultimum inter eiusmodi altercationes constitutus est dies, quo sui purgandi causa, alter cum altero singulari certamine dimicaret. Cæterum cùm id regio consilio pro uerbis tantum, si qua facta fuissent, permittendum non probaretur, rex uetuit eos in certamen descendere: & quia ab utro culpa abesset, non constabat, ut neuter ea liberaretur, utrunque exilio affecit. Sed mitius cum Henrico agitur: nam decennium prius, dein sexennium tantum exulare decretum est, Mombraium uerò diutius, aclongè gentium. Itaque Henricus in Gallias profectus est, quem Carolus cognita exilij causa, quã nullius momenti esse iudicabat, bene accepit. Mombraius in Italiã ablegatus Venetias se contulit, ubi angore animi, uitam breui pòst amisit. At qui Ricardus permolestè tulit Mombraij fatum, qui animo iam destinarat eum ut hominem sibi multò charissimum ab exilio reuocare, quem propémodum inuitus damnari permiserat. Sed ita fraus autoris fuit. Henrico uerò ea pœna bono fuit, quippe qui nõ odio priuato, sed amore patriæ, inertiã principis coarguerat. Is natura longè humanissimus, ita omnibus charus erat, ut eum in exilium euntem, perinde ac unicũ patriæ patrem, & iam uita priuatũ, uniuersus populus fleret: in Gallia itidem tam cum Carolo rege, quàm cùm optimatibus in summa esset gratia, ita ut dux Barri ei cœlibi filiam desponderit: priorem enim uxorem paulò antè amiserat, quàm in exilium eijceretur. Veruntamen id matrimonium statim refrixit, impediente Ricardo, qui cùm animaduerteret populum Anglicum miro teneri desiderio reditus Henrici ducis in patriam, cogitauit nequaquam in rem suam fore, si ipse Henricus affinitatem cum duce Barri uiro magnæ autoritatis coniungeret, quam propter re, ut diximus, impediendam curauit. Fuit is annus cùm hæc gesta sunt, humanæ salutis MCCCXCVIII, & cùm Ricardus regnare cœpit, XXI, nobilis morte Ioannis ducis Lancastri, cuius corpus Londini in æde diui Pauli, ad læuam prope princeps altare sepultum est. Contrà est sacellum ab ipso positũ, ubi duo sacerdotes quotidie pro eius ac totius Lancastriæ familiæ animis orant. Idem fit Leceſtriæ à collegio sacerdotum, quod ille ibidem collocauit, deditq; fundos ad conuictum tum sacerdotum, tum multorum pauperum, qui ætate confecti eo loci sustentantur.

At ducis mors Ricardi uitam breuiorem fecit: nam ille in eius fortunas inuasit, Henricum filium hæreditate fraudauit, nudauit, spoliauit, suis de alienis bonis dona dedit. Id factum generatim cunctis optimatibus longè importunissimũ uisum est, quòd Henricus ducis filius nullo suo merito patria exterris, paterna hæreditate priuaretur, qui iam tum de Ricardo male cogitare, male de eius exitu augurari cœperunt. Sed Edmundo Eboracensium duci ea res

res cum primis bilem cõmouit, quòd rex omnia iam iura peruerteret, quòd antea parricidio, & postea rapinis se obstrinxisset. Is enim hactenus tentauit, quid patientia proficere posset, qui fratris necem, qui nepotis exilium, qui sexcentas iniurias regis adolescentiæ & errori iuuenili assignarat, tribuerat, concesserat, sed nihil cùm proficeret, atq; animo cerneret, ex eo breui futurum, ut ingens Reipublicæ labes fieret, quòd ipse Ricardus per se parum ingenio ualeret, & officij monitorem neminem hominem probum pateretur, prudentis esse putauit in tempore locum tutum petere, ac in castris relinquere tam deuium imperatorem, qui suo, quemadmodum dicitur, gladio seipsum iugulare tandem aliquando uellet. Tali capto consilio, cum Edouardo filio Abermaliæ duce, domũ abijt, illudq; deinceps solatij habuit, ut se autore, nihil de Republica decretũ sit, qui tantùm precabatur, ut Deus omen auerteret, in quod Ricardum pedetentim incurrere prospiciebat.

Interea rumor erat Hybernos Syluestres omnem insulam Hyberniam latrocinijs atque incursionibus uexare, ac bonam partem regij præsidij quod ibi erat occidisse, aut fugasse. Qua re cognita, Ricardus ineunte uere, cum non utique mediocri exercitu, Bristollium primùm, transiens deinde Oceanum, Hyberniam petijt, rebellemq; Hybernum domare instituit. De hoc belli exitu alij aliter sentiunt, qui tradunt Ricardum non traiecisse in Hyberniam, sed Bristollij constitisse domesticis territum factionibus, quippe qui in itinere factus est certior Henricum Percium comitem Northumbriæ, ac bene multos alios principes cum eo alieno esse animo in se, neque uelle sequi in Hyberniam, & ea de causa, noluisse tam longè gentium abesse, sed eo loci mansisse, & inde per nuntios comitem ad se arcessiuisse, illúmque qui timebat iram principis, & ob illud ipsum cum Roberto rege Scotiæ secretam iunxerat amicitiam, ut in Scotiam, si ita res postularet, receptum haberet, respondisse se in præsentia non posse commodè ex principatu suo discedere, nihilq; in eo Hybernico bello esse, quod se unum ex tam longinquo loco euocaret, cùm ipse armatorum copiam haberet. Rex contrà quàm sperabat acceptо responso, sanè comitem ad se uenturum omnino putarat, non mediocriter angi cœpit, nimirum ubi uidit homines claros, qui summa erant apud populum autoritate, contra incœptum suum uenire, timuit excedere de regno: & quanquam grauatissimè bello Hybernico hasce rixas præuertebat, attamen præferendum existimauit coërcere suorum furorem, ut domesticis dissensionibus liberaretur: ita omisso bello, Henricum Percium cum eius asseclis hostem patriæ iudicat, eorumq; bona publicat, ut metu pœnæ, alios ab officio non discedere doceat.

Cæterum dum Ricardus Bristollij moratur, siue, ut alijs placet, quibus minimè assentiendum censeo, Hybernos domat, complures principes qui præsentem statum regni continenter deplorabant, per literas Henricum ducem Herefordensem, quem post mortem patris, ducem Lancastri appellabant, solicitant, ut quamprimùm in Angliam redeat, eiq; pollicentur se Reipublicæ consulendi causa, paratos esse eius dignitati seruire, ac omne suum studium, consilium, officium, laborem, operam, curam ad ipsius amplitudinem conferre, opesq; impendere, si Ricardo eiecto homine minimè rebus gerendis apto, ipse regnum obtinere uelit: atq; simul aliquanto pòst Thomam Cantuarien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sem archiepiscopum uestitu mutato, personaq; alia susceptа, ad eum mittunt, qui nomine Anglici populi, cum eodem statuat, prout ex fide, fama, req; ipsius populi uidebitur. Ille homo magnæ prudentiæ diligentiæq;, ducem in eam spem potiundi regni adduxit, ut confestim facultate, specie uisendi Ioannis ducis amici & necessarij sui à Carolo habita, in Britanniam profectus sit, & inde magna Britannorum manu comitatus accesserit ad læua insulæ littora, in Portimuthum portum, iamq; decimum hîc diem consumebat, cùm amicorum concursus ad eum factus est: exin duce Cantuariensi, Londinum contendit, quem ciues summa omnium uoluntate, urbe recipiunt, adeò ut nihil exoptatius eius aduentu fuerit. Sed quæ alij scriptores de eius aduentu proponunt, prosequamur. Dux Henricus ubi principum erga se studium cognouit, unà cum Thoma Cantuariensi archiepiscopo, & Thoma comite Harundellio Ricardi comitis filio, qui paulò antè è custodia ad eum aufugerat, in agrum Eboracensem traiecit, quò ubi peruenit, sine mora, tam de nobilitate, quàm de plebe homines, ut est mortalium natura nouitatis auida, ad eum confluunt, regemq; suum salutant, maledicta atque probra passim in Ricardum regem ut imprudentem, inertem, nulloq; imperio dignum dicunt, iactant, congerunt. Posteaquam magna hominum multitudo in unum conuenit, atque de pellendo Ricardo consilium ceperunt, arma momento temporis capiunt, & alij ad alia loca opportuna discedunt, ut initium belli contra eos ubique faciant, qui Ricardum iuuandum curarent. Hæc interea in Hyberniam nuntiantur, quæ ubi rex accepit, pacatis iam rebus Hybernicis, properè in Angliam redijt, periculo obuiam iturus, atque in arcem munitissimam, quam Flyntum dicunt, se recepit. Est arx ista posita in ora maritima, ad fines Vualliæ, prope Cestriam oppidum, ad decem millia passuum. Hîc Ricardus ubi comperit populum ad Henricum deficere, diu in incerto habuit, quidnam consilij caperet: in una enim parte, uidebat ius pugnandi iustum, spem non exiguam in fide Vuallorum sitam, conscientiam, ut ipse prædicabat, de nulla culpa: at in altera, maiores inimicorum uires, defectionem suorum, ac demum omnia pro se incerta. His rebus magis territus, quàm illis confirmatus, necessariò decreuit, usque eò ad id loci consistere, dum tutiora omnia prospiceret, qui iam tum senserat, norat se inductum, relictum, proiectum ab illis, per quos sibi respiscere per tempus non licuit, cùm id demum facere serò foret. Ea tempestate unum hoc profectò exemplum editum est, quod illis qui alijs præsunt, documento in perpetuum esse potest, ut Henricus ad regnum uocaretur, ac tanta haberet hominum studia, qui de ipso regno adipiscendo forsitan antehac ne quidem somniarat, & Ricardus subitò à suis desereretur, qui si quid peccatū erat, iuuenili potius errore, quàm animi sæuitia id fecerat: adeò semper mortales futura meliora putantes, præsentia minus probant. Dux ubi cognouit de aduentu Ricardi ad Flyntum, uel, ut atqueadeo dicam, fletum, quòd eo loci infelix princeps fleuit uberrimè, ac de summo demigrauit statu, magno confestim conflato exercitu, ne occasio temporis aduersarios opprimendi omittatur, se Londino commouet, siue, ut alijs placet, ex Eboracensi agro contendit, atque Bristollium proficiscitur, ibi Gulielmum Scruppum regis quæstorem, Ioannem Busheum, & Henricum Greneum subitò deprehensos securi percuti iubet: inde Cestriam uersus iter suum

suum confert, quem ubi Thomas Percius frater comitis Northumbriæ præfectus regiæ domus aduentare sensit, quia iam antea in Ricardum male animatus esset, quòd fratrem hostem iudicasset, in aula regia bacillum quod more maiorum gestabat (nam baculum domesticæ præfecturæ insigne est) præsente tota familia frangit, atq; rectà ad ducem transit. Quo facto, reliqui ferè omnes ministri alij aliò repentè dilabuntur. Accedit interim Henricus, ac nullo negotio Ricardum ab omni suorū comitatu nudum capit, captumq; Londinum ducit, atq; in turrim conijcit.

Dux cōsecto ex sentētia negotio, primū omniū principū conuentū agendū statuit, ut eo in cōuentu mox cætera expediantur. Interea Ricardum luctu afflictum, fractum, confectum, nonnulli ministri qui ad eum aditum habebant, erigunt, sustentant, consolantur, ac postremò hortantur, ut nunc suæ saluti uigilanter prospiciat, illudq; cum primis præstare, se cogitare aiunt, ut pro temporis conditione, non inuitus patiatur se omni dignitate pariter deijci, ac opibus ex aduersariorum uoluntate euerti, quò sine eius cæde, Henricus dux regnum obtineat, cùm iam diluxisset, patuisset, apparuisset illum aliud nihil affectare, ut per hunc modum, uitæ ad extremū prudenter consulat, seq; ad bonam spem, quę homini uiuo semper comes est, reseruet. Bellum mehercle pro necessitate consiliū, sed nullius momenti, ut rei postea exitus ostendit. Quàm illud sanè utilius fuisset, si, dum licuit, Ricardus qui se regē, hoc est, custodem populi profitebatur, cogitasset se in primis sui capitis custodē esse oportere, qui ab omnibus desertus, quos ipse ut malus custos antea deseruerat, facilè in potestatē inimicorū uenit. Atqui nō fuit difficile homini longè ærumnosissimo miserrimoq;, cui iam ferè omnia desperata erāt, persuadere, ut se imperio abdicaret: itaque nihil se facturum negat, atque per custodes quamprimùm colloquium petit, &, si fieri possit, cum duce ab alijs semoto uelle se quædam communicare significat, quæ ex eius usu quammaximè forent. Custodes ducem de re certiorem faciūt, qui confestim ad eum uenit. Hîc Ricardus multa conferre cœpit, sed ante omnia, se optimè scire nimis uera esse, quę de se ad patres delata essent, hoc est, male gubernasse regnum, quapropter auere se ea cura liberari: at eum pro salute demū orauit, atq; obsecrauit, ut sui misereretur, beneficia in eum ab se collata cōmemorando. Dux ad ea respondet, ut bono animo sit, saluumq; fore polliceri, si modò se abdicauerit imperio: exin cum patribus congressus, narrat quæ Ricardus dixisset: sed in rebus tantis agendis, ducis Eboracensis patrocinio potissimè utitur, qui per eos dies, audiens omnia turbari, Londinū uenerat. Placuit cūctis, ut Ricardus spōtè faceret, quod cupidissimè petebāt, ut ne per uim regno expoliatus uideretur. Itaq; nō multò pòst conuocato in turrim principum concilio, Ricardus regio ornatus uestitu, corona redimitus, ac sceptrū gerēs, sic fermè coràm uerba fecisse fertur: Ego Ricardus rex Angliæ, dux Aquitaniæ, ac dominus Hyberniæ, fateor patres me per istos duos & uiginti annos, quibus hactenus regnū obtinui, partim malorū consilijs deprauatū, partim iuuenili errore actum, uoluptatumq; illecebris à primo captū nō fecisse, ut debuerā, omnia è Republica, ex qua re meritò plus doloris, q; quisquā uestrûm, uti mea opinio fert, accipio, qui ad id deueni, ut misero mihi neq; ullus amplius misericordię locus relinquat, nec concedat delicta quæ adolescens cùm errare cū excusatione potui, cōmiserā,

Universidad de Deusto
Biblioteca

corrigere,in ætate præsertim hac maturiore,quæ haud dubiè cũcta in melius mutasset.Etenim quotusquisque inuenitur tanta uirtute iuuenis, & ita moratus, qui eius ætatis calore agitatus non peccet,& cùm grauior annis fuerit, non emendauerit tandem aliquando errata?Cæterum postquam id mihi nõ datur,ut ex meo casu regnum deinceps subleuetur, nullumq; amplius damnum faciat, & uobis simul per me liceat Henricum ducem consanguineum meum uirum imperio dignum regem facere,iam nunc ipse ultrò omni dignitate me abdico,regnique possessione ac iure cedo.His flebili uoce tristiq; uultu dictis,sceptrum atque coronam suis manibus Henrico tradidit, nominatim cunctos rogitans,ut sibi deinceps priuatam liceret uiuere uitam,cuius dulcedine ductus princeps,ne ad supplicium progredi necesse haberet,cũcta quæ habebat,dedit tanquam pignora iniuriq,qua tamen uita non multò pòst inimicorum perfidia priuatus est:nanq; regia exutus maiestate,paucis pòst diebus in eadem turri interijt. Sed,ut nonnullis placet,quibus libens consentio, non diu fuit in turri,ut procul hominum cœtu,sine minore parricidarum infamia atq; calumnia necaretur: siquidem,ut natura mortalium est, bona iam pars optimatum Ricardo in tãta mala præcipitato misericordiam impartiri, & Henrico duci ita repentè in altum sublato inuidere cœperat.Quare primò infelix princeps tot ærumnis coopertus,in Cantium ad Ledeseam arcem mittitur,deinde aliquanto pòst Pontifractum secretò ductus,ubi loci fame necatus fuisse dicitur,uti etiam nunc constans fama est,quæ testatur cibaria in singulos dies more regio adposita fuisse, quò sic facinus occultaretur, sed esurienti non licuisse,non modò degustare,uerumetiam ne attingere quidem. Quod certè crudelitatis genus dixerim haudquaquam in Henricum hominẽ temperatum cecidisse,cùm morte ipsa peius sit,in aqua perire siti.Hæc oportuit non omittere,ut uulgo etiam satisfieret,qui facilè aniles fabellas ad posteros sermone propagat.Vixit annos XXXIII,regnauit XXII, qui fuit annus salutis humanæ MCCCXCIX.Corpus mortui ad Langleium cœnobium monachorũ Prædicatorũ,quod à Londino distat passuum millia XX,defertur,ibiq; sepelit, quod postea iussu Hẽrici quinti regis exhumatũ,ad Vuestmonasteriũ maiorum sepulchro illatũ est.Fecit id, credo,Henricus fidei patris Ricardo datæ & pòst uiolatæ expiandæ causa.Fuerunt id temporis permulti uiri amplissimi,in quibus fuit ingeniũ & literatura,quorum facta mentio suprà perappositè facit,ut nõ sit,quod repetatur.In Ricardo autẽ fuit formæ gratia,animus non uilis,quem consociorum peruersitas,improbitas, insulsitas extinxit:fuit item summa infelicitas,qui in talem calamitatem incidit, ut in maximi beneficij partem acceperit,abdicare se imperio,pro quo,mortales soleant cætera omnia projcere.Hæc & eiusmodi in eos principes sæpissimè cadunt,qui dum stant,nullum sibi casum pertimescendum putant.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXI.

POSTQVAM fama in omnes partes peruasit,Ricardum se regio abdicasse imperio,omnis populus una uoce congratulari cœpit Henrico,gratia nominis eius. Ille autem ut ne ardor populi frigesceret,primo quoque tempore concilium habendum curauit,quo in concilio ad III Iduum Octobris,eodem anno, quo Ricardus mortem obiuerat,rex creatur,atq; à Thoma Cantuariensi antistite more maiorum consecratur,qui quartus Henricus est nuncupatus,at
01 qui interea ut ne ad id honoris per uim uenisse diceretur, erant qui suaderẽt, ut publicè declararetur,eum idcirco regni iure potitum,quòd illi uenisset hæreditas Edmundi comitis Lancastri,quem fama teneret filium fuisse Henrici tertij maiorem natu.Sed id commentum, de quo alibi memorauimus, quia paucis non item multis probatum est, ideo placuit aliter ius parti regni corroborare:itaq; in suggesto,à præcone facto statim silentio,denuntiari iussit, ideo se regnum obtinere, primùm quòd illud belli lege, ac uictoriæ iure acquisiuisset:deinde, quòd à Ricardo successor renuntiatus,& ab eo sceptrum & coronam accepisset: postremò, quòd ipse regia stirpe natus, & sanguine
20 proximus Ricardi hæres esset.Fuit utiq; hæres,qui in cuncta demortui bona inuasit,quanquam Rogerius comes Merchiæ filius Edmundi, quem suprà dixi posthac in Hybernia periisse,iisdem temporibus uiuebat,qui paterno nomine,ut in superiore libro illud planum fecimus,iure regnum obtinere debe ret. Sed, quemadmodum usu sæpe uenit,uis ius uicit,neque ille est ausus id temporis Henrici potentiæ se opponere.Henricus igitur rerum potitus, statim ut suæ domus amplificator,Henricum maiorem natu filium tredecim natum annos principem Vualliæ, ducem Cornubiæ,ac comitem Cestriæ facit: deinde ut maleficiorum uindex eẽdem ducis Gloucestrensis,ac cæteras iniurias ulciscendas ratus, parricidas qui ducem strangularant, comprehendi, ac supplicio affici iubet:item Ioannem Montacutum comitem Sarisberiensem,
30 nonnullósque alios, qui apud Ricardum autoritate ualuerant, in carcerem mittit,quibus tamen postea multorum principum precibus mitigatus ignouit.Amicos autem suos,Ricardum comitem Varuici,complurésque alios à Ricardo aut in exilium actos in patriam reuocat, aut carcere damnatos in libertatem asserit: recipit & in gratiam Ioannem Holandium fratrem Ricardi ducem Excestriæ præfectum Caleti, qui paulò antè uehementer permotus, quòd frater de possessione imperij uiolẽter deturbatus esset,in animo habebat, nouos motus in regem moliri,quamobrẽ citius hominem in amicitiam recipiendum existimauit.

At ubi quæ Ricardo accidissent in Gallias nũtiata sunt,Carolus rex ac prin
40 cipes omnes atrocitatem atque immanitatem facinoris horrentes, execrantes, detestantes tantam iniuriam principi,ut prædicabant,longè innocentissimo factam, sine mora uindicandam iudicant. Verùm cùm post hæc,magnum appararetur bellum,tanta animi indignatio Carolum inuasit,ut in solitam insaniam inciderit:nanque, ut suprà docuimus, iam manifestè nauigabat,uti dicitur,Anticyram,etsi interdum ad sanitatẽ reuocabatur adiutus remedijs,quę permulta & uaria adhibebanť.Quę res sola impedimẽto fuit,cur

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil à Franco extra minas tũc hostile tentatum sit contra Henricum regem. Sed cùm fama deiecti regali dignitate Ricardi per Aquitaniam peruasit, protinus cuncti in summo metu, atq; mœrore fuere, pars dolebat uicem Anglici populi, quòd in perpetuum eius gloria læsa esset, ob memoriam tanti editi in principem sceleris: alij sibi & libertati iuxtà timebant, suspicantes ob eiusmodi calamitosas Reipublicæ factiones, omne regni robur breui tempore ad nihilum casurum. Sed Burdegalenses in primis Henrico infesti, qui Ricardi memoriam summa cum beneuolentia tenebant, quòd ille in ea urbe natus esset, id facinus iniquissimo animo ferebãt, exclamãtes nunquam aliàs post homines natos, importunius, crudelius, magisq; nefariũ factũ flagitiũ, qui ita dolore pariter affecti atq; ira inflammati, passim uociferabantur bonum principem à perfidis hominibus proditum, ius omne uiolatũ, ac identidem Deum optimum maximum tantæ iniuriæ ultorem omnibus precibus inuocabant. Hunc Aquitanorũ dolorem ubi Franci odorati sunt, mirandum in modum gauisi, quòd Angli iam manifestò sic in eorum odium & offensionem incurrissent, ut facilè tota prouincia potiri se posse suspicarẽtur, si potentiæ neruos primo quoq; die contenderent. Itaq; Ludouicus dux Borbonensis Agennas uenit, & inde crebris nũtijs uicinas ciuitates ad defectionem solicitat, quibus multa prȩmia se daturum recipit: sed nihil profecit: nam populi certò scientes præiugo Francorum, longè leuissimum Anglorum esse, quòd aliàs experti essent illos grauissimis uectigalibus atq; exactionibus solere suos ciues, miseramq; plebem diuexare, premereq;, maluerunt in fide permanere, quàm ob eam indignationem cõmittere, ut se nouis periculis offerre cogerentur. Henricus rex interim de ea re certior factus, cõfestim Thomam Percium cum magna militum copia, in Aquitaniam misit, qui se cum Roberto Canolo regionis præfecto coniungeret, studeretq; populos in fide confirmare. Is ut eò peruenit, blandè principes appellando, multisq; uerbis hortando, ita populũ placauit, ut ne uestigium quidem ullum ab officio discesserit: ipse uerò secũdum hæc, domum protinus rediit.

Dum hæc alibi geruntur, non minuebatur furor ulciscendæ iniuriæ Ioanni Holandio duci Excestriæ, sed in dies singulos plura agitabat, quibus Henrico regi mortis periculum procrearet, qui primũ sibi copulat Ioannẽ Montacutum, Thomam Cantij ex fratre nepotem, & Hugonem Spenserium Gloceſtriæ comites, deinde plerosq; alios nobiles, ijs aperit cõsilium suum, quod eiusmodi erat, ut ludi statuto die Oxonij fierẽt, cum equestri certamine, & ad id spectaculũ rex Henricus inuitaretur, qui dum ad ludos intentus esset, subitò inter ludorum pompam obtruncaretur, ac ita Ricardus qui adhuc superstes erat, in libertatem & regnum restitueretur, & si post hæc, maioribus uiribus opus foret, tum confestim nuntios ad Carolum regem mitterent, rogatũ auxilium. Fuit cordi consilium omnibus, et data acceptaq; fide, coniurant, indictisq; ludis, arma quam secretissimè possunt, parant, dein regem rogant, ut spectatum hosce ludos uenire uelit, qui nihil fraudis suspicans, se iturum promittit. Itaq; coniurati quod destinarãt maturè agentes, suo tempore ludos apparant, dispositis armatis hominibus, qui regem incautũ, imprudentem confoderent. Rex erat ad Castrum Vindesorium, & iam ad iter faciendum paratus, equum adduci iusserat, cùm ecce tibi, per amicos, de dolo qui parabatur, factus

factus est certior, qui re cognita, grauiter turbatus, nusquã discedendũ, neq; eum diem ludis, sed uitæ seruandæ dandum iudicans, ibidem expectat, dum certum habeat, quid inimici moliãtur. Sunt, qui tradant illos ludos in eodem castro apparatos: sed cùm ea armatorum manus qua coniurati cincti erant, ne quaquam ad eũ locũ occultè fieri potuisset, malo alios sequi, qui haud dubiè magis uerisimilia scripsere. Coniurati interim ex mora aduentus principis, suspicantes illustratas esse insidias, quod clàm tentarant, aperto Marte sibi maturandum constituunt: itaq; iuuenem quendã Ricardo simílem, regio indutum uestitu, simulant Ricardum esse, prædicantes per custodes è carcere secretò dimissum, ac quadrato agmine, eum præcedentem sequuntur, ut Henri cum ueluti hostem patriæ perdant, ac ita structo dolo, cunctis referti copijs Vindesoram rectà contendunt. Henricus postquam id rescijt, de media nocte Londinum se recepit. Illi uerò sub lucem pagum ingressi, castrum inuadunt, quod uacuum reperientes, Londinum uersus pergunt: sed in itinere mutato consilio, Fanum Albani petunt, ubi dum morantur, siue timore affecti, siue cœptus pœnitentes, uel uiribus diffisi, id quod magis apparebat, uno puncto temporis alij aliò abeunt, qui non multò pòst ferè omnes trucidati, aut supplicio mactati sunt: nam comites Cantianus & Sarisberiensis ad Cicestriam, quò confugerant, commissa cum ciuibus pugna, post multam utrinque factam cædem, interfecti sunt, suis propè omnibus militibus amissis. Sunt tamen, qui scribant, illos post suorum stragem captos capite illic mulctatos fuisse. At Ioannes Holandius in Essexia comprehenditur, & ad uillam ducis Gloceſtrensis, securi percutitur, ut illius, opinor, ossibus pœnas daret, quandò dux eo etiã impulsore, neci datus est. Ita par pœna semper nocentem manet, qui alterum uiolarit. Vtinam eiusmodi exempla nõ pauci aliquando recordarentur, qui sua continua maleficia uiribus, autoritate, potentia metiuntur, quò tandem ab offendendo manus abstinerent. Eodem ferè tempore Hugo Spenserius Bristollij pœnas capite soluit, & alij alibi equites, ac tam summi & medij quàm infimi homines, eius cõiurationis socij supplicio affecti sunt. Capita principum coniurationis pilo suffixa Londini postea perdiu spectaculo fuerunt, quò sic pœna eorum testatior esset. Cæterum ita uenit tempus, cùm socij unà omnes malarum uoluptatum fructum caperent: nam cum sontibus, insons coniurationis crimine & misellus Ricardus in arce Pontifractensi eodem ferè momento morte afficitur', iussu Henrici regis, qui illo alto stratagemate, quo paulò antè inimici usi fuerãt, perculsus, uoluit se liberare metu, & materiam nocendi tollere, ut ne quisquam omnium amplius Ricardi persona se armaret in ipsum. Quapropter demortui corpus aperta facie ad Langleium cœnobiũ delatum, & ibi, ut suprà scripsimus, ad sepulturam datum est. Eius rei fama ubi in Gallias peruenit, Francorum cogitationes fregit, eorumq; animos à bello gerendo auertit, qui iam ingentem classem parauerant, ut primo quoq; tempore Ricardo adhuc uiuo opem ferendi causa, in Angliam transmitterent.

Isdem temporibus Ioannes dux Britanniæ è uita excesit, qui ex Ioanna altera uxore (nam ex Maria filia Edouardi regis priore uxore, nullos suscepe rat liberos) tres superstites reliquit filios, Ioannem, Ricardum, et Arthurum. Ioanna eius uxor postea, uti infrà demonstrabitur, Henrico regi nupsit. Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Edmundus dux Eboracensis, uir temperatus, modestus, innocens, mortem occubuit, qui reliquit duo uera sui tam corporis, quàm animi simulacra, Edouardum & Ricardum filios uiros illustres. Fuit is annus MCCCC humanæ salutis. Carolus rex eo ipso anno per literas & nuntios cum Henrico egit, ut ad se filia Isabella Ricardi uxor cum dote remitteretur. Respondit Henricus se propediem missurum legatos in Galliam, qui cum eo de rebus omnibus agitarent: ita haud multò post, Edouardum ducem Eboracensem, qui patri in eum principatum successerat, & Henricum comitem Northumbriæ Caletũ misit. Caroli quoque legatio, cuius Borbonensis dux princeps erat, Bononiam uenit. Conuenere legati frequenter simul modò in unum, modò in alterum locum. Borbonensis ante omnia repetebat Isabellam puellam, et id à Carolo eius patre se mandatum habere dicebat. Angli contrà eam puellam Henrico principi Vualliæ nuptum dari petebant, quod nequaquam fieri potuit, Carolo negante se deinceps uelle cum Anglo affinitatem iungere, cùm eiusmodi necessitudo male antea cecidisset. Exin cœptum est de pace agitari, quę cùm minimè conuenissent, induciæ cum Ricardo quadriennio antè in triginta annos factæ, confirmatæ sunt. Autores alij nouas inducias, & eas quidem paucorum dierum pactas produnt, quorum sententiam sequi me non pœnitet. His actis, legati domum abierunt, unde uenerant. Henricus pòst aliquantum Isabellam cum magno principum matronarumq; comitatu, non mediocribus donatam muneribus ad Carolum patrem remisit. Hanc puellam postea Carolus Ludouici Aurelianensis ducis filius in matrimonium duxit. Atque ita foris aliquid pacis futurum per inducias apparebat, cùm maiorem in modum cœperunt domi omnia seditionibus flagrare: siquidem erant plures, qui iniquo animo ferrent, Henricum præter omnium opinionem, ac bene multorum uoluntatem, consecutum esse regnum, & Ricardum quem uiuum impiè destituerant, iam mortuum more imperiti uulgi desiderarent. Vsque eò hæc animis indignatio inhærebat, ut mortales passim ex bile, & stomacho, uersiculos & id genus scripta cum maledictis in regem diuulgarent. Quibus probris ille lacessitus, autores requisiuit, & Rogerium Claryngtonum equitem, ac octo Franciscani ordinis monachos cum nonnullis alijs, per indicem compertos, ut culpæ reos supplicio affici iusserit. Item Thomas Percius comes Vigornensis eodem tempore dicitur destinasse tumultus, & multa, quibus regem opprimeret, quæ deinde perficere tentauit, ut infrà appositus explicabit locus. Causam odij quo Thomas teneretur in Henricum regem, quod sciam, non prodit quisquam autor, cui fides sit habenda: possumus coniectura augurari inuidiam fuisse, quam illi regnum nullo labore adeptum conflauerat.

Interea ut spes nulla requietis esset, Vuallia quæ semper ad nouos motus intenta erat, mutuis quorundam nobilium dissidijs exagitata, ad defectionẽ propémodum spectare uidebatur. Quod ubi rex cognouit, eò celeriter cum exercitu proficiscitur, qui uix aberat biduí, cùm Vualli perterriti sese raptim in syluas atq; paludes abdiderunt, copijs regijs posse se resistere, non dubitanter desperantes: nõ omnibus tamen fuga saluti fuit, quippe aliquot in ea capti merita pœna afficiuntur. Dum ista aguntur, Georgius Doumbar Merchiæ comes in Angliam uenit, is desponderat filiam nomine Elizabeth, Dauid Roberti

berti regis Scotię filio, dotemq; deposuerat apud patrem. Id factũ Archibaldus Douglassatium comes iniquo animo ferens, ita apud regem egit, ut Dauid repudiata sponsa sua, duxerit Mariolam eius filiam, non restituta pecunia dotis nomine deposita. Qua re Georgius indignatus, cũ tota familia ad Henricum Northumbriæ comitem confugit, iniuriã aliquando armis uindicaturus. Quo cognito, Robertus rex primùm comitẽ possessionibus priuat, deinde Henricum regem rogat, ut eum è regno suo exigat. Quod cùm minimè factum sit, ad arma uentũ est, & primũ omniũ Northumber cum Georgio Scotiam ingressus, post multã factam prædam, est acriter pugnatũ, Marte tamen æquo. Rursus paucis pòst diebus, eôdem ambo reuersi magna affecerunt clade aduersarios, belliq; uictores redierunt in Northumbriam. Sub idem tempus cometes immensæ magnitudinis apparuit per plures dies, qui haud dubiè cædem denuntiauit, quæ deinde facta est. Siquidem Thomas Vigorniensis comes, qui nouarũ rerum cupidus præsentem regni statum oderat, ubi uidit Henricum Vuallico bello implicatum, ea impulsus occasione, Henricũ ex fratre nepotem comitem Staffordiæ iuuenem admodum fortẽ cum quo iam antea de bello faciendo clandestina cõtulerat consilia, per crebros nuntios ad se cum exercitu accedere iubet. Henricus accepto nuntio, cum suis copijs Vigorniam ad patruum contendit, prædicans se ad regem ire, ut ne aduersarijs suspitionẽ afferat. Hîc ambo cum suis militibus consilia cõmunicant, hortantes eos ne ullum periculum cõmunis salutis causa recusent, néue labori parcant: nam palàm profitebantur se nulla alia ratione bellum facere, nisi ut Angliam in libertatem assererent, quę nõ à suo rege, sed à tyranno teneretur. His dictis omnes pollicentur se pro patrię libertate egregiè pugnaturos. Erant in exercitu Henrici Percij Scoti milites ualentissimi: ij nõ pro salute Angliæ, ad quos ea cura non pertinebat, sed aut pro ulciscendis antiquis iniurijs, aut pro laude, se primos in hostem ituros recipiũt. Rex interim certior factus à comitibus in se bellum parari, quamcitissimè potest, militem suum cogit, præsentemq; tumultũ Vuallico anteuertendum ratus, Salopiam reuertit, ueritus ne à tergo ab inimicis intercluderetur: uix eò peruenerat, cùm intellexit comites instructo agmine aduentare, qui tanta ferocia accedebãt ad dimicandũ, ut in propinquo castris positis, ausi sint incursare in hostes. Rex ubi propiorẽ spe dimicationem uidet, ut ne militum uirtuti mora damno sit, aciem instruit: instruuntur cõtrà & hostes animis & uiribus pares, datoq; utrinq; signo, initur magnis sublatis clamoribus prælium: primo cõgressu, regia prima acies quæ peditum erat, à Scotis qui initium pugnæ fecerunt, paululum loco cedere cogitur, sed confestim centurionũ opera & iussu, pro se quisq; rursus in eum locum unde erat egressus, reuertens non parum fortiter resistit. Interim Vualli qui post regis discessum, ex syluis ac paludibus egressi de nouo bello audierant, subinde uenientes ad comites, fessis integri ac recentes subibant. Quod ubi regi nuntius trepidus attulit, ipse quacunq; in parte suos premi ad laborem sentiebat, opem cum ualido uirorum robore qui eum sequebantur, diligentius ferre studebat, impigreq; hostem maiore ui petebat, & ita suos ubiq; tuebatur. Sequebat nauiter patris studium Henricus princeps Vualliæ, qui ardenti animo per confertissimam hostium turbam, impetum passim faciebat, & quamuis in facie ex ictu sagittæ uulnus accepisset, haud tamen prælio

Universidad de Deusto
Biblioteca

excedebat. Tres fermè horas pugnatum erat,& ubiq; atrociter,cùm Thomas Vigornienſis comes lancea transfixus cecidit,cuius interitu cognito,in fugã eodem temporis puncto hoſtes fuerũt. Iam nec mõtes,nec flumina obſtabãt pauori,per omnia arcta præruptaq; uicti euadunt:uictoria tamẽ nõ incruenta fuit,cædes enim utrinq; facta ſit magna neceſſe eſt,cùm diu anceps certamẽ ſteterit.HenricusPercius uiuus captus,ilicò ſecuri percutitur,reliquiq; captiui ſupplicio afficiuntur.Qua re nuntiata,Henricus Northumbrię comes ſibi timens,in Scotiam ad Georgiũ Merchiæ comitem amicum ſuum ſe cum omnibus fortunis ſuis cõtulit,expectaturus dum armis aut concordia rebus ſuis conſulere poſſet.Nam Georgius paulò antè in principatũ ſuũ reſtitutus fuerat.Rex uerò Henricus in hac pugna non minus boni militis,quàm imperatoris officium fecit:fertur enim ſex & triginta homines eo die præliando confodiſſe ferro,qua de cauſa,non immeritò poſt adeptam uictoriam,cùm tanti belli uictor more triumphãtis rediens Londinũ ingrederetur,populus ei magnos plauſus dedit,ac uoce maxima uictoriam gratulatus eſt.Incidit hæc comitum conſpiratio in eum annum,qui fuit humanæ ſalutis MCCCCI,& cùm Henricus regnare cœpit,III.

Princeps Henricus ſecundũ hanc uictoriã,in Vuallum exercitũ duxit,quẽ patris belli fortuna ſecunda perterritum,nullo ferè labore domuit,Ouino uiro natura ſeditioſo tumultuoſoq;,qui factionũ caput fuerat, exiliũ ultrò adire coacto,ubi uitæ exitum ſuis factis dignũ habuit: nam rerum omniũ egens miſerrimè mortem obijt.Hæc domi,at foris longè maior belli motus impendebat:equidem ubi Carolus rex Francus de defectione Vuallorũ cognouit, (nam,uti ſuprà docuimus,induciæ inter reges,in paucos dies cõuenerãt) ſtatim IacobumBorbonienſem comitẽ Marchiæ cum mille ducentis equitibus, ac magno peditũ numero,in Vualliam trajcere,ſeq; quamprimũ cum Vuallis contraHenricũ coniungere iubet.Comes ut erat iuſſus,ex Sequanæ oſtio ſoluens cum claſſe cui præerat,nauium triginta uento non aduerſo,in Cornubiam uenit:inde parum progreſſus, Plimuthum portum occupat, relictiſq; aliquot maioribus nauibus in anchoris contra portum,& noctu in terram egreſſus,uicos ſpoliat,incendit,complanat.Sed dum milites in agris prędant, orta ſubitò tempeſtate,duodecim naues ex illis,quæ ad cuſtodiam portus in anchoris ſtabãt,pereunt.Quo accepto detrimento,comes exercitus infirmitate laborans,colligit repentè milites,ac in Britanniam ſe refert,amiſsis bene multis ex ſuis, qui ab agricolis dum populabantur, interfecti fuere. Quare nuntiata, rex Henricus Thomam filium cum claſſe multarum nauium in altum mittit,qui ſi fuerit occaſio,manu,ſin minus,populatione iniuriã ulciſcatur. Ille poſtquàm aliquot portus ſecundum Normaniæ oram ſpoliauit, ac nõnullas onerarias naues,quas in mari caſu offenderat,cepit,pręda onuſtus, pari propèmodum celeritate atq; ierat,domum reuerſus eſt.Quo etiam tempore Valleranus comes diui Pauli pagum ad tria millia paſſuum à Caleto diſtantem,quem Marchum uocant,ſubito acceſſu diripuit: ſed cùm cognouiſſet Ricardum Aſcthonum præfectum Caleti, cum expedita militum manu aduentare,relicta præda,celeriter fugit. Cæterũ Franci poſthac ſeditionibus domeſticis maximè laborãtes,externo bello abſtinere coacti ſunt.Idem quoque facere compulſus eſt Henricus,ſuorum crebris cõiurationibus uexatus.

Quibus

Quibus de cauſis,reges in aliquot menſes inter ſe inducias pepigerunt.

Per idem temporis,rex adhuc cœlebs,Ioannã quæ nupta fuerat cum Ioanne Montifortenſi duce Britãniæ,in matrimoniũ ducit,& Blancham filiã Ioanni ducis Bauariæ filio locat.Dum ita Henricus res domeſticas curat, Gulielmus Pluntonus eques fortis & audax,Ricardi olim regis familiaris,cum nõnullis ex familia Thomæ Mombraij equitum magiſtri,quem ſuprà oſtendimus Venetijs in exilio mortuũ fuiſſe,populum primũ Eboracenſem & Dunelmenſem ad defectionẽ ſolicitat,deinde magnum cogit armatorũ numerũ, idq; callidius facit,quàm ut res poſtulabat, quòd eius animus ad ulciſcendũ maximè arderet. Coniungunt ſe cum eo & Northumbri,ac nouiſsimè Scoti: ſed iſti,ſicut infrà dicetur,in tempore non adfuerunt.Rex edoctus interea de coniuratorũ conſilio,præſentis periculi uitandi cauſa,arma cepit,ac nullo interpoſito ſpatio Eboracum contendit,tantaq; celeritate uſus eſt, ut prius eò peruenerit,quàm autores coniurationis de eius aduentu quicquam certi habuerint.Capitur Gulielmus Pluntonus ilicò,& cum eo aliquot factionis ſocij,inter quos fuit Ricardus Scruppus Eboracenſis archiepiſcopus, qui etſi plurimum nomine ſanctitatis & uirtutis pollebat,attamen præſtò fuere accuſatores,qui ſuſpiciones iniecerint, ad eum quoq; crimen pertinere, quòd ita uoluiſſet uindicare mortem Gulielmi fratris,quondam regis Ricardi quęſtoris,quem Henricus Briſtollij,ut ſuperiore libro demonſtraui, ſupplicio mactauerat.Exin Henricus concilio principumEboracum conuocato,de coniuratione quæſtionem habere inſtituit.Hîc de Pluntono una uoce omnes grauem ſententiam pronuntiant,quòd eius conſilij caput fuiſſet,de alijs uerò mitius iudicant:ſed de eo more maiorum ſumpto ſupplicio, cæteri quoque aut capite,aut ſuſpendio pœnas ſoluunt.Per hũc modum extincta cõiuratione, rex Henricum principem cum exercitu mittit,qui Scotum ſubſidio cõiuratis uenientem in itinere armis adoriatur,cui adiungit Edouardum ducem Eboracenſem.Princeps ubi in itinere hoſtium neminem offendit,quippe qui per exploratores cognorãt,coniuratione patefacta,de autoribus ſuppliciũ ſumptum eſſe,ac ob id finibus ſuis nõ exceſſerant,Scotiam ingreditur,ac quacũque pergit,ſata,uicosq; incendit.Quæ res tanto hoſtibus terrori fuit,ut confeſtim de pace legatos miſerint,quam princeps negauit,ſed datis tantummodo in paucos menſes induciis,cum pręda omnis generisLondinum redijt,ut patri pręſtò eſſet,qui ſatis habebat negotij in ſanandis uulneribus,quę quotidie per ſeditiones inferebantur.

At iſti rerum ſucceſſus non potuere male ſanas hominũ mentes ad ſanitatẽ reuocare.Quid,quòd tam grauí populus odio erat in principem ſuum,ut ad pręſens imperiũ euitandum,nullam omitteret nouandarũ rerum occaſionẽ: nanq; uoces quædam incerto,uel,uti nõ nemo tradit,uili quodã homine autore,in uulgus iactatę ſunt,Ricardũ regem uiuere,ac inter Scotos uerſari:quibus tantũ plebs fidei ſubitò habere cœpit,ut niſi citò ſuppreſſæ fuiſſent, inde haud dubiè ſeditio rurſus orta fuiſſet. Fuit ille annus ſalutis MCCCCVII, & cùm regnare cœpit Henricus, VIII,inſignis morte Roberti Canoli.Is magnæ uir nobilitatis domi,ſcientiæq; in bello, uirtutis & fidei, ætate iam exacta,ex Aquitania domũ paulò antè redierat,conſtituto Henrici iuſſu regionis pręfecto Thoma Belfordio, uiro pariter forti atq; prudente:corpus eius Londini

Universidad de Deusto
Biblioteca

in cœnobio Carmilitanorū terra humatur. Anno eodem in Ricardi Scruppi Eboracensis archiepiscopi locū Henricus Bouettus antistitum ordine nonus & quadragesimus surrogatur. Rex anno extremo nouis uel atq; adeò perpetuis uexatur suorum seditionibus, quippe quæ ubi ille uno in loco eas reuellisset, multò alibi uehementius renascebant: nam Henricus comes Northumbrorū qui post fratris & filij cædē, quos suprà Salopiensi prælio occisos scripsimus, se in Scotiam receperat, cōtractis multis hominū tam Anglorū quàm Scotorum millibus, auidus ulciscendi in principatū suum redijt, petiturus inimicos armis, ubicunq; forent. Erat comes longè potentissimus effectus noua Georgij comitis Merchię hominis Scoti necessitudine. Is enim iratus Roberto suo regi, quòd Dauid eius filius Elizabeth filiam sibi pactam ducere uxorē noluisset, dote non restituta, quæ apud regem deposita fuerat, cum Henrico se coniunxit, atq; ambo multis incōmodis Robertū regem & Dauid pugnando, incursandoq; affecerūt, quemadmodum suprà appositè dictum est. Northumber igitur suis & amicorū Scotorū opibus fretus, cœpit quocūq; excurrere: qui in agrum Eboracensem iam peruenerat, cùm Henricus rex de re certior factus obuiam profectus est cum exercitu, qui cōmissa protinus tumultuaria pugna, hostes in fugam cōiecit, & eos secutus, magnū numerū cęcīdit. Qua in fuga ipse comes ac nonnulli copiarum prefecti capiuntur, qui Eboracum perducti, capite mulctantur.

Post hęc, ineunte uere, cùm rex intelligeret mare passim à piratis prętertim Britannis latrocinijs infestum fieri, classem multarū nauium omnibus refertam quæ belli usui necessaria essent, misit in altum, duce Edmundo Holandij Thomæ comitis Cantij filio, siue fratre (de ea re scriptorū incuria ambigitur) quem suprà ostendimus ad Cestriam captum, securi percussum fuisse. Cantianus comes ubi se uento dedit, cùm per aliquot dies obeundo omnē Gallicam oram, nullos inuenisset piratas, ac per speculatores cōperisset, eos suo aduentu territos, in Britanniam se recepisse, eò pugnandi studio cursum flectit, & quia illi iam naues in portum subduxerant, cum quibus nauali prælio certare non poterat, expositis derepentè in terram militibus, Fanum Brioci urbem maritimam oppugnare aggreditur. Ciues contrà telis saxisq; ex improuiso se defendunt, impigrè cætera parantes, quibus possint obsidionem tolerare. In hoc primo congressu Edmundus comes ex ictu lapidis in capite uulnus accepit, eoq; interijt, quinto pòst die. Angli amisso duce, nihilo secius oppugnationē continuant: oppidumq; capiunt, diripiūt, incendunt, necata bona oppidanorum parte: quo facto, in Angliam abiere. Secuta est eo anno tanta frigoris uis, ut bona pars ouium intolerabili frigore perierit.

His temporibus mortuus est Philippus Burgundionū dux, cui Ioannes filius successit, homo acris ingenij, cupidus imperij, magni animi, magnę inter Francos autoritatis, cui ciuiles discordiæ in primis cordi erant: is itaq; in Ludouicum ducem Aurelianensiū fratrem Caroli sexti regis odium conceperat, q̄ ille regnū gubernaret, quòd cunctis rebus arbitratu ferè suo moderaretur: nam Carolus, ut suprà diximus, iampridem mentis errore affectus, publicis cōsilijs nō multū intererat, res nō gerebat. Aurelianēsis etiam suis laborabat uitijs, uir uehemēs, qui pár odiū in Burgūdionē habebat, quòd eum uideret summa ope niti primas in Republica tenere, hoc est, partes. Vsq; eò simultas breui

breui tēpore creuit, ut omnis Gallia in duas factiones diuisa sit: alij enim principes regni Aurelianensis, alij Burgundionis rebus studebāt, id quod magnū Galliæ inusit multorū annorū malum. Dum ita duces mutuis inter se odijs flagrant, à Carolo Lutetiā euocantur, ab eoq; uterq; acriter castigantur. Sed tantū abfuit, ut ea castigatione mouerentē, ut paucis pòst diebus Burgundio Rodulpho Auctouillę familiari negotiū dederit Aurelianensis interficiendi. Ille quod mandatū erat, faciendi cupidus, sese satellitū caterua stipat, ac Ludouicum ducem ex regia de nocte domū redeuntem interficit. Accepit Carolus ob fratris cædem magnū dolorē, sed ne peius inde malum renasceretur, iniuriam & molestiam deuorare, rem dissimulare coactus est, ueritus, ut Burgundio cuius naturæ immanitatē rectè nouerat, adiungeret se ad Anglū, si ob id facinus in eū aliquid grauius statueret. Quare nō multò pòst regis atq; principum opera, Burgundio ac Carolus dux Aurelianensis ipsius Ludouici nuper interempti filius, reconciliantur in gratiā, quanq̄ fucosam, dato acceptoq; iureiurando, ut nunq̄ posthac inimicitias inter se gererent exercerentq;. Sed apud animos diris exagitatos furijs iurisiurandi religio nullū habuit momentum: nimirū Aurelianensis renouato haud multò pòst uehemētius odio Burgundioni bellum fecit, quo cùm ille premeretur, ad Henricū regem protinus legatos misit, rogatū auxilium. Rex ratus inimicorū discordias sibi quandoq; cōmodum allaturas, libēter auxiliū pollicetur, qui magnam armatorū manū duce Thoma Harundellio comite, quam primū in Flandriā ad Burgundionē mittit. His Burgundio auctus copijs, Lutetiā diurno, nocturnoq; itinere non intermisso, cōtendit, ac postridie quàm eò peruenit, pontem diui Clodoaldi qui in Sequana est, per uim capit, interfectis omnibus militibus, quos Aurelianensis ponti quē antea occuparat, præsidio reliquisset. At quę secuta est nocte, Aurelianensis facto è regione diui Dionysij ponte, se in tutum fuga recepit. Tum Burgundio iam solus rerum potiebatur, Carolū regem suo arbitratu regebat, quare ratus se in tanto rerū motu, omnis iam difficultatis nodum expediuisse, cùm uideret rem suā incipere melius ire, quàm putarat, Anglos auxiliares donatos multis muneribus domū dimisit, id quod Henricus eius leuitati assignauit, quòd prius auxiliū ablegauerit, quàm motus belli refrixisset, quàm denicq; perspexisset, quo loco res sua esset. Interea dum hæc alibi geruntur, Henricus rex Londini suorū principum conuentū agit, in quo postq̄ quę è Repub. erant tractata sunt, tres eius filij quos ex priore uxore post Henricum principem susceperat, Thomas Clarentiæ, Ioannes Bethfordiæ, Humfredus Gloceſtriæ duces fiunt, ac Edouardus patruelis eius in locum patris Edmundi ducis Eboracensis substituitur, item Thomas Bedfordius comes Dorcestrię creatur. Sed in quibusdā annalibus reperio eos duces factos fuisse Henrico quinto huius Henrici filio rege, in cōcilio, quod anno primo, cùm regnare cœpit, Lecestriæ habitum est, quod mihi minimè probatur.

Per idem temporis Carolus Aurelianensiū dux animaduertens Burgundionē dimisisse Anglos, quos antea omnibus pollicitationibus accersiuerat, eos sibi copulandos statuit, atq; Albertū uirū summæ industriæ ad Henricū ablegat, qui oret, ut secū conciliata amicitia, sibi opē ferat, aduersus cōmunes inimicos. Audiuit Henricus Albertū grato animo, auxiliūq; ferre nō negauit, quippe qui iratus erat Burgundioni, quē fecisse nō bellè putabat, quòd pau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lò antè auxiliares copias neglexisset, & ducebat futurũ, ut eiusmodi Francorum discordia non multò pòst regno Angliæ, quemadmodum usu uenit, bono esset: itaq; Thomam filium Clarentiæ ducem, & cum eo Edouardum Eboracensem cum octingentis equitibus, ac sagittariorũ nouem millibus, quam primùm in Franciam mittit Aurelianensi auxilium. His auditis, Carolus Delphinus omnes cõtrouersias suorum prius transigendas, quàm Angli se cum Aurelianensi & Biturigensi, qui eiusdẽ factionis erat, ducibus coniungerent, tanto studio curauit, ut fama de reconciliatione principum, quanquã consecuta non est, passim uulgata sit. Quod Angli qui iam Ligerim traiecerant, audientes, cum Aurelianensis promissum stipendium non daret, ira conciti Bellolocum, quem primum locum attigerant, diripiunt, unà cum cœnobio. Dux Clarentiæ deinde reuocato à præda milite, in Vascones proficiscitur, & instructo agmine procedit, ut ne imparatus in itinere offendatur: quacunq; incedebat, prædę omnia dabat, ita ut multa passim facta cæde, magnum tum pecorũ, tum auri & argenti numerũ secum abduxerit. Ea in præsens præda miles contentus, facilius expectauit, dum stipendium ab Aurelianensi numeraretur: nam à principio eius frater dux Engolismensium obses datus, pro centum & nouẽ millium aureorũ summa in milites soluenda, in Angliam missus fuerat, ubi eatenus fuit, quoad promissa pecunia curata est. Dux aũt Clarentiæ postquam in Vasconia ad nutũ Aurelianensis, amplius tribus mensibus fuit, & ille ad spem cõcordię erectus, nihil esse putauit quod auxilio uteretur, in Angliã incolumi exercitu reuertit. Post hæc, Henricus rex memor nihil homini debere esse antiquius, quàm ad officiũ iustitiæ quæ ad hominũ utilitatẽ pertinet, omne suũ studiũ cõferre, protinus omisso ciuili bello, quo pudebat uidere Christianos omni tẽpore turpiter occupari, de Republica Anglica bene gubernãda, de bello in hostes cõmunes suscipiendo, de Hierosolymis tandem aliquando recipiendis plura destinabat, classemq; iam parabat, cùm ei talia agenti atq; meditanti casus mortem attulit: subito enim morbo tentatus, nulla medicina subleuari potuit. Mortuus est apud Vuestmonasterium, annum agens XLVI. qui fuit annus salutis humanæ MCCCCXIII. Regnauit annos XIIII, plusq; menses VI. ac dies duos. Corpus funerali pompa Cantuariã delatũ, in templo Christi sepelitur. Filios ex Maria priore uxore, altera filia comitis Herefordię & Essexiæ quatuor sustulit, Henricum principem Vuallię, Thomam Clarentiæ, Ioannẽ Bedfordiæ, & Humfredum Gloecestriæ duces. filias uerò duas, Blancham, quæ fuit locata filio ducis Bauariæ, & Philippam deinde in matrimonium datam regi Daciæ. Ex Ioanna posteriore uxore nullos, quod sciam, genuit liberos. Homo statura honesta, & iusta, membris gracilibus, ac animo magno fuit. Post bella ciuilia, & uarias suorum coniurationes extinctas, longè humanissimè cunctos accepit. Sub Henrici mortem, Iacobus Steuartus Roberti regis Scoti unicus filius, nam Dauid maior natu alter filius iam antea mortem obiuerat, ab Anglica classe capitur. Is duodecim natus annos, à patre in Gallias missus, ut apud principes Frãcos, mores & linguam gentis addisceret, fortè in naues Anglicas dum eò proficisceretur incidit. Henricus regium adolescentem non modò non neglexit, sed magnopere curauit, ut ille se in bellicis ac ciuilibus rebus exerceret. At Robertus pater uir teneriore animo cœpit ob eum casum repentè frangi, quòd filium iam pro

pro perdito haberet, atq; ita cadere, ut nulla res eum ad æquitatem animi potuerit extollere, sed breui pòst è uita migrauit. Tum Scoti principes reipublicæ rege orbæ præfecerũt Robertum ipsius Roberti regis demortui fratrem, qui id imperium amplius decem postea obtinuit annos.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXII.

PRINCEPS Henricus facto patris funere, concilium principum ad Vuestmonasterium cõuocandum curat, in quo dum de rege creando, more maiorum agitabatur, ecce tibi, continuò aliquot principes ultrò in eius uerba iurare cœperunt. Quod beneuolentiæ officium nulli antea priusquam rex renuntiatus esset, præstitum constat: adeò Henricus ab ineunte ætate, spem omnibus optimæ indolis fecit. Creatur itaq; rex ad quintum Iduum Aprilis, eo anno, quo pater è uita excesserat, & quintus Henricus dictus est. Hic uir, hic fuit, qui à primo docuit honores, ut est in prouerbio, debere mutare mores: quippe qui statim ut est rex factus, statuens alio atq; habebat, uitæ instituto sibi utendum, omnes suos æquales quibus cum pueritiam, quę lasciuiæ & insolentiæ ut plurimum est plena, egerat, ab se relegauit, illisq; regia interdixit, ac loco illorum fortissimos grauissimos quosq; uiros in familiaritatem recepit, in quibus iudicarat & in capiendo consilio, prudentiam summam inesse, & in dando fidem, ut eorum consilio, monitis, prudentia iuuaretur. Is profectò unus fermè omnium princeps iam inde ab initio cognouit regem oportere cæteris præstare hominibus, animo, consilio, grauitate, uigilantia, cura, fide, & propterea obtinere regnum, non tam honorem, quàm onus, nõ tam alienæ quàm suæ ipsius uitæ rationem esse, quandò sui ingenij facultatibus minimè confisus, uoluit habere circa se uiros, qui pariter subleuarent in ferendo imperij onere, atq; optima quæq; monerent, quò suis singulare uirtutis exemplum aliquod edendũ curaret. Enimuero uidere licet uitiosum principem plus exemplo, quàm peccato nocere, cùm semper permulti existant principis imitatores. Ex quo non tantum, uti Cicero ait, mali est peccare principem, quanquam est magnum hoc per seipsum malum, quàm quòd alios corrumpit, & facit, ut sua mutata uita mutentur populi mores. Equidem qui præest, idcirco honore amplificatur, ut regat, prouideat, corrigat populi mores, & alijs studeat rebus, quæ ei gloriam, & ijs cõmodum afferre possint, nec delectetur uoluptatibus, quę de sordida etiam plebe hominibus communes sunt. Ea si quis agere noluerit, uel nesciuerit, is herclenon princeps, sed seruus est potius habendus. Ecquid enim turpius est, ut qui imperare debeat, ille per ignauiam & insciti am uelut pupillus non octo, decémue, sed uiginti, triginta, ac eo amplius annos natus alijs parêre cogatur, & non regat, sed regatur? Talis fuit Ricardus secundus rex, ut ad res Anglicas redeamus, à principio non pessimæ indolis adolescens, quippe cuius non usquequaq; tanta fuerat pectoris angustia, aut ingenij infirmitas, seu egestas animi, quin nõ potuerit bonum cõsilium capere, recipere, retinere, sed eum postremò perditissimi consiliarij corruperunt. talis & Edouardus secundus, ac uterq; eundem longè infeliciss imũ exitum habuit. quorum fortasse periculo Henricus doctus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

suos æquales malarũ uoluptatũ autores, satellites & ministros sibi uitandos non immeritò putauit, ac summos uiros adiungẽdos curauit per quos bene imperare disceret. Iacto igitur tali prudentiæ fundamẽto, cùm multa egregia facinora facere animo destinaret, ac sciret omnia nostra diuinitus gubernari, humanasq; uires præ cœlesti potentia, multò infirmissimas esse, statuit à pietate atq; iustitia imperiũ inire: itaq; primùm omnium duo cœnobia prope uillam regiam, cui hodie Richemondia nomẽ est, & septem millia passuũ à Londino abest, miro operis apparatu ædificare cœpit, magnisq; tum possessionibus, tum irrogatis priuilegijs locupletauit, honestauitq; : alterum aũt sacratũ uoluit nomini Iesu, appellauitq; Bethleem, idq; Carthusianis monachis postea incolendũ dedit. Est hoc cœnobiũ in læua Thamesis ripa è regione alterius, quod in altera fluminis ripa sitũ, dedicatũq; est pariter Iesu, atq; deiparæ uirgini, ac diuæ Brigidæ, quod eius diuæ ordinis uiris & fœminis commune est, uocatq; Sion. Indidit pius princeps huiusmodi cœnobijs Bethleẽ & Sion nomina, ut per hæc, memoria terræ sanctæ, unde salus nostra profecta est, in regno suo perpetuaret. Secundũ hæc, uiros probos ac iuris apprimè peritos iudices legit, amplissimos magistratus illis cum primis mandauit, quorũ uirtutes iampridem cognitas habuisset. Postremò Vuallos & Scotos à quibus continenter seditiones, tumultus, bella impendêre nouerat, in officio, & fide, ac amicitia continere diligentissimè studuit, ut quietis domi rebus, posset deinceps externis maturius seruire bellis, incumbere in Reipublicæ commoda, se dare ad regni gloriam comparandam, augendam, conseruandam.

Ita rebus militię gerendis otio domi parto, rex in concilio, quod primũ ab eo habitũ est, cũ suis principibus, de bello in Francos suscipiendo deliberat, cuius ut ne iura uiolentur, primùm omniũ de repetundis agendũ cuncti iudicant. Itaq; legati ad Carolum regem mittuntur, qui regnũ Francię Edouardo tertio ac posteris regibus Anglis debitũ repetant. Accepit uenientes legatos Carolus perbenignè, sed ad mãdata ab eis exposita nullo dato responso, promisit primo quoq; die legatos ad Henricum se missurũ, qui eius postulatis coràm responderent. His auditis, discessere legati: quos Franci oratores secuti, eodem propè tempore atq; illi in Angliam peruenerũt. Eos paulò mox quæ pro re uellent loquentes, cùm post multa acriter dicta, iam cõuitia facere inciperent, Henricus leniter & placidè interpellauit, aiens: Summa rei sit, meis uerbis regi hæc dicite uestro, Anglos intra pauculos dies in Franciam uenturos, nõ legationibus, sed armis ius suum repetituros recuperaturosq;. Illis in Franciam abeuntibus, Henricus confestim bellum ex concilij sententia decernit, iuuenili ardore accensus, ad fines regni longius propagandos, qui potissimum ex eo spem bonam concipiebat, quòd compertum habetur, uictoriã semper fore in ea parte, quæ iure pugnet, utpote cum qua iustitia & ueritas facit. Eo item in concilio, de statu regni quasi nouo collocando prouisum est, & illud quoq; lege cautum, cùm enim per idem tempus multi præsertim monachi homines Galli in Anglia sacerdotia haberent, cœnobijsq; præessent, & continenter in patriam suos iuuandi causa, magnam pecuniam mitterent, ad Reipublicæ commodum sancitum est, ut posthac eiusmodi externis hominibus nullius Anglicani sacerdotij possessio traderetur, nisi de regis uoluntate, id quod aliàs rege Ricardo secundo, cõcilij decreto cautũ tradunt, cùm satis constet

constet Ricardum constituisse, ne illi qui in Anglia nati non essent, sacerdotiorum fructus absentes caperent, ad idq; lege prouidisse.

Henricus decreta ad bellum dein pecunia, ac dimisso principũ conuentu, omnia quæ ad bellum opus erant, studio parare cœpit, quem simul interim multò maior cura tenebat, unà cum cæteris Christianis principibus, sedandę discordiæ cõmunis, cuius causa concilium omniũ gentium consensu, ad Constantiam præclaram Germaniæ urbem indictũ erat. Huic igitur rei haud bellum Gallicum præuertendum iudicat, qui paululum negotio supersedens, legatos sine mora Constantiam mittit, qui cõmunem Reipublicæ causam diligenter agant. In hoc cõuentu Ioannes uigesimus tertius pontifex Romanus ob crimina obiecta de quibus se purgare nequiuit, priuatur. Nec multò pòst Gregorius duodecimus per Carolum Malatestam, in cuius fide erat, se pontificatu abdicauit. Benedictus tertiusdecimus cùm pertinaciter se uerum Christi uicarium prædicaret, ac nullis amicorum persuasionibus de sententia sua deduci posset, adeò honores sitiebat, imò adeò insaniebat, inuitus priuatur, electusq; est deinde post annum tertium, quàm id cõcilium haberi cœperat, omnium cõsensu, pontifex Otho Columnensis homo Romanus, qui se Martinum nominauit. In eodem concilio damnata est Ioannis Vuytcliffi hæresis, ac Ioannes Hus, & Hieronymus Pragensis eius discipulus, duo id temporis uiri qui eius sectæ capita erãt, in ea urbe combusti sunt. Quod ubi reliquis conscijs, qui etiam tunc in Anglia erant, patefit, tanquam furijs agitati, primùm coniurationes in omnes sacerdotes, deinde in regem, quòd pius esset cultor religionis, faciunt, protinusq; conuentus passim celebrantes, suam superstitionem armis defendendam statuunt: itaq; Ioanne Oldecastellio uiro forti, cæterum impio, cuius rei causa, paulò antè ab exercitu regio relegatus fuerat, & Rogerio Actono ducibus, ac bene magna desperatorum hominum comitante caterua, Londinum concurrunt, ut eo potiti, maiorem inde sui similium manum cogant, atq; regem opprimant. Qua re nuntiata, rex omnibus consilijs anteuertendum existimat, ut prius in armis sit, quàm ea hominum colluuio in urbem irruat, qui celeriter obuiam factus, expectat loco ido neo ad pugnandum, dum illud agmen accedat. Verùm perditi homines ubi de regis aduentu cognouerunt, ut iamiam uicti alij aliò turpiter se in pedes dant, quorum aliquot in fuga deprehensi, igne ilicò necantur. Capiuntur non multò pòst ambo ductores, in carcerem q; conijciuntur: sed Ioannes ex turri Londinẽsi noctu aufugit, Rogerius uerò merito afficitur supplicio. Ob id tamen non fugiebat principem se nequaquam funditus tanti ueneni radices de hominum longè opiniosissimorum pectoribus euellisse, quare publicè edixit, ut si uspiam deinceps reperirentur, qui eam sequerentur sectam, patriæ hostes haberentur, quò sine omni lenitate, seuerius ac o cyus de illis supplicium sumeretur: ita animum & cogitationem posuerat in ea delenda. Est hæc parua pro nominis Christiani conseruatione, gesta domi à principio res, quæ sine dubio potuit monstrare uictoriam, quæ postea in Gallijs parta est. Fuit is annus salutis humanæ MCCCCXV, & cùm Henricus regnare cœpit, II, quo Thomas Harundellius Cantuariensis antistes annum iam tunc sedens tertium & trigesimum, è uita excesit: in cuius locum succesit Henricus Chicheleius Meneuensis episcopus, ordine Cantuariensium ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

chiepiscoporum sexagesimus.

Secundum hæc, classe nauium iam parata, copijsq; collectis, cùm Henricus audiret duces suos tot amissos menses rei gerendæ queri, ac illis nihil procrastinatione odiosius esse, indulgendum animorũ ardori ratus, uere iam ineunte, ad Suthantonensem portum profectus est. Dum hîc militibus in naues imponendis operã dat, à fideli indice cognoscit Ricardum comitem Cantabrigiæ, fratrem Edouardi ducis Eboracensis, Henricum Scruppum, & Thomã Graium equitẽ facta coniuratione, necem sibi machinari, quos ita patefactos cõprehendi statim iussit, dolens quòd tales in tale crimen uocarentur, ac ipse amittere cogeretur eos cum primis, quorũ uirtute se hostibus terribiliorem fore confidebat. Ii quæstioni admoti, tam de coniuratione fatentur, quàm nõ inficiantur, accepta à Franco grandi pecunia, statuisse se regem, uel uiuum in hostium potestatem tradere, uel prius interficere, quàm Normaniã attingeret. Henricus ubi satis explorata sunt, quæ uoluit, principes in unum conuocat, fontesq; in conspectum suum adduci iubet, quos ita affatur: Si me ad cædem designastis, qui sum patriæ caput, dubio procul & de omnium etiam interitu uos cogitetis, & patriam funditus perditũ ire nitamini, necesse est. Cæterum si aliqua uos priuata mouit iniuria, id profectò non erat faciendum in castris, quæ sine duce stare non possunt, nec causa cõmuni placendi hosti. Scelus igitur scelus edidistis importunissimum, cuius si quis in nostro exercitu sit conscius, ut uestro supplicio à facinore perficiendo deterreatur, hinc iam ad meritam pœnam subeundam facessite. Postquam illi in militũ conspectu, securi percussi sunt, rex ad heroës conuersus, inquit: Videte summam hominum audaciam, me persequuntur, qui omnia mea studia ad utilitatem Reipublicæ dies noctesq; me stimulando confero, qui eius rei causa, nullis parco laboribus, qui denicq; de omnibus iuxtà bene mereri studeo, & ad id natũ me esse duco. Vtinam in uobis non sit quisquam, cuius in me increpare tantam perfidiam queam, ut malit me perditũ, quàm patriam incolumen, ac auctam imperio cernere. Ego tamen de uobis nihil tale suspicor, sed omnia æqui bonique facio. Si mihi per uos licuerit primũ esse tuto, deinde patriã iuuare, & maiorum decus aduersus Gallos ulcisci, id omnis periculi immemor ultrò faciã: sin nolueritis, illud uobis modis omnibus aliquando fraudi erit, ita uolente Deo. Talia dicenti cunctorum ordinũ duces ad pedes protinus iacuere, pollicentes futurũ, ut semper eius dicto audientes essent, nec paterentur suum imperatorem inimicorum insidijs circumueniri: atq; ita confirmatis omniũ animis, coniuratio est subitò extincta. Quòd si Henricus adiecisset igni iam ardenti oculum, uidisset nempe horribilem ex eo facem ad parietes suæ domus accensam, & fortasse in ipso extinxisset uestigio: nimirum credere licet Ricardum comitem cõmunicato consilio cum Henrico & Thoma socijs, non utiq; parasse regem interficere, ut hosti morẽ gereret, sed ut ipse regnũ obtineret, ac patefacta coniuratione, maluisse postremò fateri se à Gallis, stimulante rei familiaris inopia, corruptum esse pecunia, quàm regnum affectasse, quò sua iam desperata salute, liberis suis per eum modum prospiceret, in quos facilè Hẽricus cognito patris cõsilio, durior fuisset. Porrò habebat in matrimonio Ricardus comes Annã filiam Rogerij comitis Marchiæ, quę reliqua una erat ex sanguine Leonelli ducis Clarentiæ, sicut in uita Ricardi suprà est demonstratum,

stratum, cui regni hereditas ueniebat. Istius rei Ricardus eius uir optimè gnarus non herclè iniuria regnum ipsum obtinere nixus esse fertur, quod postea Ricardus eius filius dux Eboracensis nõ occultè, sed palàm repetebat. Nunc ad rem redeo.

Exin Henricus circiter Idus sextiles, flante secundo uento, signũ dedit proficiscendi, in Normaniamq; cursum teneri iubet, quò ubi peruenit expositis sine ullo incommodo in terram militibus, Harfleum oppidum maritimũ inter duos monticulos ad Sequanam positum, armis oppugnare aggreditur. Franci interea cùm fama esset Anglum copias in Normaniam traducere, diligenter duce Bussicaudo equitum magistro, non uno duntaxat in loco, sed passim præsidia disposuerant, oræ maritimę tuendæ causa, qui ubi cognouere Harfleum repentino hostium aduentu obsideri, confestim ad Caudebecũ, quæ arx est non longè ab oppido, opem suis laturi ueniunt, atq; loca omnia circunsistunt, quò si Angli pabulatũ frumentatúmue egrediantur, ut illos facturos confidebant, facto quaquauersum impetu, uexent, impediant, intercipiant: sed opinione decepti, quòd hostis commeatum in plures dies secum portarat, dum procul insidias faciunt, atq; suis subsidio ire non audent, Anglus nullo dato oppidanis temporis interuallo, obsidionẽ acriter continuat. Humfredus enim Glocestrensis dux cui oppugnandi oppidi negotiũ datum erat, actis ad muros cuniculis, admotisq; passim machinis, pugnã continuam cum oppidanis faciebat. Rex interea in cliuo monticuli qui oppido propior est, positis castris, simul & Gallos aditu prohibebat, ut ne suis præsidiũ ferrẽt, & oppidanis spem omnẽ futuri auxilij penitus adimebat. Quod oppidani qui tam pertinaci hostium obsidione premebantur, animaduertentes, desperato omni adiumento à rege paucorũ dierũ inducias petierunt, ut si priusquã illæ exissent, sibi non esset succursum, dedito oppido, cum triginta principibus obsidibus, captiuorũ nomine, omnes reliqui inermes liberi abire permitterentur. Concessit rex oppidanis quod postularant, ut ne illic tẽpus quo iamiam excludebatur, in maioribus attẽtus rebus, tereret. Illi igitur finitis inducijs, cùm à suis nullum uiderẽt mitti subsidium, oppidum post septimum & trigesimũ diem, quàm obsideri cœperat, dediderunt, cum captiuis, qui postea se redimerent: præda omnis militi concessa est. Henricus ob eam rem bene gestam auctus lętitia & uoluptate, longius progrediendum existimat, sed impeditus hyeme, quæ maturius solito iam aduentabat, conuocato concilio, de itinere faciendo consultat. Varijs dictis sententijs, una omnium melior uisa est, ut Caletum iretur, & ne profectio fugæ similis uideretur, terrestri itinere per medios hostes eundum decernitur, quod eò periculosius iudicabatur, quia militũ numerus ualde erat diminutus, multis passim ex morbo pereuntibus, qui id temporis per eam regionem peruaserat, quod etiam in causa fuit, quamobrem de reuersione sit citius deliberatũ. Itaq; rex postquam Thomam Dorcestriæ comitem capto oppido reliquit præsidio, iter facere instructo agmine incipiens Pontiuum cõtendit, eo consilio, ut prius Sommam copias traducat, quàm interrumpantur.

Franci interea cognito hostis cõsilio, omnes pontes atq; fluminis uada antecapiunt, item quaquauersum Anglum transiturum conijciunt, agrum pabulo, frumento, cæterisq; cibarijs spoliant, ut eum omni pariter itinere inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cludant, ac inopia rerum omnium premant. Anglus eiusmodi incommodis uno temporis puncto affectus, nihil terretur, sed iter incœptũ facere pergens ad Sommã uenit, ibi certior factus pontes ab hoste esse interruptos, sine mora, equites leuis armaturæ mittit exploratũ, quid hostium, quid insidiarum, quid periculi ad dexterã, quid ad sinistram sit, item ubi loci uadum fluminis ad trajciendum tutum. Equites celeriter officio functi, omnia plena hostium renuntiant. Quibus rebus cognitis, rex non secus ac instituerat, lentè incedebat, atq; sui negotij bene gerẽs dextra læuaq; circunstantib. hostibus ita aciẽ instructã ducebat, ut speciẽ terroris inspicientibus præ se ferre uideret. Quo factũ est, ut nulla imposita dimicãdi necessitate, usq; Corbias peruenerit. Hîc nocturno agrestiũ aduentu, & matutino militũ qui oppido relicti erant præsidio, retardatur: sed ea res perbono ei loco fuit, nam præsidio cæso, fugatoq; intra mœnia cum agrestium turba postridie illius diei inuento inter Corbias & Peronã uado, ante id tempus nunquam, ut fama est, cognito, flumen transmittit, atq; properans Caletũ rectà pergit, ut qui propter paucitatẽ suorum, nisi aliter ratio posceret, minimè pugnandum decreuerat: erant enim Anglici equites ad duo millia, sagittarij ad decem & tria millia. Afficiebantur Angli inter itionem sexcentis incõmodis, cùm neq; ipsi cibos in tot dies necessarios parassent, neq; in itinere facilè inuenire possent, frumento ab hostibus antè compresso: abstinebat tamen Henricus sui militis manus in tanta rerum penuria à sacrilegijs, quippe qui eiusmodi edictum exercitui iampridem propo suerat: Ne miles unquam sacras ædes spoliato, néue uiolato, quod si feceris, debito supplicio scelus luito. Ex quo cùm accepisset militẽ quendam rapuisse de templo uasculum, in quo eucharistia asseruabatur, fertur iussisse agmen consistere, ac non prius illinc abire permisisse, quàm restituto uasculo, miles persoluisset capite pœnas. Hinc fiebat, ut cùm eius rei fama per agros peruasisset, uicinorum locorum coloni contrà ac uetitum esset, cibaria agmini suppeditarent.

Franci uehementer indignati quòd hostis sine certamine elaberetur, per nuntios inuitant Henricum ad pugnam, armis & uerbis lacessendo. Respondet ad ea Anglus: Mihi curæ est, ne quid fiat secus, quàm Deus uelit, quamq; oporteat: nam ego Francos armis prior non aggrediar, at ab eis prouocatus, certamen non denegabo: interea Caletum pergam. Si quis autem me in itinere prohibere tentarit, id ille nõ sine suo faciet malo: quare ne quisquam unus illud temerè conetur, maximè aueo, ut hæc humus ne Christiano sanguine infeliciter madeat. His dictis, nuntios nullos non donatos ab se dimittit. Principes Franci accepto rẽsponso, quod magis timidi quàm cauti imperatoris esse iudicabãt, castra apud Blangiũ oppidum metantes, hostem ultrà progredi prohibent, parati omnino ad manum conserendã, qui ita aciem instruunt. In prima fronte tria millia equitũ collocant, secundã aciem firmant Carolus Aurelianensis, Ludouicus Borbonensis, Edouardus Barri duces, ac Niuernensis comes, cùm peditũ tum equitũ multitudine innumerabili stipati. Post hos ad subsidium ferendum turba militum infinita inordinatè tertiam tenet aciem. Henricus cùm uideret dimicationem propiorem esse, quàm crediderat, neque se tutò discessurum arbitraretur, ex propinquis castris, ubi pridie illius diei consederat, in aciem exercitum educit in proximam planitiem, quæ ampla

ampla patet circa Blangium oppidum: & ne militũ uirtuti locus pugnæ dam no sit, prope uiculum, quem Dagincurtum dicunt, locum eligit, cui ponè imminebat colliculus undique arboribus syluestribus atque densissimis uestitus uepribus, qui instar muri, munitionem efficiebat, ne hostis à tergo inuaderet. Hîc aciem instruit, sagittarios in dextro cornu quod contra hostes erat, collocat, quibus Edouardum Eboracensem ducem præficit, in sinistro & circa latera equites disponit: Ipse uerò cum robore militum in mediam aciem se confert: Verùm cùm hostis numero militum equitumq; præstaret, ueritus ne non pariter in fronte atq; latere suorum pugnaretur, ad arcendam equitum uim & impetum, ut ne peditatus in quo omne exercitus eius robur consistebat, ordinem turbarent, néue frangerent, septa ad utrunq; latus fecit ex palis senis uel paulò plus pedibus oblongis utrinque ferratis ac præacutis, quò si equi in eos incurrerent, subitò transfoderentur, deditq; negotiũ certis gregarijs militibus, qui ut casus & res posceret, ipsos palos refigerent, rursusq; eo loci figerent, quo pedites se commouerent pugnando. His igitur palorum septis siue uallo, acies peditum se continebat, equitatus uerò omnis ab lateribus, extra palos stabat. Istum quidem modum muniendi aciem Angli etiam nunc seruant, inuentis ad hæc alijs machinis, præcipuè pilis ferreis, quæ acutis undique munitæ clauis per terram sparguntur quibus equites procul à suo peditatu arceant: nam si temerè equi in ipsas machinas incurrerint, aut in uestigio confodientur palis, uel læsis pedibus, cadere cogentur. Rex instructa ad hunc modum acie, impedimenta in unum coniecta locum, in castris etsi leui præsidio munitis relinqui iussit: post hæc, apud milites concionem habuit, hortatusq; est, ut bonam animo spem conciperent, quandoquidem illud sibi persuadere deberent, se ad id loci qui quàm paucitati militum idoneus ad pugnandum, tam multitudini inutilis esset, peruenisse, duce Deo, qui fœdifragis non fauet, qui eos qui alieno manum afferunt, non iuuat, quorum nempe criminum maculis rectè scirent Francos suos hostes cum primis notatissimos esse: quare à primo admonuit, ut nihil timerent, quòd hostes longè plures numero essent, quoniam etiam scire deberent in magna militum multitudine, necesse esse maiorem partem rei bellicæ multò imperitissimam esse, quæ bonis strenuisq; militibus semper præliando impedimentum afferre soleret. Et quamuis omnes æquè militaris artis scientes forent, non eò tamen pertimescendum, cùm pro patria dimicandum esset, pro qua nihil non parato animo ferendum esse. Item quamuis uitæ iactura fieret, glorioſum tamen fore ducerent: equidem si uincerent, illud suis uirtutibus certum haberent apud cunctos mortales assignatum iri, sin uerò à tanta hostium multitudine uincerentur, nihil demum ignominiæ se subituros iudicarẽt, quòd pauci à multis superati essent: ac postremò certò scirent uictoriã in manu esse si primo congressu pugnam magno animo committerent, quod omnino eos ita facere oportere illud moneret, quod non ignorarent sibi cum Franco rem esse, quem antea sæpissimè uicissent, quem ad prælium ineundum tam promptissimum, quàm ad longioris prælij onus ferendum infirmissimum iampridem nouissent. Loquente adhuc rege, militum ardor tantus eminere cœpit, ut ingenti clamore signum pugnæ flagitarent. Idem duces Clarentiæ, Eboracẽsis atq; Gloucestrensis maturè faciendum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentiebant, affirmantes moram hosti duntaxat commodo esse, confluentibus ad illum undiq; nouis militibus. Regi tamen aliquid moræ facere placuit, ut ne quid inconsideratè ageret, ut qui probè sciret, in prælio superari, turpissimum, superare pulcherrimum esse.

At Francis interea paucitatem hostium negligentibus pro nihiloq; putantibus, tantum fiduciæ ac spiritus accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed uicisse iam sibi uiderentur, qui passim efferebantur, maximo gaudio gloriabantur, iactabāt se Anglum inclusum habere, nulloq; negotio uictum iam in manu sua esse, duces ordinū iam spolia diuidere, captiuos sortiri, ac currū parare, quo rex captiuus in triumpho duceretur, simul milites hortari, concla mare, Ad prædam, ad gloriam properate, ut iam de præmijs uestris, de referenda gratia cogitemus. Eò euasit lætitiæ libido, ut passim nuntios ad ciuitates mitterent, qui iuberent, ut publicè sibi gaudentes de uictoria, perinde quasi incerta non esset, gratularentur, Deoq; gratias agerent, nequaquam suspicantes fieri posse, ut uenti, sicut aiunt, sua gaudia ferrent. Hinc colligere licet, tam dementiæ esse de exitu rerum futurarum quicquam certi iudicare, quàm prudentiæ, non iudicare. Quid, quòd & ad Henricum nuntium miserunt, quæsitum quanti uellet, se redimere: quem ferunt respondisse, se sperare intra duas trèsue horas ita usu uenturum, ut potius Francis quàm Anglis de redemptione faciendа curæ esset.

Inter hæc autem, copijs ab utraq; parte instructis, ad VIII calend. Nouembris, qui fuit dies pugnæ, circiter meridiem, ueniunt tandem ad manus: signo enim eodem temporis puncto utrinq; dato, concurritur acriter, uarieq; confligitur: sanè sagittarij Anglí ita Francos equites peditesq; unà obuiā factos primò impetu urgent, ut aliquandiu multis affecti uulneribus nō facilè queant pedem conferre, qui passim cadentes nō mediocrem suis terrorem, hostibus animū præbebant. Cæterum ubi comínus pugnari cœptū est, bona pars sagittariorū Anglorum proiectis actutum more suo arcubus, sumptisq; quæ semper ad manus habent, telis & gladijs, magno impetu in uenientē hostem fertur. Franci contrà ubiq; urgent, instant, laborant: nam equites dum alij cū peditatu Anglico dimicant, in dextro cornu, obiectis scutis, à latere hostem inuadere summa ope nitūtur, sed nō sine cæde, tum à reliquis sagittarijs, tum ab equitibus qui prope palos astabant, repelluntur. Itaq; certamen ubiq; sæuum, & anceps erat, in suo pro se quisq; gradu obnixus, urgens scutis & gladijs sine respiratione, alius pro uictoria, alius pro salute pugnabat. Postquam tris propè horas utrinq; fortiter est dimicatū, rex circunductis paululū equitum alis, à tergo ipse pedestrē aciem adoritur: clamor nouus inde ortus Francorū animos ita terruit, ut pedem referre extemplò cœperint. At rex ubi turbata signa ac fluctuantem aciem uidit, tum milites parum hortatus tanto impetu insecutus est, ut Frāci in fugā subitò cōiecti alij aliò fugerēt, proiectisq; armis, pro salute tantum orantes manus darent. Interea equites Franci duce Roberto Borimuillensi, qui primi terga uerterant, cùm accepissent impedimenta Anglorum procul ab armatis, sine præsidio magno esse, partim faciendæ prædę, partim accepti incommodi aliquo pulchro facinore sarciendi studio concitati, impetum in castra uacua defensoribus faciunt, impedimentaq; omnia rapiunt, captis aut interfectis qui præsidio relicti fuerant. Quod ubi

ubi regi nuntius trepidus attulit, ac clamor puerorum aliorumq; auditus est, qui aduentante hoste, in pedes se dederant, ac diripi passim ferriq; fortunas militum uociferabantur, ueritus ne non hostes dissipati ex cursu in unum coacti pugnam redintegrarent, ac sibi simul cum captiuis, & hostibus nouum certamen esset, necessariò contra animi lenitatem, iussit ipsos captiuos, quorum ingens numerus erat, protinus interfici, atque milites se iterum ad præliandum expedire. Illi autem imperata facientes, postquam bonam partem captiuorum occiderant, omnis repentè laboris per diem penè totum tolerati, uulnerumq; obliti, perinde ac si integri recentesq; essent, uno impetu contendunt, in aciemq; redeunt, seq; in hostem quanta maxima possunt ui, concitant. Sed cùm ille præda iam potitus longius abesset, quàm ut eum consequi possent, sua sponte à persequendo destiterunt. Atque hæc est nobilis ad Dagincurtum pugna, & inter primas memorata populi Anglici uictoria. Decem millia Francorum in acie cæsa sunt, captiuorum numerus penè par, si in castris ab hoste trucidati non fuissent: multi postea utrinque ex uulneribus interiere. Ab Anglis cecidere uix centum, si credimus illis qui miracula scribunt, cum Edouardo duce Eboracensi. Autores alij quingentos, alij sexcentos Anglos in eo prelio desideratos tradunt, quorum non pœnitet me sententiæ esse: cùm enim amplius tribus horis sit strenuè dimicatum, dubio procul Anglos qui inter arma uersabantur, sua quoque accepisse uulnera, par est credere. At regi tantæ potito uictoriæ nihil prius fuit, quàm ut ibidem flexis genibus, multis oraret precibus, Deoq; immortales ageret gratias, cui deinceps ea dies, quæ diuis Crispino & Crispiniano sacra est, solennis perpetuò mansit. Secundum hæc, paulò ante noctem redijt in castra, quæ ab hoste spoliata, ut ostendimus, inuenit, sed eius spolijs mediocriter repleuit, ubi ea nocte à laboribus fessum refecit militem, postero die ad locum pugnæ reuersus, omnes pariter suos atq; alienos in eo prælio desideratos sepultura affecit, corpus uerò Eboracensium ducis in Angliam reportandum curauit, ut eius maiorum sepulchro inferretur. Hoc facto, cum Aurelianensi & Borbonienſi ducibus, ac alijs de nobilitate captiuis, primùm Caletum, deinde in Angliam redijt, qui urbem Londinum ritu triumphantis imperatoris, uictore cum exercitu iniuit, cùm interim per totum regnum supplicationes multorum dierum ad omnia templa Dei diuorumq; decretæ sunt, ut dum uictoriam eius diei cuncti congratulabantur, regem in cœlum laudibus ferentes, in primis Deo gratiæ agerentur. Fuit ille annus humanæ salutis MCCCCXVI, & cùm ipse Henricus regnare cœperat, III.

Carolus rex Francus ob acceptam plagam, magna animi perturbatione commotus, summa ope studet Ioannem Burgundiæ ducem diu antè ab se alienatum sibi reconciliare, timens ne accidat, ut dum domi ciuili discordia laboratur, foris ab externo hoste grauius aliquid accipiatur. Item Ioannem Arminiacum comitem, qui summum in re militari usum habebat, magistrū equitum in locum captiui apud Anglum Busicaudi surrogat, sperans futurum, ut is esset, qui res Francorum inclinatas armis subleuaret. Thomas inter hæc comes Dorcestriæ præfectus Harflei certior factus de uicto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ria adepta, cum tribus millibus armatorum in finitimos agros egressus, usq; Rothomagum excursiones facit: is inde dum præda onustus redit, Arminiacum comitem forti militum robore refertum obuiam habet, commissoq; leui prælio, fugatur, qui plus trecentos ex suis perdidit. Sed Franci non contenti uictoria, sequendo propius oppidum, quàm ut conduceret, progressi, cum præsidio quod obuiam suis uolarat, manus conseruerũt, ac leui pugna repente edita, non sine cæde pedem referre coacti sunt.

Dum ista alibi fiunt, Sigismundus Romanus Imperator, uir magnæ uirtutis ac fidei, qui aliàs apud reges de pace concilianda, cùm longè gentium abesset, per literas frequenter egerat, cum Caroli regis legatis in Angliam uenit, quem Henricus pro ueteri amicitia, quæ ei cum illo erat, amicè & benuolè accepit. Is studiosus pacis omnino rem utriq; regi utilem tandem aliquando conficiendam curare cœpit: sed Francorum fatalis obstabat casus, qui postea accidit, quo adhuc maiora detrimenta acciperent. Enimuero dum concordia in foribus penè erat, ecce tibi, noua maioris discordiæ ac inimicitiarum causa incidit. Porrò Henricus certior factus de cæde suorum in Rothomagensi agro ab hoste facta, ita irasci cœpit, ut ne quidem de nomine pacis tum audire uoluerit. Quocirca Imperator negotio parum supersedit, ac statim post iram regis, quę citò deferbuerat, nihilominus rem aggreditur, quam & perfecisset, si Franci nouum bellum nõ parassent: quippe ille duce Arminiaco, ex re prosperè paulò antè gesta, animo aucti, Harfleum sibi omnino recipiendum statuunt, qui pòst paulùm diuerso itinere, quàm possunt occultissimè cum omnibus copijs, quas eo momento coëgerant, opidum oppugnatum eunt. Idem Ioannes uicecomes Narbonensis, qui classi pręerat, facit, omne uicinum litus pari celeritate occupat, circunsidet. Sed dolus non processit, quòd antequam ad oppidum peruenirent, animaduersum est ab speculatoribus ex arce, hostium cohortes accedere. Qua re cognita, Thomas præfectus suos intra muros recipit, nuntios crebros, ac literas ad regem mittit petitum auxilium. Franci uerò quamuis uiderent nullam amplius oppidi de improuiso occupandi facultatem dari, nihilo tamen secius tam terrestribus quàm maritimis copijs ad oppugnationem aggrediuntur, quibus Angli pro tempore fortiter resistunt. Interea Henricus accepto nuntio, cognoscit suos in magno periculo uersari, remq; diligentiam requirere, quare nulla facta mora, classem parat, suisq; subsidio ire maturat. Retardauit eum tamen Sigismundus Imperator, dehortatus magnopere ipsum proficisci, sed suasit, ut ducem aliquem mitteret, qui eam impendentem procellam propelleret, quando quidem non præstaret, & tunc nihil esset quòd princeps, in quo totius Reipublicæ summa consisteret, omnibus se obiectaret periculis. Ita rex monitis amici cohibitus, Ioannem fratrem ducem Bedfordiensem cum multarum nauium classe, quamprimum in Normaniam mittit, qui secundo usus uento, celeri cursu ad Sequanæ ostium peruenit. Hunc cum uicecomes Narbonensis cognouisset appropinquare, se subitò ex omnibus partibus, dato signo, in hostes concitat, faucésque portus occupat. Ioannes cùm classem hostilem egressam uidisset, naues aliquot fortiores in eam præmisit, quæ primo impetu duas Francas naues incautius progressas, cum remigibus defensoribusq; suis

suis ceperunt. Adfuit statim pòst ipse studio incitatus cum reliqua classe, qui certamen fortiter redintegrauit. Est summè aliquantum utrinq; pugnatum, cùm Angli ad extremum bonam hostilium nauium partem aut submerserũt, aut ceperunt, reliquas uerò turpiter fugere coëgerunt. Tum Ioannes per flumen ad oppidum delatus, sine ullo impedimẽto descendit pariter in terram, ac suos uno tempore & cõmeatu & nouo militum supplemento iuuat. Armiacus interea certior factus per literas & nuntios, malè à suis ad Sequanæ ostium, nauali prælio esse pugnatum, relicta obsidione, in Parisios se contulit, ut qui in nulla spe erat oppidum per uim expugnandi.

Post hanc acceptam cladem, res Francorum multò infirmiores extiterunt, q̃ principum studium diuersum esset, utpote qui ueterum inimicitiarum stimulis incitati, iam Reip. munia grauatè obirent, & per simultates adeò labefactari inciperent uiribus, ut libertatẽ in discrimen adduxerint. Et quanquam Aurelianensis dux alterum factionis caput in Anglia captiuus erat, tanto tamen simultatũ furore Carolus Delphinus, & Burgundiæ dux agitabantur, ut dum alter alterum armis, fraudibus, insidijs opprimere conabatur, & reliqui principes eisdem factionibus & studijs trahebantur, nemo quisquã illorum esset, qui propulsandum cõmune periculum quod impendebat ab Anglo, magnopere curaret. Ita in hoc statu multa erant mala, alienatio mẽtis Caroli regis, belli periculum, principum discordia & improbitas, sexcenta præterea alia, quę rem totam ærumnosam reddebant. Sed ad propositum redeo. Bedfordiensis dux re prosperè gesta, continuò in Angliam redijt. At Sigismundus Imperator animaduertẽs nihil esse, quòd se in istam pacificationem in præsentia interponeret, quòd Franci proxima Harflei obsidione, uehementer offendissent Anglorum animos, quibus etiam ipse ob id ipsum iratus erat, omisso diu antea inchoato pacis negotio, fœdus cum Henrico fecit, quod quidem tantum abfuit ut deinceps uiolauerit, ut etiam pro se quisq; eorum seruare, & colere maiorem in modum studuerit, id quod cõmodo utriq; fuit. Imperator post hæc, multis ac uarijs donatus muneribus in Germaniã transmisit. Incidit hæc regum societas in annum quartum cùm regnare cœpit Henricus, & salutis humanæ MCCCCXVII.

Eodem anno rex principum conuentũ facit, apud eos cõcionatur, recentes Francorum iniurias in se cõmemorat, occasionẽ gerendi belli ostendit, discordias Francorũ principum replicat, multa proponit, quamobrẽ bellum in eos deintegro sumendum, ac totis uiribus in illud enixè incumbendum iudicet. Item orat, ut pecuniã imperandam, ac militũ delectum primo quoq; tempore habendum decernant, quò inimicorũ iniurias persequi tandem liceat. Hæc dixit, & ad eius nutum cuncta à patribus decreta sunt. Sed pecunia in primis imperatur, quò sumptus in copias suo tempore fiant: nempe nullus erat, cui id bellum non maximè cordi esset, uidereturq; tam utile, quàm opportunũ. Deinde ex senatusconsulto, Ioannes Bedfordiensis dux regni præfectus renuntiatur, caputq; regij senatus, qui eatenus id imperij obtineret, quoad rex belli gerẽdi causa, in terra Gallia esset: quo facto, rex ipse circiter VI cal. Augusti, cum mille & amplius nauiũ classe soluit, in Normaniamq; peruenit, expositisq; in terram militibus, cum suis ducibus de rebus agendis consilia con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fert. Normani cognito hostis aduentu, ingenti perculsi pauore, mœstitiáque simul affecti, ex agris cum liberis, fortunisque suis, in oppida concurrunt, ipsáque oppida muniunt, frumenta ac cætera usui humano necessaria apportant, tela, arma parant, quibus hosti resistant, ad Carolum regem legationes mittunt, ut suos ciues ab hostium iniurijs defendat. Franci milites qui locis præsidio relicti erant, unà cum agrestium turba, in oppida se recipiunt, ut oppidanis intus auxilio sint, qui foris hostium uiribus resistere posse se desperabant. Hæc per omnem Normaniam fiebant, adeò uniuersi magno erant timore, cùm Henricus postquam rei gerendæ consilium cepit, ad Tucham arcem opere & natura munitam castra posuit, eamq; oppugnare aggressus, etsi ab ijs qui intus erant fortiter defensam, cepit: dein Cadomum petendum constituit, ratus id quod officium poscebat, Francos laborantibus suis nequaquam defuturos, ibiq; prælium fore, quod in primis cupiebat: quare cum expedito exercitu eò ire contendit, agros latè populatur, prædam facit.

Cadomum est oppidum in plano campo positum, fossis, altisq; muris munitum, ut alibi ostendimus, & id temporis nullius rei egens, quòd oppidani ante aduentum hostium, commeatu & armis illud refersissent. Igitur rex ubi ad oppidum peruenit, mœnia à suis castris munitione secludit, ut ne de oppido eruptionem inclusi facere possint, ac dispositis passim centurionibus, cum suis militibus, tela in hostium munitiones adigi iubet. Nihil ea res Cadomenses terruit, qui infensi intentiq; sine tumultu manebant: ita prælium undique incipitur. Angli pro ingenio quisque pars eminus sagittis, lapidibus, alijsq; tormentis pugnabant, alij succedere ac murum modò effodere, modò scalis aggredi conabantur, & solùm cupiebant pugnam manibus facere. Contrà Cadomenses in proximos saxa uoluebant, sudes, pila, præterea picem, sulphur & tædas ardentes mittebant. Est ad hunc modum per aliquot dies continuatum certamen, bene magno numero Anglorum interfecto, quòd plus detrimenti acciperent ab illis, qui in munitionibus dimicabant, quàm inferrent. Quod Henricus animaduertens, militem à pugna reuocat, & solùm muro persodiendo deijciendoq; studendum putat: itaque actis ad oppidum repentè cuniculis, adhibitisq; in diuersis locis machinis, statim magna ui mœnia aggreditur, & ne opus inceptum ab oppidanis impediatur, iterum milites admotis scalis, alios in murum ascendere, summaq; capere, alios urgere telis iubet. In hos oppidani animosè se defendendo, lapides, ignem, aliaq; id genus tormenta torquent. Dum ita pugnatur, Angli ipsos muros uarijs in locis perfrangunt, iamq; ab illis qui in cuniculis fundamenta effodiebant, passim foueæ factæ erant, per quas miles in oppidum penetrare poterat, cùm rex misertus oppidanorum, quos sibi seruandos, si in fidem uenirent, non perdendos statuerat, ac simul ueritus ne si per uim oppidum expugnaret, cogeretur illud diripiendum dare militibus, per præconem eos admonuit, esse adhuc apud se clementiæ locum, si confestim deditionem facerent, quod illi spe subsidij confisi pertinaciter se facturos negarunt. Tum Anglus rursus mœnia aggreditur, per foueásque introire nititur. Hîc momento unius horæ est conflictatum, cùm

cùm Angli irrumpere conarentur, & Cadomenses loca omnia defenderent fortissimè, sed tandem Angli uirtute uicerũt. Rex oppido potitus, cunctos arma in unum locum inferre imperauit: quod ubi sine recusatione fecerũt, passisq; palmis proiecti ad terram flentes pro salute orarunt, consolatus surgere iussit: hoc facto ad principem ædem more suo accessit, ibiq; aliquandiu orauit, gratias Deo pro re felicissimè gesta agens. Ea nocte nõ se quieti dedit, sed exercitũ perinde in armis esse uoluit, ac si à periculo uacuus non esset, ne quò miles licentia nocturni temporis ad prædam laberetur, uel oppidani clàm discederent. At prima luce, recensione habita senatus, partim morte pro uesana pertinacia, partim bonis mulctauit, deinde militem etiam atq; etiã collaudatum omni præda de hoste capta donauit, quod in ea oppugnatione eius excellentissimã uirtutem fuisse, optimeq; eum de se meritum iudicabat. Sanè uidetur Henricus eo potissimũ prælio uoluisse tam suam ipsius, quàm suorum bellicæ artis doctrinam ostendere, quo Franci intelligerent sibi cum eo hoste rem esse, qui multùm uirtute polleret, aut ep fortasse nõ erat ignarus, in bello gerendo studendum esse fame, ac prout prima cedunt, fore ut plurimum uniuersa. Arx adhuc stabat in fide Francorũ firma atq; egregiè munita, cuius præfectus ut fidem magis seruasse uideretur, palàm iactabat se prius excidium expectaturũ, quàm hosti traderet: quod Anglus minimè faciendum constituit, ut ne pulchrum opus & oppido custodiendo necessariũ dirueret, quod pòst reficere oportuisset. Itaq; rex præfecto ac reliquis militibus qui intus erãt, incolumitatem pollicitus, diem præscribit, quo arcem dedant. Quo audito, ac desperato iam subsidio, deditionem fecerũt. Ac ita Henricus Cadomum cum arce, ad extremum cepit, qui eius uictoriæ bonam antea spem animo concepisse dicitur, eò quòd orando, eum ferunt uidisse crucẽ inter suas copias emicantem. Ita usu uenit, ut bene precantibus ac iustum bellum facientibus, præsens numen esse soleat.

Dum hæc ab Anglo ita fiebant, Franci neq; iustum exercitum paratum habebant, neq; ipsi parati erant ad eundum suis subsidio, domesticis hostibus laborantes, qui ne emergerent, noua extitit causa, cur seditiones maximè renouatæ sint: cùm enim rex Carolus pro suo iure res gerere nesciret, accidit, ut nil esset eo egẽtius, nil regno spoliatius, quòd pro se quisq; bona publica dissipabat, solus Carolus Delphinus patriæ mala deflebat, solus in Remp. incumbebat, solus hostibus resistendum curabat, sed inopia affectus solicitudine mordebatur, qui ad extremum de consilio Armeniaci equitũ magistri, pecunias quas Isabella mater cõgesserat, ex diuersis locis sustulit, subleuandæq; patriæ causa, eas in parandum exercitum insumere cœpit. Ea re mulier immemor periculi instantis, memor iniuriæ offensa, filium cum Armeniaco pro hoste habet, ambos persequendos iudicat, Ioannem Burgundiæ ducem in summa apud Carolum uirum gratia ponit, eiq; imperium rerum omnium dat, defert, confirmat. Burgundio quem penes iam omnis erat potestas, facultate data ulciscendi iniurias, se in Delphinũ armat, quo eo debilitato, publicis hostibus pro uiribus parte resisteret. Mouit par ratio & Delphinũ, qui domesticũ tumultum bello externo præuertendũ ratus, in Burgundionẽ factionis caput arma uertit, eumq; quouis modo perditum ire contendit. Hinc igitur magna regni labes facta est, quæ nihil propius factum fuit, quàm ut illud funditus deleret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ardebat itaq; Gallia bello,& nemo ferè erat, qui in tanto mœrore curam belli susciperet, sustinerétue.

Inter hæc Thomas Clarentię dux cum expedita militum manu,secundum oram Normaniæ maritimam profectus, Bello casiorum, hoc est, Baiocensium, ut hodie nuncupantur, urbem de Franco capit. Item Humfredus Gloceſtrensis dux eius frater Lexouiorum oppidum armis adortus,nullo ferè negotio occupat. Rex interim Cadomi causa firmandi præsidio loci morabatur, cùm ibi singulare edidit pietatis exemplum: reperit enim in arce magnas ciuium fortunas,quarum in numero erant pecuniæ in templis diu depositæ, ac sacra uasa,ea omnia tantùm abfuit ut ipse tetigerit, ut etiam in templa subitò referenda, ciuibusq; restituenda curauerit, ut ne præter institutum suum, sacrilegio rapináue contaminaretur. His actis conuocato suorum ducum consilio, summa rerum agitabatur, cùm rumore interim quaquauersum de eius lenitate clementiaq; perlato omnes propémodum uicinarum ciuitatum principes Cadomum conuenerunt, seq; eius fidei commiserunt. Quare placuit omnibus publico edicto denuntiari populis, eos fore cum fortunis ab omni periculo uacuos,qui sua sponte in Anglorum ditionē rediissent, uenissentq;. Quæ mehercule res efficiebat,uti bene multi quotidie populi à Franco ad Henricum deficerent. Rex post hæc,Argentonium oppugnatum Cadomo proficiscitur,quod aduenies capit. Venit deinde in eius fidem Alençonium, Constantia, Falesia, Fanum Landi, nonnullaq; alia oppida multò munitissima,adeò ferè omnes miserrima Cadomi memoria solicitos similem casum timentes habebat,ut mallent Anglo se dedere,quàm fortunæ fortasse cum suo magno malo periculum facere, cùm præsertim nullum Caroli exercitum proxime se uiderent, nec audirent uenturum sibi subsidio. Henricus autem tot uno tempore receptis oppidis, solùm sibi laborandum esse ducebat,ut Rothomagum urbem totius Normaniæ caput in potestatem redigeret, quò ex cuncta regione, Normani omnem pecuniam, charissimasq; res comportarant, quodq; inito bello, operibus maximis munierant: quare instructis copijs, castra mouet, atque Larcham, quod oppidum ad Sequanam situm à Rothomago circiter millia passuū octo abest,ire contendit. Quod ubi Franci qui ad præsidium loci erant,animaduertunt, pontem qui eo ipso loco in Sequana est, ante hostis aduentum,ualido præsidio firmant,simulq; ad alteram fluminis ripam milites disponunt,qui prohibeāt,ne ille flumen pontibus aut cratibus uel scaphis transeat. Postquam Henricus ad oppidum peruenit, pontem confestim oppugnare aggressus, cùm uideret eum à Francis acrius defendi,quàm ut facilè capi posset,statim regressus millia passuum ferè tria, secundum ripam, ad aquam fecit castra, atque inde paratis ratibus, lintribusq;, partem exercitus noctu in alteram ripam transduxit, nullo ex hostibus se opponente: nam qui ad alteram ripam erant, arbitrantes Anglum aliò uersum iter uertisse, non sunt secuti, quòd satis negotij haberent in tuendo oppido: quo facto ad oppugnationem de media nocte reuersus oppidum utrinque obsidione cinxit. Quod ubi oppidani senserunt, desperato subsidio,deditionem faciunt. Rex potitus oppidi,iam cùm tutum patêret iter, Rothomagum proficiscitur. Quod postquam præsidium quod intus erat, cognouit, omni propémodum equitatu celeriter educto, acieq; equestri

equestri instructa,obuiam exiuit, factoq; cum antecedentibus equitibus agminis Anglici leui prælio, cùm iam premeretur, necesse habuit eò se repentè recipere,unde uenerat. Tum rex quamproximè mœnia accedens,urbem obsidet. Fuit ille annus salutis MCCCCXIX, & cùm regnare cœpit Henricus, VI. Angli opus incœptum facientes, duabus ex partibus uineas,aggerē, cuniculos ad urbem agere instituunt,quibus perfectis,quotidie cum inclusis pugnabant, sed parum proficiebant, quòd Rothomagensibus nulla res ad uirtutem deerat, neq; quisquam omnium erat, qui non in eius oppugnationis casu,suarum omnium fortunarum euentum consistere existimaret,quare sese mutuò animis cōfirmantes eo consilio decertabant,ut nullum aliud tempus ad conandum habituri uiderentur,qui capta urbe,omnia extrema ab hoste patienda putabāt. Hanc animorum miram quidem consensionem & perseuerantiam ubi Henricus perspexit,mutato ex necessitate cōsilio,statuit hostem fame domare,quem armis superare nō poterat,id quod factu eò facilius ducebat,quòd Franci domesticis implicati,ut dictum est, seditionibus,subsidio suis uenturi minimè uiderēturitaq; dispositis passim per opportunas stationes armatorum cohortibus,& suprà infraq; clauso omni fluminis Sequanæ,quo urbs alluitur,aditu, ita ciues breui tempore rerum omnium penuria affectos cōsternauit,ut illi cibis iam consumptis,ac spe subsidij penitus adempta,in eius potestatem ultrò uenerint. Rex opulentissimam urbem adeptus, eodem ferè momento omnia propinqua loca in potestatem redegit, accepit & in fidem Ioannem Britanniæ ducem. Is porrò rebus suis timens, sponte id temporis sese amicitiæ Angli dedit, quòd uideret Francorū uires in dies singulos magis infirmas esse,ueritus ne si aliàs id facere coactus,nō acciperetur.

At ubi Rothomagensium deditionis fama per Gallias peruasit,incredibile dictu est,quātus omnes terror inuaserit,quantusq; dolor occupauerit,ut pote qui uidebant, quas quotidie ciuilis seditio importaret clades,& ad id mali prohibendi nullum adhiberi remedium. Sed Burgundionē ducem in primis ea res uexabat,angebat,cruciabat, quòd duplici malo uno tēpore teneretur: siquidem imperiū obtinebat,& suo arbitrio Carolum regem regebat, & idcirco sine inimicitijs esse se nō posse,& quicquid cladium accipiebatur,sibi soli assignari certò sciebat: quare tam è Republica quàm ex suo usu futurum iudicabat,si uiam inueniret ad reconciliandos in gratiā reges,quòd tunc ab externo uacuus metu,facilè decus suum aduersus Carolum Delphinum ulcisci, & se odio publico,inuidia,infamia liberare,patria bello liberata,posset. Hoc capto consilio,per legatos cum Henrico agere instituit, ut pacis conciliandæ causa,uellet cū Carolo de summa totius rei colloqui. Non abnuit Anglus id facere, sed perinde ac legatis promiserat,paucis pòst diebus Meulanū conuenit,quò Carolus cum Isabella uxore,& Catharina filia longè formosissima,sue,ut quidam tradunt,regina sine Carolo,quia nō erat mente sana,cum Burgūdione antea uenerat. Ibi pacis causa, ueluti aliàs factum est,frustra tractat, tantum profuit congressus,quòd Henricus uisæ puellæ forma captus,multò mitissimus est hostis effectus. Interea principes Franci cōmunem patriæ fortunam miserantes, rerum suarum sortem incusabant, quòd uires ad externa bella satis superessent,sed ijs abuterentur inter seipsos certando. Quocirca aliud nihil esse uisum est, quod ægras sanaret mentes,nisi cōmune colloquiū,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd per illud inimicitiarũ furor facilè extingui, iniuriæq; euelli possent. Probata ab omnibus sententia, colloquiũ ad Monsteriolum, quod est oppidum eo loci situm, quo Iona fluuiolus in Sequanã influit, indicitur, quò cum primis Delphinus & Burgundio duo factionum capita accederent, ut ciuiles discordiæ aut funditus in eo conuentu extirparentur, aut tantisper sedarentur, supprimerenturq;, quoad bellum restingueretur, quod ipsa seditio domestica inflammasset. Sed secus accidit atq; in expectatione erat: quoniã dum spes concordiæ omnes cõplebat, dolus ex odio intestino cõpositus discordiam repentinò renouauit, resq; cõmunes in longè maius adduxit discrimen. Equidem ubi de habendo colloquio, inter principes cõuenit, ecce tibi subitò Guidoni Castrensi, uiro immani ad omne facinus audacia, uenit in mentem memoria Ludouici Aurelianensium ducis, sub quo stipendium meruerat, decretumq; est illius ulcisci cædem, quam superiore libro, autore Burgundione, editam docuimus. Sunt tamẽ, qui tradant Guidonẽ id consilij impulsore Delphino cepisse, quod à uero minimè abhorrere uideẽ: nempe Delphinus qui æternas cum duce simultates habebat, forsitan per eum modũ Burgundionis potentiam sine ulla sua perfidia, uti putabat, comprimendam existimauit. Sed ne plura. Venit dies colloquij, & Delphinus ac Burgundio satellitibus stipati adfuerunt. Hîc postquam in unum conuenere, cuncti uno ore pacem petebant, cùm interim Delphinus & dux cœperũt inter se exprobrare beneficia, de iniurijs expostulare, cõuitia facere. Ita altercatione integrascente, Guido ratus tempus esse edendi sceleris peropportunum, de improuiso Burgundionis manum arripuit, atq; primo ictu hominẽ confecit & occîdit. Quo uiso, cuncti utrinq; gladios aut sui defendendi, aut tumultus sedandi causa, educunt, non credentes Burgundionẽ mortifero uulnere esse affectum: sed cùm uidissent corpus mortuum iacere, non tam pugnandi quàm diffugiendi studium habuere. Atq; ita à colloquio discessum est, & talis Ioanni duci mors accidit, qui prę ciuilibus discordijs, salutẽ suam parum curandam duxerat, quò (credo) Aurelianẽsis ducis cineribus pœnas daret, sic uolente diuina iustitia, ut semper autori suo parricidium fraudi exitioq; sit.

Philippus Ioannis Burgundionis filius qui se Lutetia tenebat, ubi cognouit parentem ab inimicis perfidiosè interemptum, confestim destinat animo tale illis exhibere negotiũ, quò conflictati ad extremũ meritas parricidij pendant pœnas: itaq; primo per secretos nuntios, cum Henrico pacem facit, consiliaq; cõmunicat: postea nomine Caroli regis, quem à patre traditũ in sua potestate habebat, legatos de cõmuni pace ad eundem mittit, qui simul rogent, ut uelit Trecas, quæ Campaniæ urbs est, uenire ad colloquium, cum Carolo, ubi tandem aliquando confidere posset, & pacem bonis conditionibus conuenturam, & se eius filię connubium consecuturum. Audiuit Anglus animo libenti legatos, & se ad locum ab eis dictum primo quoq; tẽpore iturum promisit: qui his auditis, quamuis mirabiliter cumularetur gaudio facultatem bene gerendarũ rerum sibi præter spem dari, haud tamen tantum fidei promissis Philippi habuit, quin iudicaret omnia prius per exploratores cognoscenda, quàm ad colloquiũ accederet, quòd memoria recentis Burgundionis cædis faciebat, ut cautior esset, ac timeret Frãcos, & dona ferentes, ut apud Vergilium Laocoon de Græcis ait. Verùm ut cognouit sine fraude cuncta fieri, nihil

nihil cunctatus, Trecas proficiscitur, quò postquã qui missi fuerant, legationem renuntiarant, Philippus cũ Carolo sub eos dies accesserat. Hîc acto Francorum principum cõuentu, icitur fœdus, nouaq; affinitate corroboratur, collocata Catharina Caroli filia regi Henrico. Pactio fœderis eiusmodi fuit, ut Henricus usq; eò dum uiueret Carolus, regnum Franciæ gubernaret, administraret, regeret, idq; post Caroli mortem eodem obtineret iure, quàm qui optimo: & si contingeret, ut Henricus prior moreretur, eius filio maiori natu ex Catharina genito regni hæreditas ueniret, ac principes Franci conceptis uerbis, ipsi Henrico iusiurandum darent, atq; Carolus Delphinus omni dectus potestate quam gerebat, hostis patriæ perpetuò haberetur.

Secundum hæc, Henricus gerendarũ rerum munere suscepto, Franciæ regens nuncupatur, in cuius uerba principes qui aderant, aderant aũt frequentes, incipiente Philippo Burgundione duce ultrò iurarunt, quòd eos iampridem ex fama rerum gestarũ, uiri admiratio cepisset, & maior præsentis ueneratio caperet. Sed utrum fronte, an mente id fecerint, dubitatũ. Sanè iam senserant Henricũ esse ad consilia capienda prudentẽ, ad militarem disciplinã ac eius usum peritum, ad belli labores impigrum, ad omnia pericula fortem, & ad fortunam atq; casum semper prouidentem, unde illa admiratio in primis proficiscebatur. Hos rex ita alloquitur: Omnes meas curas, principes, una de multis demũ occupat, nostrumq; animũ intentum tanquam arcum habet, ut continenter cogitem, & agam, quonam pacto utrunq; regnum tandem Dei immortalis beneficio, alterius accessione unum effectum ac feliciter auctum, queam à factionibus uacuum nostris posteris relinquere, ut sicut in præsens maius regnum non habet Europa, ita in posterum tempus, nõ aliud habeat. Quare primùm omniũ ciuilium seditionũ reliquias nobis persequendas statuo, quæ in solo Carolo, qui uestro nuper iudicio, Delphinatus honore est priuatus, remanent: hunc igitur ut imperio pareat, subigendum mecũ curate, quò Respublica ab omni liberetur periculo. Ecquem enim putatis eum fore regem, si regnũ obtineret, qui id ætatis adolescẽs nõ erubuit sese nobilissimi Burgundię ducis sanguine turpificare? Proinde mecum state, qui successurus sum Carolo socero, in uestrum regnũ, meis primò maioribus, & deinde mihi iure hæreditario debitum. Nec uos illud moueat, q; sum homo ortu Anglus, qui cùm sim regni hæres, non utiq; possum debeóue uobis nisi uester uideri, qui nisi uelim ab officio lõgè discedere, uos in oculis semper ferre, pro uestra in me humanitate, necesse habeo, eiusq; officij initiũ faciam erga Carolum socerum, quem loco patris habeo. His dictis, ac dimisso cõuentu, copias cogit.

Atqui ubi reliqua Gallia de hisce fœderis conditionibus rebusq; actis cognouit, repentè summo dolore corruit: nõ poterat enim istum patriæ casum æquo animo ferre, quòd uideret Remp. suam ad exitum uocari, ni Carolus Delphinus eam sustentaret, conseruaretq;: quare ad eum cunctus hominũ alterius partis concursus erat, ut in quo omne præsidium ciuium positum esset. Ille uerò per eiusmodi Philippi Burgundionis amicitiam cum Anglo factam in summam solicitudinem adductus, cum amicis principibus conciliũ habet: quo in consilio, quia uires nõ erant pares, primùm de resistendo agitur: secundo loco, ut ne subitò aduersi quid eueniat, constituitur, ut ipse Delphinus, in quo totius belli discrimen positũ erat, in aciem nullo pacto descendat: tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

de exercitu comparando, præsidioq; locis opportunis locando prouidetur. Ita Delphinus animo ac copijs sese ad repugnandum oppugnantibus parat, armat, instruit.

At Henricus rex Frãciæ regens, cum firmo exercitu ex Trecensibus se mouens, in Senones ire cõtendit, qui in Delphini fide erant: postquã Senonum fines effusis populationibus peragrauerat, ad eorum urbem accedit, & expugnat: item Moretum & Monsteriolum recenti Ioannis Burgundionis cæde nobile, capit: inde Meledunum obsidet. Erat præsidio loci præfectus Barbasanus uir bellicosus, qui oppidũ impigrè tuebatur, sed & is rei frumentariæ inopia uictus, in deditionem uenire cogitur. Cõcessa est omnibus abeundi facultas, præterquam illis, in quibus Burgundionis cædis culpa resideret: nam eò aliquot facinoris socij se contulerant. Rex recepto oppido, sontes ibi deprehensos, in quibus Barbasanus fuit, ad quem illius sceleris contagionem pertinere compertũ est, Lutetiam in custodiam mittit: postremò Meldem circunsidet, sed oppidani nõ diu obsidionẽ tolerarunt, qui paucis pòst diebus subsidio desperato, deditionem fecerũt: hisq; rebus prosperè gestis, ad Carolum Trecas redit, & inde ambo cum Philippo Burgundione duce, Lutetiã proficiscuntur, quorum accessus fuit ciuibus multò gratissimus, q; tum demum odijs domesticis, intestinisq; bellis finem terminumq; aliquem breui constitutum iri existimabant. Henricus postquã Lutetiæ fuit, primùm de captiuis qui Burgundionis cædis conscij compedibus uincti tenebantur, & de alijs qui tunc in ea noxa esse reperti sunt, supplicium sumi iubet: deinde regni status collocandi causa, senatum conuocat, patribus exponit, quæ è Republica esse ducat, & multa instare, quamobrem in Angliam reuocetur, propterea uelint designare præfectos, qui in eius absentia res gerant. His causis cognitis ex uoluntate senatus, ducibus Humfredo eius fratri Gloceſtrię, & Philippo Burgundiæ, imperium Reipublicæ administrandæ datur, ac Thomas Clarentiæ alter frater cum Ricardo Varuici comite, uiro singulari uirtute, in Normaniam mittitur, qui in regione præsit. Postquam est rebus ita prouisum, Henricus in Angliam cum Catharina uxore redijt, cuius aduentus incredibili lætitia ab omni ætate concelebratus est. Porrò non iniuria Angli sibi gaudebant, quandò res ex animi sententia successerat, obtento in Francia regno. Quare Henricus exoptatum suum plenè quasi consecutus, Deo gratias agi publicè cupiens, cum Henrico Cantuariensi antistite egit, ut ille confestim in quatriduum supplicationem indixerit: ipse deinde coacto principũ concilio, res ab se ordine gestas exponit, docetq; in eo esse statu apud Gallos, ut sine eorum opibus, nequeant in tuto collocari, & idcirco rogat, ut ad bellum pecunia decernatur. Patres libentissimis animis morem principi gesserunt, secq; ac suas opes præstò esse dixere. Post hæc, Catharina regina more maiorum, in eo conuentu corona regali decoratur. Fuit ille annus Henrico à gubernatione regni sui VIII. & à salute humana MCCCCXXI. Dimisso concilio, rex primò ex nobilibus, plus militum quinq; millia, ex agrestibus alterum tantũ conscripsit, dein imperatam pecuniã studio exigere instituit, ut citius ad exercitum in Gallias rediret.

Poscit locus, ut aliquid de re Scotica subijciamus: in eo enim principũ Anglorum conuentu, de quo suprà memorauimus, Iacobus rex Scotiæ primus missus

missus factus est, post annum decimum, quàm ab Henrico quarto captus fuerat, cui Ioanna Clarentiæ ducis priuigna locata fuerat, ut ex dote puellæ, partem redemptionis solueret, cùm pro altera obsides dedisset, qui ex fœdere in primis promisit se nunquam contra Anglum uenturum. Is in patriam reuersus res parũ quietas reperit, q; sub idem tempus Robertus Albaniæ dux regni gubernator è uita excesserat: quare confestim principum conuentum fecit, in quo postquã ipse cum regina solenni pompa est corona redimitus, & regni status rectè constitutus, cum senatu egit, ut se pecunia iuuaret, quod libenter cuncti fecerunt. Rebus ex sententia ita actis, tanta gloriæ cupiditas uerę Iacobum à primo cepit, ut nil posthac antiquius habuerit, quàm bonas literas passim docendas per uiros doctissimos pretio accitos curare, ac iustitiam, bonos mores quos apud Anglos didicerat, colere, cũ suis heroibus de uirtute certare, iuuentutẽ legibus continere, bellicisq; exercere artibus, ut ne animi per licentiã & otium insolentes fierent: & quia nouerat apud ipsos Anglos, quantũ in bello ars sagittariorũ ualeret, idcirco pubem Scoticam usum eius rei diligẽtius solito perdiscere uoluit. Quid quòd pœnam ijs statuit, qui à puero arti operam non dedissent? Talibus studijs imperium gerebat Iacobus, cùm illa Syluestres Scoti duce Chennetho uiro forti, nõ item probo, impedire conati sunt, qui populationes australi agro inferre cœperunt. Sed eam procellam multo maiorẽ fecit Alexander Insularum, ita eius regnum uocitãt, regulus, qui se cum Syluestribus copulauit. Verùm Iacobus comparato protinus exercitu, tam citò nascẽti malo remedium adhibuit, ut priusquam erumperet, in ipso propè uestigio sanauerit, reductis ad sanitatem eius labis autoribus. Nunc domum repedo.

Interim Thomas dux Clarentiæ cum parte exercitus, ex Normania in Andegauenses profectus, apud Belliforte oppidum castra ponit, & ibi audiens Francos qui Delphini fidem sequebantur, in propinquo esse, eò cum paucis equitibus procurrit, qui dum in hostem temerè fertur, inter primos interficitur, reliquis aut captis, aut unà interemptis. Angli qui ad Belliforte consi debant, ubi de morte ducis cognouerunt, celeri fuga in Normaniam unde uenerant, se recepere. Henricus accepto de fratris cæde nũtio, ualde permotus, primùm omniũ Edmundum Somerseti ducẽ, magni usus & nobilitatis uirum in Normaniã præmittit, qui loco Clarentię ducis, prouinciam obtineat: dein cum Ioanne fratre duce Bedfordiensi, & copijs quas parauerat, Caletũ quamcelerrimè potest transmittit, & inde pari studio profectus, sextis castris ad Vincentianũ Nemus (id nomen est regiæ uillæ procul à Lutetia circiter passuum millia tria, ad Sequanã sitæ) peruenit, ubi Carolus cum regina erat. Hîc multa agitant, quæ in rem opus essent: sed Henricus cum Burgundione secreta cõsilia confert de Delphino omnibus modis opprimendo, quòd certò sciret, illo incolumi, nunquam factiones extinctum iri. Dum talia aguntur, Catharina quam Henricus domi prægnantem reliquerat, ad Vindesorium castrum enixa est filium, cui patris nomen est impositum. Fama etiam nunc in uulgus ualet, Henricũ regem cùm intellexisset filium in eo castro natum, male de eo esse ominatũ, perinde quasi ille locus nascenti puero fatalis fuerit. Catharina simul atq; partu leuata est, ad uirum uenit, multa congratulatione accepta. Reges mox Lutetiam concesserunt, ubi relicto Carolo, Henricus cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Burgundione, Carnutibus subuenire instituunt, quos per eos dies Delphinus obsidione cinxerat, adiutus à Scotis, quorum bene magnus numerus duce ibus Ioanne Stuarto Burchaniæ Roberti gubernatoris filio, & Archibaldo Douglassate Victoni comitibus, ei opitulandi causa uenerat. Verùm nõ expectauit aduentũ hostis Delphinus, qui uiribus suis diffisus, omissa obsidione, in Bituriges cõtendit: illum enim locum ut imperij tutissimã arcem sibi à principio partim eius natura, partim populi fidelitate fretus, eligendũ statuit, seq; eatenus eò cõtinendũ, quoad mutata fortuna, liceret rem suis restituere, qui ob id interim ioculatorio nomine, Biturigũ rex uulgò dictus est. At Henricus cõserendi manum cum hoste cupidus, postquam Drocas, Vindocinũ, nonnullaq; alia loca recepit, secundum Ligerim iter tendit, in Belsiaq; castra facit, incolas à priuatis focis excludit, spoliat, distrahit. Belsiam hodie uocant eam partem Celticæ, quæ à Ligeris ripa, ad Sequanam pertinet, Parisiorum & Senonũ inclusa finibus. Inde Villamnouã oppidum, quod est ad amnem Ionam, in Senonensi agro situm, oppugnatum ire contendit. Hoc aduenies capit, & ad Ligerim regreditur, copijsq; trans flumẽ ductis, in Biturigas profiscitur, quò se Delphinus, uti dictum est, receperat. Hîc loco æquo potestatem pugnæ ipsi Delphino facit, quam tantum abest ut ille tentare uelit, ut statim in urbem intret. Quo uiso, Henricus propius accedens eius urbis situm cõtemplatur, quem animaduertens defendentibus nõ item oppugnantibus idoneum ac cõmodum esse, postquam agrum quaquauersum populatus est, Syluanectum pergit, ac ibi copiam rei frumentariæ, quæ iam deficere incipiebat, studio cõparat. Interea Carolus Delphinus, qui magno artificio manus à prælio abstinebat, quòd infirmũ exercitum haberet, & ob id nullum conficiebat iter, quòd ab hoste non bidui minimùm abesset, ubi cognouit Henricum ex Biturigum finibus longè excessisse, continuò Conenses qui Ligerim attingunt, obsidet, ac partem copiarum ad uastandos fines Philippi mittit, ut illum ab Anglo disiungat. Non fefellit eum sua spes, Burgundio enim maturè suis præsidiũ tulit, & cùm satis haberet hostibus resistere, per literas Hericũ admonuit, ut Conensibus subsidium mitteret, qui datis obsidibus hosti, recepissent se, nisi ad certum diem sibi succurreretur, deditionẽ facturos. Respondit rex, neminẽ se missurum, sed se magnis itineribus iturum: quod urgente fato, efficere nequiuit: nam siue nimio labore fractus, siue cœli grauitate affectus, cœpit nõ bellè se habere, qui cum febre in ipsa uia subsedit, necessarioq; retrò abijt. Quo uiso, Bedfordiensis dux confestim Conensibus opem tulit, qui ea obsidione liberati, datos obsides ab hoste receperunt. Delphinus autem ducis aduentu territus, non modò Conenses diuexare destitit, sed etiam reuocatis omnibus copijs, quas in Burgundiones miserat, in Bituriges ut in tutam arcem se continuò retulit.

Rex Henricus interim corpore paulùm alleuato, se Syluanecto ad Vincentianũ Nemus cõmouit, qui protinus ex itinere multò grauius uehemẽtiusq; afflictari cœpit, ad quẽ paucis pòst diebus aduolarũt Bedfordiensis & Glocestrensis duces eius fratres, cum Ricardo comite Varuici, alijsq; ordinum ducibus. Iis uenientibus rex comiter dexteram porrexit, & cùm lachrymarent, constanti animò, sineq; ullo tristioris mentis argumento, eos consolatus est. Deinde ingrauescente ui morbi, ubi deploratam planè salutem suam sensit, supplex

supplex ueniam petens, Deo opt. max. gratias egit, quòd sibi mẽtis compoti ac nondum aduersam experto fortunam, in flore uictoriarũ suarum, mors accideret, ac conuersus ad fratres reliquosq; qui aderant, eiusmodi uerba fecit: Vos principes uideo mortẽ meam dolere, at ego non item: nam hæc uitæ breuitas mihi fidei, integritatis, iustitiæ, probitatis, clementiæ testimoniũ dabit, facietq;, ut gloriam in morte, nõ ignauiæ reprehensionem, aut magnæ culpæ uituperationẽ relinquã, quę longinquitas temporis fortasse non præstitisset, sed atqueadeo ademisset, cùm mortales animi puncto interdum tẽporis mutari soleãt. & hæc ad me refero. Cæterũ uos nostra immatura mors nõ immeritò angit, non immeritò patriæ dolorem inurit, quòd in tanto rerum motu uos intempestiuè desero principe orbos: ueruntamen ferendum minus molestè est, cp res humanæ tales sunt, ut illis ad summam semper aliquid absit. Consulite uos, prospicite, prouidete pro parte quisq; sua cõmuniter, ut iter quod ipse tenui, tandem aliquando cõficiatis. Oro, obtestorq; uos, ut Henricum filium infantem ametis, beneq; instituatis, quò is uestra opera, cura, gratia, uir euadat, qui tanto imperio dignus habeatur. Meam charissimã uxorem nunc omnium ærumnosissimã uestris officijs sustentate, in eamq; amorẽ eundem, quæso uelitis habere, atq; ipse erga uos semper habui. Quod ad præsentẽ rerum statum attinet, in primis admoneo, ut concordes, unanimesq; sitis, atque perpetuam cum Philippo Burgundione duce amicitiã pacemq; habeatis, & si ita uisum omnibus fuerit, Humfredus frater Glocestrensis dux regni nostri Anglici administrandi curã suscipiat, nec aliqua de causa ex finibus excedat, quoad Henricus filius imperio maturus erit: at Ioãnes Bedfordiensis dux cũ Burgundione, regnum Franciæ gubernet. Sed illud existimato te, aut uobis Carolum quem Delphinũ uocant, modis omnibus ita armis superandum, ut manus tandem det, aut illi possessione Frãciæ cedendũ: proinde causæ uestræ non indormiatis, dum gerendæ rei facultas datur. Et postremò quicquid usu uobis uenerit, illud enixè curatũ uolo, illud præcipio, illud iubeo, ut Normaniam nostris nuper uiribus receptã, uelut possessionẽ certam imperij nostri, dignitatis, honoris & antiquũ regni patrimoniũ domicilium q; in perpetuũ retineatis. Talia dicẽti Henrico, responderũt omnes se imperata facturos, tam etsi tanta frangebãtur misericordia, ut præ dolore uix loqui possent. Ille cùm postea amplius unum diem uixisset, mortem obiuit, unicum id temporis decus, & lumen patriæ, quo nemo uir animi celsitate & magnitudine ac uirtute clarior natus, nemo pietate præstantior, cuius desideriũ etiã nunc apud mortales pariter permanet, atq; à principio apud suos fuit: nam ubi per uulgus fama mortis eius peruasit, cuncti generatim subito dolore cõciderunt, quibus ita mœror omnes fermè mentis partes ademit, ut more insanientium, passim fortunam incusarent, quæ tantam gloriam patriæ inuidisset: nimirũ regis immatura mors quantũ spei potiundi Francorũ regni Anglis ademit, tantùm recuperandę libertatis ipsis Francis fecit. Quo circa iam tum fuere, qui suspicati sint illũ interijsse ueneno. Regnauit annos IX, menses V, dies XXIII. uixit annos XXXVI. Corpus in Angliam deportatum ad Vuestmonasterium, maiorum sepulchro infertur. Fuit statura corporis quæ iustam excederet, corpore gracili, membris æqualibus ac ualidis, facie decora, collo oblongo, artis militaris peritissimus, ac eius gloria illustrissimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXIII.

MORTE Henrici regis, quanquam res Anglicæ infirmiores uidebantur, principes tamen nihilo secius magno animo bellum instaurandum, & domi pariter atq; foris omnia curanda, quæ ex usu essent, statuunt. Nam primo quoq; tẽpore Humfredus Gloceſtrensis dux in Angliam reuertitur, conuocatoq; principum concilio, exponit quæ Henricus rex eius frater moriens mandasset, atq; quo in statu res Gallicanæ essent. Posteaquam omnia principes intellexerunt, placuit, ut ipsi Gloceſtrensi ex Henrici mandato, summa imperij traderetur. Is obiuit munus, & ne suorum factorum consiliorúmue aliquando pœniteret, ut memor aliorũ, oblitus sui, summa cum laude se tractare, cuncta quę ad regni dignitatem utilitatemq; publicam pertinerent, prouidere, cõstituere, parare cœpit, & illud à primo curæ habuit, ut Henricus nepos bonis institueretur moribus, quem Catharinæ matri, quam secum in Angliã paulò antè deduxerat, & omnibus officijs complectebatur, cõmendandum curauit: sicq; rebus domesticis constitutis, deinde alia parare quæ ad usum belli necessaria erant, pari diligentia instituit. Itaq; habito cõfestim militum delectu, quos in Anglia, in Galliáue ad bellum gerendum idoneos iudicauit, eos rebus omnibus paratos esse iussit, quibus centuriones & duces dedit, qui militaris disciplinæ scientes essent, ut cùm res poscceret, præstò essent. Post hæc, ex senatus decreto, pecuniæ summam cõfecit, quæ ad explicandos rei militaris sumptus opus erat, ut nihil esset, quod retardaret bellum.

Hæc dum apud Anglos à Gloceſtrensi fiunt, in Gallijs Ioannes Bedfordię dux, quẽ ut caput rerum omnium gerendarũ Francię regentem appellabant, cum Philippo Burgundione duce, pari studio omnibus quæ erãt necessaria, prouidebat, sed in primis Carolum Delphinũ in potestatẽ redigere, ut Henricus facere destinarat, nitebat, cùm Carolus rex è uita migrauit, ob cuius mortem magna accidit rerũ cõmutatio, quę adeò Delphinianis rebus opportuna fuit, ut de earum conseruatione uisum sit Deo cum primis curæ fuisse. Porrò bene multi ex Francis principibus, qui ante id tempus, partim Anglicanarũ opum timentes, partim ueriti ne sibi fraudi esset, si ab officio discederent, cum Carolo steterant, ubi de morte regis cognouerũt, nil amplius quicq̃ pensi habent, quibus modis patriã pulsis Anglis recuperent, ad suosq; se adiungant, itaq; uno momento ad Delphinũ transeunt, seq; ac omnia sua in eius fidẽ permittũt. Quod animaduertẽtes Bedfordienſis regẽs & Burgundio, uno tempore ad loca opportuna dispositis præsidijs, coactoq; in unum exercitu, principes suos ad se euocarunt, ac apud eos regens concionẽ habuit, admonuitq;, ut ne fidem datam fallerẽt, néue aut autores essent, uel paterent Henricũ puerum auito regno fraudari, per perfidissimorũ hominũ odia uel inimicitias inter Francũ & Anglum iampridem extinctas rursus renouari, atq; quemadmodum deberent recordari regnum Franciæ & Angliæ Dei beneficio, unum ex duobus post hominũ memoriam pulcherrimũ, fœdere æterno, & animis effectũ, ac nuper ita stabilitũ, ut nulla humana uis ei resistere posset: & quãuis bellando detrimentũ acciperent, illud tamen breui in bonũ uerterent, si Henricũ regem

regem suum colerent, obseruarent, amarent, ac eius hostes persequendos sta tuerent: ac ita præstaret, ut darent operã suo principi fortiter, fideliterq;. Hac habita concione, Henricum cõmuni omnium consensu regẽ Angliæ & Franciæ dicunt, principesq; qui aderant, in eius uerba iurare iubent, reliquosq; ex toto regno ad id iusiurandum adigunt. His actis, copias ex omni parte accersunt, seq; ad instaurandum bellum omnibus rebus parant. In Anglia itidem Henricus sextus rex renuntiatur eiusq; nomine cuncta gerũtur, ut ita populos maiestatis regiæ decus peruaderet.

Delphinus uerò per eos dies in Pictonibus erat, qui cognita morte patris, animũ statim tristitia & gaudio permistũ habuit, nempe de obitu patris dolebat, gaudebat autem q̃ res ad se peruenisset, quam regali nomine auctus, facilius posse se defensitare sperabat, qui cõuocatis suæ factionis principibus, se regẽ Carolũ septimũ pronuntiat, edictoq; sic appellari iubet, & ita spe tandẽ certa uacuã faciendi patriam hostibus erectus, maiore animo bellum comparat. Sunt statim ab initio tumultuosa prælia ab utrisq; facta, quoties casus tulit, ut alteri alteros de improuiso inuadere potuerint, sed aliquanto pòst conflato utrinq; exercitu, more iusti belli, cœpere inter se rem gerere. Carolus secundis uentis, prout uulgò dicitur, nauigans, ut nullas amplius interponat moras, quibus fortasse ipse infirmari, hostis fortior fieri posit, exercitum paucis diebus magnum facit, ac Meulanum Normaniæ oppidum ad Sequanam positum subito accessu oppugnare aggreditur, ad punctumq; tẽporis capit, ac omnes Anglos qui in præsidio erant, ad unũ interficit. Quod ubi Bedfordiensis accepit, Thomam Montacutũ Sarisberiensem comitem, uirum animi altitudine ac uirtute magis cum ueteribus Romanis, quàm cũ eius seculi hominibus comparandum, & Ioannem Lucenburgensem, qui Burgundionis ducis magister equitum erat, cum electa militum manu, Meulanum recuperatum mittit. Hi oppidum circunsident, & quia Carolus modicũ præsidium illic reliquerat, breui expugnant, ac in Francũ militẽ ita sæuitiã adhibent, ut ne quisquã omniũ euaserit. Quia re feliciter cõfecta, Sarisberiensis in Campaniã, in qua prẽerat, cum parte copiarũ proficiscitur, ac paucis pòst diebus, Sedanã oppidũ Briæ (est Bria hodie pars illa, quam Campaniæ finitimã duo sepiunt flumina Sequana & Matrona) obsidet, ac expugnat, interfectis omnibus, qui collocati in præsidio fuerant, & in ijs Gulielmo Marino eorũ præfecto. Parijs interea cũ animaduerterent Carolũ in dies singulos augeri uiribus, quamobrem breui futurũ sperarent, ut in eius ditionem redirent, quod maximè cupiebant, ne eatenus quoad ex animi sentẽtia id accideret, sua fides in dubium Anglis ueniret, legatos in Angliam ad Henricum regem miserunt rogatũ auxilium, quibus post actas pro officio gratias, responsum est, ut in fide permanerent, quandoquidem nullum eorum ciuitati auxilium atq; præsidium deesset futurum esset, si ipsi modò sibi non deessent, hostisq; fidem non sequerentur.

Itẽ illo ipso anno qui fuit humanæ salutis MCCCCXXIII, & primus, cùm regnare cœpit Henricus, Humfredus Gloceſtrensis dux Iacobinã principem Bauariæ in matrimoniũ duxit, quæ nupta erat Ioanni duci Brabãtino adhuc superstiti. Quæ res magnam hominibus admirationem præbuit, quòd Gloceſtrensis cõtrà quàm ius fasq; erat, alterius uiri uxorẽ in matrimonio habere uellet: sed pluris ipsi Gloceſtrẽsi erat mulieris diuitis copulatio, colligatio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm hominũ admiratio aut sermo. At Ioannes Bedfordiæ, Philippus Burgundiæ, & Ioannes Britanniæ duces Ambianum conuenere, ibiq; inter se fœdus renouarũt, his additis conditionibus, ut alius alium ac simul omnes Henricum regem armis defenderent, ab iniuriaq; prohiberent: idq; fœdus noua affinitate corroboratur, locata Anna Burgundionis sorore Bedfordiensi, qui id temporis cœlebs erat, quam ille dimisso conuentu, Trecas secũ duxit, ibiq; fecit splendidissimas nuptias, atq; inde Lutetiam redijt. Interea nonnulli ciues qui inuiti Anglorũ imperio parebant, cùm uiderẽt Bedfordiensem procul esse, statuerunt Carolum urbe recipere, atq; non prætereundum tantum commodum existimantes, Carolum de consilio admonent, diemq; statuunt, quo ad portas sit ueniendum. Atqui dolus nõ processit, sed autoribus exitio fuit. Venit Bedfordiensis per tempus, & celerius coniuratorũ opinione, qui de cõiuratione certior factus, quos reperit delicti affines, pœna affecit. Secundum hæc, ex ea re cognito ciuium animo, dux solerter accurateq; instituit urbem munire, custodias passim disponere, insidias Francorum anteuenire, nihil apud se remissum uolens, nihil apud illos tutum ducens. Inter hæc, Carolus Crauantũ obsedit, quò confestim concurrit Sarisberiensis, & Gulielmus Pola Suthfolchiæ comes, cum quatuor armatorũ millibus, cõmissoq; prælio, Francos cædunt, fundunt, profligant, duobus millibus ex illis occisis, & quadringentis captis, quo in numero fuit Bucanus equitum magister, qui statim pòst se pretio redemit, ad militiamq; redijt. Hac re prosperè gesta, cũ Sarisberiensis intellexisset aliquot arces in agro Laudunensi à Frãcis interim occupatas, cò celeriter cõtendit, pariq; fortuna loca omnia recepit. Contrà Franci eodem tempore Compendio, & in Morinis Croteio oppidis per deditionẽ oppidanorũ potiuntur, quæ Angli mox primo aduẽtu territis eorũ animis, qui in præsidio erant, citò recuperarũt. Dum hæc in Gallijs aguntur, Gloceſtrensis habito in Anglia militũ delectu, decem armatorũ millia ad Bedfordiẽsem, Lutetiã misit, quibus ille præfecit Sarisberiensem, & Robertum Vuyllugby hominẽ summo loco natum, multumq; prouidentẽ, ac Gulielmũ Polam: ipse uerò secum habebat mille & octingentos equites, ac peditũ millia octo. Cum ijs copijs Bedfordiensis ex Parisijs se mouens, in Normaniã proficiscitur tenturus, si uspiam posit Carolum ad æquũ certamen allicere, quippe qui eo nõ uicto, putabat res suas nunquã perbono fore loco: sed cùm hostis nusquã cõpareret, Hyuerã arcem in Normaniæ finibus longè munitissimã obsedit. Erat intus magna electorũ militum manus, qui se fortiter defendebant, quos Anglus circundare uallo & aggere, atq; operibus oppugnare adortus, post paucos dies quàm obsidere cœperat, ad deditionem faciendam subegit.

Carolus qui id tẽporis in Turonibus morabatur, iam inde à principio de ea re certior factus, nõ magnopere curare negotium est uisus, qui interim partim loci natura, partim suorum uiribus fretus, copias tantummodo cogebat, quibus ex æquo posset cum hoste acie confligere, itaq; ubi exercitum numero ampliorem contraxit, Ioannem Alenconij ducem suis subsidio mittit, iubetq;, ut, si ita res postulet, nõ refugiat certamen. Dux celeriter profectus, antequam ad locum appropinquat, de arcis deditione cognoscit, atq; tum iter necessariò cõmutans, Vernolium petit, atq; expugnat, occisa bona parte ex Anglico præsidio: quo magnis munito operibus, mox à Carolo donatur, quòd

quòd id suæ ditionis esse debere iampridem contendisset. Quod ubi Bedfordiensi nuntiatum est, nihil cunctatus cum instructo exercitu Vernolium contendit, eoq; modo ad castra hostium procedit. Franci ex improuiso hostium aduentu aliquantulum territi, quid facere expediat, inter se agitant. Placebat ferè omnibus, ut in castris expectarent, dum quid ipsi hostes molirentur, faciius cognoscerent: nam memores se antea sæpius uictos fuisse, quotiẽs in certamen cum Anglis descendissent, non inuiti ad manum conserendam contabantur: sed ubi aciem hostium magis magisq; appropinquare uiderunt, sublatis animis, cum uarijs ululatibus, cantuq;, more suo, arma capiunt, ac pro castris consistunt. Prælium missilibus initur, sed statim illis missis, pedes conseruntur, nudatisq; utrinq; gladijs, magno clamore cõcurritur: pugnatur neruosè & cõstanter, atq; adeò æquo Marte, ut utrò se uictoria inclinaret, nequaquã facilè internosceretur, multis passim utrinq; cadentibus: fremitus æqualis, tenorq; idem pugnę: ubi plus periculi impendebat, ibi pro se quisq; acrius resistere ac propulsare nitebatur, itaq; amplius horas quatuor extractũ erat certamen, cùm etiam tum euentus incertus esset. Dux Alenconij interea non desistebat simul orare, simul hortari milites, ne deficerẽt, néue paterentur hostes iamiam fugientes uincere. At Bedfordiensis ipse quoq; circumire, hortari, renouare prælium ubiq;, qui ad extremum cùm animaduerteret Francos labore & æstu languidos (ea enim est natura Francorũ, ut diutius præliando, laborem nequeant tolerare, q; terroris incutiendi causa, plus ab initio uirium animosè effundant, q; dein in certamine retineant) minus solito instare, tum deniq; totis uiribus in hostem fertur, quem sui sequentes tanto impetu inuaserunt, ut primùm hostẽ loco mouerint, inde præcipitẽ egerint. Ceciderũt in ea pugna ex Francis quinq; millia hominũ, & in primis Bucanus equitũ magister, atq; Ioannes Stuartus homo Scotus, quẽ suprà ostendimus uenisse ad subueniendum Carolo, ac amplius decem ordinũ duces homines Franci. Capti sunt circiter ducenti, & in ijs Ioannes dux Alenconij. Sed fama est occisos captosq; fuisse ad quindecim millia: ex Anglis duo millia desiderata sunt, partim peditum, partim equitum. Accepta est hæc plaga à Francis eo anno, qui fuit salutis humanæ MCCCCXXV, & cùm regnare cœpit Henricus, III.

Bedfordiensis postq; tanta est uictoria potitus, euestigiò genu nixus, & ad cœlum tendens manus, gratias Deo immortales pro tanto beneficio egit, aliquandiuq; præ gaudio lachrymans suppliciter orauit: deinde facta potestate Francis abeundi, Vernolium recepit, impositoq; præsidio, in Parisios redijt. Sarisberiensis uerò Cenomanorum urbem opibus & armis opulentissimam oppugnatũ pergit. Ciues quanquam cùm subito hostis aduentu, tum Sarisberiensis nomine apud hostes pariter atq; socios celeberrimo territantur, tamen se magno studio ad defendendum parant, q; intus redundarent fortissimorum militũ multitudine. Anglus quamproximè potuit sine suorum incõmodo, positis castris, mœnia tormentis æneis quas bombardas Itali uocant, & quorum usus, qui esse cœpit anno MCCCLXXX. ut lib. de Inuent. rerũ II. cap. XI. demonstratũ, nõ antea Gallis perinde erat cognitus, tãta ruina quassare cœpit, ut intra paucos dies bona murorũ parte urbẽ nudauerit. Quo uiso, Cenomani etiã desperato subsidio, quod ad eum diem frustra expectarãt, impetrata militum qui in præsidio erant, incolumitate, deditionem fecerũt. Fir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mata præsidio urbe,cui Gulielmus Suthfolchiæ comes uir fortis præficitur,ad Fanum Susannæ oppidum eiusdem regionis celebre exercitus ductus. Erat in oppido Ambrosius Delorus uir militari gloria illustris,cum magna armatorum manu. Sarisberiensis ubi situm naturamq; loci speculatus est, ad eam partem ubi oppidum minus munitum uidebatur,oppugnare aggreditur:scalæ admotæ,& clamore primo impetuq; ad murorũ summa penè peruentum erat,cùm oppidani cum Franco præsidio,qui in pugnam extra oppidum descendere nõ audebant,uim hostium ab se arcentes magno animo resistere cœperunt. Certatum est eo die, ac deinde, sæpius multis utrinq; conuulneratis atq; interfectis:sed oppidani nihilo minus in bellum intenti erant. Quod ubi Sarisberiensis uidit,atq; simul animaduertit se nihil eiusmodi leuibus pugnis proficere,reductis in castra copijs,uallo primũ fossaq; mœnia circundat,deinde iubet milites quibus id negotiũ datum erat,locis minus munitis tormenta admouere,ac ita mœnia ipsa dies noctesq; uerberare:quod sine mora factum est,ita ut muri in magnã longitudinẽ paucis diebus deiecti sint. Qua re Delorus territus,deditionẽ fecit, duobus aureorũ millibus pro sua suorumq; incolumitate solutis,ut tantũ inermes cũ singulis uestimentis abirent. Exin Sarisberiẽsis Mena arce,ac oppidis nõnullis partim ui, partim pactionibus potit. Interim fama eiusmodi rerũ per Gallias perlata, alijs timorẽ,alijs mœstitiã afferebat,cùm in Anglia acceptis uictricibus literis,quas Bedfordiẽsis frequentes dabat,cuncti mortales gaudio exultarẽt, q; sui duces singulari prælio hostem uicissent,totq; uno tẽpore oppida recepissent. Quare senatus cũ Henrico Chicheleio Cantuariẽsi archiepiscopo egit, ut ille supplicationes cõfestim decreuerit,quò eas uictorias Deo potius q̃ suorũ uirtutibus acceptas referre uideretur. Carolus interea tot uno tẽpore incõmodis affectus,nihil de rerum suarum studio remittendum ratus undecunq; militẽ collígit, & in primis Iacobum regem Scotiæ auxilium poscit:quod ille non modò non negauit,sed statim Robertum Patillocum uirum strenuum cum ualida armatorũ manu in Galliam misit,qui se cum Archibaldo coniungeret, quanquã Gloecestrensi Angliæ procuratore reclamante,ac per legatos agente cum Iacobo, ut ne contrà faceret, quàm iuberent iura fœderis, quod paulò antè cum Henrico regefecissent. Sed plus amicitia quàm iustitia apud Scotum ualuit.

Dum ita res in Gallijs feliciter ab Anglis geruntur,dux Gloecestrensis cum Iacobina uxore,transmittit Oceanum,& Montem quod est Annoniæ oppidum percelebre,& quicquid locorũ Ioannes Brabãtiæ dux nomine dotis uxoris Iacobinæ tenebat, de eo capit. Quod factum Philippus Burgundiæ dux qui Brabantini causam tuebatur,molestè tulit,& nõ dubitans,quin quod honestius id duci pro suo in eum amore,futurũ esset antiquius,per literas Gloecestrensem admonuit,ut ab illo negotio desisteret,palàm testatus, tam ei turpe esse aliena loca occupare,q̃ alienum uiolare torũ. Verùm tantũ abfuit,ut Gloecestrensis salutaria amici monita audienda duxerit,ut etiã siue amore,siue auaritia captus,armis quæ de Brabãtino cepisset,se defensurũ iactauerit:qui cùm paucis pòst diebus ob res graues quotidie impendẽtes, necessariò in Angliã reuocaretur,Iacobinã cũ magno militũ Anglicorũ numero in Annonia reliquit,quæ se & possessiones suas ab iniuria ducis Brabãtini defenderet. Cæterum ubi Gloecestrensis ex finibus excesit, ecce tibi, Brabãtinus bellũ mulieri intulit,

intulit,quo ambo aliquandiu cõflictati sunt,cùm ad extremum res ad Martinum quintum Rom. pontificem delata est. Is cognita causa,secundũ nuptias Iacobinæ cum Brabantino iudicauit, suaq; autoritate matrimonium quod Iacobinę cum Gloecestrensi intercedebat,irritum decreuit. Atq; ita re peracta Iacobina ad priorem adhæsit uirum,Gloecestrensi non inuito, utpote quem ius æquè rexerat,ac mulieris importunitas supra modum iam fastidire cœperat.

Per idem tempus Edmundus dux Somerseti,qui Normaniæ præerat, Fanum Iamæ dirutũ olim oppidum quod Britannis finitimũ est, reparauit, ualidoq; præsidio firmauit. Is Edmundus successit in principatũ Ioanni suo fratri primo duci Somerseti,qui deinde moriens unicam tantùm filiam nomine Margaritam reliquit, quæ,ut alibi dicetur, ex Edmundo comite Richemondiæ,genuit Henricum septimum regem. Ioannem autem & Edmundum fratres creauit Ioannes comes Somerseti,quem,ut suprà est demonstratum,Ricardus secundus fecit Marchionẽ Dorcestriæ, quòd ille Ioanne duce Lancastrio eius patruo ortus esset,genitus ex Catharina tertia eius uxore. Illud bellè admonendum duxi nihil iniuriæ factum fuisse Margaritę, quòd Ioanni patri in Somersetensem principatum non successerit:siquidem ex ueteri instituto,apud Anglos, duces & comites titulos dignitatis à comitatibus habẽt,in quibus sæpe nihil opum,nihil ditionis illis est,sed eorum opes in agris ac cæteris possessionibus consistunt. Quocirca parũ refert,quis in eos titulos successerit,quos rex suo arbitratu illis distribuit,quos duces aut comites facit,uti suprà lib. XIX. idem planius feci. Iam satis diuertimus.

Cùm ita sortem belli fortuna uariaret,uenit in mentẽ Ioanni Britanniæ duci præteriti temporis, quo Angli tentarant in terra Britannia imperium obtinere,& in præsentia pertimescendũ existimabat, ne Francis uictis, oculũ suo principatui adijcerent, qui talem morbum lateri iamiam adherentem,quemadmodum ille falso suspicabatur,depellendum statuens,ad Carolum defecit. Confirmauit ea res maiorem in modum animũ Caroli,qui ob res paulò antè male gestas,in terrore erat: quapropter ducis causa,Arthurum eius fratrem, quem Angli Richemondię comitatu donauerant,& cum fratre defecerat,magistrum equitũ dicit, quod munus obiuerat Bucanus in Vernoliana pugna interemptus. Dux uerò haud diu pòst superstes fuit, qui tris reliquit filios, Franciscũ,Petrum,& Aegidium. Franciscus pàtri successit. Ad Arthurum redeo. Is gloriæ appetentior per nouum magistratũ factus, putauit apprimè se facturũ Franco gratũ,si Fanum Iamæ,deiecto Anglico præsidio, in potestatẽ redigeret:itaq; coactis in unũ propè uiginti hominũ millibus, oppidũ circundat,fortiterq; oppugnare aggredit. Tale quid haud opinãtes Angli re subita perturbantur,ac uix portas tuent,sed paulatim collectis animis,captoq; cõsilio,resistere incipiũt,cùm interim pars per portã arcis,quę ad mœnia pertinet egressa, & altera ex oppido sese eiecit, ac facto cuneo, antè & à tergo prorupit. Tum Frãci subito hostiũ impetu circunfusi,desperata oppugnatione,partim fugiũt, partim interficiunt, aut in lacu oppidũ proximo submergunt. Ita omissa obsidione, Arthurus in castra quæ in propinquo erant,reuertit,quò etiã ex fuga multi suorũ antea se receperant. Nocte autẽ insequenti,indignati inter se Franci ob rem male gestam, cùm alij alijs culpam adscriberent, nanq; res bellicæ ita sese habent, ut in uictoria ignaui etiã glorientur, in rebus uerò

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduersis optimis quibusq; militibus simul dedecus assignetur, orto repentè tumultu, omnes desertis castris abierunt, etsi Arthurus maximè reclamabat, præsertim quòd tormenta hostibus relinquerētur. Sed Arthurus dolens tantum conatum male cecidisse, ut suorum fugæ turpitudinem uirtute deleret, in Andegauenses inde aduolauit, quacunq; iuit, omnia uastauit, diripuit, abstulit, ac unum uel alterum oppidum cepit.

Quo facto omnis resedit subitò ardor & impetus, cùm dux Bedfordiæ in Angliam discessit, partim curandi nonnullas simultates inter principes regni ex inuidia ortas quamprimùm deponendas, partim noui militum delectus habendi causa. Is confestim conuocat concilium, de controuersijs diligenter cognoscitur, & ad quos eius mali labem pertinere cōstat, iustissimo honestissimoq; omnium conuitio castigantur, quòd tempore belli per suas priuatas inimicitias populum ad seditionem, ad arma uocarent, quo potissimū deberet omnibus iuxtà una esse uoluntas. Ille postea hortatur, ut dignitatē & existimationem Henrici regis, cuius auspicijs id temporis Gallia sub imperium Anglicum penè redacta esset, omnibus officijs defendere uelint. Hęc ita principes mouere, qui odijs mutuis agitabantur, ut statim alij cum alijs inter se, in gratiam redierint, ac de senatus decreto, ingens militū numerus conscriptus fuerit. Quibus rebus ex animi sententia confectis, statuq; reipub. ex re, ex tempore, constituto meliore, dux eadem propè atq; uenerat celeritate in Galliam reuertitur, cum electa militum manu, cui præerat Ioannes Talbotus uir inter uiros, & nobilitate generis, & animi uirtute amplissimus, clarissimusq;, qui tot deinceps bellorum uictor fuit, ut eius nomen tam maximè formidabile Francis, quàm apud omnes gentes plurimū celebre extiterit, uel etiam nunc. Secutus est ducem & Henricus Vintoniensis episcopus, ac diui Eusebij cardinalis Ioanne duce Lancastrio, & Catharina eius tertia uxore natus, à loco natali, cognomento Bedfordius, uir multò frugalissimus, qui res Anglicas sępe afflictas consilio & opibus iuuandas maximè omnium curauit. Bedfordiensis paucis pòst diebus, quàm in Galliam reuertit, fit per exploratores certior, Montargeū, quod est Aurelianensis agri oppidum, à præsidio esse uacuum, adeò ut nullo ferè negotio capi posset: quo audito, partem copiarum ex Parisijs, supplementumq;, quod ex Anglia adduxerat, duce Ricardo Varuicensi comite eò mittit. Ille quam maximis potuit itineribus peruenit ad oppidum, quod animaduertens ualidiore firmatum esse præsidio, quàm fama erat, non adoritur, sed castra propè ponit, atq; obsidione cingit. Celeriter hæc fama ac nuntijs ad Arthurū Francorum equitū magistrū perferuntur, qui cùm uideret rem requirere diligentiā, & ipse tēpore excluſus nequiret esse oppidanis auxilio, misit confestim Stephanum Hyrum Francum equitē cum bona exercitus parte, qui hostem ab obsidione arceret. Postquam eò uentum est, Franci sua multitudine freti, qua maximè præstabant, castra hostium inuadunt, primoq; impetu effractis munitionibus, post magnam effectam cædem, Anglos in fugam conijciunt. Apud quosdam autores inuenio mille & quingentos Anglos uel ferro cæsos, uel in proximo amne qui in Ionam influit, fracto ob transeuntium impetum ponte, demersos fuisse. Atqui id temporis uidetur nihil Francis lętum, quin illud idem tristitia admistum esset, cōtingere potuisse: nā per eos ipsos dies Nicolaus Borthus à Sommerseti duce missus ad uexan-

uexandos hostes in fines Britannorū, qui paulò antè, ut suprà ostendimus, se Francorum amicitiæ dederant, exiuit, dimissis in omnes partes equitibus, quibus quaquauersum excursiones sine impedimento facientibus, omnes passim uici, omnia ædificia incenduntur, præda ex omnibus locis agitur, oppida minus munita capiuntur, oppidanis interfectis, aut captiuis abductis, ut se redimerent. Tali modo finibus populatis, Nicolaus in Normaniam sine suorum uulnere, cum ingenti præda ad exercitū rediit. Hæc igitur sociorum clades nō immeritò Francorum animos ob uictoriam sublatos nonnihil depressit, infirmauitq;, quos uicissim plurimum confirmauit Ioannis ducis Alenconij reditus. Is superiore anno in Vernoliana pugna captus, datis pro redemptione coronatorum numūm millibus centum, ab Anglo per eos quoq; dies dimittitur.

Dum hæc alibi geruntur, Cenomanorū defectio tentata est: nōnulli enim principes ciuitatis qui iam antè se populi Anglici imperio subiectos dolebāt, cùm intellexissent Britannos repudiata ipsorum Anglorum amicitia, Caroli fidem esse secutos, rati eam partem breui tempore superiorem fore, Francum urbe recipiendum statuūt: itaq; ratione rei conficiendæ inita, temporeq; constituto, per secretissimos nuntios sua clandestina cōsilia Francarū copiarum præfectis, qui in propinquo stationes habebant patefaciunt. Illi tantam occasionē nacti, collaudatis ciuibus respondent, se in tempore adfuturos, ac simul omnibus pollicitationibus atq; præmijs eos solicitant, ut quod destinassent, nauiter maturent. Vbi is dies uenit, præfecti nocturnis itineribus accedunt, factaq; per ignem aduentus significatione, urbi appropinquant. Ciues qui in muris eorū aduentum obseruabant, uiso à longè igne, idem signum reddūt: extinctæ deinde utrinq; flāmæ, & Franci silentio ad portā pergunt. Cōiurati intus ex improuiso ad portam sopitos uigiles in cubilibus obtruncant, portamq; aperiunt. Franci cum peditatu ingrediuntur, equites ad portam subsistere iubent, ut quo res postularet, occurrere libero campo possint: tum suos passim dimittunt, qui Anglos cædant. Tumultus erat, clamorq;, qualis esse in capta urbe solet, sed quid rei esset, nemo omniū extra paucos coniuratos, satis pro certo habebat. Reliqui ciues Anglos ad diripiendam urbem credebant coortos. Anglis uidebaī seditio aliqua cum fraude ab oppidanis facta. Gulielmus Suthfolchiæ comes loci præfectus primo excitatus tumultu, ubi ex clamore suorum, qui passim per urbem ex stationibus ea nocte fortè dilapsi trucidabantur, cognouit Francos intromissos esse cum suo præsidio in turrim quæ ad portam sita est, quam diui Vincentij portam uulgò uocant, properè confugit, atq; inde celeres nuntios ad Ioannē Talbotum qui Alenconij erat, cum literis mittit, qui petāt atq; orēt, ut sibi subueniat. Literis perlectis, Talbotus cum expedito exercitu in Cenomanos contendit, præmittitq; nuntiū ad præfectū, qui ei dicat se celeriter subsidio uenturū, horteturq; omnes, ne animo deficiāt. Interim Franci capta dominabantur in urbe, ac nihil formidantes perinde sese otio inertiæq; dabāt, ac si nullū ab hoste immineret periculū, quippe qui se à tantis laboribus quos sustinuerāt reficiētes, arbitrabantur Anglos uelut in ea turri in quam se recepissent, inclusos, nihil hostile molituros, sed iamiam de sua salute secū acturos. Adfuit protinus Talbotus maximis itineribus profectus, & à suis per eam portā receptus, quam ipsi occupa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant, urbem ingreditur, & id quod rebatur, soluta omnia, rebus ut fit secundis, inuenit, nullam stationem ante portas, & ipsas patentes, uictorẽ uagum, ac tantummodo ciuium libertate, & hostium clade gratulantẽ. Iterum igitur urbs ab Anglo capitur, ac uictores Franci passim trucidantur, neq; se cogendi, aut arma capiendi spatiũ datur. Quapropter pro se quisq; ad portas tẽdit, & quia eas ab hoste occupatas inuenit, subitò de fuga desperans, uitã deprecari iam incipiebat, cùm Talbotus per pręcones iussit arma deponi, & inermi parci, nec præter armatos quenquã uiolari. Spe uitæ per hunc modum facta, Franci arma iactãt, seq; hosti dedunt: eorũ pars necata, pars uerò in custodias diuisa. Quo negotio prosperè confecto, Talbotus Pontosonem petit, ac capit. Gulielmus uerò præfectus de Cenomanorũ coniuratione quæstionẽ habere instituit, & de illis qui eius consilij principes fuerant, suppliciũ sumpsit.

Anglicæ res ea tẽpestate cùm sic ubiq; prosperæ essent, haud temerè spem dederũt Thomę Montacuto Sarisberiensi comiti Aureliani potiundi. Est ea urbs potentissima, quam olim Genebum uocabant, ad Ligerim posita in ea parte Galliæ, quam Celticam appellant: uerùm quia situs loci suapte natura longè munitissimus erat, & idcirco expugnatio nõ uidebatur opus esse unius dici, placuit rem tanti momenti in consiliũ deferri, tametsi ipse solus erat, cuius uirtute populus Anglicus Francis longè terribilior ubiq; gentium existebat, cui suo arbitratu multa decernere, multa facere licebat, in quo, ut postea morte obita, facilius apparuit, omnis Reipublicæ Anglicæ salus consistebat, quòd nempe is homo esset semper multò paratissimus, multò expeditissimus, cui plurimũ fortitudinis, ad pericula adeunda, plurimumq; consilij inter ipsa pericula: nullo labore eius corpus fatigari, aut animus uinci posset, ex quo milites nõ alio duce plus confidere, aut audere solerent. Postquã in consilio de tanto negotio aliquandiu disputatũ est, placuit omnibus Sarisberiensis sententiã probari, quamuis opus arduum ac difficilimũ factu iudicarent, quod ipse tamen rem gerendam suis tum animi tum corporis uiribus metiendo facilimũ ducebat. Itaq; ille plenus spei bonæ atq; animi, comparatis omnibus quæ ad urbem oppugnandã opus essent, cum Gulielmo comite Suthfolchiæ, ac Talboto, Aurelianũ uersus exercitũ ducit, atq; non longius mille ferè passibus castra ponit, tum ex propinquo cõtemplatur situ urbis, mœniaq;, & quæ pars tutissima mœnibus, uel flumine, quæue custodijs maximè esse uideatur. Quibus rebus bene perspectis, quia nulli extra portas milites in agro apparebant, usq; ad muros accedit. Hîc ex loci natura Sarisberiensis consiliũ capit: erat pons in Ligeri, per quem cõmeatus ex agris continenter inferebantur, item oppida uicina ad ipsum flumen pertinentia, quæ pariter rerum copiam subministrabant, ista primùm in potestatem redigit, præsidijsq; firmat, pontemq; custodijs tenet, ac longo circuitu propugnacula facit, cõmunitq; deinde ex munitione in munitionem perducta fossa, urbem circumuallare, ac tormẽtis locis opportunis locatis, uexare instituit. Aurelianenses contrà sub hostis aduentum, omnia ad defensionem necessaria parant, ædificia suburbana incendunt, agrum ex omni parte commeatu & pabulo spoliant, eaq; in urbem ferunt: sed ubi hostem cinxisse mœnia uiderunt, tum tormenta aduersus illius tormenta ponũt, interiore spatio perpetuas munitiones efficiũt, ne quo loco fractis fortè aliquà muris, Anglus introire possit: armatorũ numerum parant,

parant, qui satis sit ad ipsa mœnia tuenda, quibus præficiunt Stephanum Hyrum, & Ioannem filium nothum Caroli ducis sui, qui paucis antè annis in Dagincurtensi prælio captus adhuc apud Anglos in custodia erat. Accessit itaq; ad muros Anglus, atq; summa ui oppugnare cœpit. quotidie leuia fiebãt prælia, modò ciuibus erumpentibus, modò in propugnaculis certãtibus. Angli suis locis sic sagittarios, quorũ magnum habebant numerũ, locabant, ut bene multi ex oppidanis uulnerarẽtur, magnusq; incideret timor sagittarũ. Dum ita utrobiq; certatur, Carolus mittit Aurelianensibus subsidio Ludouicum Borbonienſiũ ducem cum expedita militum manu: is in itinere factus certior aliquot Anglicas cohortes magnam cõmeatus copiã ex Parisijs in castra ferre, eas ex improuiso inuadendas statuit, atq; cõmutato itinere, ad eas pergit. Cognouit aduentum eius Ioannes Fastolus, qui cohortibus præerat, ab equitibus antecedentibus, & in uestigio currus cõsistere, ac ijs circunductis, coronam fieri iussit. Quo facto dimissis equis, aduenientis hostis impetum tanto animo excepere, talemq; stragem facere cœperunt, ut Borbonienſis amplius ducentis ex suis amissis, sponte pedẽ retulerit, qui Aurelianũ profectus ægrè cum paucis est ingressus. Fastolus uerò suo itinere usus, cum cibis sine impedimento ad castra peruenit. Res per nuntios delata in Angliam gaudium publicum duplicauit, quòd per eos dies, circiter octauũ Idus Nouembris, Henricus puer multa cærimonia, more maiorum, corona redimitus est, annum agens ætatis octauum, qui fuit salutis humanæ MCCCCXXIX.

Iam maiorẽ partẽ hyemis durauerat Aurelianensis obsidio plena periculi, plena uulnerũ, plena mortis, nanq; Angli acerrimè oppugnãdo, multos passim ex hostibus aut interficiebant, aut uulnerabant, contrà oppidani strenuè se defendendo, par pari referebãt, cùm inter hæc, ita casus tulit, ut Sarisberiensis haudquaquam moræ patiens, ac potiundę urbis cupidus, ex quadam fenestra ædium, quas in edito loco habebat, oriente sole, subiectam urbem contemplari rursus diligentiusq; solito inspicere cœperit, ut locum obseruaret idoneum ad nouam oppugnationẽ, quam omnibus uiribus tentandam statuerat, ut qui eam urbem expugnatam aut deditam uolebat. Dum ita faciebat, & sexagesimum iam diem uehemẽtius ciues diuexabat, ecce tibi, pila ferrea siue lapidea magna ui tormenti ænei, è regione domus missa, alterũ fenestræ latus percussit, fregitq;, ac illius aliquot fragmenta in faciẽ eius iecit, quibus ita saucius interijt biduo pòst. Reliquit Aliciam effigiem morũ suorum, probitatis, honestatis unicam filiam, quam, uti deinde dicetur, Ricardus Neuyllus in matrimonium duxit. Cæterum quantũ damni immaturo Sarisberiensis interitu Respublica fecerit, iam tum perspicuè apparuit: nimirum inde dubio procul cœpit transmarinarũ rerum Anglicarum infirmitas, quam etsi ipsi Angli ut longè ualentissimum corpus primum nõ sensere, postea tamen eam tanquam pestem & morbum uires intrinsecus paulatim corrumpentem perpessi sunt: nam statim post huius uiri mortẽ, fortuna belli mutata est, uti infrà perappositè declarabit. Fuit proinde comitis mors æquè omnibus ducibus longè maximo dolori, qui postquam ei iusta quę mortuo debebantur, ritè fecere, nihilo secius obsidioni student, quæruntq;, quod Sarisberiensis facere decreuerat, quo pacto per uim urbem capiant, uel saltẽ ciues ad deditionem compellant. Cum primis huic rei magna cum cura uacabat Gulielmus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neuyllus uir impiger, & peritus militiæ, is continenter hostes diuexabat, & suos diligentius noctu uigilias ducere, atq; interdiu prælium continuare hortando, pugnando, magno animo incõmoda omnia patiendo, cogebat. Reliqui etiam duces nihil prætermittebant, quod ad debellandos hostes opportunum putarent. Quibus denicq; rebus factum est, ut Aurelianenses spe subsidij penè lapsi, de deditione facienda inter se agitare cœperint. Post uarias dictas propulsandi periculi sententias, plures in summi dedecoris, ultimiq; urbis excidij loco ponebant, ducebantq;, se Anglis Franci generis parũ amicis subijcere: ex altera parte timebant hostium uictoriam, quòd ex ea cùm multa mala, tum certè tyrannis interdum existere soleat, qui propterea arbitrabantur tam imprudentium esse, non ista cauere, quàm non nisi seruire uolentium illa uelle, posseue pati: sed cùm uiderent rem in discrimen adductam, ad ignominiam similiter atq; miseram sortem declinandam, unum rebus suis consentaneũ iudicabant, ut Philippi Burgundionis ducis fidei se ac omnia sua committerent, quòd ille antiquissima regum Francorum stirpe ortus esset, & omnium opinione perciperetur ita usu uenturum, ut tandem aliquando Anglorum amicitiam repudiaret. Probata hac sententia, & cognito per secretiores nuntios de ea re Burgundionis consilio, qui responderat se id æquis cõditionibus admissurum, si modò Bedfordiensi factum probaretur, legatos Lutetiam ad Bedfordiensem mittũt. Ille autem auditis legatis, senatum conuocat, exponitq;, quas Aurelianenses ciues pacis conditiones offerrent. Erant qui censerẽt eas deditionis leges esse admittendas, quò tam magna ciuitas & opulenta per hunc modum ab amicitia Caroli auerteretur: Bedfordiensis uerò & bona concilij pars turpe ac nefariũ exemplum fore iudicabat, si urbs tam longa obsidione pressa, & auspicijs Henrici regis penè capta, in alterius ad extremum quàm in ipsius regis potestatem ueniret, quòd alij scilicet populi Aurelianenses facilè sequerentur, atque idcirco eiusmodi conditiones minimè concedendas. Vicit hæc sententia, & legatis responsum est, bellum Henrici regis nomine geri, & eius imperio subijci oportere. Atque his mandatis Bedfordiensis legatos ab se dimisit. Sed paruo casu, magna crebrò fit rerum commutatio: duplex enim inde malum accidit: Burgundionis animus primùm offensus est, qui arbitrans Anglos suæ gloriæ inuidere, iam tum de ijs malam animo opinionem accepit: deinde Angli obsidionem Aurelianensem relinquere coacti sunt.

Dum pacificatorijs legationibus Aurelianenses cum hoste agunt, Carolus copias undiq; arcessendas, principes Francos ab Anglorum amicitia omnibus pollicitationibus alienandos curabat: item commeatum quem ad obsessos Aurelianenses mitteret, studio parabat, cùm ad eum puella quædã nomine Ioanna, uiginti circiter annos nata ducitur. Hæc ob seruatam uirginitatem, Puella dicta, & singulari prædita animo ac fatidica, cùm ad Carolum aduisset, eum sese familiari ueste ostendentem, ne posset agnosci, ita salutasse fertur: Bono rex animo es, atque mitte timorem, uinces enim, & me duce, patriamq; tandem in libertatem pristinam uindicabis, si non maiestate indignum arbitrabere fœminæ opera uti. Carolus qui rebus suis iam affectis ualde timebat, facilè dictis credidit, in spem bonam omnino ingressus, ut qui iam tum aliquid diuinitatis in mente Puellæ sibi persuadebat inesse, ex eo, quòd

quòd cùm nõ esset ornatu regio insignis, ab ea fuisset rex salutatus. Sed aliud fuit quamobrẽ in eam spem uenerit: Puella enim petijt gladiũ, quẽ diuinitus, uti aiebat, erat facta certior in templo diuæ Catharinæ in Turonibus, inter antiqua donaria pendêre. Miratus Carolus gladiũ inquiri, ac inuentũ protinus Puellæ afferri iussit, & periculi potius eius uirtutis faciũdi causa, quàm q; magnopere cõfideret facinus aliquod egregiũ à fœmina edi posse, armatorũ manum cum parte cõmeatus attribuit, ut obsessos subleuatum iret. Puella ita armata dux agminis Aurelianum proficiscitur, ac siue frustrata custodes, siue numine diuino tecta, noctis silentio inter tela hostiũ in urbem intrauit, cibariaq; intulit, sine ullo suorum incõmodo. Angli interea qui certum habebant ciues ob rei frumentariæ inopiam, nõ posse diutius obsidionem ferre, remissius solito urgebant, negligentiusq; excubias agebant: sed ubi cognouerunt Ioannam Puellam commeatum supportasse, etsi contemptui habebant fœminam, quæ militaria munera obiret, tamen ob missum subsidium ira accensi, acrius multò hostem premendum statuunt: itaq; duces suos cohortati, ut aliquando pro tantis laboribus, fructũ uictoriæ caperent, ijs qui primi in murũ ascendissent, præmia proponũt. Qua re pronuntiata, subitò ex omnibus partibus euolant, murumq; complent simul tormentis cuiusq; generis, simul telis hostes à defensione murorũ arcentes, idq; sine intermissione faciunt. Hostes quãuis re noua perterriti, sese tamẽ nõ deserebãt, nec animos demittebãt, cùm Ioannes Nothus per nuntios celeriter Carolo significauit ciuitatem inopia rei frumentariæ premi, ac usq; eò hostem urgere, ut non possent uires cuiusquam satis esse, atq; rem denicq; in tali periculo uersari, ut breui male casura esset, & ne id accideret, positum in eius diligentia atq; uirtute. Quibus rebus cognitis, Carolus quamcelerrimè potuit, & subsidium & cõmeatus copiam misit. Exercitus Aurelianũ ductus, ac castra propè ad millia passuum duo posita. Tum Franci de suo aduentu Puellam quæ Aureliani erat, admonent, rogantq;, ut postero die cum electa suorũ manu obuiam ueniat, secq; tutò intromittendos curet. Quod ubi per Anglum fieri licuit, qui ex usu suo fore duceret eius dici omnes uno momento, cõtendentes de urbe erumpũt, proximumq; propugnaculũ continenti impetu petunt, quod post multam factam utrinq; stragem capiũt, atq; incendunt, deinde maioribus animis aliud longè maius oppugnãt. Hîc quia bene magna defensorũ manus aderat, uehemẽtius depugnatur. Frãcus qui numero præstabat, facta corona, undiq; urgebat. Anglus uitio munitionis, quæ iam frangi cœperat, omnibus rebus premebat, ægreq; sustinebat, cui ita laboranti ne Talbotus quidẽ qui in propinquo erat, & tertium tenebat propugnaculum, subsidio ire poterat, ueritus ne se absente, ea quoq; munitio amitteretur. His igitur difficultatibus Angli aliquandiu pressi, ad ultimũ loco summouentur, qui facto repentè cuneo ad Talbotum in tertium propugnaculũ se receperunt. Talbotus nulla facta mora, cum expedito exercitu aduersus multitudinem contendit, qui nõ mediocri terrore illato, & suos firmauit, ut se ex magno timore colligerent, & hostes cõpressit, adeò ut protinus se intra mœnia coniecerint. Cædes ab Anglo minor facta, quòd munitio minus firma fuerat, in qua primũ erumpentium impetũ excepit. Haud ita multò pòst Talbotus cõuocato consilio causas ẽj multas docet, quamob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem obsidionem urbis diu oppressæ,& perinde quasi ope diuina defensę,aut modis omnibus relinquendam, aut in aliud tempus reijciendam existimet, cùm meliore omine id opus tentari licuerit, ut ne tẽpus teratur, quo hyeme iam confecta,ad bellum magis necessarium eatur. Probata nõ tam libenter q̃ necessariò generatim à cunctis sententia,& dato profectionis signo, Magdunum pergunt. Discessu Anglorũ omnia repentè apud Aurelianenses lætitia & cõgratulatione plena sunt,quòd tantum periculum uitassent: quare id beneficij Deo acceptũ referẽtes,in plures dies supplicationibus decretis,orarũt ad cuncta diuorũ templa,cõmunem uictoriã exposcentes. Hinc profectò uideamus licet,illũ aliquoties minus consequi,qui plus nimio poscit: equidem Angli uincere potuerunt, sed existimantes suæ dignitatis non esse admittere Aurelianensiũ deditionem aliter atq; petebant factam, neglexere uictoriam, perinde quasi in manu esset: uerùm tantum pòst abfuit, ut Aureliani potiti sint, ut eos necessitas ab incœpto auerterit. Franci autem ob pulsum hostem gloriantes,reliqui negotij gerendi facultatem nequaquam dimittendam statuunt, qui continuò per omnem agrum Aurelianensem percurrunt, oppida quæ hostis præsidijs tenebat,recuperandi causa, & primum Gergeũ petunt, paucisq; pòst diebus capiunt,amplius ducentis Anglis interfectis,& quadraginta captis: ex suis uerò militibus trecentos desiderarunt.

At Talbotus,quem ostendimus relicta Aurelianensi obsidione, Magdunum se contulisse,postquam oppidum præsidio firmauit, Lauallum concessit, iuxtaq; murum castra posuit, ac perspecto loci situ,suos cohortatus tanto impetu oppugnare cœpit,ut post tertium diem, quàm eò peruenerat, oppidum cum arce cœperit, at oppidanos quorum pertinaciã pœna afficiendam iudicabat,grauiter mulctauit. Franci post receptũ Gergeum,omnibus copijs duce Puella,Magdunum proficiscuntur,atq; sub mœnibus consistunt. Quare nuntiata, Talbotus & Ioannes Fastolus cũ instructo agmine suis protinus auxilium ferre maturãt. Quod ubi Arthurus Francorum equitum magister per speculatores cognouit,haud mora,accita ad se Puella,& Ioanne Alenconij duce,cum omnibus copijs ad impediendũ iter profectus,ad Pataium oppidum quò hostes uenturos esse iudicabat, castra fecit, atq; equites pro castris instructos locauit,qui in uenientem hostem præcurrerent,prælioq; excuperent. Angli dum cœptum iter faciunt, uiso à longè hostium equitatu, insidias sibi cauendas rati consistunt, peditesq; suos uallum palis more suo, circunducere iubent: cæterum tanta celeritate equites Franci in eos delati sunt, ut nullo sui colligendi dato spatio, equestrem pugnam cõmittere coacti sint. Hoc loco cùm esset amplius tris horas pugnatum,equitatus Anglicus multitudine pressus,in fugam uertitur. Peditatus uerò omnibus ferè telis consumptis,gladijs districtis confertus pergit,& parte equitum adiutus, ad suos incolumes Magdunum peruenit. Angli in primo congressu circiter mille eccidere: captiuorum numerus centum, & in ijs Ioannes Talbotus. Ex Frãcis interficiuntur milites amplius sexcenti. At ubi fama per Gallias peruasit Talbotum esse captum, confestim omnium opinione res Anglicæ inferiores iudicantur, adeò ut multa appida uno momento ad Francos defecerint. Nempe omnes generatim incensi rapiebantur ad libertatem recuperandam, sperabant tum demum optima, confidebant Deum uelle Rempublicam Francam

cam,quæ iamiam exurgere uidebatur,saluam,quòd soleat precibus placatus afflictos subleuare.

Carolus de parta uictoria certior factus,iam tandem sibi rem restitutam opinione certa mente cõcepit,qui ea animi præstãtia hactenus fuerat, ut rebus aduersis pressus nunq; se deseruerit, ita nunc Sarisberiensi comite sublato, & Talboto capto,duobus excellentissimis aduersariorũ ducibus,eadem uirtute auctus maiora conari cœpit,atq; ita primùm omniũ Rhemos petendos statuit,ut ea potitus urbe,ibi more maiorum,& solita cærimonia consecraretur, quò cunctis constaret se perinde ritè, ut iure, sicut prædicabat, regem esse,ac appellari: itaq; cum ingenti exercitu,duce Puella,quam ut oraculum de rebus agundis cõsulebat,iter per Campaniam faciens, Altisiodorũ contendit, quò ubi appropinquauit, legati ex ciuitate obuiã ueniũt, libenter se omnia facturos quæ uellet,pollicentur,si modò datis in aliquot dies inducijs, eius uoluntate liceret,officij gratia,prius cognoscere, an ab Anglo subsidium esset expectandũ nec ne. Carolus ne gratos in se ciuiũ animos iniuria læderet, inducias dedit,& castris haud lõgè ab urbe cõmunitis,ac præsidio firmatis ne oppidani fidem fallerẽt, Trecas reliquas copias duxit: Hanc urbẽ quæ caput est Campaniæ, bis intra paucos dies obsidere aggressus est, quã demũ per deditionẽ recepit,facta Anglis qui in præsidijs collocati erãt,abeundi potestate. Itidem Cathalanenses fecerũt: ibi proposito præsidio, Matronã amnem trãsgressus, Rhemos armis adortus est,quos nullo ferè negotio recepit: etenim ciues quò Anglorum imperia grauius ferebant, hoc obsidionẽ minus tolerarũt: sed ne proditionis crimine notarentur,Anglis qui loco præsidio erant,incolumitatem à Carolo impetrarunt. Carolus recepta urbe, more maiorũ consecratur, ad quem totius eius factionis legati principes ciuitatum protinus gratulatũ conuenere,prædicantes intelligere se iam tandem aliquando Deum optimũ maximum Franciæ labores miseratum, reddidisse sibi libertatẽ, quam à suis olim accepissent maioribus. Altisiodorenses quoq; finitis per eos dies inducijs,& nullo ab Anglis misso subsidio,in eius potestatem uenere.

Bedfordiensis interea qui intentis oculis cunctas regni partes intuebatur, animaduertẽs famam capti Talboti rebus suis sic nocere, ut aliquot ciuitates ab omni metu uacuæ nõ dubitarint alienationẽ facere,& cõplures in dies singulos ad defectionẽ spectare,periculo occurrendi causa, modis omnibus magnum cum Carolo conserendam statuit,ut ipse euentus uictoriæ,quã Deo iuuante suis promittebat,reliquos populos in officio & metu contineret: itaq; Lutetia profectus in Carolum cõtendit, qui paulò antè à Rhemis discesserat Dammartum, & in itinere aliquot occupatis nobilibus oppidis, collocatoq; præsidio,eo loci manebat,ut Parisios pecunia uel promissis solicitaret. Accessit Bedfordiẽsis, & castris loco natura edito positis, equites misit,qui hostem ad certamen prouocarẽt,irritarent,ferroq; & uerbis lacesserent. Carolus tum quoq; sibi dubitandum nõ putauit,quin productis copijs,prælio dimicaret, sed cùm per speculatores cognouisset Anglũ & numero & uiribus parem esse,statuit potius sine periculo abstinendum, quàm cum periculo præliũ tentandum,ne cursum rerum suarum quę iam prosperę esse cœpissent,temerate interrumperet interpellaretq;. Factæ sunt igitur leues pugnæ tantũmodo inter equites in medio spatio, quod inter utraq; castra intercedebat. Cæte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum Carolus cùm cerneret Anglorum ſtudium & alacritatem pugnandi, ſuſpicatus ne morando non cõmitteret, ut aut inuitus decertare cogeretur, aut magna cum infamia ſe caſtris cõtinere, de media nocte caſtris ſublatis pedem referre cœpit. Qua re multo mane comperta, Bedfordienſis ſuos ægrè retinuit, ne hoſtem inſequerentur, quod conſultò fecit, ut ne fortunam temerè tentaret: qui ita deſperans Francum ad pugnam tum elici poſſe, Lutetiam reuertitur animo augendi exercitus, ut cùm in poſterum facultas daretur maioribus uiribus Carolum aggrederetur.

His temporibus Boëmi qui aliam ſectam habent, ac cæteri Chriſtiani, propterea quòd Rom. pontifici non parent, partim ſuæ hæreſeos tuendæ cauſa, partim, ut fit, odio in externos cõcitati cœpere finitimos uexare bello. Quod ubi notum factum eſt Martino quinto Rom. pontifici, ille primo quoq; tempore legatos in Germaniam miſit, qui pios principes aduerſus Boëmos, tanq; Chriſtianæ religionis hoſtes, ad arma concitarent: item Henricum diui Euſebij Cardinalem Vintonienſem epiſcopum legatum fecit, qui ad id bellum gerendum ex Anglia cum aliqua armatorũ manu proficiſceretur, cui ſimul iuſſit, ut religionis iuuandæ gratia, ſua autoritate, decimã ſacerdotiorũ imperaret ſacerdotibus. Henricus cõmunicatis pontificis mandatis cũ ſenatu regio, & illo nihil quicq; huic rei præuertendum decernente, pecuniã pariter exegit, ac nõ mediocrẽ militum numerũ confecit, quamuis nõ ſine patriæ incõmodo tot quotidie tributa cõferrentur, totq; delectus haberentur, atq; ita rebus paratiſsimus per Germaniam iter propediem ſuſcepturus iam ad litus peruenerat, militesq; naues conſcendere cœperat, cùm à Bedfordienſi literæ ad Gloceſtrenſem allatæ ſunt, quibus nouũ militum ſupplementũ petebat. Gloceſtrenſis magna affectus eſt ſolicitudine hoc nuntio, quòd neq; ullum paratũ haberet exercitũ, quem trans mare mitteret, neq; ſpatiũ eſſet in eo articulo temporis, quo cauſa belli gerendi in Boëmos, nouus habitus erat militũ delectus, ad cõtrahendas nouas copias, cùm præſertim res in celeritate poſita eſſe uideret, qui propterea neceſſariò nulla interpoſita dubitatione, Henricũ Vintonienſem magnopere rogauit, ut primũ cum exercitu, quẽ ducebat, ad Bedfordienſem ſe cõferret, iuuaretq; ſuos in prælio, quod Bedfordienſis cum hoſte propediem facturus erat, & inde eo confecto feliciter negotio, prout fore cõfidebat, in Boëmos pergeret. Hẽricus etſi permoleſtè ferebat ſuũ iter impediri, tamen ne ſuis deeſſet, trãſgreſſus Oceanũ, Lutetiã ad Bedfordienſem cõceſſit.

Interea Carolus factus ab equitibus quos in omnes partes ad cognoſcendos populorũ animos inſtigandosq; ad defectionẽ dimiſerat, certior, Compendienſes Bellouacosq; grato in ſe eſſe animo, ac maximè cupere ab Anglorum dominatione liberari, & propterea paratos eſſe ſibi uenienti aperire portas, ſi modò id ſine capitis periculo fieri liceret, cum expedito exercitu Compendium petijt. Qua re cognita, Bedfordienſis maioribus copijs quas Henricus duxerat, auctus, obuiam hoſti perrexit, ut tandem ad æquum certamen eum traheret, qui uix in Syluanectenſem agrum peruenerat, cùm Carolus ad montem Piliolum qui inter Compendium & Syluanectum eſt, iter auertit, ubi idoneum locum nactus copias collocauit, ſuos ex caſtris non facilè ductus. Hæc ad Bedfordienſem per ſpeculatores ſtatim deferuntur, qui actutum educto in aciem exercitu, propius hoſtem accedit, pugnæq; poteſtatem facit.

Franci

Franci monte Piliolo ſe cõtinent, & cũ hoſte aliquot tumultuarijs tantũmodo ab equitibus pro caſtris, factis prælijs, nil amplius tentant. Conſiderabat enim Carolus quantũ in bello fortuna, hoc eſt, ſubitus atq; inopinatus rei etiã minimæ accidentis euentus poſſet, cui detrimẽta prius crebrò accepta prodiſciplina & documento erãt: item cùm per exploratores cognouiſſet multas ac amplas Galliæ ciuitates grauatè Anglorũ perferre imperium, ac paratas eſſe quamprimum tentare defectionẽ, ſperabat ſine certamine, ipſos Anglos omnino tota Gallia breui tempore expulſum iri, & illud eſſe iudicabat, quamobrem Bedfordienſis ut uir prudens ac ſuorum uulnerũ minus expers, de ſumma rei uno prælio decertare tantopere cuperet. Quibus rebus edoctus, in animum induxerat nullo loco, niſi quantũ neceſsitas cogeret, ſe fortunæ cõmittere, idq; in rem ſuã fore maximè iudicabat. Bedfordienſis qui Pariſios cum primis ſuſpectos habebat, quòd quicquid ciuitati imperatũ eſſet, ita illi facerẽt, ut inuitis imperatũ eſſe facilè appareret, nec multũ Burgundioni confidebat, cuius rei cauſa pòſt perappoſitè dicetur, ubi animaduerterit hoſtem conſultò certamen extrahere, Lutetiã reuertit. Tum Henricus Cardinalis legatus Romani pontificis ſumpto ſecum exercitu, quẽ ex Anglia antea traduxerat, poſt quintũ & quadrageſimũ diem, quàm in Galliã uenerat, iter ſuum in Boëmos proceſsit: quò ubi peruenit, cùm omnia flagrare bello reperiſſet, rem Chriſtianam pro uirili parte fortiter iuuare cœpit, mãſitq; in Boëmis aliquot per menſes, uſq; eò, dum cum alijs legatis reuocatus eſt à pontifice, miſſo cum maioribus copijs ad id bellũ Iuliano Cæſarino ſancti Angeli Cardinale. Ac ita Henricus poſt egregiam ſacro bello enauatam operam, domum incolumis rediit.

Carolus poſt Bedfordienſis diſceſſum, Compendiũ, Bellouacos, & Syluanectum, oppidanis ultrò in ſuam poteſtatẽ uenientibus recepit: qui licet ita ſaluente fortuna gauderet, nõ ſperabat tamẽ prius poſſe ſe Anglos patria exterminare, quàm eorũ & Burgundionis conſocietatẽ diſiunxiſſet, quod tandẽ aliquando uſu uenturũ confidebat: itaq; crebris nuntijs ipſi Burgundioni ſe primùm expurgatum uoluit, de eius patris interitu, atq; eum monitum, nihil eſſe alienius ab omni iuſtitia & pietate, aut quod minus deceat, quàm contra ciues, cõtra patriam facere, quàm uel ob priuatas iniurias, cum perpetuis hoſtibus conſentire: deinde de pacificatione agitare, offerre condiones minimè negligẽdas, polliceri plura, quàm præſtare poſſet, tanto cœpit ſtudio, ut eius conſiliũ Bedfordienſi facilè nõ latuerit. Quocirca ille maioribus curis anxius, cùm uideret Anglicas res ualde infirmari, ſtatuit quodcũq; aduerſi incideret, primùm omniũ maximopere curandum, ut ſi loca omnia quæ Henricus rex eius frater in Gallijs recuperaſſet, non poſſet retineri, conſeruari, defendi, ſaltem Normania à maioribus perdiu poſſeſſa non amitteretur, perinde ac ipſe Henricus in extremo ſpiritu faciundũ mandaſſet: quapropter dato imperio ciuitatis Lutetiæ Ludouico Lucemburgenſi Morinorum epiſcopo, ac Franciæ cancellario, & præſidio non modico relicto, in Normaniam proficiſcitur, quò ubi peruenit, principes ciuitatũ ſpeciatim ad ſe euocat, quibus primùm commemorat beneficia omni tempore à ſuis maioribus in Normanos collata, iura & leges redditas, ſimul antiquam Normanorum ducum ſtirpem, qua Angli reges orti eſſent: deinde ſingulos nominatim hortatur, ut animo pariter atq; uiribus uelint incumbere in negotium pacis ſeruandæ, fideiq; non fal

Universidad de Deusto
Biblioteca

lendę,idq; si faciant,iam posse eos affirmat omnia præclara & magna ab Henrico suo rege meritò sperare. Dum hæc agit Bedfordiensis, fit certior nõnullos legum metuentes de oppidis, de agris demigrare: qua re permotus cõuocat consilium, ad idq; adhibet omniũ ordinum duces, quos rogat de populo Normanico in officio continendo, sententias dicere. Cuncti partiendũ exercitum in plures locos iudicant. Itaq; pars una ad oram maritimã tuendam Ricardo Eboracensium duci datur, altera in oppidorũ præsidijs collocatur, tertia Rothomagum ducenda Edmundo Somersetensi duci attribuitur. Sic rebus constitutis, copijsq; distributis, Bedfordiensis Lutetiam redit.

Dum hęc apud Anglos in Normania geruntur, Carolus Fanum Dionysij per proditionẽ occupat, præsidijsq; uincire maturat, ac exin Ioannẽ Alenconij ducem, & Puellam præmittit, qui Lutetiam usq; percurrant, ciuiũ animos ad defectionẽ tentandi causa, & si ex re esse uideant, urbem oppugnare aggrediantur. Illi agmine quadrato cum scutatis militibus proficiscuntur, urbiq; appropinquantes cum magna suorum cæde repelluntur ab Anglico præsidio. Quibus rebus auditis, Bedfordiẽsis celeriter ad urbẽ peruenit, collaudatisq; ciuibus gratias egit, quòd Dionysianos secuti nõ essent. Tum Carolus quem spes frustrata est, aliam rem aggreditur: misit enim Ambrosium Delorum Latiniacũ, quod est ad Matronam flumen situm, cui uenienti oppidũ traditur. Haud multò pòst Carolus eò discessit, impositoq; præsidiũ, quòd loco per se munito plurimũ cõfidebat, qui in Andegauenses iter habebat, cùm Angli ex altera parte Fanum Dionysij armis adorti recuperarũt: tentarunt & Latiniacum recipere, sed cùm Puella in præsidio esset, quæ acriter resistebat, defensum egregiè oppidũ est. Per eos ipsos quoq; dies, aliquot Anglicanæ cohortes, quæ statiua habebãt Rothomagi, duce Thoma Terello uiro strenuo, per hostium agros populabundæ cursitantes, Claromontem oppidum, quod leui præsidio teneri audierãt, primo impetu capiunt: sed quia locum custodijs, propter suorum paucitatẽ, munire non poterant, primùm murorũ parte nudant, inde diripiunt, ac præda omnis generis refertę redeunt, unde uenerant. Alia ex parte Burgundiones duce Ioanne Lucemburgensi, cum bene magna Anglorum manu, Compendium petunt, ualloq; circundant. Sed neq; oppugnatione facilè capi poterat oppidum munitum, neq; in obsidione uis magna inesse uidebatur, quia frumentum satis antea conuectum fuerat, attamen aut longo certamine expugnandi, aut ad deditionẽ cogendi spe adducti, ad mœnia subeunt, bifariam diuiso exercitu, & dies ac noctes alij telis, tormentisq;, alij cuniculis ad muros actis, alij prælio propè continenti oppidanos uexant, in idq; potissimum incumbebãt, ut deditio maturius fieret, cùm subitò Ioanna Puella Dei uates, uti uulgò appellabatur, at suæ omnino sortis nescia, subsidio uenit, ac in oppidum fortiter se recepit, sed paulò pòst cùm oppido egressa in hostes temerè erumperet, à Lucemburgensi capitur, Rothomagumq; ad ducem Somerseti mittitur.

Hæc Puella cùm ultra fœminæ uires, sineq; ulla ferè peritia militaris disciplinæ, quam nunq; didicerat, multa facinora, & illa quidem egregia faceret, apud uulgus in suspitionẽ uenit, ut diceretur magicis artibus ea omnia agere: quamobrem in ueneficij crimẽ uocata, primò iubente duce Somersetensi, diligenter examinata est, an bene sentiret de religione Christiana: deinde quia uirili

uirili usa erat uestitu, & omnino uenefica habebat, seuerè damnatur, atq; comburitur. Sed Puella infelix priusquã ea pœna affecta sit, memor humanitatis, quæ unicuiq; innata est, simulauit se grauidam esse, quo aut hostes misericordia frangeret, aut faceret, ut mitius supplicium statuerent. Verùm postquam ob eam causam, nouem menses est seruata ad partũ, & res uana apparuit, nihilominus crematur. Visa est ea profectò sentẽtia in Puellam lata longè post homines natos durissima, quæ neq; molliri, neq; mitigari tempore potuit. Sanè fœmina pro patria ad uirilia decora excitata, digna fauore uidebatur, cùm præsertim permulta extarent parcendi exempla, & illud potissimũ à Porsena Hetruscorum rege editum: is enim composita cum Romanis pace, cùm obsides accepisset, & in ijs Cloeliam uirginẽ, & illa dux agminis aliarũ uirginum, frustrata custodes inter tela hostium Tyberim tranasset, ad suosq; confugisset, ac inde ex fœdere restituta fuisset, nõ affecit uirginem pœna, sed collaudatam & parte obsidum donauit, & domũ remisit. Ad rem redeo. Hunc exitũ Ioanna Puella habuit, magicis, uti uulgi opinio ferebat, artibus quàm bello gerendo aptior. Franci tamen illam etiam nunc ad pellendum patria hostem ex cœlo dimissam ferunt, quippe quam uirginem interijsse prædicant. Post Puellæ casum, Franci nõ se deseruerunt, qui hostes cùm assiduis ex oppido eruptionibus, tum in campo sæpius pugnando, tot incõmodis affecerunt, ut illi desperata expugnatione, sua sponte recesserint.

Res Anglicæ per hunc modum in dies magis magisq; in terra Gallia infirmiores erant, quod uariè afficiebat principes, quorũ pars occupatis ægritudine animis, horũ temporum malum præ illo, quod impendêre prospiciebat, leue admodum ducebat: pars quod acciderat, grauissimũ existimabat, quia uidebat hostis uires per id auctas, & suas plurimũ debilitatas, ac ita tacitis incensus curis, pro se quisq; animo uersabat, ecquid remedij ad res propè affectas adhiberi posset, cùm ad extremũ omnibus uisum est, in rem præsentẽ maximè esse, ut Henricus rex cum nouo exercitu, primo quoq; tẽpore Gallias peteret, partim suos confirmandi, partim Francorũ animos, aut metu, aut gratia, quã puer id ætatis plurimã præ se ferebat, in officio continendi causa. Quocirca conscriptis copijs, quæ satis uiderentur ad iter faciendum, & pecunia in sumptus necessarios eroganda ex tributo cùm sacerdotibus tum reliquo populo indicto, conflata, Henricus duce Henrico Cardinale, ex Anglia profectus, primùm Rothomagum, inde Lutetiã uenit. Fit illi obuiã tota ciuitas, adolescentemq; optimæ indolis faustis plausibus regem salutat, etsi permulti fortasse erant, qui id officij simulatè præstarent: attamen dies ille aduẽtus regis cunctis æquè lętè actus est, populusq; pro concione collaudatus, pecunia, frumento, uino donatur. Bedfordiensis post hæc, conuocato principum cõuentu, sic locutus fertur: Ecce principes humanarum rerum successus, Henricus quintus cùm iure, tum ex fœdere rex uester futurus erat, sed ante fermè ætatis maturitatem uita priuatus, reliquit filiũ qui succederet, ac auitum regnũ possideret. Is apud nos est, eaq; de causa, in præsentia huc accessit, ut more maiorũ rex uester declararetur, suumq; Francũ populũ cognosceret, ab eoq; unà cognosceretur, qui unus omnium ex ueteri instituto, solet regem suum loco Dei, ut ita dicam, habere, & colere, ac fideliter & uigilanter dicto esse ei audiens. Et quãuis sint, qui Carolum sequantur, id tamen errore, nõ perfidia fieri cõstat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare qui ad officium redierint, sine fraude erunt. Igitur tantùm supereſt, ut uos uestra fide, quemadmodũ hactenus nauiter feciſtis, uelitis deinceps dare operam, ut populus in officio permaneat, quo sanè beneficio tantùm de uestro rege bene merebimini, ut quicquid uobis utile ac honorificũ fuerit, haud fruſtra ab eo deſideraueritis, cuius animũ erga uos fore gratum, ex uestra tantùm conſcientia metiamini, licet. Dimiſſo conuentu, Henricus decimum agens ætatis annũ, in æde deiparæ uirginis ſolita cærimonia ab Henrico cardinale cõſecratur, eiq; corona imponit. Facta re diuina, principes Frãci in Henrici uerba iurãt, dein per præconẽ edicit, omnes ſine noxa fore, qui intra certũ diẽ, in Hẽrici ditionẽ redierint. Fuit is annus ſalutis humanę MCCCCXXXII.

Dum hæc Lutetiæ aguntur, Meledunũ, Corbolium, cum nõnullis alijs locis, partim proditione, partim ui à Carolo recipiunt. Sed alibi alio euentu res geſtæ ſunt. Erat bene magnũ Francorũ præſidiũ apud Bellouacos, hos Thomas comes Harundellius ſperans ad pugnã elici poſſe, poſitis procul caſtris, loco idoneo & occulto, prope ipſam urbem pedites equitesq; ſimul collocat, deinde aliquot equites leuis armaturæ præmittit, qui hoſtes ad eruptionẽ laceſſant. Illi quod mandatũ erat, ſedulò facientes uſq; ad portas progreſſi, ubi Francos ad inſequendũ paratos cõſpiciunt, ſimulantes fugam, in inſidias ducunt, ſe temerè ſequentes. Franci in inſidias intrantes, paſsim occiduntur, unà cum oppidanis, qui ſimul in hoſtem cõcurrerant. Nonnulli cognito ex fremitu equorũ dolo, in urbem ad ſuos ſe ægrè receperũt, reliqui interiere. Nõ ponitur, quod ſciam, ab aliquo autore occiſorum numerus, qui omnino nõ mediocris fuiſſe creditur. Item Ricardus comes Varuicenſis apud Gorneũ, eodem tempore cum hoſte pari fortuna cõgreſſus complures interfecit, ac ſexaginta equites cepit. Similem fortunæ uim Rhenatus dux Barri, qui Carolum opibus maximè iuuabat, per eos illos dies paſſus eſt: Rhenatus enim qui ueteres inimicitias cũ Antonio Vallimontis comite habebat, cõtracto magno exercitu, Vallimontem oppidum oppreſſum contendit, quem ubi comes ap propinquare audiuit, ne ab hoſte intercluderetur, relictis militibus quos ſecum habebat, præſidio oppidanis, ad Bedfordienſem & Burgundionẽ quorum partes ſequebatur, rogatum auxilium aduolauit, & eo impetrato, ipſe & Antonius Tolongonius præfectus Burgundionum cum ualida armatorum manu, ſuis quos hoſtis aſperè premebat, protinus ſubſidio uenerunt. Quod ubi Rhenatus cognouit, ueritus ſi hoſtes appropinquarent muris, idq; oppidani ſentirent, ut uno tẽpore, & ex oppido eruptio fieret, & à tergo à comite inuaderetur, relicta obſidione, ſuos in uenientes hoſtes conuertit, impreſſionemq; facere iubet. Pugnatur aliquantiſper inter equites, qui primi impetum exceperunt, donec peditatus acceſsit, qui tanto impetu in certamen uenit, ut Franci nõ modò ſuſtinere nõ potuerint, ſed confeſtim in fugam cõiecti ſint. Capitur Rhenatus, cum ducentis militibus. Occiſa ſunt tria circiter millia. Non minor per idem temporis occaſio bene gerendæ rei alia in parte Anglis oblata eſt, ſi eam imprudenter non omiſiſſent: Robertus enim Vuyllugby & Matthæus Gogthus homo Vuallus, uir ſtrenuus Fani Selerini arcem natura loci munitã obſident, inſtantq; per uim capere, contrà præſidium quod intus erat, impigrè locũ tuebatur. Quo cognito à Carolo, celeriter Ambroſiũ Delorum cum nonnullis alijs ducibus, ſuis ſubſidio miſit. Ille quia præfectus arcis erat,

cis erat, & à præſidio quod ipſe ibi collocarat, defendebatur, cupidus ſubueniendi ſuis, prior iter facere cœpit, ſed mox ueritus ne non circumueniret, cõſtitit ad Bellimõtem, expectaturus dum eò reliqui duces cum ſuis copijs peruenirent, quò inde omnes ſimul in hoſtes irent. Dum ad eum locum conueniunt Franci, interim Angli qui in obſidione arcis erant, id quod hoſtis agebat, per ſpeculatores edocti, occurrẽdum ſtatuũt, anteq; alteri ad alteros peruenirent. Itaq; bona pars de media nocte ſine ullo tumultu egreſſa, caſtra hoſtium adeò neglecta reperit, ut mille circiter hominũ prius in uallum intrauerit, quàm quiſquã penè ſentiret: ſed cædes in ipſo uallo facta excitauit hoſtes, quos id quod accidit, minus opinantes tantus terror pauoreq; repentè occupauit, ut nemo aut arma capere, aut caſtris pellere hoſtẽ ſatis conaret. At ubi illuxit, Angli prędę ſtudentes hoſtẽ atq; hucatq; illuc fugientẽ nõ perſequũtur, ſed contenti tanta præda, eam dũ abducere laborãt, ecce accidit, ut ex improuiſo Franci qui in itinere erant, exaudito clamore pugnantiũ, ſeſe cõcitantes ſuperuenerint, atq; hoſtẽ præda prędituũ magno inuaſerint animo. Accurrũt etiã reliqui Frãci ex fuga reuerſi ad ſuos: cõmittitur utrinq; atrox prælium, diuq; æquo Marte certatur, ſed ad ultimum ſuperãte multitudine, Angli pedem retulerunt. Eorum nõnulli capti, & in ijs fuit Matthęus Gogthus. Ex Francis multi cecidere, ſed complures capti, quorum in numero Ambroſius Delorus fuit. Robertus obſidionem poſtea reliquit. Adeò imperatori uictoria curanda, præterea nihil, quæ ita difficilis quæſitu, ita fugax eſt, ut qui eam putat in manu eſſe, antequam teneat, falli ſemper ac damnum incurrere poſsit, aut qui eam habet, niſi retinẽdam curet, cum incõmodo facilè amittat. Angli dum quaſi uictores prędę ſtuduerũt, partam uictoriam perdiderunt.

Dum autem ita Angli Franciq; de potentatu, de principatu, de uita deniq; certant, in terra Gallia per bellorum licentiam, mortalium omnium facultates rapiuntur, theſauri ſacri ſpoliantur, homines paſsim occiduntur, aut conuulnerantur, cruciatu & ſupplicio afficiuntur, matronę conſtuprantur, uirgines raptus fiunt ex complexu parentum, quotidie oppida capiuntur, quotidie diripiuntur, atq; oppidanorum opes aliò exportantur, ædificia, uiciq; incenduntur, ac nulla deniq; crudelitas in miſeros Francos nõ exercetur, mitto ſexcenta alia calamitatum genera, quibus pariter premebãtur. Ad hoc accedebat, quòd res interea ubiuis gentium publica ſine legibus, quæ inter arma ſilent quãmaximè, ſine iure, ſine iudicijs, iacere cogebatur. Nec Anglia eiuſmodi iniuriarum expers erat, quæ in ſingulos dies ſuorum funera, cędes, uulnera, ac tributis aſsiduis opes ſuas diminui uidebat, ita ut cõmunia propè mala eſſent, ploratibusq; utriuſque gentis, totus Occidens ſonaret, ac fama triſtitiæ pleniſsima in omnes orbis partes peruaderet. Quapropter non erat, qui non miraretur, quomodo hi duo populi ad patiendũ ſatis eſſent, ac maximè miſereretur: & cum primis id faciebat Eugenius quartus Romanus põtifex, qui cupidus ineũdę rationis, qua importuniſsimi belli finis fieret, Nicolaum Cardinalem ſanctæ Crucis in Gallias miſit ad conciliandam pacem inter reges. Is ubi eò peruenit, ad Carolum primùm adit, eiq; exponit mãdata pontificis, inde eadem Bedfordienſi, hortatur pacem, demonſtrat, declarat, argumentatur eam ſemper honeſtiorem eſſe, quàm bellum, in Chriſtianis principibus, qui ſuorum commodis ſeruire, qui iuſtitiam ſeruare, qui ſe ratione re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gere, qui remittere semper aliquid de ira, de iniuria deberent, quę per bella fieri non liceret. Ista in animos principum inducere conanti legato, utercp̃ respõdit se paratũ ad omnia descendere: atqui cùm res cœpta est agi, tãtum abfuit, ut honestis conditionibus essent contenti, ut etiam magis atcp̃ magis in pertinacia permanerẽt. Id Cardinalis animaduertens, desperata pace, ut ne frustra tantum laboris subijsse diceretur, inducias sex annorum confecit, quas ut ægrè ambo principes rogatu Cardinalis concesserunt, ita post eius discessum subitò fregerunt. Non nemo ex recentioribus autoribus tradit Francos prio res illas uiolasse, qui passim Anglorũ Burgundionumcp̃ amicos mulctarint. Quo factum est, ut irritatis utrincp̃ animis, acrius solito ad arma itum sit. Fuit ille annus salutis humanæ MCCCCXXXIII.

Cæterũ ad Henricũ regem reuertamur. Henricus post aliquot dies, quàm est Lutetiæ maiestate regiæ coronæ decoratus, Rothomagũ cõcessit, ubi dũ moratur, Henricus Cardinalis in Angliam reuocat, ad sedandũ tumultũ per quosdã perditissimos factũ, qui specie perfundẽdi hominũ animos noua religione, quietẽ regni turbandã statuentes coniurarũt. Sed Gulielmo Mandeuillensi eius maleficij autore capto, ac pœna affecto, cæteri mortẽ deprecãtes confestim ad sanitatem rediere. Cardinalis cum Gloecstrensi de transmarinarum rerum statu communicat, idcp̃ quod rebatur, docet se suspicari inducias per Francos breui uiolatum iri, & propterea præstare, ut supplementũ militum cum pecunia ad usum belli necessaria pararetur. Quibus rebus cognitis, Gloecstrensis concilium conuocat, de cuius decreto delectus habetur, pecuniacp̃ imperatur. Dum hęc aguntur, Iacobus rex Scotię ad Gloecstrensem de pace legatos misit. Gloecstrẽsis quia rex aberat, de ea re ad concilium retulit. Post longam disputationẽ pax conceditur, quòd spes esset longæ cõcordię, ex eo, quòd Iacobus domesticis laboraret seditionibus, & inter ipsum Anglũ & Francum, sex annorũ inducię intercederent. Dimisso concilio, Cardinalis cũ copijs coactis, & bene magna pecuniæ summa cõfecta, Rothomagũ ad regem reuertit. Accessit etiã illuc Bedfordiensis ex Parisijs, de rationibus rerũ gerendarum agendi causa. Hîc rem omnem ad consilium deferunt, magnacp̃ inter eos existit disputatio: aliqui suspicabantur Francos haud quaquã in cõditione atcp̃ pacto mansuros, cùm satis constaret illis ferè omnibus magnum inustum esse dolorẽ, quòd Normania, Lutetia, ac tot egregia oppida sub Anglicum imperium redacta essent, et propterea persuadere nitebantur, ut nihil de bello remitteretur, ne uiolatis repentè inducijs, cogerẽtur in summo periculo, de summis rebus subitum cõsiliũ capere imparati, cùm à militibus, tum à pecunia. Contra ea nonnulli affirmabant, non posse continuari bellum tam longo spatio inductarum, sine illarum uiolatione, cùm perdifficile esset, militis manum à maleficio abstineri, qui quotidie ob metũ hostis, in armis esset, & ideo sibi uideri firmatis præsidio locis magis opportunis, debere militem domum mitti, donec inductæ manerent. Hac in utrancp̃ partem habita disputatione, priorem sententiam Bedfordiensis, Somersetensis, & Eboracensis duces secuti, quod ad bellum opus esset parandum, militi stipendium dandum, & ad omnem casum, maiorem exercitum conflandum deliberant.

Tali capto consilio, Henricus rex Caletum primùm, ac inde in Angliam reuertit, Bedfordiensis comitatus regem usq̃ Caletum, illic aliquot dies est moratus,

ratus, cùm interim nonnulli milites pristinæ licentiæ militaris memores cœperint passim rapinas facere. Quod postquã ille cognouit, hãc paruulam puniendi causam nactus, eius maleficij autores comprehendendos, ac supplicio mactandos curauit, quò deterreret alios, ut ab alieno facilius manus abstinerent. Atcp̃ ita Bedfordiensis oppidum facinorosis hominibus purgatum nouis præsidijs firmauit, qui Lutetiam iter habebat, cùm aliud interim negotiũ uenit in mentem: etenim paucis antè mensibus amiserat Annam uxorem Burgundionis sororem, cuius mors effecit, ut facilius Burgundionis animus ab Anglorũ amicitia sit postea alienatus, qui, ut suprà diximus, alijs etiã de causis, ad id solicitatus fuerat: quare statuit in matrimonium ducere Iacobam filiam Petri Lucemburgẽsis comitis diui Pauli uiri illustris, ut ob eam nouam affinitatem, uetus hospitiũ quod sibi cum illa nobili familia intercedere gaudebat, arctiore beneuolentię uinculo firmaret: itacp̃ Caleto profectus iter Morinum uersus, ubi comitis erat sedes, contulit, quem ipse comes multa congratulatione accepit, & id quod petebat, filiam Iacobã ei locauit. Ita Bedfordiensis sui optati compos, post factas splendidissimè nuptias, cum uxore Lutetiã uenit. Tulit iniquo animo id factum Burgundio, qui cùm in animo haberet Caroli fidem sequi, dolebat Anglum auctum esse affinitate Lucemburgensis familiæ ueteris ac præpotẽtis, quę ei maximo ubicp̃ usui esse posset. Per idem tempus, Ioannes Talbotus, quem suprà ostendimus ad Pataium oppidum, à Francis captum fuisse, soluto grandi auri pondere, ac restituto in libertatem Ambrosio Deloro paucis antè mensibus capto: missus factus ab hoste in Angliam reuertitur.

Dum alia alibi fiunt, Franci milites cùm stipendio carerent, & inter eos bene magna esset hominum multitudo, quos spes prædandi, studiumcp̃ bellandi ab agricultura, & quotidiano labore reuocarat, cœperũt primò furtim modò Anglos, modò Burgũdiones, ut occasio offerebat, capere, eoscp̃ pro facultatibus mulctare, & quamuis per inducias minimè licitum esset, idem tamen palàm deinde facere haud ueriti. Qua iniuria Angli affecti, arma post sextum mensem, quàm inductæ factæ erant, rursus capere cogũtur. Atcp̃ ad hunc modum bellum renouatum est, quod bellum iam confectum, uel ad longius tẽpus excusum populi passim arbitrabãtur, & concupiebãt. Atqui Franci inductarum ruptores nihil cunctati ad arma concurrunt, ac Fanum Valerij oppidum in Normaniæ finibus ad ostium Sommæ situm capiũt. Altera eorum manus Ambrosio Deloro duce, excursiones in agrum Cadomensem, eodem illo momento facit. Contrà Angli duce Bedfordiensi, Latiniacum oppidum ad Matronam, quemadmodum suprà diximus, positum, paruũ quidem, sed operibus munitionibuscp̃ altè septum, magnis uiribus oppugnãt, quod quia primo impetu expugnare nõ possunt, munimẽtis castra firmant, occupatocp̃ ponte, tutandi causa, castellum superimponunt, ac undique tormentis uerberant. Contrà oppidani uiriliter se defendunt, & interdũ duce Ioanne Notho Aurelianensi, qui loco præerat, erumpunt, non sine sua tamẽ cęde. Ibi per aliquot dies ita certando, statiua habita, cùm re longè maioris momenti urgente, Bedfordiẽsis aliò reuocatur, qui omissa obsidione, Lutetiam redijt, ne per suam absentiã, ciuibus qui malè sanis erant mẽtibus, tentãdi aliquid in ipsum facultas interea daretur: quò ubi peruenit, nulla facta mora, Petrũ Lucembur

Universidad de Deusto
Biblioteca

genſem ſocerum comitem diui Pauli, et Robertum Vuyllugby cum parte co
piarum, ad recuperandum Fanum Valerij miſit. Ii cùm omniũ animi ad ulci-
ſcendum arderent, celeriter profecti, oppidum circumſidẽt, & oppugnare a-
criter aggrediũtur. Franci qui intus erant, poſtquam aliquot dies reſiſtendo
conſumpſerũt, deſperato ad extremũ ſubſidio, paciſcuntur incolumitatẽ cum
hoſte, atq; oppidum dedunt. Exin Lucemburgenſis & Vuyllugby præſidio
eo loci collocato, ad Bedfordienſem eius belli uictores rediere, quòd oppidũ
ſiue ob grauitatem cœli, ſiue ob cibaria diu ſeruata minus ſalubria, quibus mi
les ueſcebatur, cœpit peſtilentia peruadere, ut (credo) infelix oppidũ poſt tot
acceptas clades, quales iam bis ab obſidentibus Francis primũ, ab Anglis de-
inde paſſum erat, etiam mortifero tentaretur morbo. Item Franci paulò antè
Burgundionũ quoq; fines uexarãt, aliquot oppidis & arcibus aut captis, aut
ſolo æquatis. Hæc loca dum Burgundiones recipere nituntur, Bedfordien-
ſis Vuyllugby & Thomam Terellũ cum aliquot cohortibus, amicis properè
ad opẽ ferendã mittit. Illi citò profecti, ubi in Laudunenſem agrũ peruenere,
fortè obuiã habuerũt magnam hoſtiũ manum, & cum ea congreſſi ſubitò fu-
derunt, interfectis centum & ſexaginta militibus, ac captis aliquot, quos po-
ſtea necarũt. Angli poſt hęc, incœpto itinere euntes ſe cum Burgundionibus
coniungunt, qui ita iunctis armis, breui loca omnia recepêre.

Interim Talbotus habito in Anglia militũ delectu, magnum armatorũ nu
merum in Gallias tranſportauit, Rothomagumq; uenit, ubi poſtquam militẽ
refecerat, Lutetiam ad Bedfordienſem profectus eſt, cuius aduentus mirum
dictu eſt, quantũ ſpei ſuis, quantumq; metus hoſtibus attulerit: optimus por-
rò dux belli habebatur, & eius rectè cognita bellando uirtus meritò Francis
formidoloſa, ſuis uerò plena fiducię erat. Talbotus ſimul atq; de rebus agen-
dis à Bedfordienſi ſatis edoctus eſt, cum expedito exercitu Bellimontem op-
pidum oppugnatũ contendit, quod puncto temporis expugnat, uicinas ſimi
liter arces pari ſucceſſu in poteſtatẽ redigit. Inter hęc, comes Harundellius ob
ſidebat arcem Fani Selerini, qua poſt tertiũ menſem, quàm oppugnare cœpe
rat, potitur, interfecto præſidio, quod intus erat. Exin Sillum oppidum muni
tiſsimũ petit, atq; obſidet. Oppidani ob recẽtem ſtragem ad Fanum Selerini
factam, territi, datis ſubitò obſidibus, promiſerũt intra trigeſimũ diem ſe op-
pidum dedituros, niſi ſibi à Carolo ſubueniretur, atq; ſtatim certos homines
ad Carolum miſerunt. Carolus de ea re certior factus, Arthurum cum aliquot
ordinũ ducibus, Sillenſibus cõfeſtim ſubſidio ire iuſsit. Poſtquã illi in conſpe
ctu fuerũt, Harundellius obſides oppidanis reſtituit, & Frãcis poteſtatẽ pu-
gnę fecit, loco haud lõgè à caſtris, ad id idoneo, quẽ ſub aduentũ hoſtis elege
rat. Arthurus etſi dimicare optabat, tamen cùm uideret Anglũ locum tenere,
qui ſuæ multitudini minimè cõmodus foret, noluit aduerſus prodire, ſed no-
cte inſequẽti oppidanis cõmeatu ac præſidio mediocriter adiutis, unde uene
rat, abijt. Poſt hoſtis diſceſſum, Harundellius oppidũ expugnauit, ac in Nor
maniã diſceſsit, populatis quaquauerſum, qua iter fecerat, agris, atq; nõnullis
Cenomanorũ Andegauenſiumq; caſtellis in poteſtatẽ redactis. Eò etiã rediere
Vuyllugby, & Terellus ex Burgundia uictores, uti ſuprà memorauimus,
qui in itinere Louerium oppidum munitiſsimum occuparunt, militumq; cu-
ſtodia firmarunt.

His

His temporibus ingens agreſtium Normanorũ, qui Oceanum attingunt,
manus, ſiue à Francis ſolicitata, ſiue mutationis rerũ cupida, quod uulgus plu
rimũ auet, paſsim arma ſumit, deiectisq; per uim præſidijs, loca aliquot occu-
pat, ac ſolum Anglũ perſequendũ ubiq; uociferatẽ. Hinc nimirũ cognoſcere li
cet, prius Aethiopem poſſe mutare pellẽ, uti dicitur, quàm qui terrã incolunt
Galliam, ualde multũ diligere Anglos. Quippe Normanus diu paruit Anglo
bene acceptus, qui nunc oblitus officij, nõ oblitus odij, non dubitauit uenire
contra ſuos principes. Ea turba ita concitata, Cadomum uerſus iter tendit, ut
ibi aucto armatorũ numero, de ſumma rei conſiliũ capiat. Interim Somerſe-
tenſis & Eboracenſis duces audito agreſtium tumultu, ac de eorũ itinere cer-
tiores facti, nulla interpoſita mora, Harundelliũ comitem & Vuyllugby cum
ſex millibus ſagittariorũ, ac mille trecẽtis equitibus leuis armaturę immittũt,
qui eos omnibus modis remorentẽ atq; impediant, ut ne egrediantur, progre
diantúrue. Harundellius itinere diuerſo profectus, Vuyllugby cũ parte equi
tum ac duobus millibus ſagittariorũ præmittit, qui uſpiam prope uiam, inſi-
dias uenienti multitudini ponat. Ille ita facere iuſſus in inſidijs ſe locat, atque
per nuntios docet Harundellium de loco inſidiarum, quò intelligat, quan-
do inuadendi ſignum ſit dandũ. Quo cognito, Harundellius à tergo antece-
dẽtem multitudinem ſequitur, quaſi ceruorũ agmen in retia urgens, qui ubi
ignauam turbam loco inſidiarũ appropinquare cõſpexit, edito repẽtè ſigno,
Vuyllugby antè coortus, & pòſt ipſe eam uno momento adoritur, quæ ſubi-
to caſu territa manus tendere, & proiectis armis mortẽ deprecari cœpit. Qui
bus precibus motus Harundellius, militem à cæde ſubitò reuocauit, compre
henſisq; ſpeciatim illis, quorũ operatione plebem concitatã exiſtimabat, reli-
quos domũ dimiſit incolumes. Fuerũt tamen prius mille homines interfecti
illo primo impetu, quàm miles ad ſigna reduci potuiſſet. Ita ſedato tumultu,
& frenis ſubitò tãto furori iniectis, quæſtio acerbè habita, et omnes in quibus
culpa erat, damnati necatique ſunt. Franci interim duce Petro Rupiforten ſi,
Dieppã & quædam alia oppida minus cõmunita de hoſte capiũt. At Harun
dellius poſt tot egregia facinora, aliud nõ multò pòſt tẽtauit, quod eius ulti-
mum extitit opus. Erat Gerberoia arx in Bellouacis loco munito poſita, ſed ſi-
ue humana ui, ſiue temporis uetuſtate penè tota cõplanata. Hanc quia locus
peropportunus ad arcẽdos repentinos hoſtiũ incurſus erat, Carolus Stepha
no Hyro negotiũ reficiendi dat. Hyrus magno munitus militũ numero, ad lo
cum proficiſcitur, paratáq; materia, atq; adhibita fabrorũ diligentia, arcem im
pigrè extruendam curat. Quod ubi Harundellius cognouit, cõtinuò ex Nor
mania in Bellouacos operis interpellãdi cauſa, cum modica admodũ armato
rum manu cõtendit. Franci repentino hoſtiũ aduentu permoti, locum fabris
dant, ac arma corripiũt, ſeq; foras eijciũt. Fit eorũ ingens in ueniẽtes impetus,
quẽ illi pauliſper ſuſtinẽt: ſed cùm Harundellius graui uulnere accepto, ex e-
quo cecidiſſet, tum facto cuneo, paulatimq; omiſſo certamine, pedẽ neceſſa-
riò retulerũt. Harũdellius uerò ita ſaucius, paulò pòſt moritur, uir ſingulari
uirtute, cõſtantia, grauitate præditus, cuius interitus in tantis rerũ fluctibus,
maximè ſuorũ animos perturbauit. Franci poſt diſceſſum hoſtis, inchoatũ o-
pus perficiũt. Incidit Thomę comitis Harundellij mors in eum annũ, qui fuit
ſalutis humanæ MCCCCXXIIII, & cùm regnare cœpit Henricus, XII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ipso illo anno Fanum Dionysij bis est captum, semel à Franco per proditionem, & rursus ab Anglo per deditionē. Item Corbolium, Vicennas, et Meulanum Frācus in potestatem redegit: adeò enim oppida maiore exparte muris nudata habebantur prædæ, ut oppidani qui nihil fide præstare poterant, primis semper oppugnatoribus quoties per præsidia licebat, se dederēt, ut ne extrema omnia paterētur. Quo fiebat, ut nil Gallia perturbatius, nil spoliatius, nil egentius esset. Sed neq; cum milite melius agebatur, qui tametsi gaudebat præda, interim tamen trucidabatur passim, dum uterque rex ciuitates suæ factionis principes, in fide retinere studeret. Igitur iam cædium satietas utrunq; populum ceperat, iamq; tot damna utrinq; illata erant, ut quisq; generatim se oppressum, laceratum, perditum ingemisceret, doloreq; summo angeretur, disrumperetur, cruciaretur, ac per id animi quamuis obstinatissimi ad pacem inclinarētur. Simul urgebat ad hoc rerum omnium inopia: passim enim agri deuastati, inculti manebant, cùm præsertim homines pro uita tuenda, non arua colere, sed bello seruire necessariò cogerentur. Ita tot urgentibus malis, neuter à pace abhorrebat, sed alter ab altero eam aut petere, uel admittere tur pe putabat. Quare necesse fuit, ut Eugenius pontifex tantæ compositionis au tor arbiterq; esset, qui tandem extorqueret sua autoritate, consilio, hortatione, arma de manibus tam inuictissimorū imperatorū, aliorūq; belligeratorū, qui nunq; receptui signum dare, nunq; reuocationē à bello audire uellēt: qui in bonam spem pacificationis in primis adducebatur, quòd fama esset Philippum Burgundię ducem iam sui facti pœnitere. Is etenim à principio cupidus cùm paternę cædis uindicandæ, tum retinendi imperij dignitatisq;, Anglum omni obsequio complexus est, cogitans nec sibi iuncto cum ipso Anglo fore necesse, peccare in Rempublicam, quam suo iure & arbitratu tūc regebat, nec cum Anglo consentienti de statu dignitatis recedendum esse, at cùm secus ac putarat, postea contigisset, quòd Anglus iure hęreditario, iam imperio uti, ac omnia iudicia, leges, paces, bella penes se esse uoluisset, & id paulò antè cognitum fuisset, cùm de deditione Aurelianensiū ageretur, quam negatum est eius nomine fieri, postremò decreuit redire in uiam, de qua aberrasset, et stare, et sentire cum suis, cùm primùm specie aliqua honestatis liceret, ut ne se nouis sceleribus obligare, néue ea in Anglicum populum concipere diceretur.

Eugenius proinde Rom. pontifex certior factus de eiusmodi hominū mentium motibus, quasi pro certo habens pacem conuenturā, primo quoq; tempore Nicolaum Cardinalem rursus in Gallias misit, qui ubi eò peruenit, conuentum ad Atrebatiū urbem indixit, quò cōuenere Henrici regis legati, Henricus Vintoniēsis Cardinalis, Henricus Eboracēsis antistes, Gulielmus Suthfolchiæ, & Ioānes Huntyngtonæ comites eius legationis principes. Item Frāci legati Rhemorū archiepiscopus, dux Borboniēsis, Arthurus comes Richemondiæ, ac honesti equites nonnulli. Burgundio etiam suos misit, Leodiensem, Cameracensem, & Atrebatensem episcopos, cum pleriscq; heroibus uiris honoratis. In hoc frequenti conuentu, post longam disputationem, Nicolaus Cardinalis homo spectatus in iudicandis rebus, fit omnium cōsensu, rei disceptator: is rursus singulos sententiā rogauit, quò secūdum iustitiam iudicaret. Petebant Angli, ut Carolus declararetur Henrici beneficiarius. contrà Frāci alterius factionis Carolo imperium liberum, nō precarium esse uolebant. Nicolaus

colaus his auditis, nihil de possessione tunc decernendum iudicans, leges fœderis in publico proposuit, quas pro præsenti rerum statu, utrinq; dandas & accipiendas iure censebat. Has tamen uterq; respuit. Atq; ita negotio infecto, à cōuentu discessum est. Ea res fecit, ut Burgūdiones & Franci cœperint deinde ad pactiones uenire, inter seq; de concordia agere, quā multis de causis, ut suprà planum fecimus, ipse Philippus Burgundio diu antea optarat. Conuenit itaq; pax eiusmodi conditionibus, ut Carolus Burgundioni præter nōnulla loca Burgundiæ finitima, quæ eius maiorum ditionis fuissent, Artheso, & oppidis Ambiano, Corbia, Perona, Fano Quintini, Abbatisuilla, ac Pontiui & Bononiæ comitatib. cederet. Multa alia promisit Francus, quę postea præstare nequiuit: nanq; ipse nihil ex postulatis Burgūdionis detrahere ausus est, utpote qui putabat se repentè beatum fore, si cum tali aduersario non honestam & quam optasset, at necessariam, & ad præsentem fortunam longè commodissimam pacem habere posset: quæ ei postea bono fuit, quod iam tum fore perspexit. Porrò cùm paucis pòst diebus accideret, ut congrederentur, ferunt Carolum ita resalutasse ducem: Sis tu quoq; felix, nunc tandem aliquando ab omni me metu uacuum, molestijsq; ingētibus relaxatum sentio, quòd tu quem Frācia secundum regem, habet principem potentissimū, pluriscq; facit omnium hominū neminem, ad tuos optatò te retulisti: inhærebat nempe menti meę semper illud Euangelicum uerbum, Omne regnum contra se diuisum desolabit. Quàm pertimescebam, ne nō id per nostras fieret discordias: nunc proinde salua res est, cùm unà mecum Anglos cōmunes hostes ex finibus Galliæ exterminandos quamprimū curabis: curabis autem, sicut cōfido: à me uerò omnia tibi ampla expectato. Ad ea Burgūdio respondit, se daturū operam, ut ne suæ desiderarentur partes.

Facto ita fœdere, Burgundioni nihil potius fuit, quàm celeriter mittere legatos ad Henricū regem in Angliā, qui dicerēt se longo fessum bello, ac querimonijs suorū, qui in dies singulos maiora à Franco acciperent detrimenta, qui ingemiscerent, qui palàm quererētur, quòd ipse solus Anglos in gentem suam aluisset, auxisset, armasset, & illorū in terra Gallia retinēdorū, quàm Caroli regis cōsanguinei restituendi studiosior esset: ad extremū coactum fuisse cum Carolo pacem facere, & quoniam longè honestiores pacis cōditiones à Carolo offerebātur, idcirco hortarētur eum suis uerbis ad id fœdus. Cæterū Burgundio cui res omnino insigni infamia uidebatur, magis fugiendæ culpę causa, legatos misit, ut uidelicet turpis facti notā deleret, quòd diceretur per proditionē ab Anglorū amicitia discessisse, quàm quod ipse magnopere cuperet rebus Anglicis bene cōsuli. Audita legatione, omnes qui aderant rei indignitate accensi, neq; ita irā cohibere, in eaq; sibi temperare, neq; linguæ moderari potuerūt, quin Burgundionē proditorem, perfidum, ac fallacē appellarint. Sed ubi rumor uiolatæ fidei in uulgus exiuit, à uerbis ad uerbera uentū est: etenim populus tā ingrato nuntio concitatus, in omnes Flādrici generis mortales qui Londini erāt, furēter inuadere usq; eò cœpit, ut multi prius uulnerati, cęsiq; fuerint, cū publico regis edicto plebs cohiberi potuisset. Voluit princeps suos ab innocētiū cæde abstinere manus, cùm ipse placidè legatis respōdit, ut suo nomine ducē cōmonefacerent, ne sine causa, hostis populi Anglici fieret, sed magis ueterē amicitiā coleret, quę nouo bello potior esset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

néue deberet tanquã improuidus pro incertis,certa mutare,proinde sibi cõ-
fuleret,neu res suas florentes cum Caroli penè perditis miscéret,ac ita ab ere-
cta fortuna ad inclinatam temerè descisceret.His mãdatis legati dimissi,cùm
interim rex negotium aliquod duci exhibendum statuit,quo implicatus mi-
nus posset Francum suis iuuare opibus:itaque nuntios secretos continuò in
Flandriam misit,qui principes ciuitatum pecunia solicitarent,ad res nouan-
das,ad quas suopte ingenio intenti esse solerent.Nuntij officium fecerunt,&
Gandauenses cum primis pro ueteri hospitio tentarunt,sed nihil profecere,
quòd illi populi iam opinione certa perceperãt res Anglicas transmarinas in
dies infirmiores fore.Fuit hic annus cùm hæc gesta sunt,humanæ salutis MC-
CCCXXXV,nobilis morte Ioannis ducis Bedfordiæ,uiri tam pace optimi,
quàm bello fortissimi,qui Lutetiæ alienissimo reipub.tempore morbo extin
ctus est:corpus Rothomagum delatum,in principe æde ad sepulturã datur.

Post mortem Bedfordiensis Frãciæ regentis,ad nihilum omnia cadere cœ
perunt,ut omnino uiderentur regente carere:nam tum Franci populi metu
penè soluti,nõ modò deficere,sed palàm arma in Anglos capere ausi sunt.Ita
puncto temporis,magna rerum Anglicarũ cõmutatio accidit. Veruntamen
Angli non se deserunt,sed omnium consensu,summa imperij Edmundo So-
merseti & Ricardo Eboracẽsium ducibus traditur,in quibus positas omnes
suas spes habebant.Illi statim Robertum Vuyllugby Lutetiam mittunt,qui
urbi præsidio sit.Carolus autem eiusmodi secundis rebus sublatus,postquã
auxiliares copias à Burgundione missas accepit,Arthurum equitum magi-
strum cum bona exercitus parte,ad Fanum Dionysij oppugnandum mittit,
quòd eo oppido recepto,urbem Parisiorũ se in potestatem redacturum cõ-
fidebat.Arthurus,ut imperatũ est,facit,celeriter ad Fanum Dionysij pergit,
atq; paucis diebus expugnat,quo feliciter expedito negotio,Lutetiam petit,
quem ubi ciues accedere cognouerunt,rati tempus esse,quo tutò alienatio-
nem facere possent,subitò in Anglos irruunt,ac uno tempore uiri per uicos
& compita Anglos armis insectantur,& ex fenestris ac tectis fœminæ saxa et
aquam calidam in eos demittunt.Erat intus Robertus cum præsidio,sicut su
prà ostendimus,qui aliquandiu conatus inimicum compescere populum,u-
bi uidit se non posse resistere,in turrim quæ è regione ædis diui Antonij est,
confugit.Interim Arthurus cognito tumultu in urbe orto,portis appropin-
quat,illis'que multo mane à ciuibus patefactis ingreditur,ac protinus locum
quo se Angli tenebant,summa ui oppugnare aggreditur.Defenderunt se
Angli aliquot per dies fortiter,quòd sperarent subsidium à Somersetensi &
Eboracensi ducibus uenturum.Sed duces ignorantes in id loci suos se rece-
pisse,quòd obsessis ab hoste itineribus,certum nuntium in tempore accipe-
re non potuerant,auxilium nullum tulerunt,qui rumore defectionis percre-
brescente,omnino existimabant Vuyllugby cum toto præsidio aut captum,
aut in tanto populi tumultu esse occisum.Igitur Vuyllugby ad ultimum de-
sperãs de subsidio,facta deditione,incolumis cum suis Rothomagum se con-
tulit.Atq; ita Lutetia longè princeps totius Galliæ urbs post quindecim an-
nos,quàm in Anglorum ditionem uenerat,à Francis recepta est.Qui fuit an
nus salutis humanæ MCCCCXXXVI.

At ubi fama amissæ Lutetiæ per Galliam peruasit,tum generatim cuncti
penè

penè populi Anglorum transmarina oppida pro derelicto habent,item nul-
lam eis certam sedem quò concurrant,nullum amplius animũ,nullum consi-
lium,nullum firmum exercitũ fore ducunt,existimant,pro certo habẽt.Quæ
herclè opinio ante omnes in Philippi Burgundionis ducis animo insederat,
is enim id temporis permotus,quòd Henricus rex paulò antè solicitasset Gan
dauenses,ac reliquos Flandros ad seditionem,cum infesto exercitu ad uastan
dos Anglorum fines proficiscitur,Caletúmque uenit,ac obsidet,totisque ui-
ribus expugnare conatur,eodémque tempore partitis copijs Guinas proxi-
mum oppidum aggreditur.Cæterum oppidani aduersus hostem muniti nõ
mœnibus modò,& armis atque uiris,uerùm multò magis locorum natura,
magno animo se defendunt.Quibus rebus cognitis,Burgundio longè a-
lia ratione oppidanos ad deditionem esse compellendos existimans,atque
à principio tẽtarat,unirei studendum curat,ut illi omni commeatu intercli-
dantur,atque subsidio prohibeantur,quò fame domiti,manus tendere co-
gantur:itaque dispositio passim milite in stationibus,omne litus occupat,tor
mentis,telis,sagittis hostem dies noctesq; uexat,ut nemo homo de muro su-
os offendat,repugnet'ue.Dum ita Burgundio obsidionem continuat,dux
Gloceſtriæ cunctis copijs refertus,suis ex Anglia subsidio uenire maturat,
quem ubi ad alterum litus traijciendi causa,horribili celeritate peruenisse ru-
mor diuulgauit,Burgundio spe oppidi potiundi lapsus,silentio noctis,reli-
cta obsidione,domum pedem statim refert.Adfuit bene mane ad Caletum
Gloceſtrẽsis,qui ad stationes hostium egressus,plurima præda potitur,quia
hostes trepidè statiua deserentes partem impedimentorũ necessariò reliquе-
rant:deinde expedito agmine ad populandos hostium fines contẽdit,eosq;
ingressus,omnia ferro igneq; uastat,prædas passim capit,nec solùm agrum
diripit,sed castella & uicos incendit,ac præda inuitatus lõgius procedit,atq;
oppida in quæ timor agrestium turbam compegerat,leuibus oppugnationi
bus uexat:ita demum usq; ad Fanum Odomari,nullis obuiam factis,grassa-
tus,cum multa abacta præda Caletum primò,& inde in Angliam reuertitur.
Post hæc,amicorum persuasu,inter Henricum regem & Burgundionem,in-
duciæ in paucos annos agitatæ,ad extremum cum uxore,quam id temporis
Philippus in matrimonio habebat,habuit autem tris,& ex ultima nomine Isa
bella Carolum filium susceptum reliquit,pactæ sunt:eius nomine cuncta de-
inceps inter Anglum & Burgundionem gesta tradunt.Quod ideo factum
uideri potest,aut ne diceretur Anglus Burgundioni credere,quem paulò an
tè fœdifragum esse nouisset,aut ne Franco tantũ suspitionis oriretur,cùm in-
telligeret inducias cum uxore,non cum duce factas,quas uir nullo iure serua-
re teneretur.

Per idẽ tẽpus mortẽ obijt Hẽricus Eboracensis archiepiscopus,cui succes-
sit Ioannes Chempius,ordine antistitum quinquagesimus.Item è uita exces-
sit Catharina mater Henrici regis,quæ ad Vuestmonasterium maiorum se-
pulchro illata est.Hæc mulier mortuo Henrico quinto eius uiro,cùm id æta-
tis puella esset,ut minus sciret animo decernere,quid deceret,occultè nupsit
cuidã Ouino Tyderio homini Vuallo nobili genere,ac multis uirtutibus mi
rabili,qui genus suũ ad Cadoualladrũ ultimũ Britannorũ regem referebat,
ex quo genuit tris filios mares,Edmundũ,Gasparẽ,& tertiũ,qui monachus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinis diui Benedicti effectus, non diu pòst superstes fuit: ac unam filiam, quæ monacha quoq; facta est. Postea Henricus rex Edmundum Richemondiæ,& Gasparem Penbruchi comites fecit, quòd ex matre Catharina sibi fratres essent. Quinus uerò post Catharinæ mortem, iussu ducis Glocestrensis, bis in carcerẽ coniectus est, quòd ausus fuisset per Catharinæ puellæ connubium miscere sanguinẽ suum cum regum stirpe nobilissima, qui ad ultimum securi percutiẽ. Is Edmundus Richemondiæ comes ex Margarita filia Ioãnis ducis Somersetí sustulit filium nomine Henricum, qui, ut alibí perappositè scribemus, regnũ adeptus, septimus Henricus est dictus. Illis ijsdem temporibus Ricardus Varuicensis comes Rothomagi è uita migrauit, corpus eius in Angliam inde delatũ in nouo templo, quod Varuici est, sepeliẽ. Iacobus item rex Scotiæ iunxit affinitatem cum Carolo, qui Margaritam filiam Ludouico eius filio nuptum collocauit, eumq; sibi enixè iuuandũ constituit. Itaq; Iacobus immemor fœderis, quod paucis antè annis cum Hẽrico rege fecisset, primo quoq; tempore exercitui suorũ qui adhuc apud Carolũ militabãt, supplementũ scripsit, eratq; bellum simul Anglo facturus, cùm repentè è medio est sublatus: quippe Gualterus eius patruus Atholiæ comes, homo seditiosus et regni affectans, facta cum quibusdam perditissimis hominibus cõiuratione, principem ex inopinato ad Fanum Ioannis occidendũ curauit. Quod Anglis incõmodo nõ fuit, quia cùm Iacobus uir esset longè fortissimus, nactus occasionem, quæ postea accidit, haud dubiè res Anglicas Henrici & Edouardi factionibus turbatas mirum in modum afflixisset. Successit patri Iacobus filius eo nomine secũdus, qui à principio domesticis seditionibus irritatus, potius suis q̃ Anglis infestus fuit, quod alibí abũdè ac accõmodatè disseremus. Decimus septimus annus iam Henrico à gubernatione regni sui aderat, qui fuit humanæ salutis MCCCCXXXIX, cùm Londinũ ad Vuestmonasteriũ cõciliũ conuocauit, causa rerũ pariter domí ac militiq; rectè & opportunè constituendarũ: in quo concilio multa quæ belli necessitas, ac non parum multa quę regni status requirebat, agitata, prouisa, statuta sunt, & illud quoq;, ut nõ amplius liceret mercatoribus externi generis suas merces in regnũ importatas uendere alijs quibusuis hominibus, nisi Anglis, ut ne monopolia inter se instituerent. Quæ nempe lex ut Reipublicæ commoda, etiam nunc seruatur.

Interea Carolus post Parisiorum urbem, multaq; loca alia biennio antè in potestatem redacta, iam in certam propè spem uenit, posse se nullo negotio Normaniam recipere, quòd illinc quędam tumultuosiora nuntiabantur: itaque Arthurum & cum eo Ioannem ducem Alenconij cum ualidissimo exercitu mittit in Normaniam. Ií celeriter profecti, Obruncas petunt, protinusq; obsident. Est ea urbs in colle posita ad eam regionis partem, quæ ad Oceanũ Britannicum pertinet, altis mœnibus munita, quam magnum etiam tuebatur præsidium. Iam hostis per multos dies in obsidione fuerat, parumq; profecerat, cùm ecce tibi, subitò Talbotus & Thomas Dorcestrensis comes cum instructis copijs adfuerunt, atque quamproximè potuerunt, hostium castris castra admouerunt, ut pugnandi facultas daretur. Franci oblata facultate certandi, tantum abfuit, ut uoluerint ad manus uenire, ut etiam sese magis castris continuerint, muniuerintq;. Quod ubi Angli cognouerunt, paulùm ex eo loco circiter ad secũdum milliariũ digressi, locum minus idoneũ pro se ad pugnandum ceperunt, ut timorem aduersarijs minuerent: sed cùm ne eo quidem modo Francum ad certamen elici posse animaduerterẽt, sublatis castris in conspectu hostium, Obruncas intrarunt, atque eruptione inde facta, Francos remoto iam metu, latius licentiusq; effusos, sese fugæ dare coëgerunt, intercluso q; itinere, bene multos exceperũt, exceptosq; interfecere. Eodẽ tẽpore altera Francorũ manus temerè usq; ad Rothomagi muros populando dilapsa, à Thoma Terello profligatur. Inter ista, Carolus post tot acceptas calamitates, cùm iter rerum suarum secundarum non dubitaret amplius interruptum iri, imò in dies singulos plus consolationis expectaret, ecce procella ingens impendêre cœpit, qua nil miserius, nil perditius, nil fœdius accidere poterat. Siquidem Ludouicus Caroli filius, adolescens natura immani, moribúsque acerbis, cupidus ante tempus sui esse iuris, cum suis æqualibus aduersus patrem coniurat, quorum capita erant Ioannes Alenconij, & alter Ioannes qui Ludouico patri paucis antè annis successerat, Borbonienſium duces, ac exercitum facit, curamq; regni suscipiendam, seq; rerum omniũ non ad patris præscriptum, sed suo arbitrio moderatorem faciendum statuit. Qua re cognita, Carolus etsi magno statim dolore intercluditur, seq; ad miseriam natum inclamat, quòd quali parũ sit, tot annos in patrio solo, cũ externis, cum ciuibus, de dignitate pugnare, ut etiam cum filio de imperio certare cogatur: attamen ut uir consilij magni & uirtutis, ac malis iampridẽ assuetus, nõ concidit animo, sed principio obstandũ putans, antequam in se impetus fiat, suos quibus fidebat ad se principes uocat, de tantoq; euitando periculo, cum eis cõmunicat. Bona pars sentit non armis, at consilio & lenitate id mali auertendum. Quapropter primùm literis pro parte Caroli, quocunque ad ciuitates scriptis præcipitur, ut nemo homo sit Ludouici dicto audiẽs, deinde coniuratis impunitas promittiẽ, ac postremò per principes uiros graues, cum Ludouico ac ducibus de reconcilianda pace summè agitur, demonstraturq; nihil aliud esse in præsentia, tempore haud aliàs magis turbulento, de imperio certare, nisi patriam perditũ ire, quæ hostium armis penè confecta esset. His consilijs & rationibus factum est, ut coniurati depositis armis, confestim in gratiam cum Carolo redierint. Atq; ita magna labes quę Rempublicam obrutura uidebatur, prius est restincta, quàm fieri cœpisset.

Angli interim audita hostium domestica seditione, maioribus animis bellum instaurant, atque aliquot arces in Normania paulò antè amissas recuperant, & Lutetiam oppugnatum ire iam maturabant, cùm de reditu Ludouici in gratiam cum patre, rumore peruulgato, nuntiatum est Carolum Pontisaram oppugnare. Id oppidum Ioannes Clyffordius uir militari arte egregius, bene magnæ armatorum manus prędio tuebatur. Quibus rebus compertis, dux Eboracensis & Talbotus cum electo militum robore Pontisaram proficiscuntur, positisq; prope hostes castris, Carolo dimicandi copiam faciunt. Ille autẽ sine pugna atq; periculo, rem confici posse confidens, certamen omnino abnuit, sed relicta parte exercitus ad oppidum oppugnandũ, castra mouit. Qua re cognita, Eboracensis certior factus præsidiũ quod in oppido erat, satis idoneum esse ad defendendum se, & idcirco nihil esse, quòd illic statiua diutius haberet, ratus, hostem sequitur, præmittitq; Talbotum cum equitibus, qui explorato loco, cũ quouis modo ad pugnã lacessendo trahat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed Carolum neq; ibi in certamen traxit: ita dux multa abacta præda, Rothomagum redijt. Inter hos bellorum fluctus, crebrò literis à pontifice Romano ad reges cõmeantibus, pax rursus Caleti à legatis utriusque populi tractatur, quæ cùm fieri nõ potuisset, in aliud tempus id negotiũ reiectum est. Ductus fuit per eos dies Carolus Aurelianensis dux Caletum, ut eius pacificationis autor esset, qui boni uiri officio functus, cùm per eum non stetisset, quin pax conueniret, tandem dimittitur, post annũ uigesimum sextũ, quàm in pugna Dagincurtẽsi captus fuerat. Fuit ille tandiu apud hostem captiuus, quòd soluendo non esset, cùm ad ultimum etiam non fuisset sine pretio liberatus.

Initio anni insequentis, duces Eboracensis & Somersetensis qui nullo neq; studio, neq; labore, aut cura rebus deerant, belli consilia conferentes, statuerunt diuersis in locis hostes armis inuadendos, ut cùm illi contra singulos duces in se uenientes stare cogerentur, omnis uis belli à Normaniæ cui timebant, usque eò finibus auerteretur, dum casus aliquis fortunam belli mutaret, quæ sanè consilia pro temporibus non incauta, ualde reliquis omnibus probata sunt: itaq; ineunte uere, Robertum Vuyllugby cum magno militum numero in Ambianos ad populandũ agrum proficisci iubent: Ioannem Talbotum cum parte copiarum mittunt, qui Dieppam circunsideat, ipsi uerò Andegauorum fines medio tempore uexare parant. Profectus Vuyllugby cùm fines Ambianorũ attigit, ut ne aliquod incursionis signum detur, quod incendio ædificiorum in primis intelligi solet, interdicit ignem iniici in uicos: quo accidit, ut sine timore ullo, rura colẽtes prius ab equitatu opprimerent, quàm confugere in oppida possent, multis hominum millibus captis. Franci qui uicinis oppidis præsidio erant, clamore agrestium excitati obuiam hostibus fiunt, prælium q; cum ijs faciũt: pugnatur strenuè aliquantũ, donec Franci cæde suorum, qui primi in certamen descenderant, territi, terga uerterint: quos fugientes partim Angli consecuti interfecerũt, partim Petrus diui Pauli comes, qui Anglis adiumento erat, in uia spoliauit. Amplius sexcenti milites Franci occisione occisi. Vuyllugby re feliciter gesta, ingenti præda onustus Rothomagum redijt. Dux itidem Somersetensis magnam prædam ex Armoricis ciuitatibus abegit. Talbotus interim Dieppam fortiter oppugnabat, ubi quotidiana committebantur utrinq; prælia, qui posuit castra prope oppidum, in loco edito, quibus præfecit Gulielmũ Poyntum, hominem artentum, ipse munitiones tuebatur. Obsidio in multos iam dies extracta erat, cùm Carolus misit Ludouicũ filiũ cum ualido militũ robore, qui oppidanis auxilio foret. Is ubi eò peruenit, munitiones oppugnare aggredit, ubi atrox pugna facta est: cecidere in primo congressu multi utrinq;, ac simul multi uulnerati sunt, concursabat pro se quisq; ex utraq; parte, hucilluc signa transferens, dum alteri intra munitiones alteros cohibere, & alteros alteri procul arcere conniterentur. Ad ultimum ad manus uentum est: fuit circum munitiones ingens certamen, è quibus deniq; Angli eiecti in castra se receperunt, atq; inde spe potiundi oppidi amissa, obsidionem relinquentes Rothomagũ concesserunt. Carolus interea Fanum Selerini per uim expugnare frustra tentauit, à præsidio Anglico statim repulsus. Dum hæc alibi fiunt, Philippus dux Burgundiæ bellũ Petro Lucemburgensi comiti diui Pauli intulit, quòd ille adhuc staret, sentiretq; cum Anglo, quem haud magno labore uictum coëgit,

git, contrà quàm fides Bedfordiẽsi data poscebat, Carolũ quoq; sequi, quod opes Anglicas nonnihil debilitauit. Cùm per hæc, res Anglicæ parum lætæ essent, & Francorũ successus ipsis Francis cædes, uulnera, uariaq; detrimenta afferrent, iterum inter reges de pacis negotio gestum est, quæ cùm coagmentari non potuerit, induciæ tantum decem & octo mensium factæ sunt.

Sic refrixerat aliquantisper belli furor, cùm rex Henricus in matrimonium duxit Margaritam Rhenati Andegauensium ducis, ac regis Siciliæ filiam, puellam tam ultra alias fœminas pulchram, quàm prudentem, ac animo præter naturam sexus, præditam ingenti, quod eius res gestę quas suo ordine memorabimus, perspicuè declararunt. Angli aliquot ordinum duces interim in Angliam redierunt, studio uisendi patriam, liberos, uxores, necnon parandi supplementi, quod ueteri exercitui scribendũ ducebant. Itaq; rex Henricus nõ multò pòst concilium habuit, in quo belli comparandi multa ac uaria consilia inita sunt, ad extremum nemo unus id faciendum negauit, cùm satis constaret huic rei Frãcum pariter studere, ut finitis inducijs, ad arma iretur: quocirca primũ pecunia imperata, deinde militũ delectu habendo decretum est. Sed interim ut populo gratũ aliquid fieret, priuilegiũ irrogatur, ut cùm quarterius (est mensuræ genus) tritici non uenditur amplius sex solidis, & octo denarijs, & siliginis quatuor, hordeiq; tribus solidis, tum unicuiq; liceat emere, & exportare eas fruges ad alias transmarinas partes, dummodo ad hostes Anglorum non deferantur. Hanc postea legem Edouardus quartus, ad commoditatem populi approbandam putauit. His constitutis rebus, regni status talis collocatur, quo rex deinceps utilitati communi plus quàm unius alicuius aut suę consulere uideatur. Postremò senatus nõnullos principes honoribus augendos pro regis uoluntate sanxit, quos fuisse inuenio Humfredum Staffordiæ, & Henricum Ricardi, de cuius exitu suprà meminimus, filium, Varuici comites, quorum alter sui Varuici comitatus, alter Buchyngamiæ dux creatus est: item Thomam Dorcestriæ, & Guliemũ Suthfolchiæ comites, & ambos marchiones factos: sed Gulielmus haud multò pòst ex marchione dux est creatus: ac Ioannem Huntyngtonæ comitem, qui Exoniensis dux factus fuit. Reperio præterea Ioannem Talbotum de patria optimè meritum, Salopię comitem factum. In eo conuentu Gloucestrensis, qui iam animo cernebat rerum mutationẽ usu uenturam, quæ hominũ animos plurimũ languefaceret, multis uerbis egit, ut omnes Reipublicæ tuẽdæ fideliter studerẽt, quòd certò sciret hostes et tempus & occasionem fraudis & doli quęrere, ac idcirco nõ expectandum censebat, dum induciarũ finis obreperet. Hæc dux auribus audientiũ instillauit, magis audaciæ quorundam comprimendæ causa, quos eius, opinor, coniectura ferebat sine fine, suo capiti insidiaturos, quàm quòd Francorum fidei diffideret, quos cædium quoq; satietate iam defessos similis belli molestia iam pridem ceperat, atq; Anglũ tenebat. Sed nihil profuere bona monita animis malis prauisq;. Fuit ille annus nostræ salutis MCCCCXLV, quo Henricus Chicheleius Cantuariensis antistes mortuus est, post annum quàm fedus cœperat, nonum & uigesimũ. Is longè sapientissimus pater animaduertens hominũ ingenia ad percipiendam colendamq; uirtutem literis in primis adiuuari, nihil antiquius habuit, q; curare, ut sui Angli quamdoctissimi euaderent, qui Oxonij binas ædificauit ædes, in quibus duo collocauit

Universidad de Deusto
Biblioteca

discipulorum doctrinæ studiosissimorum collegia, deditq; possessiones ad uictum eorum, qui ad literarum studia se conferrẽt: & alterum omnium mortuorũ animarũ memoriæ, alterum diuo Bernardo dedicauit, uelut duas omnium uirtutũ aras, quarum sanè opus in ijs cœnobijs etiam nunc maximè feruet, sic, ut nullus autoris neq; labor, neq; impensa perierit. Successit Henrico Ioãnes Staffordius episcopus Bathoniensis & Vuellensis, ordine antistitum alter & sexagesimus. Sed iam ad ciuiles discordias ueniamus.

Dum manebant inducię, ut nihil deesset domi, quamobrem mortalium animi continenter solicitarentur, initium turbandi omnia à fœmina factum est. Erat Henricus rex uir miti, simpliciq; ingenio, qui pacem bello, quiq requie tem solicitudini, qui honestum utili, & otium curis anteponebat, & quo demum nihil castius, nihil probius, nihil sanctius: in eo pudor, modestia, integritas, patientia summa, qui humanos casus, ærumnas, omnia id genus uitæ tormenta perinde æquo animo ferebat, ac si ipsius culpa cõtracta essent: continebat se, ut facilè quibus pręerat, contineret, non inhiabat opes, non sitiebat honores, at animæ tantũ saluti studebat, qua sola sapienter quidem bona, eiusq; amissione mala metiebatur, et definiebat. Contrà Margarita uxor, fœmina satis prouida, gloriæ appetens, rationis, consilij, officij, uirilium operum plena, in qua multum ingenij apparebat, multum diligentiæ, multum uigilantiæ, multum curæ, sed non expers muliebris naturæ, quæ uehemens ac propensa in mutationem esse solet. Hæc cùm animaduerteret Henricum uirum non ad suum, sed ad Humfredi ducis Gloecestrensis præscriptum regnare, & eundem non magnopere in gerendis rebus diligentiã cogitationem'ue ponere, statuit sibi curam rerum suscipiendam, ac ducem omni paulatim autoritate qua maximè pollebat, priuandũ, ut ne diceretur ipsa nihil quoq; sapere, quæ pateretur maritum ætate iam prouectum sub tutela esse aliena: itaq; Margarita quod decreuerat, aliquanto pòst efficere nititur. At ubi mulier id sua sponte tentauit, subitò nonnulli ad seditionem parati, ad uim prompti, ad facinus & cædem accommodati extiterunt, qui inuidiam in Gloecestrensem quærentes eam stimularent, hortarentur, ac suaderẽt, ut res domesticas respiceret, ad calculos duceret, per quos tandem comperiret Gloecestrẽsem non tam publicam rem hactenus, quàm suam priuatam gessisse. Nonnihil etiam rex Siciliæ Margaritam filiam instigabat, ut ipsa cum uiro, regnum gubernaret. His persuasionibus mulier accensa, rempublicã cum Henrico uiro capessit: & quamuis illud aliud nihil esse diceretur, nisi arare boue & asino, ut aiunt, tamen illa munia omnia magno animo obire cœpit, quæ primùm omnium non solum Gloecestrensem à rebus publicis excluſit, sed dein ab inimicorum iniuria ne quidem prohibendum putauit: conspirarunt enim haud ita multò pòst nonnulli principes in ducem: eumq; in bene multorum delictorum crimen uocarunt, sed in primis, quòd scelerum conuictos grauioribus pœnis affeciſſet, q̃ lex Anglica iuberet. Porrò dux uir seuerus, cùm esset iuris quod ciuile uocatur, peritus, & nocentes grauiter plectendos curaret, conuertit in se scelestorum hominum digna factis timentium odium. Quid, quòd etiam nunc legulei cùm uolunt ius ciuile, quod hoc peius oderunt, quò magis ignorant, more suo, detestari, istuc seueritatis exemplum adducunt, perinde quasi non debeat ad Reipublicæ utilitatem referri, si animaduersio aspera sit, & non maiorem

rem pœnam maior culpa poscat? Dux quanquam non sine sua magna laude, obiectis criminibus respondit, tamen quia iam ad necem destinatus erat, nihil causam suam iuuit, nisi quòd ea animi molestia se liberauit, ut neque damnationem nec horam mortis nouerit: nam coniurati ueriti ne non tumultus fieret, si homo popularis palàm mactaretur supplicio, eum non opinantẽ opprimendum statuerunt. Itaque ex autoritate regis, concilium ad Buriense cœnobium conuocatur, quò ad diem dictum principes conuenere, & cum ijs Gloecestrensis, qui subitò comprehensus nocte insequenti, exemplo post hominum memoriam pessimo, strangulatur, omni eius cohorte eodem momẽto coniecta in uincula: sed eo necato, nemo ex cohorte perijt, tantummodo nonnulli ignominiæ causa ad supplicium tracti, uita mox donantur. Corpus ducis ad cœnobium diui Albani deportatum, eo loci humatur. Atq; tali procella ab inimicis immissa, dux repentè obrutus est, post quinq; & uiginti annos, quàm regnum gubernare cœperat. Ita illis qui præsunt, nullus, ut uerissimè ait Cicero, locus, neque curia summum omnium auxilium, neque domus commune præsidium, neque denique lectus ad quietem datus, uacuus à mortis periculo est. Atqui uidetur illud Gloecestrense nomen honoris causa comitibus ducibusq; datum, fatale fuisse, ad eorum perniciem, quibus illud fuerit, cùm ante Humfredum, Hugo Spenserius, et Thomas Vodestocus Edouardi tertij regis filius, ille comes, hic dux Gloecestriæ, miserabili supplicio uitã amiserint, & post illos, Ricardus tertius rex, Gloecestriæ dux ciuili bello trucidatus est, ita ut nomen illud perinde in prouerbium de calamitosis hominibus uerti posset, ac olim Equus Seianus uenerat. Ad rem redeo. Vbi de nece ducis fama per uulgus manauit, multi subito metu corruêre, multos horror perfudit, adeò summa uisa est omnibus immanitas. At Respublica ob mortem ipsius ducis, magnum nempe damnum fecit, cùm nemo unus id temporis esset, quo magis innisa staret, quòd euentus rei docuit: equidem post indignam Gloecestrensis necem, boni sibi timentes, sua sponte ex aula se remouerunt, in quorum locum succedere plerique, qui et ipsi sibi imperiũ optantes, facilè uiam patefecerunt nouis factionibus.

Anno qui secutus est, qui fuit salutis humanę MCCCCXLVII, è uita excessit Henricus Cardinalis Vintonensis episcopus, qui unus omniũ erat, cuius & consilio & opibus quibus ualebat, ita Henricus iuuari potuisset, ut depulso animi periculo, facilè in perpetua pace domi fuisset: quanquam eam grauem iacturam, quam Henricus rex in eius morte fecerat, sarcire posse uisus est Gulielmus Vuanfletus, qui illi in episcopatum Vintoniẽsem successit. Is etenim homo propter iustitiam, prudentiamq;, diu Angliæ cancellarius fuit, & cùm permulta egregia opera feciſſet, illud unum in primis præclarum extitit: nam ut patria eruditissimis hominibus in dies magis magisq; afflueret, Oxonij collegium posuit loco opportuno & amplissimo ijs uiris, qui literis nati essent, & possessiones quoque dedit, ex quarum uectigalibus, sumptus necessarij ad illorum conuictum suppeditarentur: & opus diuæ Mariæ Magdalenę dedicauit, ut quemadmodum bona fœmina pedes Christi suaui olim refecerat unguento, ita illa loci præside, bona ingenia ibidem perenni doctrinæ nectare pascerentur, id quod ab eis sedulò fit. In concilio autem quod admittendę fraudis causa indictũ fuerat, post editum scelus, nihil memorabile agitatũ est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

excepto quòd Gulielmus Suthfolchię marchio factus est dux, quippe qui eo quòd eius nefarij consilij princeps fuisset, uti postea diluxit, ut Glocestrensis necaretur, dignitate auctus est: quo etiam autore, ingēs populo tributum est indictum, omnibus potius inuitis, quàm negantibus, quò illinc ubi tantū facinoris erat factum, citius abire liceret: etenim cùm bonæ principum parti uideretur iam potestas liberè decernēdi, esse erepta, cuncti statim partim dolore affecti, partim quod machinati fuerant, iam executi, domum discesserunt. Ac ita conuentus est dimissus.

Dum hæc in Anglia fiunt, Franciscus Aragonensis Normanus eques singulari uirtute & homo officiosus, qui semper Anglorum partes secutus erat, Fulgeras oppidum Normaniæ finitimum ac ueterū fortunis opulentum, de Francisco Britannorum duce ex improuiso capit, bonisq; spoliat. Quo detrimento accepto, dux per nuntios docet Carolū de iniuria sibi facta, & quia inducię erant, rogat, ut uelit ab Anglo repetere, quod contrà quàm fas esset, Aragonensis rapuisset, qui illius fidem sequeret. Carolus auditis querimonijs ducis, legatos protinus ad Somersetensem ducem misit, qui repeterent Fulgeras, cum rebus inducіarum tempore raptis. Somersetensis audita legatione, respondit sibi nō probari facinus, quod suo pariter atq; regis Henrici iniussu commissum esset: sed si Carolus mitteret legatos Loueriū, eódem se missurū aliquot uiros graues, qui simul de repetundis agerēt. Conuenere legati ad locum, & unà facientes iudicarūt Fulgeras cum bonis esse restituendas, ac damna compensanda: quod Franciscus facere negabat, multisq; rationibus faciū suum tuebatur. Ad ultimū cùm Francus res sociorum repeteret ab Anglo, & Anglus affirmaret non esse sibi in sua manu, ut id redderetur, quod alter possideret, ac culpæ uitandæ gratia, promitteret, si Francus bonā ablata armis à Francisco reposceret, se eum non esse defensurum, re infecta à colloquio discessum est. Interea Franci, qui, ut natura sunt uehementiores, non magis de repetendis rebus à socio ablatis, quàm de modo iniurias iniurijs ulciscendi cogitabant, Larcham per proditionem occupant, dimissis Anglis, qui nihil tale timentes subitò oppressi sunt. Atque ita inducіæ uiolatæ sunt, & ad arma iterum concursum est. Et quia res speciem iniuriæ magis, quàm doli præ se ferebat, Somersetensis non armis, sed per legatos Larcham à Franco repetere cœpit. Ille autem se redditurum oppidum respondit, si Fulgeræ Britanno duci restituerentur. Cæterum dilucere deinde breui Caroli consilium cœpit, qui cùm intelligeret rem Anglicam post Gloceſtrensem extinctum, orbam consilio, & seditione ardere, cernebat animo facultatem sibi recuperandæ Normaniæ breui datum iri, quare statuit nihil ex fortuna secunda remittendum, sed tempori seruiendum: itaq; copijs tripartitò uno tempore dimissis, & ad uictoriam fama rei prius gestæ iuuāte, intra paucos dies per defectionem redegit in potestatem Mantēses, & Lexouium, etsi haudquaquam incruento suo milite. Quibus rebus ex uoluntate confectis, Carolus animo & uiribus auctus, Vernonem ingenti ardore militū expugnare adoritur. Oppidani quamuis re repentina territi, tamen freti præsidio, & spe subsidij sese inuicem cohortantes, per dies complures fortiter restiterunt: sed postquam tardius desiderio, & opinione omnium auxilium differebatur, coacti sunt cum hoste pacisci, ut si intra certum diem sibi non subueniretur, dimisso Anglico præsidio incolumi cum suis fortunis, deditionem facerent. Adfuit eodem momento Somersetēsis dux. Quo cognito, Carolus obsidionem reliquit.

Ita bellum ante finem inducіarum subitò ortum, quo nihil incommodius cadere potuerat, cùm satis per seipsum duces Anglicos solicitos haberet, accessit, ut repētes populorū defectiones impedirent, quò minus illi res suas affectas subleuare possent: sanè dum uni opē ferre ciuitati parabant, tres quatuórue fortunam sequentes, ad hostes deficiebant. Cuius rei causa potissimū erat, quòd fama per omnē Galliam iam peruaserat, post interitum Gloceſtrensis, populum Anglicum per principes factionū, in diuersa trahi studia, & Gulielmum nuper ex Marchione ducē Suthfolchię factum, cum nonnullis alijs, qui, sicut postea liquidò patuit, necandi Gloceſtrensis patris patriæ autores fuerant, ita ipsum populum conficiendæ pecuniæ causa, diuexare, premere, sexcentis afficere incōmodis, ut animi hominū nō ad bellū externum intenti, sed de propulsandis domesticis iniurijs in maxima uersarent cogitatione, & eas ob res, nō stipendū militi, non supplementū exercitui, ut facto opus erat, parari. Quæ mala cùm rex non magnopere respiceret, nec Margaritæ eius uxoris, quam penes etsi totius regni gubernatio erat, esset ea depellere, inde proculdubio factum, ut ubi cognitum est quo in casu res Anglica esset, & hostibus animus creuerit, & Normanis, Aquitanisq; diminutus usque eò sit, ut omni subsidio desperato, ad Francum certatim deinde deficerent. Igitur post paucos dies, quàm fama tantæ infirmitatis per Gallias diuulgata est, Franci haud ullo ferè negotio potiti sunt Constantia, Gisortio, Castrogaliardo, Fano Landi, Fecano, Alenconio, Nouocastro, & in Vasconibus Mauliſſone, cum eiusmodi locorum arcibus deditis ad extremum ab ipsis Anglis, qui repentinis populorum defectionibus compulsi in eas se receperant. Item pari euento Rothomagum occuparūt. Hanc urbem Somersetensis, Talbotus, & cæteri belli duces aliquandiu uiriliter ac constanter defenderūt, defendissent que haud dubiè à præsenti periculo, si plus negotij non habuissent in continendo populo in fide, quàm in resistendo hosti, qui tamen sine fine, tempus doli quæritans, ubi est faciundę fraudis occasionem nactus, nullo pacto coērceri potuit, quin Francum intra muros receperit. Qua re cognita, duces cum præsidio in arcem confugerunt. Hìc per aliquot dies se tenuerunt, identidem urbem misilibus diuexantes: postremò spe subsidij, ac cibo deficiente, necessariò pacta cum hoste incolumitate, Cadomum se receperunt, quod Dauid Hallus loci præfectus uir bellicosus & solers, firmis tenebat custodijs. Franci post hæc, sequentes uictoriam, & rerum gestarū fama freti Harefloru contēdunt, atque oppugnare adoriuntur. Erat oppidi præfectus Thomas Cursonus uir animo magno, qui accepto triſti de re Rothomagensi nuntio, nequicquam deterritus primo cōgressu hostem magna clade affecit, qui temerè muros scalis capere tentauit. Factus deinde suo periculo cautior Francus munitiones fecit, & admotis tormentis, dies noctesq; uerberare cœpit. Ita in multos dies oppugnatio extracta, cùm Cursonus nihil uideret subsidij à suis submitti, oppidum Franco reliquit. Adfuit non multò pòst Carolus, & Harfleū alterum oppidum maritimum cis Sequanam adortus, etiam per deditionem recepit. Adeò fortuna immodica est, quæ uehementissimè aut fauet, uel per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequitur. Dum hæc alibi geruntur, Thomas Terellus accepta noua, sed omnino mediocri militum manu ex Anglia, Lexouium oppidum oppugnare aggreditur, cuius breui potitur, impositóque præsidio, Cadomum raptim contendit, ut se cum Matthæo Gogtho, qui, ut suprà ostendimus, in obsidione arcis Fani Selerini captus fuerat, ac paulò antè se redemerat, coniungeret, atque simul hostem quem fama erat Cadomum petere, prius uspiam adorirentur, quàm eò peruenirent. Sed in itinere ipse solus illo ipso die cum parte hostium quam fortè obuiam habuit, ausus uenire in certamen, post magnam utrinque factam cædem, profligatur. Francorum altera pars iam Cadomum peruenerat, quod quia Terelli casus omnem ciuibus spem subsidij præciderat, paucis pòst diebus per deditionem recepit, data Somersetensi qui in arce erat, cum reliquis Anglis, liberè abeundi facultate. Simili quoque conditione Baiocensium urbem & Fallesiam recipiunt, sed in deditione Fallesiana præter incolumitatem Anglis concessam, Talboto & alijs qui intus erant, datum etiam est, ut fortunas omnes secum ferrent. Quandoquidem Franci pro suo ueteri instituto, non in auro, sed in orbis terrarum imperio potiundo, gloria se & prædicatione efferunt. Quibus rebus reliqui Normani inuitati, omni iam dubitatione depulsa, se per legatos in Caroli potestatem permittunt, ita ut sola Chereburgi arx maritima retineretur ab Anglis. Ad eam postremò Franci accesserunt, factisq; circa locum paruulis prælijs, etiam per deditionem potiuntur. Duces autem Somerseti & Eboracensis cum reliquo exercitu in Aquitaniam proficiscuntur, rem ibidem quoque cadẽtem iuuandi causa. Tali modo Henricus rex perdidit Normaniam, post annos triginta, quàm Henricus quintus eius pater illam armis recuperauerat. Qui fuit annus salutis humanæ MCCCCLI, & cùm ipse regnare cœpit, XXIX. Circiter exitum eiusdem anni, migrauit è uita Franciscus Britanniæ dux sine liberis, cuius operatione, ut etiam iam nunc fama est, Aegidius eius frater homo clarissimus neci datus est. Petrus in fratris opes successit, sed eo breui uita priuato, Arthurus eius patruus dux creatur, & hic uix biennio exacto, morbo interijt, sine liberis. Ex quo hæreditas uenit Francisco secundo, ex Ricardo eius fratre nepoti.

Deuicta Normania, Carolus nullum bellandi tempus intermittit, optimè gnarus, uariã ac mutabilẽ sæpe esse belli fortunã, qui primo quoq; tempore in Aquitanos exercitum ducit, quos non multo labore in potestatẽ redigit: ubi enim fama amissæ Rothomagensiũ urbis ad eos peruenit, iã tum rebus Anglicis diffidentes uidere uisi sunt futurum esse, ut in Francorum ditionem redire cogerentur. Quanquam duces postquam eò peruenerunt, non desistebãt loca cõmunire, copias debilitatas augere, populum hortari, ut in fide, ut in officio permaneret, item crebris pariter literis atq; nuntijs Henricũ regem de periculo amittendæ prouinciæ docere: rogareq; auxiliũ, at nullum tamen ex Anglia cõparuit. Quo factum est, ut Aquitani cùm postea ob oculos habuerint hostem tam ad occupandam, quàm ad uastãdam prouinciam paratum, dum pro se quisq; nihil prorsus aliud nisi agros, nisi uillas, nisi rem familiarẽ tutandam curaret, negligentius timidiusq; bellum pararint, quò ne resistendo amplius damnũ facerẽt. Angli tamẽ qui suapte natura ne in morte quidẽ animo cõcidere solent, totis uiribus connixi sunt aduersam auertere fortunam, qui

postquam

postquam nõnulli populi ad Francos desciuere, & iam Burdegalenses tumultuari cœperunt, uenientibus hostibus obuiam facti, haud procul ab urbe prælium faciũt, pugnatũ est ualentissimè, sed ad ultimũ superãte multitudine, Angli funduntur, multi quidem cæsi, sed aliquot etiam capti. Ex Francis qui numero bis altero tanto præstabãt, amplius decem millia desiderata tradũt, qui idcirco hostem minus persecuti sunt, cõtenti ea uictoria tametsi admodũ cruenta, per quam postremò in Aquitania rerum potiti sunt, nam hæc clades ita demum Anglicas opes afflixit, ut ubi ad uicinas ciuitates perlata est, euestigiò legatos de deditione ad Francos miserint, atq; nõ multò pòst ueram deditionẽ fecerint. Post Burdegalam receptã, Baiona ultima Aquitaniæ ciuitatũ in Frãcorũ potestatẽ uenit. Angli tantis calamitatibus deuicti, qui ex illis cædibus fuerant, ducibus Somersetẽsi & Eboracensi, ad classem se recipiunt. Hîc nihil urgente aut impediente hoste, qui eorũ discessu gaudebat, ad iter se parãt, & postquã suos captiuos ab hoste redemerũt, naues cõscendũt, ac soluunt ilicò, secũdoq; uẽto in Angliã redeũt. Atq; ita Aquitania amissa est, post annos circiter CCXCIX, quàm Hẽricus secũdus illam nomine dotis Aleonorę uxoris, uti suprà lib. XII diximus, possidẽdã acceperat, qui fuit annus salutis MCLII, & post annos CCXXII, quàm Henricus tertius eandem à Philippo Augusto Frãcorũ rege, Ioãni eius patri paulò antè ademptam, receperat. Fuit is annus salutis humanę quo ab Anglo in Aquitania desitum est regnari, MCCCCLII. Has autem uictorias fortiter à Carolo adeptas, nõ tam Francorũ armis, quàm animis assignandas manifestò constat: sanè non usq; eò Anglorũ opes id temporis diminutę erant, quin bello gerendo satis essent, uerũ perpetuæ populorum, qui in eam gentem male animati erant, defectiones fecerunt, ut uis nulla ualuerit. Equidem cùm iam inde ab initio fuerint, qui dicerent aliam rationẽ esse ciuium, aliam reliquorũ, & per id affirmarent nullam externorum habendam, factum est, ut communis humani generis societas direpta, ac naturale quoddam odium gẽtibus mutuũ sua sponte innatũ sit. Hoc igitur uenenum iampridem multos infecit populos, adeò ut (de alijs taceamus) fieri quodam modo nõ possit, ut quispiam in terra Gallia natus multũ diligat Anglum, uel è contrario, Anglus diligat Francũ, eo odio ex contentione potentię, & imperij orto, ac ut suprà demonstrauimus, in multos annos, per cædes & strages utrinq; factas, aucto. Hæc igitur labis causa fuit, quæ transmarinis Anglorũ rebus tanta uenit. Cæterum Carolus Francorũ decus & lumen ac imperator fortissimus, unus fuit, qui suis pugnando restituerit rẽ, atq; iure belli auxerit.

Finito externo bello, discordia domestica reuiuiscere cœpit: porrò bona pars principũ ob res male et infeliciter gestas, fremebat, et alij in alios culpam conferebant, ac uniuersi unũ omniũ Gulielmũ Suthfolchiæ ducem tanq; pestem & perniciem patriæ omnibus precibus detestabãtur, quòd pecuniã publicam dilapidasset, quòd exercitui stipẽdiũ nõ dedisset, quòd supplementũ mittendum non curasset, quòd aulam bonis consiliarijs uacuam fecisset, quò suo arbitratu cuncta ageret. His uocibus factũ est, ut multitudo concitata ducem cum eius clientibus, parricidij, peculatusq; accusarit, ac publicè ad supplicium petiuerit. Quo uiso, regina metuẽs seditionis agit cum rege, ut multitudinis leniendę causa, ducem in carcerẽ cõijciat: quod factũ est. At paucis pòst diebus, regina rata plebẽ eiusmodi ignominia, qua Gulielmus affectus esset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

satiatam esse, eum custodia liberari iussit, ac apud regem in pristina gratia po
suit. Ad ea multitudo magis quàm antea agitata cœpit uociferari, indignum
esse facinus hominem tot maleficiorum conuictum in regia manere, ac in ho-
nore haberi. Quæ postquam rex audiuit, tum demũ animaduertens nihil es-
se, quod amplius dissimularetur, primò clientes ducis culpæ socios supplicio
affecit, dein ipsum ducem in exilium ire iussit, eo consilio, ut inde sopita mul-
titudinis ira, ad se euocaret, eò quòd in reginæ oculis habitaret. Atqui homo
flagitiosus ac capitalis nullis potuit seruari modis, qui cùm nauem cõscendis-
set, & Galliam peteret, subitò ab aduersarijs comprehensus interficitur. Atq;
ita Gulielmus à Deo, uti par est credere, meritas habuit pœnas, qui absq; mul
tis alijs facinoribus, dictus est necem Glocestrensi esse machinatus, quò sic ho
minis innocentis sanguis tandem eius cæde lueretur.

Sed extincto Gulielmo Suthfolchiq; duce, frui pace per intestina mala nõ li
cuit, quorũ causa atq; initium, ut dictum est, ex certamine factionũ est ortum,
quę fuerunt semper, eruntq; populis magis exitio, quàm bella externa, quàm
fames, morbiue, quibus in primis delectabant Cantiani populi tam iniuriarũ
intoleranter patientes, quàm nouarũ rerũ semper cupidi. Ii enim aut à Ricar
do Eboracensi duce solicitati, qui cupiditate regni adductus nouis rebus stu
debat, cuius cõsilium eò pertinebat, ut per discordiam populi sibi autoritatẽ
faceret, caputq; factionis esse inciperet, aut auidi ulciscẽdi iniurias à quæstori
bus regis sibi speciatim factas, arma capiunt, Ioannem quẽdam cognomento
Caddum ducem sibi constituũt, atq; coacto agmine, Londinum cõtendunt,
qui ubi propè accesserũt, in proximo colle castra faciunt. Hic inito maturè cõ
silio, eligũt qui sua postulata plena querimonijs ad regẽ deferãt, exponantq;
se cõmunis libertatis causa, arma sumpsisse aduersus nonnullos eius consilia-
rios, qui per acerbissimas pecuniarũ exactiones populum uexassent, atq; si de
illis meritum supplicium sumeretur, paratos esse arma deponere. Rex non au
diendos perfidiosorũ hominũ legatos existimans, ut concitato populo furo-
ris ocyus frenos iniĳciat, Humfredũ Staffordiũ equitẽ cũ electa militũ manu,
aduersus Cantianos protinus mittit. Cantiani uenientem Humfredum armis
inuadunt, primoq; congressu profligant, eaq; re feliciter gesta, multitudinem
cùm urbanã tum agrestẽ undiq; ad spem prędę euocant, atq; unà urbem infe-
stis armis petunt, in quam primò sine ullo maleficio intrãt, deinde uerò cupi-
ditate adducti, quorũdam ciuiũ domos magis opulentas spoliant, & ne præ-
dæ studere dicerentur, se iniurias aduersus eos ciues ulcisci prædicabant. Sed
ea res ad ultimum illis damno fuit: nanque plures optimates quos is tumul-
tus occultè delectabat, ut qui in spe erãt alicuius Reipublicę correctionis, ubi
animaduerterũt Cantianos ad diripiendã urbem se conuertere, sibi timentes
non ultrà expectandũ iudicarunt, quorsum ille furor euaderet. Verum dum
ita Cantiani in ciues sæuitiã exercent furentiũ more, nulli prius illis resistere
conant, quàm Ioannẽ Sayum principẽ Angliæ quæstorẽ cum plerisq; nobili
bus uiris, securi percusserint. Tũc Thomas Chaltonus urbis prætor, & uice-
comites Thomas Canyngius, ac Gulielmus Hulynus tãto malo quouis mo-
do obuiam eundũ statuentes, magnã militum manum properè comparant,
& quia Ioannes ductor multitudinis cis Thamesim, ad suburbanũ uicũ diui
Georgij suos continebat, eoq; in singulas noctes se recipiebat, duce Matthęo
Gogtho,

Gogtho, de media nocte in multitudinẽ impetũ faciũt, pontemq; interfectis
custodijs cũ præsidio occupant: sed nõ imparatos offenderunt Cantianos, il-
li enim qui ex metu, in armis quocunq; diei noctisq; tempore erant, ubi ex cla
more suorum cognouerunt ciues pontem tenere, extemplò in eos irruunt: fit
prælium puncto temporis atrox. Matthæus ubi uidit contrà atq; ratus erat,
magna ui resistere Cantianos, protinus suos cohortatus non ultrà procedit,
sed locũ pugnę tantisper tenere nititur, donec illucescat, ut reliqui ciues ex cla
more excĳti certò sciant, ubi loci suis laborantibus succurrendum sit. Verùm
tanto impetu multitudo urgere cœpit, ut paulatim ciues pedem referre, dein
de passim cadentes, pontem relinquere coacti sint. At Cantiani celeriter sub-
euntes ubi pontem tenuerunt, utrinq; in domunculas quæ super pontẽ con-
structæ erant, ignem inĳciũt. Tum uerò lugubre spectaculum cerneres: nam
alĳ ignem fugientes in aduersos gladios morituri præcipitanter ruebãt, alĳ
in subiectum flumen se eĳciebant, alĳ demum uociferantes ab ipsis flammis
suffocabantur: multi præterea aduersis uulneribus in ipsa pugna conciderũt,
& in ijs Matthæus Gogthus uir summa uirtute, pietate in patriam, gloria mi-
litari, qui amplius annis uiginti, cum magna laude, in exercitu transmarino
fuerat, sed ad extremum ita usu uenit, ut qui toties cum externo hoste pugnæ
rat, inuictusq; euaserat, à suis demum mortis præmio muneratus sit. At rex
ubi uidit Cantianos armis superari non posse, eos lenitate compescendos pu
tans, publico edicto omnibus qui in eo tumultu fuissent, impunitatem con-
cedit, præterquam Ioanni Caddo ductori, cui id facinus ut sceleris capiti, frau
di esse omni modo uoluit. Quo audito, plebs ut sui optati compos, domum
cum ciuium spolijs confestim properat, relicto suo duce, qui aliquanto pòst
captus, pœnas capite soluit.

Hoc ita sedato Cantianorũ tumultu, alter mox ualde pernicios⁹ derepen
tè ortus est, qui multò grauius Reip. uires labefactauit: nã ut corpus acerbius
ægrotare solet, si morbo leuatum rursus ęgrotare cœperit, sic res ipsa publica
finitis transmarinis bellis, & Cantiano tumultu, cùm inciderit denuò in bellũ
hoc ciuile, uehementius afflictata est. Etenim Ricardus dux Eboracensiũ, qui
eo iure quo suprà in uita Ricardi secundi docuimus Eboracẽsi familiæ regni
uenire hęreditatẽ, fretus, regnũ affectabat, ubi accepit Cãtianos nihil suo furo
re profecisse, tum maiora tẽtare moliriq; ausus, cœpit Eboraci noua cõsilia cõ
ferre cũ Thoma Corteneio comite Deuonię, & Edouardo Brucho uiro acris
ingenĳ, quo pacto sine perfidię nota posset illud obtinere: & quia solus id tẽ-
poris Edmũdus dux Somersęti erat, qui uigilijs, curis, periculis, quę plurima
adierat, & sentẽtijs officiũ boni cõsiliarĳ faciebat, cũ primisq; regnũ factionib.
purgatũ, regem saluũ, res quietas uolebat, eum cõtra suã uoluntatẽ, contra co
natũ uẽturũ nõ dubitãs, sibi petendũ statuit, quò aut extingueret, aut populi
odiũ, principũq; inuidiã in eundẽ cõcitaret, cõmoueret: itaq; parare exercitũ,
allicere donis iuuenes quosq; fortissimos, de se ingẽtia pollicẽdo, summo stu
dio maturat, & ut ne in regẽ quicq̃ moliri uideat, specie ulciscendi publicas in
iurias, palàm magno artificio prædicat se armis persecuturũ malos aliquot re
gis cõsiliarios, qui populũ Anglicũ contrà q̃ necesse esset, sexcentis quotidie
detrimentis afficerẽt, regnũq; prædę haberẽt, multaq; alia in uulgus iactat, ut
ne suum consiliũ aduersarijs diluceat. Ita pro cõmodo Reip. se id bellum su-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mere prędicando, exercitū bene magnum in Cantianū agrum ducere pergit, quò ubi peruenit, locum castris delígit, à Londino longè millia passuum decem, ibiq; per certos exploratores, in singula diei tempora, quæ apud regē agantur, cognoscit, & ut, si ad manū ueniendum sit, ne militū supplemento careat, iubet Edouardum filium comitē Merchiæ, uirum animi pariter atq; consilij magni, nouas interim domi copias contrahere, secq; cum illis sequi. Quæ cùm Henricus rex cognouisset, senatu aduocato, res quæ ad se de Eboracēsis aduentu in Cantianū agrum essent delatæ, omnibus exponit, quæritq; à singulis quid de eo motu iudicent, quidq; remedij domestico tanto bello adhibendum. Visum est cunctis peropportunū esse, ut celeriter cū expedito exercitu, iretur obuiam Eboracensi, positisq; in conspectu castris, ab eo quæreretur ecquid esset, quamobrem more hostis patriæ, arma sumpsisset.

Hoc comprobato consilio, rex penè quadrato agmine instructo, in cōspectum hostium celerius opinione eorum, exercitū adducit, indeq; mittit legatos, qui causam tanti motus intelligant, dentq; operam in concordiā, si modò cognoscāt, iusta ab aduersarijs postulari. Ricardus dux postquā audiuit legatos, siue certaminis periculo, siue subito regis aduentu, siue expectatione melioris occasionis motus, respōdit, se depositis armis, ultrò ad regem uenturū, si antea dux Somersetі eius iussu, in custodiam mitteretur, responsurus ad ea, quæ ipse illi obijceret. Hoc accepto per legatos responso, rex cùm animaduerteret, se nō posse sine pernicioso certamine, ducē ad sanitatē reuocare, neq; sine tumultu, domesticas seditiones sedare, si armis uteretur, causa conciliandę pacis, iussit Somersetensem cōsultò se in domū abdere. Quo facto Eboracensis exercitū dimittit, ac ad regem uenit, multaq; de Somersetensis superbia & auaritia queritur, ac solum eum criminando ab alijs gratiā inire studet. At Somersetensis existimans tam suo officio cōuenire, quàm Reipublicę cōducere eam haud quaq; indignitatem pati, non potuit se continere, quin in castra ueniret, ac coràm obiectis criminibus responderet, ipsumq; Eboracensem perduellionis accusaret, quòd consilia de occupando regno cū socijs iniisset. His uocibus factum est, ut rege Londinum redeunte, Eboracensis ut captiuus ductus in urbem fuerit. Hìc rex habito principum concilio, dum de causa cognoscere instituit, duces acerbius inter se congrediuntur, & alter alteri crimina nefaria obiectat. Sed Somersetensis qui cernebat animo, quæ paulò pòst acciderunt, maximè urget, ut Eboracensis arripiatur, & per quæstionem cogatur perspicua facere sua consilia, atq; de crimine fateri, & confessus de maiestate damnetur, ut unius principis iactura, bellum intestinum restinguatur, ac filij hostes patriæ iudicentur, ad idq; Deum deuocat, ut ne inimicus euadat. Hoc agebat Somersetensis, quia pro certo habebat, Eboracensem regnum affectare, ac se pariter atque Henricum regem ad necem destinasse. Sed non potuit fati necessitas ullis rumpi humanis consilijs: nanque quò minus Somersetensis sententia uinceret, multa obstiterunt: primùm fiducia Eboracensis sine exercitu ad regem uenientis, quę uisa est multis argumentum esse fraudem minimè concipientis, tametsi insidiosa erat: deinde rumor nouus, quo ferebatur Edouardus ducis filius manu ingenti iuuentutis delectæ summæq; spei stipatus Londinum properare: & tertio loco, legati à Burdegalensibus missi, qui significabant Henrico, ciues facta coniuratione, paratos esse in

esse in eius potestatem redire, si in Aquitaniam exercitū mitteret, & ad id inuitare occasionem, quòd nullæ Francorū copiæ apud se essent, quę ad prælium cōmittendum idoneæ forēt, ac propterea nil debere esse, quod huic bello anteuerteretur. His igitur de causis, Ricardus dux Eboracensiū permissu regis, domū liber discessit, plenus iræ & indignationis, qui iam tum statuit animo extrema etiā audenda, quò inimicorū iniurias tandem aliquādo ulcisceretur. At Somersetensis per eiusmodi certamē, Eboracensi duce in exiliū quodammodo acto, maiorē nactus autoritatē, unà cum Margarita regina, rerum potitur. Fuit ille annus salutis humanæ MCCCCLIII, & ab eo quo regnare cœpit Henricus, XXXI, cùm natus est Edouardus unicus ipsius Henrici ex Margarita filius, is statim ab ineunte ætate, spem optimæ indolis præbuit, qui summa uirtute florere cœpit, cùm primùm sapere cœpit. Quo etiā anno Ioannes Staffordius Cantuariensis archiepiscopus moritur, in cuius locum subditur Ioannes Chempius Eboracensis episcopus, ordine antistitum sexagesimus secundus, quem Nicolaus quintus Ro. pontifex Cardinalem fecit. Eboracensi diœcesi præficitur Gulielmus Bothus Conuentrensis & Lichefeldensis episcopus, qui fuit ordine Eboracensium episcoporū alter & quinquagesimus.

Audita Burdegalensium legatione, placuit renouare bellum, collaudataq; Burdegalensium ciuium fide, rex recipit se Talbotum cum exercitu in Aquitaniam missurum, bellumq; Franco terra mariq; illaturum. Legati accepto ex animi sententia responso, clàm, quemadmodum uenerant, domum reuertuntur, expositoq; Henrici mandato, suos ciues confirmant. At Talbotus ubi regi placuit copias contrahi, & cōtractas quamprimū in Aquitaniam transportari, tanta animi alacritate id bellum obiuit, ut nunquā aliàs rebus bellicis magis studuisse uisus sit. Quid, quòd angebatur singularū horarū expectatione, dum exercitus fieret? Igitur milites deligit optimos quosq;, tela, equos, & cætera instrumenta militiæ, item cōmeatum affatim, ac denicq; omnia parat, quę in bello uario & multarū rerum egente, esse usui solent: sic omnibus rebus ex sententia paratis, atq; nauibus instructis, in Aquitaniam proficiscitur, qui ubi uento nō aduerso eò peruenit, in terramq; copias exposuit, omnem agrum Burdegalensibus uicinum percurrit, emittitq; quaquauersum cohortes aliquot, quæ latè procurrentes incolis terrorem incutiāt. Burdegalenses audito Talboti aduētu, ad eum multa de nocte, secretos nuntios mittūt, ut propius accedat. Interim tantus repentè timor omnes extra eos, qui huic tantæ coniurationi conscij erāt, intus inuaserat, ut omnia turbata essent. Sed milites Franci in primis qui urbi præsidio erant, Talboto appropinquante, profugere conantes, in manus hostiū incidunt, quos arma abijciētes Talbotus incolumes seruat. Recepta Burdegala, atq; præsidijs firmata, Talbotus inde progressus aliquot uicina oppida cū arcibus, nullo ferè negotio recipit: cuncti enim eius regionis populi generatim libentissimis animis in Anglorum potestatem se permittebant, q; à Francis ob diuturnū bellum inopia rerum omniū affectis, crebra detrimenta acciperent. Quamobrem eodem tempore ex longinquis etiam ciuitatibus, legati ad Talbotum ueniūt, & quę imperasset, sese cupidissimè facturos pollicentur. Interea Carolus qui in Turonibus erat, ubi quæ Talbotus agebat, ex crebris nuntijs accepit, & simul de Burdegalensiū aliorumq; populorum defectione certior factus, magnis continuò coactis copijs

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hostes proficiscitur, præmittitq; bonã exercitus partẽ in agrum Petragoricensem, quæ Castillionẽ oppidum, quod Angli receperant, ac præsidio tenebant, oppugnet. Frãci celeriter profecti oppidum circumsident, munitiones opportunas faciunt. Re cognita Talbotus cum parte exercitus, magnis itineribus Castillionẽ petit, aliquot Francos per agrũ incautè uagantes intercipit, iuxtaq; hostium munitiones castra ponit, postridie instructa acie, hostem qui se uallo cõtinebat, inuadit. Fit prælium atrox in eo ipso uallo, adeoq; anceps, ut nulli diu cõstaret, utrò se uictoria inclinaret. Sed cùm Franci post paulùm suis integris defatigatos subinde iuuãtibus, acrius pugnam redintegrassent, & Talbotus ictu tormenti eodẽ momento percussus, ex equo cecidisset, Angli postremò casu ducis territi, sese in pedes dederũt: multi tamen in uestigio interfecti, ac pedites ipsi alij aliò dilapsi sunt, qui præcipitante sole, conferti ad suos ægrè se retulerũt. Mille & amplius desiderati sunt Angli homines, & in ijs Talbotus, ac plerique uiri illustres, qui honestum duxerant ordinem. Hunc exitum uitæ habuit Ioannes Talbotus comes Salopiensis, post quatuor & uiginti annos, quàm in Gallijs cum summa gloria belligerauerat, uir nempe clarissimus, fortissimusq;, cuius uirtute populi Anglici nomẽ maximè Gallis formidolosum extiterat. Equites Angli qui fugam primi fecerãt, alij ad proxima loca quę à suis tenebantur, alij Burdegalam se receperunt. At Franci uictoria utentes, acrius solito Castillionẽses urgẽt, quos haud multò pòst omnẽ subsidij spem abijcientes, deditionem facere compellũt. Castillione recepto, reliqua oppida paucis pòst diebus, aut per uim, aut per deditionem de Anglo capiunt. Restabat Burdegala, in qua omnis uis Anglorũ erat: hanc oppugnare Carolus aggreditur, multisq; frustra consumptis diebus, nihil hostibus nocebat, quinimò ipse multis quotidie afficiebatur incõmodis, cùm Angli ex turribus, quas in litore fecerãt, frequenter irrumperẽt, & ex altera parte ciues coniurationis socij, qui locũ ueniæ apud Francũ minimè futurũ suspicabantur, fortiter se defenderent. Sed ad extremũ utriq; fame penè suffocati, necessariò conditiones à Carolo sæpius antè oblatas reddita urbe, minus repudiarunt, quæ eiusmodi fuere, ut proditio nulli ciuium fraudi esset, & Anglis abire liceret, qui ita dimissi cum armis ac fortunis in Angliam incolumes rediere.

Hic demum finis externorũ bellorum, & idem domesticarũ cladium renouatio fuit: nanq; ubi metus hostilis qui adhuc in bonis artibus regnum retinebat, mentibus principum decessit, ita gloriæ & dominationis certamen inter eos esse cœpit, ut iam tum manifestè in duas factiones populum perinde traxerit, atq; posthac duo, Henricus rex qui ex Lancastria familia originẽ ducebat, & Ricardus dux Eboracensis, qui genus suum maternum ad Leonellum Edouardi tertij filium referebat, de regno inter se certarint. Ex quo tantũ breui tempore istæ duæ factiones apud omnes pollere cœperũt, ut multos mortales perdiderint, regnumq; multum labefactauerint, dum alteri alteros uincere quouis modo, & uictos acerbius ulcisci arderent. Sed initium eiusmodi turbandi omnia, ut suprà diximus, à Ricardo duce Eboracensi ortũ est: hunc enim libido inuaserat potiũdi regni, nec id quibus modis sibi pararet, desinebat animo excogitare, cui nihil potius uisum est, quàm optimatum inuidiam concitare in Somersetensem, cuius nutu periniquo animo ferebat regnũ gubernari: itaq; statum Reipublicæ passim apud omnes principes, multò miserrimum

rimum esse prędicare, eundem detestari, lugere non cessabat, & causam tanti mali Somersetensi duntaxat adscribebat, quem iniquum, perfidum, insolentem, ac dirum tyrannum appellabat, cõscindebat, uituperabat: Hẽrico etiam regi permulta uitio dabat, quòd uir esset ignauus, uecors, & omnino ad Rẽpublicam rectè gerendam minimè idoneus, & propterea optimatum interesse aiebat de remedio cogitare, uel potius excogitare. Talia querẽdo dux breui effecit, ut bene multi principes præsentem regni statum quo utebantur, itidem minus probarent, ac simul mutari omnia studerent, quippe quos ambitio iuxtà atq; auaritia iampridem inuaserat, in præsentia q; uehementer urgebat. Igitur cùm uaria sensim esse cœpissent partium studia, Eboracensis suę factionis socios in primis facit duos Ricardos Neuyllos, alterum Sarisberiæ, alterũ eius filium Varuici comites. Hic uxorem duxerat Annam sororẽ Hẽrici ducis Varuici, paucis antè mensibus mortui, & nomine dotis ipsius puellæ, de uolũtate regis eũ comitatũ assecutus est. Is erat adolescens nõ ueris tãtùm uirtutibus mirabilis, sed etiã arte quadã ab ineunte ætate, in ostẽtatione earũ uirtutũ compositus: nanq; summa ingenij facultate, comitateq;, in mira apud multitudinem gratia erat, ad quam ineundam simul eius in omnes liberalitas iuuabat, prętera animi altitudo cum paribus corporis uiribus, eandem fauoris aurã augebat. Quibus rebus populus adductus persuasum habebat, nullam esse tam grandem rerũ molem, quã ipse Ricardus ferre nõ posset: quapropter tantũ breui tẽpore ualere cœpit, ut quò ille inclinaret, eò quoq; maioris partis populi studiũ sese uerteret. hęc de filio. Alter Ricardus Neuyllus pater pari uirtute, sed gratia dispari, is in matrimonio habebat Aliciam unicã filiam Thomę Montacuti comitis Sarisberiẽsis, quẽ suprà scripsimus in obsidione Aurelianẽsi interijsse, in eiusq; opes successit, ac ex ipsa Alicia suscepit liberos Ricardum Varuici comitem, Ioannem, & Georgiũ. Ad propositũ reuertor.

Dux Eboracensis postquã duos Ricardos, patrẽ et filium secum esse uidit, bellum cõparat, in idq; totus et mente et animo insistit, ac nõ multò pòst cum expeditis copijs Londinũ uersus iter facere incipit. Londino terrori summo fuit fama tanti tumultus, cùm quisq; se aut in magno periculo, aut apud unũ, uel alterũ principẽ in offensa fore prospiceret. Rex cognito aduersariorũ aduentu, exercitum cogit, celeriterq; cõtrà proficiscendum statuit, ut uspiam in Eboracensi agro manus cum eis cõserat, procul à Londino, quòd eam ciuitatem ob inconstantiã plebis nouarũ rerum cupidam, suspectã haberet. Cęterũ non longius bidui uia aberat, cùm nuntiatur Eboracẽsem adesse, qui magnis itineribus uenerat: tum necessariò castris ad Fanũ Albani positis, suos sub armis tenet, ac interim aduersarijs per legatos præcipit, ne cõtraueniãt, néue ut patrię hostes populum seditione uexent. Hoc dum Henricus pacis potius q; belli appetens agit, Ricardus Varuicensis comes bellicũ canit, primus omniũ regios milites prelio lacessit, quòd eius pars multitudine et peditatus robore prestaret. Illi contrà nihil cunctantes in campum pariter descendunt. Pugnat acerrimè utrinq; à mane diei, ad horam nonam, multa cum cæde, donec ad ultimum alijs integris ex aduersariorũ multitudine, alijs fessis succedentibus, regiæ copiæ fusæ, fugatæq; sunt, multis militũ interfectis, cum suis ducibus, in quibus fuere Edmundus dux Somerseti, Henricus secũdus comes Northumbrię, Ioãnes Clyffordius, ac plerique alij equites fortissimi. Sed ob Somersetenv

Universidad de Deusto
Biblioteca

sem ducē amissum, Henricus rex magnū atq; incredibilē accepit dolorē, quòd in eo omnes spes suas posuerat, quódque talis belli dux qui tot annos pro patria, aduersus Francos strenuè pugnasset, ad extremum à suis ciuibus occisus esset, apud quos tamen nōnihil uiri uirtus ualuit, quòd eius corpus in proximum diui Albani cœnobiū delatū sepeliendū curarunt. Reliquit Edmundus tris filios, Henricū, Edmundum, & Ioannē, qui Henrici regis etiam partes secuti sunt. Multi præterea capti, quo in numero & Henricus ipse. Fuit is annus salutis MCCCCLVI, & cùm regnare cœpit Henricus, XXXIIII, fœdatus hac domestica clade. Quo anno Ioānes Chempius Cantuariēsis archiepiscopus moritur, uix triennio eius pontificatus finito: quem secutus est Thomas Burscherius Elyensis episcopus, ordine antistitū Cantuariēsium sexagesimus tertius, qui mox Cardinalis tituli Sancti Cyriaci factus est. Per idem temporis Osmundus qui olim Sarisberiēsis episcopus fuerat, per Calistum Rom. pontificē, inter diuos refertur, quòd uir sanctissimus fuisset: eius corpus etiā nūc Sarisberiæ in principe æde multo cum cultu asseruatur, quòd ibidem crebra edantur miracula. Migrauit & è uita Carolus Francorū rex, qui se per crebras calamitates in omni memoria celebrauit: non enim is iuuentutē suam in uoluptatibus, sed in laboribus exercuit, qui satis habuit auitū recuperare regnū. Hinc cognoscere licet calamitatē plerunq; illustrē esse ad gloriam, contrà uoluptatem nunquam. Successit patri Ludouicus undecimus.

Eboracensis dux post adeptam uictoriā, reputans secum à principio prędicasse, idcirco se arma sumere, ut Respublica ad cōmodiorem statum perueniret, muniuit se lenitate, misericordia & liberalitate, quandò tantum abfuit, ut Henrico regi manus intentarit, ut etiam eum nō secus ac belli uictorem Londinum deduxerit. Hîc habito confestim concilio, cum suis duobus Ricardis Neuyllis, & nōnullis alijs principibus, quos ad id consiliū adhibendos putauit, se regni protectorem, Ricardum Neuyllum patrem, magnū Angliæ cancellariū, & Ricardum Neuyllū filium Caleti præfectū creandos curauit, quo penes se, & Ricardū cancellariū regiū imperiū esset, & alter Ricardus res bellicas curaret, atq; Henricus uerbo, non item re, rex esset, cui tunc parcendum ducebant, ut ne populi furorē in se concitarent, quòd propter uitę sanctitatē, ille mirificè ab eo diligeretur, coleretur, obseruaretur. Quibus rebus ita actis, ipsi tres tam domi quàm foris summā imperij habēt, qui ut etiā suo arbitratu cùm libuerit, sine certamine, possint Henricū aut regno uitáue expellere, paulatim consiliarios ueteres senatu excludūt, honore deijciūt, autoritate priuāt, ac nouos suæ factionis homines in locum illorū substituūt: idem de magistratibus toto regno decernūt, constituūt, peragunt. Atqui interea Henricus Somerseti, qui patri Edmūdo regis nō iniussu, in principatū successerat, et Humfredus Buchyngamię duces, ac cōplures alij principes qui cū Hērico rege sentiebāt, stabant, eiusq; uicē dolebāt, cùm nō ignorarēt, quorsum illa ducis Eboracensis insidiosa humanitas tēderet, primo quoq; tēpore prouidendū iudicant: itaq; secretò ad Margaritā reginā adeunt, cū ea consilia cōmunicant, exponuntq; Eboracensem fraude regē petere, ut scilicet eum per artificia incautum facilius opprimat, & propterea uelit rebus maturè prospicere, quod nauiter faceret, si uirum ab insidiatoribus segregaret. His monitis regina ualde permota, quæ sibi ac uiro æquè timebat, paucis pòst diebus nacta occasionē per

per anni tēpus hortatur uirū, ut specie quærendi secessus magis salubris, Conuentriā se conferat, ibiq; rebus suis prouideat. Rex igitur uidens se in periculo uersari, nulla facta mora, cò concedit, actoq; suorū amicorū cōuentu, Ricardum Eboracensem ducē de regni gubernatione, & Sarisberiensem comitem à magistratu deturbat, atq; per literas ambos ad se uocat. At illi ea noua iniuria offensi, postq; inter se per aliquot dies tractarunt, quatenus & quomodo sibi agendum foret, ad ultimū ita indignati sine tumultu, Ricardus Eboracū, Sarisberiensis in suum principatū, & Varuicensis Caletū proficiscitur. Quid uerò inter se statuerint, quóue cōsilio abiuerint, certum non habeo quod tradam, nisi fuerit, quòd rebus ad bellum gerendum imparatissimi essent.

Recrudescentes sic seditiones animū in primis Londinensi plebi dederūt tumultuandi, quæ ex leui turba concitata, in externos præsertim negociatores, more suo, inuasit, multosq; illorū uulneribus affectos, prius fortunis omnibus spoliauit, quàm à senatu coërceri potuisset. At rumor eiusmodi turbatarum rerum ad Francos delatus, maioris detrimenti causa fuit: Franci enim qui id tēporis Normaniæ litora classe tuebantur, audientes omnia apud Anglos seditionib. turbari, & spe prædandi adducti, cum aliquot nauibus oram Cantianā subitò petunt, ac de nauibus descendunt in terram, incēsisq; passim uicis, magnā prædam faciunt. Inuitauit & hæc ciuilis discordia Iacobū Scotię regē ad bellū aduersus ipsos Anglos gerēdum. Is à principio inimicitias suscepit cum Gulielmo Douglassatium comite uiro nobili, & multę cognationis, quòd sibi persuasum haberet, eum affectare regnū. Vsque eò creuit suspicio, ut rex postremò comitē in colloquiū euocatū, & forsitan ex innocentię fiducia, liberè obiectis respondentē, in uestigio interficiēdum curauerit. Qua iniuria Archibaldus Morauiæ comes, & Hugo comitis fratres permoti, regem armis persequendū sibi statuūt, bellumq; ei palàm faciūt, quod diu Iacobū habuit, multisq; incōmodis affecit, sed ad extremū superatis aduersarijs, regnū pacatū reddidit: quo facto, cùm audiret Anglos inter se de regno decertare, statim eorum fines populatum contendit, & quia nusquam armatorum manus ulla apparebat, Roxburgū obsidet, tormentisq; admotis, oppugnare aggreditur. dum ita in id negocij incumbit, ecce tibi, subitò unum ex tormentis æneis rumpitur, cuius frustis ille percussus ilicò occidit. Scoti tamen ob mortem regis, facultatem reliqui negotij gerendi haudquaquā dimittunt, sed ualde urgentes paulò pòst Roxburgo potiuntur. Reliquit Iacobus filios ex Maria uxore tris, Iacobum, Alexandrum Albaniæ ducem, & Ioannem. Iacobus tertius ætate puer rex creatur, cui præceptor datur Iacobus Chennethus diui Andreæ archiepiscopus, qui diu fuit etiam regni gubernator, quòd uir esset probus, atq; homo rebus omnibus longè ornatissimus.

Interea Henricus certior factus, ducem Eboracēsem nihil hostile aduersus se domi moliri, Londinum reuertitur, & conuocato concilio, exponit Gallos cognoscentes regnum ciuilibus discordijs fluctuare, nuper ausos fuisse oram Cantij uexare latrocinijs, & Scotos ex altera parte eadē re inuitatos Roxburgum cepisse, ac uerisimile esse, neutros quieturos, nisi intelligant inter principes concordiam conuenisse, & ut id tādem aliquādo fiat, se uelle dare operā, ut Eboracensem recōciliet, omniumq; uoluntates recuperet, quò ne libertas regni in discrimen per ciuilia odia adducatur. Probato ab omnibus eius con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

filio,quãprimũ uiros ætate graues ad Eboracensem atq; alios illius factionis principes legat,qui eos ad se uenire iubeãt. Venit dux Eboracẽsis,& Sarisberiensis comes,cum reliquis socijs Lõdinũ, magno armatorũ numero stipati, ne temerè in insidias quas in primis curabant cauendas,inciderent. Varuicensis quoq; comes Caleto profectus adfuit. Hîc postquam de antiquis iniurijs, multa utrinq; facta sunt uerba,et de peccatis tã recentibus quàm iam ferè obliteratis,multæ simul querimoniæ in mediũ missæ,tandem metus externi belli tantũ põderis habuit,tantũ omniũ animi à nefario bello abfuerũt,ut depositis priuatis odijs & offensionibus,principes salutis patriæ studiosi, dato à singulis iureiurãdo,in pristinã cõcordiã reducti sint. Quæ sanè res tantũ omnibus lætitiæ attulit,ut passim principes plebeiq; inuicem sibi cõgratulantes summo gaudio exultarent. Quocirca gratias Deo agẽdi causa,toto regno & in primis Londini supplicationes publicæ multa cũ ueneratione decretę,quibus ipse rex & regina cũ magna nobiliũ cohorte interfuerunt. Fuit hic annus humanæ salutis MCCCCLVIII,& cùm regnare Henricus cœpit,XXXVI.

Sed perfidiosi seditiosiq; homines,concordiæ similiter iuris atq; iurãdi memoriã facilè deposuerunt,quod ita usu uenit,ut ij nec priuatos focos,nec publicas leges,nec fœderis iura chara habeant,quos discordiæ, quos cædes ciuium,quos bellũ delectat. Non enim multis pòst diebus quàm ita principes cum suo rege in gratiam redierant,subita turba,casu ne,an astu,non satis constat,facta est:siquidem aliquot ex regia familia uenerunt ad manus cum comite Varuicensi,ad Vuestmonasteriũ,ubi post longam dimicationẽ,comes auxilio eorum,qui sese cõflictus sedandi causa,pugnantibus opposuerant,adiutus,ægrè se ad flumen recepit,atq; inde scapha uectus, ex periculo euasit. Ad hunc motũ,tantũ repentè exarsit bellum,ut cuncti generatim mortales in discrimen armorũ adducti sint. Comes post acceptam iniuriã,se Eboracũ ad ducem,ad patrem comitẽ Sarisberiensem contulit, illisq; expositis,qua affectus fuisset contumelia à regijs satellitibus. Hæc cùm questus esset,ueritus ne non per absentiã præfectura deturbaret,Caletũ traiecit,ibi expectaturus diem ex die,dum de summa rerũ dux deliberaret. Dux & comes ea offensione accensi,minaciter uociferabantur inter se,id nihil aliud esse,nisi fraudem,nisi fœminæ(de Margarita regina intelligebãt)rabiem,cui pro libidine omnia sibi licere ducenti nihil prius esset, quàm per muliebres artes, omnes regni nobiles cruciare, diuexare, perdere. Sed postquam uerba fecerunt,ad rem ueniunt: statuunt enim inter se,ut comes magno instructo exercitu,Londinum proficiscatur,atq; cum rege de iniuria expostulet uiolatæ concordiæ,& si præstare cognouerit,non omittat occasionẽ ulciscendi suum decus,aduersus reginam eiusq; consiliarios malè Rempublicã gubernantes:atq; ita capto consilio,Sarisberiensis iter facere incipit. Interea regina in primis quæ Somersetensis & Buchyngamiæ ducum consilio fulta,ducta atq; adiuta,uirili diligentia,uigilantia,celeritate plena erat,pro certo habebat comitem Varuicẽsem de industria proximam illam turbam cõmouisse,ut eam nactus occasionem,destinatum facinus omnibus modis ederet,quo tandem aliquando Eboracensis rerum potiretur. Quare nõ imprudentissima mulier existimãs nihil esse, quod unquam amplius cum aduersarijs de concordia agitaretur,ubi cognouit comitem Sarisberiensem in armis esse, concilium conuocat, rebusq; male sanis remedium quærit. Plericq; censebant expectandum comitis aduentum, quò cognosceretur,utrum bellum uel pacem afferret. Alij argumentum sumebãt ex seditione nuper concitata,nõ posse rem sine dimicatione transigi,& idcirco de obuiam itione,celeriter statuendum. Hæc uicit sententia, atque confestim Iacobus Tuchetus Audley regulus cum exercitu mittitur, qui Sarisberiensi comiti in itinere occurrat,cũ eoq;,si ita res poscat,manus conferat. Iacobus magnis itineribus profectus,in Lichefeldensem agrũ peruenit, quò iam conuenerãt hostes,& quamproximè potuit,eorum castris castra sua obiecit, Postero die Sarisberiensis oblatam pugnandi facultatem nõ dimittit,sed prima luce prælium incipit. Est acerrimè pluribus horis pugnatum,uicit ad ultimum Sarisberiensis,magna cùm hostium tum suorum facta strage. In eo fuit numero Iacobus Tuchettus,ita ut præter paucos nobiles captos,omnis regius exercitus propè deletus sit.

Post hoc prælium,Ricardus dux Eboracensis animaduertens consilia sua iam patefacta,illustrata,satis nota esse facta regi & reginæ,qui omnibus locis conabantur futurũ malum procul auertere,iam tum existimauit non esse amplius apud eos dissimulationi locũ,ac idcirco tam regni adipiscẽdi,quàm uitæ tuendę causa,sibi fortiter in id negotiũ incumbendũ statuit:itaq; unà cum Ricardo Sarisberiensi omniũ consiliorũ ac fortunæ socio,nouum exercitum conflat,atq; simul ambo breui ingenti militũ multitudine in unum cõtracta, in Eboracensi agro castra ponũt,ibiq; uel hostes operiri,uel inde ueniẽtibus obuiam ire constituunt. Quæ ubi tumultu maiore etiam quàm res erat,Londinum deferuntur,rex quamprimũ undecunq; exercitũ coëgit, magnaq;, ut in rebus trepidis fit,usus celeritate,prius in agrum Eboracensem peruenit,castraq; nõ longè ab hostibus posuit,quàm illi certò propè scirent eum esse uenturum. Sed bellum haud memorabile fuit:nanq; cõiurati diuersi subitò abierunt, cuius rei causam subijciam. Venit ex Caleto ad id bellum Ricardus comes Varuicensis,cum magna militũ manu,seq; cum duce & patre coniunxit. Dux ita auctus copijs,statuit postridie illius diei cum hoste prælium cõmittere,sed interim Andreas Trolopius,uir summæ belli scientiæ & fidei, qui diu sub Henrico rege Caleti stipendium fecerat,ubi animaduertit cõtra ipsum regem esse ueniendum,cuius crediderat Varuicensem conseruatorem,non defertorem fore, haud mora ulla facta, cum suis militibus noctu ad Henricum trãsiuit,à quo uti fidelis ueteranus belli dux perbenignè acceptus est. Quod simulatq; Eboracẽsis cognouit,animi pendêre mirandum in modum cœpit, quippe cui dubitanti quid se facere cõduceret, permagnũ pondus afferebat, quòd certò sciret regem multitudine militũ præstare,& doleret Andreã optimum ducem sibi aduersariũ factum esse,cuius uirtus quantum antea fiduciæ, tãtum postea formidinis apportabat:ita cùm nullum consilij sui exitũ reperiret,quia nihil deliberari poterat,quod nõ uideretur incurrere in aliquã difficultatẽ,demũ etsi à bello discedere detrimentosum esse iudicabat,tamen constituit in præsentia,ut tempus ferebat,cedere:itaq; ipse transgressus Oceanũ, in Hyberniam se compegit,omnibus ferè necessarijs eius consilij expertibus: comites uerò Sarisberiensis & Varuicensis cum Edouardo eius filio comite Merchię,Caletum se receperũt:reliquus exercitus partim captus,partim dissipatus est. Rex post fugam hostium, in Vualliam magnis itineribus conten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit, ut ducem Eboracẽsem, quem per eam regionẽ ad litus properare accepe
rat, in itinere comprehenderet, præmisitq; aliquot equites, qui litus omne an
te caperent. Verùm Eboracẽsis magno pretio naui conducta, antea iam traie-
cerat, quàm equites appropinquarẽt. De qua re rex in itinere certior factus,
ad Ludiollium constitit: hîc dum moratur, habito suorũ principum concilio,
aduersarios omnes patrię hostes denuntiat, illorũ bona publicat, publicataq;
ueneũt, ac uxores cum liberis custodiri iubet, prędia bene meritis distribuit,
captiuos aut supplicio afficit, uel mulctat, siue exilio damnat, de controuersijs
ueteribus cognoscit, finitimos qui eum maximè saluum se uelle ostendebant,
ac illuc concurrebant, in fidem recipit, optimates uiros probos sibi amicissi-
mos prouincijs Eboracensi & Dunelmensi tuendis, defendendisq; præficit,
ac postremò Henricũ Somersęti ducem Caleti præfectũ facit. Sed uerum est
uetus uerbũ, Vt matura satio sępe decipit, ita sera semper mala est. In hoc nem
pe negotio gerẽdo, mora sola nocuit regi, qui si à principio eum locum à ma-
nibus aduersariorũ eripuisset, proculdubio protinus deleuisset.

His actis, rex Londinũ reuertit, magnoq; opere fretus fauore militũ, qui e-
ius stipendo conducti in præsidio Caleti erãt, nulla interposita mora, Somer-
setensem ad suam præfecturã in continentẽ misit. Dux Caletũ proficiscit, ex-
positoq; regio mãdato, sibi oppidũ tradi iubet, quod Varuici comes se factu
rũ negat, atq; clausis portis, eũ procul ejicit. Ille perterritus, quòd omne præ-
sidiũ consentire intellexit, Guinas quod est proximũ ditionis regiæ oppidũ,
profectus est, & illud à prędecto qui dicto audiẽs fuit, recepit: tum maiori stu
dio animoq; ad ulciscendũ iniuriã incumbẽs, cœpit quotidie tumultuosa prę
lia cum comitis militib. facere. At Varuicensis dum sui ita leuibus dimicatio-
nibus cum Somersetensi tempus terunt, cõtracta magna nauiũ copia, mittit
bonam armatorũ partẽ quos secum habebat, in Cantiũ ad Sanduicũ portum,
qui locũ spolient, prohibeãtq; accessu aduersarios. Illi subitò in portũ delati,
naues aliquot instructas & ad traijciendũ paratas, quæ Somersetensi auxilio
mittebantur, de improuiso adoriunt, ac nõ multo labore capiũt, ducuntq; cum
bene magna præda Caletũ. Tum Varuicensis uidens nullũ ab hostibus peri
culũ impendêre, in Hyberniã ad ducẽ Eboracensem transuolat, ac de rebus a-
gendis cum eo cõmunicat, agitat, deliberat: quo facto, cõfestim Caletũ reuer-
titur, renuntiatq; patri & Edouardo Merchiæ comiti, ducis sententiã esse, ut
primo quoq; tẽpore cum instructo exercitu in Angliã transeãt, nullaq; geren
dę rei facultate omissa, regem Henricũ armis usq; eò diuexent, dum ipse cum
magno militũ numero subsidio aduenerit. Illi hoc cõprobato consilio, in An
gliã confestim delati, Londinũ proficiscuntur: nam urbs nullis firma custodijs,
nullis belli apparatibus locuples, uenientibus patêret, necesse fuit. Hîc de sor
dida plebe homines & quoscunq; ad se concurrẽtes armãt, cæteraq; bello ne-
cessaria parant, atq; inde cum collectitio exercitu, Northantonũ cõtendunt,
quò rex paulò antè uenerat. Quibus reb. cognitis, regina Somersęti atq; Bu-
chyngamię ducũ opibus & consilio adiuta, quæ in huiusce modi res magis q̃s
rex intenta erat, in qua una ille acquiescebat, magno animo exercitũ cogit, uo
catisq; undique ad se principibus suæ factionis, qui singuli cum electo arma-
torum robore cõuenerant, breui ingentes copias conficit. Rex postquam stu
dio atq; opera ducum & reginæ cognouit se non contemnendũ habere exer
citum

citum, statuit cum aduersarijs cõfligere, atq; extra oppidum in proximis pra-
tis secundum Nynam flumen castra posuit, & ubi hostes adesse intellexit, ue-
nientibus obuiam factus, signum pugnæ dedit. Non retardarunt hostes cer-
tamen: multo mane cœptũ est pugnari, & iam meridies aduentabat, cùm rex
uincitur: paulò minus decem millia hominũ cecidere, & in ijs Humfredus Bu
chyngamię dux, Ioannes Talbotus comes Salopiæ iuuenis præstantissimus,
maiorumq; suorum similimus, Thomas Egromondiæ regulus, complures q;
alij. Captiuorum autem numerus multò maximus fuit, quòd equitibus bene
multis placuit, dimissis equis, more suo pedestrem pugnare pugnam, & ante
omnes in aduersariorũ potestatem Henricus rex cecidit, homo ad miseriam
humanam, calamitatem, & ærumnam natus. Reliqui principes qui ex eo stra
gis incendio euolauerunt, cum regina, & Edouardo principe, in agrum Ebo-
racensem, & inde in Dunelmensem fuga se contulerunt, ut illic aut exercitum
reficerent, aut si nulla in præsens spes renouandi belli esset, in Scotiam perge-
rent, ibi expectaturi, dum melior bene gerendę rei facultas daretur. Victores
comites Henricum captiuum Londinum ducunt, conuocatoq; principum
concilio, illum omni regia potestate dejiciendum summè curabant, cùm dux
Eboracensis certior factus de adepta uictoria, ex Hybernia statim adfuit, in-
gressusq; curiam, primò locum occupauit, qui regi in senatu datus est, dein-
de coram omnibus se regem dixit, docens id iure se fecisse. Sed ad extremum
habita est reuerẽtia maiestatis: nam senatusconsulto decretũ est, ut post mor-
tem Henrici, hæreditas regni familię Eboracensi ueniret, ac interim Ricardus
dux Eboracensis regni rector esset. Sic erat placitũ Deo, uti Henricus uir san-
ctus per tot calamitates, quibus continenter afficiebatur, regno terreno pri-
uaretur, mox cœleste habiturus: nam non potest unquam uir bonus, quam-
uis mille affectus supplicijs, non esse beatus. Cæterũ illud infortunium apud
uulgus prodigio creditur esse demonstratum: quando quidem ferũt, cùm ip-
se Henricus paulò antè in senatu ornatus regio habitu consederet, subitò co-
ronam è capite in terram cecidisse. Fuit is annus quo hæc acta sunt, salutis hu
manæ MCCCCLX, & cùm regnare cœpit Henricus, XXXVIII.

Sub hæc, Eboracensis certò sciens, reginam non contentam fore decreto
concilij, in agrum Eboracensem properè contendit, ut eam persequatur, ca-
straq; locat ad pagum in occidentem uersus longè ab Eboraco XV. circiter M.
passuum situm arceq; cõmunitum, quem Vuakefild uocant, atq; hîc de inua-
dendo hoste, cum suis consultat. Erant qui sentirent non esse prius confligen
dum, quàm Edouardus eius filius cum nouis copijs adesset. Sed dux sua bel-
li scientia ac militum suorum uiribus fretus acie instructa, contra hostes ex
castris exijt. At regina quæ uirum armis repetere deliberarat, & ob id iam
magnum exercitum conflarat, ubi cognouit hostes appropinquare, confe-
stim obuiam facta, eos prælio aggreditur. A principio miro utrinq; impetu
pugnatur, donec bona parte eorum qui prælium inierant, interfecta, pauci-
tas militum Eboracensis à multitudine circumuenta sit. Tum regina suos co-
hortans, momento horæ reliquos hostes superat. Cecidit in pugna Ricar-
dus dux Eboracensis illius factionis caput, cum Edmundo filio comite Rot-
landiæ, item Thoma Neuyllo, Dauid Hallo, Ioanne Parre, Gualtero Lym-
brico, Ioanne Gedclyng, Eustachio Vuenuorthe, Guidone Haryngtono, ui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris equestris ordinis, ac centurionibus strenuis Iacobo Fiziames, Rodulpho Hastyngio, Ioanne Bammo, & Rolando Digby. Captus uerò inter alios est Ricardus comes Sarisberiensis, alterũ eius conspirationis caput, qui aliquãto pòst, cum nõnullis aliis, capite mulctatur, quorum capita lanceis fixa Eboracum deportata sunt, ut spectaculo essent populo, reliquisq; aduersarijs terrori. Exin regina cum expedito exercitu Londinum ad liberandum uirum apperat, eratq; ad Fanum Albani, cùm obuiam habuit comitem Varuicensem, qui secum Henricum captiuum ducens, ibat subsidio Eboracensi. Hîc mulier haud minore animo, quàm in agro Eboracensi fecerat, hostem adorta profligauit, atq; uirum recepit. Margarita regia coniunx multò herclè felicius suis, quàm mariti auspicijs belligerabat. Varuicensis qui unus omnium erat, in quo cuncta belli moles nitebatur, post acceptam ad Fanum Albani plagam, certior factus Edouardum Merchiæ comitẽ, post illud ad pagum Vuakefild, prælium, quo dux eius pater interierat, in Vualliam se contulisse, ibiq; profligato Gaspare comite Penbruchi, qui Henrici partes sequebatur, & ei se uenienti opposuerat, nouum parare exercitum, ad eum iter contulit, quem in itinere cum bene magna armatorum manu uenientẽ, ad fines agri Oxoniensis offendit. Hîc ambo de summa rei disputantes statuunt Londinum petendum, quod pro se stare compertum haberẽt. Atq; ita capto consilio, Edouardus à suis rex declaratur, abrogata omni prorsus regia potestate Henrico, q nõ stetisset pacto, neq; paruisset senatusc̃onsulti decreto, perinde ille iam quasi uicisset. At Henricus interea qui Londinenses suspectos habebat, ac eò neutri quam accedendum ducebat, quòd aduersariorum reliquias ex altera parte supra caput esse prospiceret, ex Fano Albani Eboracũ pergit, atq; ibi copias auget, qui iam ad finem laborum ac periculorum extinctis aduersæ factionis capitibus, peruentum esse putabat, adeò ut uno deniq; prælio, quod reliquum erat, se deleturum speraret.

Sed secus atq; Henricus rebatur, euenit, quandò pro duobus capitibus, unum longè ualentissimũ extitit, quod deprimi nõ potuit. Erat enim Edouardus in desiderio Londinensium, in gratia cum plebe, in ore, in sermone omnium habebat cùm humilium tum amplissimorũ hominum studia, à cunctis propter liberalitatem, clementiam, integritatem, fortitudinem, generatim in cœlum laudibus ferebatur. Quapropter miro omnium ætatum & ordinum studio mortaliũ cõcursus ad eum fiebãt, ut alij sua ad bellandum nomina darent, alij ex parte ciuitatum, operam & opes pollicitarentur, ac in eius uerba iurarent. Quibus rebus Edouardus in spem uictoriæ adductus, quammaximas poterat copias parabat, ut commisso cum hostibus prælio, unus deniq; dies omnes labores ac uictorias confirmaret: itaq; his munitus copijs, Eboracum contendit, accedit propè millia passuum XI. ac ibi ad uiculum nomine Touton considet. Henricus ubi cognouit hostes adesse, non statim de castris exiuit, quòd dies Palmarum, quem uocãt, domino sacer instaret, quo potius orandum, quàm pugnandũ sibi statuerat, ut postridie eius diei felicius prælio seruiret: sed miles more suo nequicquam patiens moræ, effecit, ut eo ipso die prima luce, postquam multis uerbis hortatus est, ut pro se quisq; fortiter pugnaret, signum prælijandi dederit. Aduersarij nihilo secius idem fecerunt: à sagittarijs pugna incipitur, sed breui consumptis sagittis, res cominus

nus geritur tanta cæde, ut cadauera sola pugnantibus impedimento essent. Ita amplius horas decem erat dimicatum, dubia adhuc uictoria, cùm rex Henricus uidit hostium copias augeri, & suos paulatim pedem referre, quos rursus hortatus cùm acrius instare coëgisset, ipse cum paucis equitibus paulùm ex eo loco progressus euentũ pugnæ expectabat, cùm ecce, subitò eius milites in fugam se cõferunt: quo uiso, in pedes se quoq; dedit. Desiderata sunt ex utraq; parte circiter uiginti millia hominum. In ijs fuit Henricus tertius comes Northumbriæ, & Andreas Trolopius, complures q; alij principes. Numerus uerò captiuorum aut conuulneratorum, quorum partim curati, alij mortui sunt, omnino fuit millia decem. Ea pugna mirabilem in modum debilitauit Reipublicæ Anglicæ uires, quandò ij qui cæsi sunt, & numero & robore ad quæuis externa bella gerẽda satis fuissent. Edouardus ut bene uictoria uteretur, postquam suos parum à tanto labore refecit, aliquot equites leuis armaturæ misit, qui in fuga Henricum aut reginam comprehenderent. Sed illi tota ea nocte continenter ierunt, ita ut nullam partẽ noctis aut diei insequentis itinere intermisso, in fines Scotorum die secundo incolumes peruenerint, qui statim misere ad Iacobum regem, ut pro ueteri necessitudine regno reciperentur, atq; eius opibus in tanta calamitate tegerentur. Erant in procuratione regni propter regis ætatem, complures principes, & in primis Iacobus Chennethus diui Andreæ archiepiscopus, uti suprà ostendimus: horum consilio monitus puer Iacobus, postquam audiuit, qui missi fuerant, tantum abfuit, ut Henrici preces uel fortunam despexerit, ut etiam cõfestim illi obuiam factus sit, atq; in regiam duxerit, quem postea plurimum consolatus, ut parato æquo q; animo ferret, quod proximus belli euentus tulisset, multò humanissimè accepit, tractauit q; liberalissimè pariter atq; honorificentissimè toto tempore, quo in Scotia fuit. Hac humanitate deuinctus Henricus, ut regem cuius auxilio in præsentia maximoperè nitebatur & confidebat, quopiam beneficio sibi obligaret, siue ut aduersariorum opes minueret, Beruicum oppidum ei tradidit, in perpetuum habendum: fama tamen tenet Henricum ea mi seria coopertum, non sponte id feciſſe, sed inuitum, quò sibi in terra Scotia esse tutum liceret. Verùm quoquo modo res transacta sit, satis constat Iacobum recepto oppido, promisisse se Henrico suum officium pro sua parte præstaturum, id quod haud segniter postea fecit. His actis, Margarita cum Edouardo filio in Gallias ad Rhenatum patrem Andegauensium ducem se contulit, exercitum illic ope patris paratura. Henricus autem in Scotia cum aliquot principibus suæ factionis, qui eum secuti erant, morari statuit, dum per amicos adiutus rursum arma caperet, ut breui fore sperabat, & sibi ac rebus suis consulere liceret. Hæc de Henrici sexti regis uaria fortuna hactenus, qui regnauit annos XXXVIII. Veruntamen cùm ille post decimum annum, quàm pulsus fuerat, regnum denuò recuperasset, commodum in proximo libro reliqua de eius pariter uita atq; morte persequemur.

Poly-

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXIIII.

EDOVARDVS post Henricum profligatũ, partim tanta uictoria, partim cõmuni principũ populorumq; ad se defectione elatus, triumphantis imperatoris ritu Londinum reuertitur, conuocatoq;, more maiorum, concilio ad Vuestmonasterium, ad III. calend. Iulij, rex creatur, qui post primum Gulielmum Normanum regem, quartus Edouardus nuncupatus est. Fuit is annus salutis humanæ MCCCCLXI. Eo ipso anno iterum Edouardus concilium habuit, in quo primùm regni status quasi de integro collocatur, quod ualde fuit è Republica propter ciuile bellum diu neglecta: dein ex eius sentẽtia omnia, Henrico rege, constituta in cõciliis olim habitis, rescinduntur, antiquantur, tolluntur: postremò duo eius fratres natu minores Georgius Clarentiæ, & Ricardus Glocestriæ duces, item Ioannes Ricardi Varuici comitis frater Montacuti marchio, & Henricus Burscherius frater Thomæ Cantuariensis archiepiscopi Essexiæ, ac Gulielmus Facombrigius Cantij comites facti sunt. Huic Henrico Burscherio uiro longè nobilissimo, optimo, rerumq; gestarũ ornamẽtis clarissimo, Ricardus dux Eboracensis nuptum dederat Elizabeth sororem suam, ut eum in primis certum belli ac fortunæ socium omni tempore haberet. Posthac illud idem fecit, ut Edouardus rex ipsius Ricardi filius eundem Essexiæ comitẽ crearit, quo & pater & filij iuxtà sui adiutores essent. Susceperat enim Henricus ex Elizabeth uxore filios mares quatuor, Gulielmum, Thomam, Ioannem, & Henricum, atq; unicam filiolam nomine Isabellam, quæ pauculos uixerat dies, in quibus in agendo industria, in negotijs labor, in periculis fortitudo, & in prouidendo summum fuit cõsilium, sed cum primis in Gulielmo maximo natu eiusmodi extitere uirtutes. Is in matrimonium duxit Annam summo loco natam & probatissimã puellam, Iacobi Lucemburgensis diui Pauli comitis filiam, ex qua creauit filios Henricum, qui nunc comes est Essexiæ, de quo libro XXVI plura dicemus, ac Cecíliam atq; Isabellam: hæc ante ætatem nubilem morbo perijt, illa Gualtero Ferryso nupta est. Sed ad suum redeat oratio exorsum.

Dum ita omnia Edouardo belle cadebãt, Henricus Somerseti dux iam rebus Hẽrici regis diffidens, ad eum deficit, à quo perbenignè accipitur: sed ducem protinus facti pœnituit: nanq; interea Henricus rex cõparato apud Scotos non modico exercitu, ex improuiso in Dunelmensem agrum aduolauit. Quo audito, Somersetensis clàm ad eum se contulit, multiq; regis amici eum sunt secuti, sed multò maximus hominum numerus spe prædæ undiq; celeriter conuenit, adeò ut Henricus existimaretur armis non longè impar hosti. Cuius rei famam augebat, quòd quaquauersum ille pergebat, oppida, agros uastaret, incenderet, prædasq; ageret: peruenit ita populando ad pagum, quẽ Exhamũ uocant, ubi loci Ioannem marchionem Montacuti obuiam factum inuasit, cõmissoq; acri prælio, ut crebrò antè acciderat, profligatur, amissa maiore exercitus parte: ipse cum paucis continuato cursu in Scotiam se recepit, alij aliò dilapsi salutem fuga quæsiuerunt. Capti sunt Henricus dux Somerseti, Robertus comes Hungerfordi, & Thomas Rossus, Somersetensis ilicò mutati consilij pœnas capite luit, illi uerò Nouum castrum ducti, morte quoque non multò pòst affecti sunt, quò alij sperare desinerent, cùm suis principibus ægrotis non amplius animas esse uiderent. At rex Edouardus etsi ea noua uictoria res demum suas satis confirmatas esse pro tempore arbitrabatur, tamen magnopere curabat, ut ne Margarita Henrici uxor ad solicitandos hominum animos, in Angliam rediret: quocirca toto litore præsidia disponebat, maritimos aditus claudendi causa, scribebatq; ad singulos australis oræ populos, ne mulierem uenientem reciperent, néue ulla re iuuarent, qui si recepissent, aut iuuissent, se eodem loco illos, quo aduersarios habiturum: ad eam item partem quæ ad Scoticũ agrum pertinet, custodias habebat, ne quispiam ad Henricum ex regno adiret. Sed quicquid periculi ab Henrico imminebat, statim sublatum est, quippe ille siue metu deposito, siue mentis errore atq; adeò affectus haud in occulto diu fuit, qui in Angliam persona per uestitum dissimulata, redire ausus, uix pedem intulerat, cùm à locorum custodijs excipitur, Londinumq; ad Edouardum ductus, in custodiam traditur. Tum capto Henrico, regni status pacatior fuit, cùm homines eius factionis minus deinceps rebus nouis studendum sibi omnino iudicarẽt. Quare Edouardus ab hostili metu penè uacuus, conuocato ad Vuestmonasterium totius populi concilio, rebus domesticis bellè cõstituendis totum ferè quadriennũ proximũ liberius impertiuit, qui, ut est in ueteri uerbo, Laborantem agricolam oportet primũ de fructibus percipere, primũ omnium de sententia & autoritate concilij, suis militibus bene meritis agros illorũ, qui Henrici partes sequebãtur, distribuit, dein generatim populũ ad sui beneuolentiã omni genere liberalitatis incendit, amplissimaq; munera principibus suis largitur atq; ut ab uniuersis gratiã iuxtà ineat, sese cùm plebis tum nobilibus hominibus, ultrà quàm par esset, familiarẽ præbet, quod uitæ institutũ postea non mutauit: itẽ leges partim corriguntur, partim nouæ eduntur, moneta tam aurea quàm argentea quę hodie in usu est, diuiditur, quos numos aureos alios regales, alios nobiles, argenteos uerò grossos appellant: postremò edicto toto regno peruulgato, omnibus aduersarijs qui depositis armis, sese in eius fidem permitterent, iniuria condonatur, ut qui nõ permisissent, ob id illi meritò pœnas subirent. Hæc officia quantum in eius rem fuerint, qualiue ob ea ipsa populus erga eum animo extiterit, facilè illud planum faciebat, quòd solo pupuli fauore fultus uinci posthac minimè posse uideretur.

Atqui Edouardus nõ cõtentus suorũ beneuolẽtia, nouas externorũ quoque principũ amicitias quærendas, & eas affinitate firmandas statuit, ut uel illi, quando opus esset, sibi auxilio forent, uel saltem non nocerent. Itaq; primũ Margaritam sororem Carolo Philippi Burgundionũ ducis filio collocauit, deinde Ricardũ Varuici comitẽ in Gallias legauit, qui puellã nomine Bonã Carlottæ reginæ Franciæ sororẽ, ac Ludouici ducis Sabaudiensiũ filiã sibi uxorem peteret. Dum comes in Galliam profectus, cum Ludouico rege apud quẽ erat Bona puella, quæ reginæ sorori ancillabat, de noua affinitate agitat, Edouardus mutato repentè consilio, Elizabeth Ricardi Riuerij comitis filiã, quę olim nupta fuerat Ioanni Graio equiti, qui ex ea binos liberos Thomã & Ricardum susceperat, in matrimoniũ ducit, de eoq; matrimonio, ob mulieris humilitatẽ, nõ modò necessarios principes, uerumetiã Ricardũ patrẽ mulie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris cælat. Qua de causa, ubi fama rei actæ per regnũ peruasit, cuncti protinus mortales mirari, principes uerò fremere, palsimq; uoces emittere, regẽ ex sua dignitate non feciſſe, easq; nuptias ei crimini dare, dedecori assignare, quòd cæco amore, non ratione ductus esset. Sed inde uel initiũ profectũ est simultatis postea ortę inter Edouardum & Varuicensem, uel occasio latentis odij effundendi captata putatur: nanq; Edouardus postq; per Varuicẽsem, ut nemo homo ignorabat, regnum adeptus est, cœpit eius autoritatẽ quam summam fecerat, sic suspectam habere, ut eam minuendam duceret, quò pro suo iam iure cuncta domi ac foris ageret. Ita usu uenit, ut amici inter se perrarò paria paribus respondeant, imò sæpissimè ingentia beneficia ingenti culpa animi ingrati compensent. Hæc Ricardum Varuicensem nõ fugiebant, qui etsi magnam sibi gratiam relatum iri sperabat, tamen pro tempre eatenus dissimulandum putabat, quoad facultas daretur talis, qua per impotentiam regis liceret beneficia exprobrare. Nec abhorret à ueritate Edouardum tentasse, ut aiunt, nescio quid in domo comitis, quod ab honestate omnino abesset, cùm homo esset, qui facilè puellis oculos adijceret, easq; deperiret. Cæterum quic quid fuerit, siue iniuria, siue æmulatio imperij, quamobrem amicitia uiolata sit, posteaquam comes per literas amicorum cognouit ipsum regem occultè habere uxorem, & irritum infectumq; euasisse, quicquid ipse in ea legatione de noua affinitate iungenda, apud Ludouicum regem egisset, tanta repentè animi indignatio eum cepit, ut iam tum ipsum Edouardum ut hominem imperio minimè dignum, omnibus modis regno pellendum iudicarit. Fama tamen etiam nunc in uulgus circunfertur, discordiæ causam extitisse, quòd comes dehortatus fuisset regem Margaritam sororẽ Carolo Philippi ducis Burgundiæ filio collocare, quem ipse peius quàm mortalem quempiam odisset, ac propterea quòd Edouardus noluisset eius audire cõsilium, tantum simultatis inter eos ortum, perinde quasi ea res tam parui momenti potuisset, aut debuisset comitem alienare à suo principe. Et hæc mera uulgi fabella. Sed ad propositũ redeamus. Varuicensis ita stomachatus, cõmotus, iratus, ut ne se atq; consilium suum præcipitaret, dissimulanter tandiu tantas iniurias patiendas decreuit, quoad tempus ad perficiendum negotium idoneũ adesset, qui cùm paulò pòst regias literas de reditu accepisset, quamoptimè potuit apud Ludouicum regem, excusauit Edouardi mutationem consilij, illud quodammodo assignans amori, in quo nullus unquam inesset modus: atq; ita in Angliam reuersus, regẽ more suo audiuit, atq; legationẽ sine ullo, ut potuit, conceptæ iræ indicio renunciauit. Exin nõ intercesserunt multi dies, cùm comes non sine regis cõmeatu, in suum comitatũ cùm animi tum ualetudinis causa, sicut prædicabat, se contulit. Fuit is annus salutis humanæ MCCCCLXVII. & VI, cùm regnare cœpit Edouardus. Quo etiam anno Georgius Neuyllus comitis frater, in Gulielmi archiepiscopi Eboracẽsis nuper demortui locum surrogatur, antistitum ordine quinquagesimus secundus: & Philippus Burgundionum dux moritur, cui successit Carolus filius, uir & animi magnitudine & belli scientia longè præstantissimus.

Erat in suo comitatu Varuicensi Ricardus, ut diximus, cùm ad se euocauit Georgium archiepiscopum Eboracensem, & Ioannem Montacuti marchionem fratres, cum ijs post unum atq; alterum diem, de uarijs rebus locutus, & tandem

tandem querendi de rege appositam nactus occasionem, suum consiliũ communicat, hortaturq; multis uerbis atq; rationibus, ut unà secum uelint Henrici regis partes sequi, iuuareq;, quò in regnum restituatur, sic aiens: Non me leuitas animi, à qua longè remotus sum, fratres, sed iudiciũ mouet, quod modò mihi faciam licet de Henrico rege & Edouardo: ille porrò uir est sanctissimus, suorũ amicissimus, ac beneficij memor, qui filium habet Edouardũ, ad laudem, ad gratiam, ad liberalitatem natũ, à quo unusquisq; expectare plurima poterit, qui patrem in calamitate subleuandum curarit: hic contrà homo cõtumeliosus, ingratus, uoluptati deditus, & iamiam omnis laboris fugiens, qui nouos homines potius quàm ueteris prosapiæ uiros in honore habẽdos statuit, quare futurũ est, ut aut ille nobiles, uel eum nobiles breui tẽpore perditum eant. Sed ante omnes, nobis non ferendum est, qui primi læsi sumus. Is enim, nõ ignoratis, credo, post adeptum regnũ, primò secretò, deinde palàm honori domus nostræ inuidere, de eóque quotidie aliquid detrahere cœpit, perinde quasi ille nos eo honore, nõ nos eũ dignitate auxerimus, ac ob id nuper ab eo in legatione Gallica, nullo numero habiti sumus, quò existimationis fama, quã ipsi apud omnes principes regni, partim uirtute patris, partim nostris laborib. collegimus, penitus minueret, infirmaret, pro nihilo putaretur. Duxit his rationibus facilè in sententiam suam archiepiscopũ, at marchionem nõ item, quippe qui à principio moueri nõ potuit, ut quicq; in Edouardum tentandum esse probaret, sed ad ultimũ cùm Varuicensis multorũ principũ operam & opes polliceretur, tractus tãdem in societatem belli est. Post hæc, Varuicensis uir sagacissimi ingenij prę sentiens Georgiũ ducem Clarentiæ, nescio quam ob causam, nõ esse bono erga Edouardũ fratrem animo, primùm apud eum, tentandi gratia, de rege paululùm conqueritur, deinde eum dux idem apud eum faceret, patefaceretq; nõnullas iniurias à fratre acceptas, tum maiora dicere ausus, aperit consilia sua duci, rogatq;, ut ea sequi uelit: sed ne ulla leuitatis suspicio oboriatur, docet cq; illa cauta, quàm expedita, quàm euigilata suis cogitationibus sint, atq; hortat, ut ipse etiã de tanto negotio, curam & cogitationem suscipiat, quò omnia prouisa, perspecta, certa quodammodo habeantur, cui post multas pollicitationes filiam quam habebat nubilem desponder. Dux suasu, rogatuq; Varuicensis fatigatus, ex eius uoluntate omnia se facturum recipit. Varuicensis ita cum duce cõmunicato cõsilio, Caletum cuius loci adhuc præfectus erat, & ibidem uxorem ac filias seruabat, redire statuit: sed ut initium tantæ seditionis, qua postea per plures annos Anglia agitata est, tandem aliquando fieret, iussit archiepiscopum Eboracensem & marchionem fratres statim post discessum suum, aliquem tumultum in agro Eboracensi conflandũ curare, quo ita bellum ciuile dum ipse longè gentium abesset, inchoaretur. His constitutis rebus, probatisq; consilijs, cum duce Caletũ proficiscitur. Hîc postq; iureiurando dux promisit fidem datam se perpetuò seruaturũ, Isabellã filiam comitis natu maiorẽ sibi despõsam in matrimoniũ ducit. Quo expedito negotio, maturius ambo de bello gerẽdo cõsilia & rationes inter se conferre incipiebãt, cùm nõ secus ac præceptũ erat, ingẽs ortus est tumultus in agro Eboracẽsi, cuius initiũ ductũ est ab impietate.

Erat Eboraci uetus ac opulentissimũ xenodochiũ, id est, domus hospitalis, diuo Leonardo dedicata, ubi mẽdici & inopes homines hospitio accipiebant

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur curabãturq; ęgroti. Huic domui tam sanctę tota ea prouincia pietatis causa, numerũ quendam frumenti ut frugum omniũ primitias, qui pauperibus usui esset, quotannis cõtribuebat, quem quidem frumenti numerũ agrorum cultores, persuasu quorundam Varuicensis factionis principum, uelut fama erat, dare primò recusant, argumentantes id quod dabatur, non pauperibus, sed diuitibus loci præfectis dari: deinde procuratores hospitalis debitum frumentum flagitantes armis inuadunt. Ex ea re conuentus occulti, coniurationesq; fiunt, ita ut intra paucos dies, ad quindecim millia hominũ in unum cõuenerint, instructoq; agmine Eboracum uersus approperarint. Vbi fama frequens tãti motus peruenit in urbem, omnia metu repleuit, ciues animo exubantes mutuo pauore suspensi incertiq; manebant, utrum obuiam furenti agrestium turbæ irent extra muros, an intus se continentes eorum uiolentiam ex muris propulsarent. Sed marchio eius regionis præfectus metum cõtinuò ciuibus ademit, qui consilium uitandi periculi peropportunũ capiens, factus est uenientibus obuiam ad ipsas urbis portas, ubi post longum certamẽ, Robertum Huldernum ducem cepit, atq; ilicò capite mulctauit, quo facto, suos multa iam de nocte à pugna reuocatos intra mœnia recipit. Plebs morte ducis nihil territa, sed magis furore accensa, Eboracum quod oppugnare nõ poterat sine bellicis machinis, quas secum nõ habebat, præteriens Londinũ uersus contendit, cupida turbandi omnia. Quòd autẽ marchio ducẽ plebis concitatę à suis conspirationis socijs supplicio affecit, illud iccirco fecisse uidetur, ut uel consilium tegeret, uel quia iam tum destinasset animo, cum Edouardo stare, cum quo, uti postea apparuit, gratiæ cõiunctionem habebat. At rex cui iam cœperant tam Varuicensis quàm Clarentiæ ducis fratris consilia nota fieri, id quod erat ratus, ubi crebris nuntijs ac literis, quę ad eum uolabant, significatum est, eam hominũ multitudinem infestis armis Londinum petere, continuò Gulielmum Harbertum quem biennio antè comitem Penbruchi fecerat, cum magna Vuallorum manu obuiam mittit, mandatq;, ut si uspiam facultas detur, cum multitudine confligat. Comes celeritate usus haud longè à Northantono, Eboracensem plebem castra habere reperit, ubi & ipse positis castris, postero die cum ea prælium fecit, in quo ad punctum temporis profligatur. Eboracenses eo secundo prelio contenti subitò refrigent, qui non progrediuntur, sed præda onusti domũ repedant, expectaturi dum Varuicensis ueniret, qui haud multò pòst cum duce Clarentiæ genero, ad eum tumultum Caleto profectus adfuit, multitudinisq; ducibus collaudatis, ac omnibus militibus generatim cõgratulatus uictoriam, exercitũ maturè parare cœpit. Rex uerò nihil territus quòd comes Penbruchensis rem à primo male gessisset, eũ rursus cum supplemento, quod pro rei necessitate paratũ habebat, aduersus hostes mittit, ipse cum paucis subsequitur: qui ut ad omnia paratior esset, in itinere suas utcunq; potest copias ex hominibus suæ factionis ad se confluentibus auget, omnibus dictitans se stirpem sceleratorũ hominũ perditum ire. At Varuicensis ubi cognouit aduersarios appropinquare, sine mora ad Clarentiæ ducem, qui cum exercitu in propinquo erat, mittit, ut celeriter ad se copias adducat, significans prælij cõmittendi tẽpus adesse. Dux accepto nũtio, confestim ad comitẽ accedit. Ita ambo exercitu coniuncto, ad pagum quem Banbericum uocant, ubi hostes castra posuisse intelligebant, pergunt, ibiq; edita

edita pugna, Penbruchensem capiunt, cæso aut fuso omni eius exercitu. Inter alios, interfectus est Ricardus comes Riuerius pater Elizabeth reginę, ac eius filius Ioãnes Vdeuilla. Rex Edouardus circiter extremũ diei tẽpus, cũ mediocribus copijs deinde aduenit, cognitaq; suorũ strage, ad quinq; passuũ millia longè ab eo pago cõstitit. Varuicensis cum uictore exercitu ad oppidũ suum reuertit, ubi biduo pòst, comes Penbruchi cũ reliquis ex nobilibus in pugna captis, securi percutitur. Interea agi de pacificatione cœptũ est, propter quod frequẽtes ultro citroq; nuntij à rege ad comitẽ, et à comite ad regẽ cõmeabãt, cùm iam rex in spem concordię adductus minus caueret, minusq; extrinsecus timeret, perinde quasi res omnis transacta esset. Qua per exploratores rei bene gerendæ facultate cognita, Varuicensis cum ualida ac expedita militum manu, de nocte quamoccultissimè potest, ad regia castra uenit, cæsis'que militibus qui pro uallo excubabant, regem ex inopinato capit, secumq; Varuicum ducit, & ut fallat amicos, inde eum nocturnis itineribus in agrum Eboracensem ad arcem quam Middelamiam uocant, custodiendum mittit. Sed nullus locus tam longinquus erat, quò fama capti regis non repentè peruaserit, quæ multos mortales pauore atq; trepidatione affecit. Ipse uerò ubi in arcem coniectus est, cœpit ita præfectum ac custodes arcis blandè appellare, rogare, atque tanta præmiorum spe onerare, ut ab illis promissorum copia corruptis missus factus fuerit, tametsi rumor dissipauit id non inuito Varuicensi esse factũ, quod credibile esset, si comes postea ab armis discessisset. Sed hoc fuit infelicitatis Henrici regis, quandò hinc meherclè perspicere licet, iam tum extremum eius domus fatum uenisse, quod nullo potuit neq; consilio, neque humanis opibus auerti, ita fortasse Deo cordi erat: Varuicensis enim ac eius amici unius in primis Henrici iuuandi, defendendi, conseruandi causa, sua corpora periculis opponebant, opes'que effundebant, quòd pro certo haberent, uiuo Edouardo, neq; se neq; Henricum posse rerum potiri, & tamen illi in potestatem redacto spatium effugiendi periculi dederunt: adeò quãdo res nostra ad nihilũ casura est, nobis omnes mentis partes nunc metus, nunc audacia, nunc amentia, nunc angor adimit. Sed domum redeamus.

Atqui Edouardus ita ab inimicorũ manibus ereptus, se protinus Eboracũ cõtulit, ubi à ciuibus magno gaudio acceptus, duos in urbe dies causa faciendæ armandæq; alicuius militũ manus, moratus est: sed cùm ibi exercitũ conficere nõ posset idoneũ, & sibi Lõdinũ etiam per medios hostes proficiscendũ constitueret, inde Lancastrũ petijt, ubi Gulielmus Hastyngius eius cubiculi præpositus considebat. Hîc adiutus à Gulielmo copias suas auget, ac illis instructus, Londinum incolumis peruenit, qui ut cura, labore, consilio, rebus suis tempore turbulento non desit, nihil prius habet, q̃ ex principibus iam alienatis, sibi amicos, ex ualde titubantibus, firmos reddere, & populi animũ rerum nouarũ motu suspensum ad pristinum officium, ad sui studium & beneuolentiã reuocare. Cęterum Varuicensis & dux ubi regem Edouardũ per proditionẽ suorũ, è manibus euasisse suis, ac uno pũcto tẽporis, omnes priores conatus male cecidisse cognouerunt, dolore disrumpunt̃, torquentur, angũtur, & statim principes amicos in unum conuocant, consiliũ rursus cõmunicant, rationes hostium explorant, quo aliud initiũ belli faciant, quod capto rege, iam finitũ putarant, his principibus augebat interim animũ, quòd bene

Universidad de Deusto
Biblioteca

multi quibus prę discordia, minimè pax cordi erat, gratuitò se nouo bello ser uituros pollicerentur. Studebat & rex pari atq; hostes diligentia rebus bellicis, ut aduersarios per uim, aut ad sanitatẽ reduceret, aut deleret, quò per eos tandem aliquando omnibus esse tutis liceret.

Erat per eiusmodi principũ seditiones, status regni lõgè miserrimus, quandò templa passim domusq; spoliabantur, cædes, incendia fiebant, armis, cadaueribus, cruore, luctu omnia complebantur, agri uastabantur, oppida, ciuitates fame suffocabantur, aliaq; mala accidebant, quæ ex sæuitia bellorum proficisci solent. Quas ob res, multos ex optimatibus casus Reipublicæ miserebat, qui quotidie tam apud regem, quàm apud Varuicẽsem, & ducem, de reconciliatione accuratè agebant, suadentes eis uicissim, uellent plus beneficiorum gratiã apud seipsos, quàm iniurię dolorem ualere, & recordari cùm nefarium sit non alere parentes, multò nefarius esse, patriam cõmunem parentem per contẽtionem perditum ire, quò tandem seditio intestina ac exitiosa è medio tolleretur. Flexit principum cùm autoritas tum deprecatio ita mentem regis & comitis, ut ultrò data, acceptaq; fide, comes ipse cum duce Clarentiæ, Londinum modica omnino pro periculi magnitudine, armatorum caterua stipatus uenerit, atq; ad Vuestmonasterium cum rege longum de compositione sermonem habuerit, ubi inter irarum plenos, nulla ad ultimum de pace actio esse potuit. Itaq; rege diui Thomę Cantuariensis uoti causa mausoleum uisente, comes cum duce, Varuicũ discedit, nouumq; exercitũ in Lincolniẽsi agro parat, ac illi præficit Robertũ equitem filiũ Ricardi Vuelles, uirũ bello strenuũ. Hæc celeriter Londinũ perlata mouent regem uehementer, qui aduersarios ad aliquas potius concordiæ pactiones, q̃ amplius ad arma uenturos sperabat: sed quò magis præter spem, rumor noui belli incidit, hoc properantius exercitum conscribit, atq; eodem tempore crebris nuntijs uocat ad se Ricardũ Vuelles. Ricardus ita accitus primò ualetudinem ac occupationes excusat, deinde cùm excusatio non admitteret, sperans se factũ suũ facilè apud regem purgaturum, Londinum proficiscitur, ducitq; secum Thomã Demoke equitem, cum quo soror nupta erat, qui ubi Londinum peruenit, ab amicis fit certior regem sibi ualde succensere, ita ut timore affectus in asylũ quod est ad Vuestmonasteriũ, raptim cum Thoma confugerit, ibi mansurus, dum ira principis deferuesceret. Edouardus uerò qui sperabat sine armis istum tumultũ supprimere, data fide, eos ex asylo ad se uocauit. Illi fide regia freti ueniũt. Tunc rex iubet Ricardum admonere Robertũ filium, ut ab armis discedat, atque interim paratis copijs, in hostes ire pergit, ducens secum ipsum Ricardum, & Thomam, uixq; bidui aberat à Stanfordia oppido, ubi hostium castra erant, cùm intellexit Robertum nihil paternis literis motum in armis esse, qui ea re indignatus, tam Ricardo quàm Thomæ contrà ac fides data erat, pessimo exemplo, protinus caput ceruicibus abscindi iussit. Robertus uerò ubi uidit regem accedere, atq; accepit patrem cum Thoma morte esse affectum, se ad proximum uicum, qui Egecot nominatur, retulit, ibiq; aliquantũ dubius stetit, pugnaret necne, quòd magni periculi res esset, cum tãtis copijs dimicare, ante aduentum Varuicensis: sed ad extremũ iuuenili animi fiducia fretus, instructa confestim acie in certamẽ descẽdit. Pugnatur per aliquot horas, magno conatu, multisq; utrinque cadentibus, denique Robertus dum retinere suos iamiam se fugæ dantes cupit, ab hostibus circumuẽtus capitur, unà cum Thoma Delalante equite, multisq; alijs: quo ita capto, omnis exercitus depulsus dissipatusq; est. Rex uictoriæ potitus, Robertum & Thomam cum nõnullis alijs, eodem momento morte mulctauit. In hac pugna fama tenet ad decem millia hominum cæsa.

At comes Varuicensis, qui id temporis ad oppidum suum erat, atque propediem ad exercitum uenturus, ubi cognouit celerius opinione sua prælium commissum, ac à suis male pugnatum esse, quamuis rebus suis iam minus cõfideret, tamen necessariò dissimulandum ratus, quòd in bello sæpe uana pro ueris ualere soleant, ut socios quibus res desperata uidebatur, iamque omnes in fuga erant, consolaretur, uerbo pariter atque re, nouas cœpit parare copias, & simul multis promissis niti ad studium sui perducere Thomam Stanleium, qui eius sororem in matrimonio habebat: quod cùm efficere non potuisset, negante Thoma se arma in Edouardum laturum, tum demum uidens nihil esse, quòd diutius tempus tereret, ac desperans posse se inimicorum uiribus resistere, cum duce Clarentiæ genero, Exoniam proficiscitur, dumque hic pauculos dies moratur, cùm nullam haberet facultatem eorum, quæ opus forent ad bellum, deliberat Ludouicum Francorum regem, cum quo amicitiã paucis antè annis, dum apud eũ legationis munus obiret, conciliarat, quãprimum adire, spe aut alicuius habendi auxilij, aut commouendi regis in Edouardum: & ad iter interim naues undique conducit, ac in portum quem Dermouth uocant, adducendas curat, quas non multò pòst armis, cæterisque rebus necessarijs instructas, ambo cum uxoribus, & magno suorum familiarium numero conscendunt, atq; primo uento in Normaniam nauigant: quos præfectus eius regionis liberaliter accepit, statimq; Ludouicum regem de aduentu Varuicensis certiorem facit. Cœperat iampridem Ludouicum ex fama rerum gestarum, admiratio Varuicensis tanta, ut nihil ei optatius esset, quàm homini gratum facere: qui ubi cognouit terram Galliam attigisse, magno perfusus gaudio misit illi obuiam aliquot principes, mandauitq;, ut dicerent se diu optasse occasionẽ, qua liceret eum iuuare, & nunc oblatam non omissurum, ac propterea rogarent, ut non grauaretur Ambasiam (est ea regia uilla ad Ligerim posita) ad se uenire, cum duce genero, quoniam futurum esset, ut nunquam eius laboris pœniteret. Incidit hęc Varuicensis fuga in annum nonum, cùm Edouardus regnare cœpit, qui fuit salutis humanę MCCCCLXX. Fuga aduersariorum curam Edouardo maximè acuit, quòd Varuicensis absentia in dies magis magisque augebat omnibus desiderium eius uidendi, quippe qui solem excidisse sibi è mundo putabant, adeò celebre huius hominis nomen apud populum erat, ut non aliud magis coleret, ad cœlumq; ferret. Quid, quòd illud unum loco cantilenæ, in ore uulgi potissimum resonabat, cùm publicè plausus daret? Quo factum est, ut comitis factio intra paucos dies mirabilem in modũ adaucta sit. Quocirca rex duplici solicitudine angebatur, qui timebat hostem foris & domi: sed reditum Varuicensis in primis sibi cauendum existimabat: itaque primo quoque tempore ad Carolum ducem Burgundiæ, quem suprà demonstrauimus Margaritam eius sororem in matrimonio habere, nuntios rogatum misit, ut ipse qui cum Francis in fœdere esset, Ludouicum regem admoneret, ne Varuicẽsem

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ducem Clarentię hostes Edouardi regis socij sui, ac sibi affinitate arctissima coniuncti, armis aut pecunia iuuaret. Carolus non modò id impigrè fecit, sed etiam Ludouico minatus est multa, si illis opem ferret. Ea tamen tantum abfuit, ut Francus ponderanda duxerit, ut etiam facilè contempserit, qui ad illa respõdit, se integro fœdere, posse et uelle iuuare amicos, & præsertim eos, qui suis haberentur factis clari, cuiusmodi esset Varuicensis comes, & id si faceret neq; ei oneri, neq; sumptui fore. Hæc ubi in Angliam nuntiata sunt, molestiã asperserunt, multoq; grauiorem curam Edouardo attulerunt, ut diligentius per quæstionem captiuorum exploraret, qui essent aduersariorũ amici. Quare factum est, ut permulti sibi metuentes partim in asyla fugerint, partim in regis fidem uenerint. In ijs fuit Ioãnes Montacuti marchio, qui rursus sese Edouardi amicitię dedit, deouitq;, quem ille multa comitate blandisq; modis accipiebat, ut ad amicitiam alios inuitaret.

Interea Varuicensis cum duce, Ambasiã proficiscitur, cuius uidendi causa, passim per totum iter, populorũ cõcursus fiebãt, adeò eius fama inter Gallos etiam celebris erat: ubi accipitur à Ludouico comiter prolixeq;, cui sui aduentus causam longo sermone exposuit. Ludouicus non minus presentia amici, quàm fama captus delectatusq;, opes suas ei nõ defuturas pollicet. Adfuit nõ multò pòst Margarita uxor Henrici, cum Edouardo filio principe Vualliæ, Gaspare Penbruchi, & Ioanne Oxonij comitibus, qui paulò antè ad Margaritam traiecerãt. Hîc posteaquam multa inter se cõmunicarunt, quę ad salutem pertinerẽt, ad formã sanciendi fœderis uenitur, autore Ludouico rege. Primũ omniũ Anna Varuicẽsis filia, quam secum adduxerat, Edouardo principi despondetur: deinde comes & dux iureiurando promittũt se nõ prius arma deposituros, quàm Henrico aut Edouardo Angliæ regnum restitutũ foret: postremò regina & princeps se facturos comitem & ducem Reipub. gubernatores, qui eatenus id imperij obtinerẽt, quoad Edouardus per se ad tale munus obeũdum idoneus esset, eaq; omnia sanctissimè obseruaturos recipiũt. Multæ præterea cõditiones quas tã ratio quàm negotij magnitudo poscebat, inter eos conferuntur. Iuncto sic fœdere, Ludouicus rex largitur Varuicensi arma, uiros, naues, quibus instructus Angliã tutius adire queat. Rhenatus quoque Margaritę pater eundem pro sua parte iuuat. Iam exercitus nõ cõtemnendus conscriptus, & classis ad Sequanæ ostium parata in anchoris stabat, cùm comes ab amicis ex Anglia literas accepit, quibus significabãt tantam eius reuersionis hominibus passim toto regno expectationem fieri, dari, moueri, ut iamiam in armis ubiq; essent eius aduentũ præstolantes, & propterea iter maturaret, sine ullis etiam copijs, quoniam ut primũ litus attingeret, multa statim armatorum millia, ibidem uti mox contigit, præstò adessent, ad omnia munia obeũda, & istuc plebis studiũ. Sed multos quoq; principes esse quàm paratos suppeditare pecuniam in bellum, dare arma, mittere cõmeatũ, & manibus & opera iuuare. Acceptis literis, comes mirificè lætatus statuit tantam bene gerendæ rei facultatem non omittere, & quia Margarita cum filio nondum ad iter expedita erat, ipse & dux atq; Oxonienſis & Penbruchi comites cum parte exercitus, ac paratæ classis, præcedere decreuerunt, ad tentandam primam belli fortunam, ut si illa bene succederet, tum Margarita cum principe subsequeretur. Rem igitur administrandam sine ulla mora, & cõfestim gerendam

rendam Varuicensis ratus cum duce, ac reliquis socijs, postquam quantũ potuerat, gratijs agendis, Ludouici merita in Henricum regem, in se extulit, ab eoq; dimissus est, ad classem uenit, suisq; militibus in naues impositis, Angliam cursu petijt. Interea Carolus dux Burgundiæ iniquo animo ferens comitem à Ludouico rege adiutum contra Edouardum exercitum ducere, classem multarum nauium circa Normanicum litus disponit, ut eum ueniẽtem intercipiat: sed Varuicensis nullo à Burgundionis classe affectus incõmodo, incolumis cum omnibus socijs in Dermouth portum peruenit, unde sexto antè mense, in Gallias traiecerat. Vbi in terram descensum est, comes perconem, nomine Henrici regis, edici iubet, ut omnes qui per ætatem id facere possint, arma capiant, aduersus Edouardum ducem Eboracẽsem, qui in præsentia contrà quàm ius fasq; esset, regnum occuparet. Quo facto, dici non potest, quàm celeriter fama aduẽtus Varuicensis per omnes regni partes peruaserit, atque ad primum nuntium, quot unà armatorum millia ad eum conuenerint. Comes tantis copijs refertus Londinum uersus iter facit. At Edouardus rex ubi cognouit Varuicensem accedere, amissa in præsens omni spe sui defendendi, ac eò in posterum tempus, extremos conatus reseruandos ratus non de parãdo exercitu cogitat, quo aduersarijs resistat, sed de sua ipsius salute anxius, cum Ricardo fratre duce Glocestriæ, Lynum maritimũ oppidum petit, ibiq; nauem ad iter paratam nactus, in Flandriam ad Carolum, uento admodum seuo, ac ob id, non sine magno uitę periculo, nauigauit. Elizabeth uerò eius uxor per idem temporis grauida, ad Vuestmonasterium confugit, seq; asylo inclusit, ubi filium peperit, quem Edouardum nominauit. Cognita fuga Edouardi, Varuicensis magis accelerat, cunctisq; cedentibus, Londinũ peruenit, & ciuitatem Cantianorum tumultu, qui sub fugam Edouardi, suburbia spoliarãt, turbatam, ilicò pacatam reddit, eoq; beneficio gratius ab omnibus acceptus, inde ad turrim uenit, ac Henricum regem carcere liberat, regioq; indutum uestitu ac comitatũ in primis Ricardo Lee urbis prætore, binisq; uicecomitibus Roberto Draper, & Ricardo Gardener, cum toto ciuitatis senatu, ad templum diui Pauli per mediam urbem, populo dextera, sinistraq; gaudente, plaudente, gratulante, ducit, ibiq; pro re ex animi sententia gesta, Deo gratias agit. Fuit ille annus quo Henricus in regnũ est restitutus, humanæ salutis MCCCCLXXI.

Ita Henricus toties uictus regnare iterũ incipit. Post hæc, circiter VI calendas Decembrias, cõcilium ad Vuestmonasteriũ habet, in quo primũ Edouardus patriæ hostis declaratur, quòd regnum occupasset, eiusq; fortunę omnes publicãtur, eademq; sententia in omnes fertur, qui illius partes secuti fuissent, atq; simul de omnibus captiuis eiusdem factionis supplicijũ sumendũ decerni tur. Deinde omnia decreta, cõstituta, acta ipsius Edouardi rescinduntur. Postremò uerò Varuicẽsis comes ut de patria bene meritus fit regni gubernator, cui Clarentiæ dux collega datur. Sic Respub. in nouum peruenit statũ. Venit ad id concilijũ Ioãnes Mõtacuti marchio, qui multis uerbis crimen diluẽs, quod metu scilicet mortis, ad Edouardũ paulò antè trãsisset, ueniã obtinuit, ut idinuitus faciẽs, nihil dein cõmuni cõmodo inseruiret. Porrò si is cum Edouardo stetisset, dubio procul minus hostis q; fucosus amicus læsisset, quoniam quæ cauemus, rarò haudúe grauiter nocent. At Margarita regina per omnes dies,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex eo die, quo Varuicensis in Angliam profectus est, incerta expectatione euentus solicita, nō cessabat orando uictoriā à Deo poscere, quam ad ultimū ubi ex uiri literis cognouit partam esse, confestim cum Edouardo filio nauem conscendit, ac in Angliam redire tentat: sed quia hyems aspera erat, ui tempestatis ad terram reiecta, in aliud tempus iter suum differre cogitur. Per idem tempus Gaspar comes Penbruchi reuersus est in Vualliam, ad comitatū suū, ubi reperit Henricū Edmundi comitis Richemondiæ fratris filium, uix decimum agentem annū, ut captiuū custodiri, cæterum liberaliter educari, apud uxorē Gulielmi Harberti, quem suprà memorauimus Edouardū fecisse Penbruchi comitem, ac in bello captū Varuicensis iussu securi percussum. Hunc Margarita mater filia unica Ioannis primi ducis Somerseti, uix quatuordecim nata annos peperit, quæ deinde licet Henrico filio Humfredi ducis Buchyngamiæ, & tertio loco Thomæ comiti Derbij nupserit, nullos tamen amplius ex se genuit liberos, quasi rata satis sibi fuisse unicū & talem in lucem edidisse filium. Gaspar itaq; puerū Hēricum ab uxore reguli Harberti accepit, eumq; secum aliquāto pòst Londinū rediens, ad Henricū regem duxit. Rex ubi puerum uidit, aliquantū tacitus illius altam indolem cōtemplatus, principes qui aderāt, sic affatus dicitur: Iste nempe iste est, cui nos ac nostri aduersarij rerum possessione cedemus. Ita uir sanctus prædixit futurum, ut Henricus quandoque regni potiretur. Eo ipso anno (ut suo memorem loco, quod suprà lib. IX. dixi me non omissurum) Sixtus quartus Rom. pontifex certior factus à Iacobo tertio rege Scotiæ, episcopos Scotos non habere primatem, quem eis liceret per ciuilia Anglorū bella, consulere de his, quæ ad religionem pertinerēt, & rogatus, ut prouideret opportunè, creauit episcopū sancti Andreæ totius Scotiæ primatem, ut propter tumultus & ciuiles & externos, qui sæpe inter utranq; nationem oriebantur, ne amplius ipsi episcopi suo capite carere dicerentur, quanquam ad id multum reclamante Georgio Neuyllo Eboracēsi archiepiscopo, eiq; duodecim subiecit episcopos, Glasguensem, Rossensem, Brechnensem, Doukeldensem, Doumblacensem, Aberdonēsem, Cathanensem, Candidæcasæ, Lismorensem, Morauensem, Orchadensem & Sodorensem: huius sedes in Mona insula locata est, quæ Eboracensis censeī dicœceseos.

Dum hæc alibi gerebantur, Edouardus etsi extra patriam erat, nō desperabat tamen maturam recuperādi regni opportunitatem: nam partim Burgundio magnū illi pollicebatur auxiliū, partim quotidie à suæ factionis uiris per literas & nuntios secretos, ad reditum solicitabatur, ac continēter bene multi aut legum metuentes, siue odio rerum præsentium acti, ac suarum cupiditatū licentiā obtinere auentes, ex Anglia ad eum confugiebant, qui magis atq; magis ad iter urgebāt. His promissis stimulatus Edouardus haud quicq; iam mi serius, quàm diutius uno die remanere, aut optatius, quàm euolare ratus, uix duobus armatorum millibus contractis, paratisq; nōnullis nauibus, cùm primùm uer apparere cœpit, in Angliam traiecit, delatus ad litus Eboracensis agri, in portum, quem dicūt Raueni sportū. Hîc expositis in terram militibus, cum suis belli ducibus agitat, quorsum primò sit eūdum, propter enim armatorum paucitatem, nullum satis uidebatur tutum esse iter: post longam consultationem placuit omnibus, ut aliquot leuis armaturæ equites ad propinqua loca quocūq; mitterentur, qui agrestium uoluntatem explorarent, tentarentq;, si uellent pro Edouardo rege arma sumere. Illi profecti diligēter etiam atq; etiam officium faciunt. Simile uerò uidetur esse, Edouardum uirum prudentem nequaquam cum tam modica militum manu, ausum fuisse Angliam adire, nisi certò sciuisset se magna habiturum confestim auxilia: quo argumento neutiquam dubium est, ducem Clarentiq; cum eo iam tum secretò in gratiā redijsse, et marchionem Montacuti simul in eius societatem uenisse, cuius quidem rei pòst manifesta indicia extiterunt. Qui exploratum ierant, tentatis uicinorum populorum animis, quantum facultas dari potuit, postero die ad Edouardum reuertuntur, & renuntiant omnes uicinitates stare firmiter in fide Henrici, ac nō esse, quòd amplius solicitentur, cùm licet hortati sint plures, ut eius fidem sequerentur, neminem hominem tamē uoluisse ob metum Varuicensis, quicquam de ea re audire. Quibus rebus cognitis, Edouardus necessariò cōsilium cōmutat, ac ubi à principio se regnum repetere prædicarat, nunc tantummodo suum principatum Eboracensem quærere diuulgat, ut ea iusta de causa, apud omnes plus sibi fauoris conciliet. Dictu incredibile est, quanti ea res tametsi ficta momēti fuerit, tāta est apud cunctos mortales iustitiæ uis: ubi enim homines audiuerūt Edouardo nihil cupiditate regni remotius esse, nihil propius, quàm patrimonium repetere, misericordia moti uel illi fauere incipiunt, uel omnino non obsistere, quò minus suū Eboracēsem principatū recipiat. Reperto hoc modo leniendi aut sibi reconciliandi hominū animos, Edouardus iter Eboracum intendit, ac Beuerlacum proficiscitur.

Comes qui per eos ipsos dies Varuici erat, ut resciuit Edouardū reuertisse in Angliā, & Eboracū contendere, statim per literas & nuntios Montacutensem fratrem, qui cum bene magna militum manu ad Pontifractum hyemarat, monet, quanti periculi res sit, si hostis Eboracum perueniat, atq; iubet, ut uel uenienti occurrat, cum eoq; confligat, siue eatenus transitu prohibeat, quoad ipse cum maioribus copijs, quas impigrè cōparabat, in tempore adsit. Et quoniam certum nō habebat, per quam partem hostes iter haberent, primùm ad singula oppida Eboracensis agri, deinde Eboracum certos misit nuntios, qui nomine regis iuberent omnes in armis esse, ac portas Edouardo claudere. Interea Edouardus nullis resistentibus, Eboraco appropinquat. Quod ubi ciues cognouerunt, sumptis repentè armis, ad portas tuendas concurrunt, atq; duos primarios ciuitatis obuiam mittūt, qui suis uerbis moneāt, ne accedat, néue se periculo obijciat, quòd omnibus modis eum armis arcendum sibi cōstitutū esset. Edouardus auditis legatis, nōnihil animo turbatur, in magnisq; curis, hæc maximè eum solicitabant: nanq; si pedem referret, timebat, ne se ut fugientē agrestes prædæ cupiditate insequerentur: sin procederet, ne ab Eboracensibus eruptione facta, subitò circumueniretur: qui idcirco nō armis, sed mollissimo modo agendum ratus, legatos suppliciter rogat, ut suo nomine ciuibus dicant, se non uenire repetitum regnum Anglię, sed principatum auitū Eboracēsem, ac propterea uelint suum iuuare principem, qui si per eos illum reciperet, perpetuò eius beneficij memoriā retineret: ita blandè loquēdo eos domum dimittit, ac simul expedito agmine portis appropinquat. Ciues Edouardi responso aliquantulum deliniti, quòd ille uideretur nihil, ut aiebat, esse in regem Henricum moliturus, de muro cum eo colloquuntur, iubentq;, ut aliò abeat, quod si quamprimū faceret, nullum affirmāt eum accepturum esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

detrimentū,sin minus,nō lōgè abesse à periculo uitæ.Ille autē comiter singulos principes nominatim ac honorificè appellando,multaq; pollicēdo rogat, per eos sibi liceat in urbe sua saluo esse.Toto ferè die in eo colloquio consumpto,ad extremū ciues spe pręmiorū onerati ad pactionē uenerūt,ut si Edouardus iuratus promitteret se ciues suos benignè accepturum,& Hērico regi in posterū dicto fideliter audientē fore,eum reciperēt mœnibus,opibusq; iuuarēt.His cōditionibus lætatus Edouardus,postero die prima luce facta per sacerdotem ad portam,qua urbem intraturus erat,re diuina,inter sacra utrūq; se sanctissimè seruaturū iureiurando promittit,ac ita urbe recipitur:qui tamē tantū aberat,ut alterū seruare in animo haberet,sicut statim pòst perspicuum extitit,ut etiam nihil prius sibi curandum,quàm Henricum persequēdum,de regnique possessione deturbandū statueret.Ita plerūq; principes uiri similiter atq; humiles cupiditate cęci,& omnis religionis pariter ac honestatis obliti, solēt per Deū immortalē iurādo fidē dare,quā tamē fallere iā antęq; dent,sibi certū est:atqui ij exemplis nō ignotis,uno omnino uel altero tēpore meritas periurij pœnas luunt,ita ut ea labes sæpenumero ad eorū etiam nepotes perueniat.De hac re nō pigebit memorare in uita Ricardi tertij regis,loco perapposito,ubi fortasse cognosci licebit,Edouardi progeniem istius quoq; periurij noxæ nō expertem fuisse.Edouardus sic sedato populi tumultu,Eboracū ingreditur,depositaq; omni iurisiurādi memoria,urbē præsidio firmat,ut ne aliquid in ea innouetur,atq; copias auget,& illis iā paratis,eò minus sibi cessandū ratus,quò audiebat aduersarios segnius rem agere,Londinum uersus proficiscitur,qui de industria omissa recta uia,quę Pontifractū ducit,ubi loci diximus Montacutensem cum exercitu esse,iter ad dexterā flectit,minus longè quatuor millia passuum ab hostiū castris,quæ cùm transisset,nullo ab hostibus facto motu,in rectum iter parum ultra eum locū regressus,Nothyngamiam petit.Cęterū id Edouardi facinus magnū ciuibus Eboracensibus inusit dolorem,quòd puderet tam bellè deceptos esse,ne dicam inhonestè.

At ubi fama diuulgauit Edouardum sine aliquo accepto incommodo Nothyngamiā peruenisse,tum passim principes ad eum deficere incipiūt,quippe qui arbitrabātur marchionē aut noluisse aduersarios armis aggredi,quòd cum eis sentiret,aut non ausum exire de castris,quòd minimè par hostibus foret:igitur utrum esset,putabāt tutius esse ad Edouardum iam magno fultum exercitu se adiungere,quàm cum periculo pro Hērico stare.Ea re animo sublatus Edouardus,motis repentè castris,Lecestriam uenit,ubi cognouit comitem ad Varuicum esse,eoq; Ioānem Oxoniensem comitem cum bene magna militū manu accessisse,ut ambo in se copias ducerēt:qui id præuertendum ratus,eōdem cum exercitu discedere statuit,spe aut dimicandi,aut coniungendi se cum fratre duce Clarentiæ,quem Londino cum exercitu uenientem antè uspiam adeundum putabat,quàm ad socios perueniret,ueritus ne de sententia deduceretur,quòd cognosceret ducem non admodum constantem esse.Comes quidem Varuicensis interea mœrebat,& angebatur,quòd cùm ipse raptim omnibus prouidisset,marchio tamen nō modò eò ubi hostiū arma primùm concrepuissent,non iuisset,sicut monitus erat,sed etiam passus esset illos cum tam parua armatorū manu,pręter suos oculos,sine certamine transire,qui proinde ut in tempore cum aduersario, qui more amnis uires eundo acquirebat,

acquirebat,acie in itinere confligat,copias undiq; cogit,ad seq; celeriter accersendum curat ducem Clarentiæ,qui Londini exercitum conscribebat,quem cùm cunctari,ac ut dubiū belli atq; pacis omnia negligenter agere accepisset, iam tum suspicatus eum à fratribus corruptū,sine mora,cum suis copijs,Cōuentriā proficiscitur,ut hosti uenienti obuiam fiat.Inter hęc,Edouardus peruenit Varuicum,uacuumq; præsidijs occupat,inde ad comitem contendit,iuxtaq; eū castra ponit,ac postridie quàm eò peruenerat,omnibus copijs eductis,acie instructa,comiti potestatē pugnandi facit,qui se à duce,ut diximus, in fraudem deduci suspicans,mœnibus continebat, cùm interea nuntiatur ei ipsum ducē cū ingenti exercitu appropinquare.Quod ubi Edouardus intellexit,sublatis castris,illi obuiam fit,& ne cōpositus dolus uideatur,acie instructa incedit tanq; pugnam facturus:itidem & dux facit.Sed ubi in conspectū uentū est,Ricardus dux Gloucestrensis perinde quasi omnis cōtroversię cōsistutus esset disceptator,cum duce primū in secreto colloquio cōgreditur, deinde ad Edouardum redit,& illud idem facit:ad ultimū nō ad arma,sed ad pacē conclamatur,tum depositis utrinq; armis,fratres in amplexum concurrunt.

Secūdum hęc,Edouardus eodē loci per pręconē edici iubet,ducem & qui eum secuti essent,sine fraude in perpetuū fore.Placuit & Varuicensem ad defectionē tentare,ad quem dux certos principes ex amicis allegauit,qui primò suum factum excusarēt,deinde eum hortarētur,ut uellet,dum licebat, aliquā pactionem cum Edouardo facere.Audiuit comes mandata ducis,omnibusq; precibus illum detestatus est,quòd contra fidem datam,ad Edouardum tam turpem transitionem fecisset:ad mandata uerò nullum aliud dedit responsum,nisi quòd mallet sui,quàm perfidi ducis similis esse,ac ideo non prius ab armis discederet, quàm aut uitam amitteret, aut ulciscereturinimicos.Exin Edouardus ita firmis auctus copijs magna cum fiducia Londinū proficiscit, quò ubi fama peruenit,ducem Clarentiæ ad fratres reuertisse ,atq; simul omnes aduentare,tanta ciues trepidatio inuasit,ut nescirēt quorsum se uerterēt: sed breui timor eos in Edouardi partem flexit.Sub idem tempus uenere literæ à comite ad Henricū regem,ad Edmundū Somerseti ducem,ad Eboracensem archiepiscopum,reliquosq; regis consiliarios,ut intenderent ciuitatē in fide per biduum aut triduum retinere,post aduentū aduersariorū, quoniam ipse interim cū ingētibus copijs adesset.Illi officiū impigrè fecerūt,quod frustra fuit.Porrò Ioannes Stokton eques urbis prętor,& Ioan.Crosby,ac alter Ioan.Vuarde uicecomites in eo temporis articulo in suam curiā conuocato ciuitatis senatu,maturè inter se agitare cœperunt, utram partem sequi præstaret:ad ultimum cùm secum reputarent Henricum talem esse,qui per se non ualde multùm rebus publicis moderaretur,contrà Edouardum non ad alterius,sed ad suum præscriptum cōsuesse regnum gubernare,ac talem esse, qui se & suos ab iniuria defendere posset,omnibus placuit ad eum adhæresce re. Quo cognito consilio,plebs nouarum rerū cupida,ubi Edouardus accessit, nullo imperio coërceri potuit,quin illi alacris obuiam ierit, uenientemq; regem consalutarit.Quo uiso,Somersetensis ac reliqui pro se quisque diffugiunt.At Henricus ut hostia immolanda in ędibus episcopi,quæ ad diui Pauli templum sunt,solus relinquitur,ac nescius quid cōsilij caperet,ut quem molestiæ iam hebetiorem reddiderant,ibi ab Edouardo capitur, rursusque in

Universidad de Deusto
Biblioteca

custodiam traditur. Introiuit Edouardus Londinū ad III Idus Aprilis: post mensem autem sextum, quàm in Flandriam traiecerat, cōcioneq; aduocata, ciuium fidem plurimū collaudauit, egitq; speciatim senatoribus gratias, quòd populum in officio erga se continuissent: alios autem nonnullos siue ciues, siue mercatores exteros, quos sciebat pecuniam contulisse Henrico, ad parandum exercitum, multis uerbis castigauit, & de eorum peccatis ualde conquestus, ad extremum sine metu esse, seq; eis delictorum ueniam dare edixit, qua lenitate multitudinem sibi ualde deuinxit.

Comes interim uidens in celeritate omne positū esse certamen, hostes magnis itineribus insequi, ut si qua difficultate essent tardati, uti sperabat, prius cum eis manū consereret, quàm Londinū accederent, quod facere multū referre putabat, cùm eum nō fugeret eam urbem omni commeatu uacuam, nullisq; munitionibus circumuallatā, non posse obsidionē tolerare, ac propterea solere ut plurimū uictorē sequi: Itaq; iam bene multū itineris confecerat, cùm audiuit Edouardum Londino potitum coniecisse Henricum in carcerem: qui tum rem huc necessariò deductam animaduertēs, ut omnia uni demū prælio cōmittenda essent, ad Fanum diui Albani constitit, partim reficiendi militis, partim capiendi consilij causa. Erant in exercitu principes Ioannes Exoniēsis dux, alter Ioannes Oxoniensis comes, Edmundus Somerseti dux, & tertius Ioannes Montacuti marchio frater comitis, quē ipse comes iam perspiciebat inuita, ut dicitur, Minerua, huic bello seruire, & propterea nesciebat quantū illi cōfidendū esset, attamen fraternus amor omnem ferè tollebat suspicionē: sed quicquid de eo uel alijs sentiret, ipse unus intrepidus statuit sibi in hostes eundum, atq; ita à Fano Albani digressus, ad pagum qui in medio spatio est, inter ipsum Fanū Albani, & urbem Londinū, distatq; ab ipsa urbe millia passuum decem, quem Barnetū uocant, uenit. Est pagus iste in colle positus, qui planitiē ad dimicandum aptam in summitate habet. Hîc comes positis castris hostes expectabat. Rumore interea Londinū perlato de comitis aduentu, Edouardus ad exercitū quem paulò antè ad urbem secum duxerat, nouū exrobore iuuentutis statim conscriptū adiungit, item noua undiq; quærit auxilia, arma, tela, equos, & cætera instrumenta militiæ deintegro parat, & denicq; toto animo, ac opibus in hoc bellū incumbit, quippe quod omniū laborum finem sibi allaturū sperabat: ita parato immenso exercitu, it obuiam hostibus, ac ut, si usu ueniat, paratior sit ad dimicādum, ubicunq; eos offendat, quadrato incedit agmine: ducebat secum Henricū captiuū, eo fortasse cōsilio, ut aduersarij uidentes in prælio regem suum captum, perterrerētur, aut, si ei fortuna belli aduersa foret, per eum seruari posset, peruenit post meridiē in collem ad Barnetum, ibiq; haud procul ab hostibus castra ponit, quæ ut ne ea nocte in certamē descendere cogatur, nouis subitò munitionibus sepit, mora enim ei utilitati erat, quòd undiq; multi ad ferēdū auxiliū uenirent, cōtrà hostibus damno, quia illi lōgè à suis, nihil spei in nouis præsidijs habebāt. Pernoctauit tamē uterq; in armis: nanq; ob uicinitatē castrorū, tantus utrinq; hominum, equorumq; fremitus audiebatur, ut neuter exercitus quieti se dare auderet. Atqui ubi cœlum albescere cœpit, Varuicensis suas sic acies instruit: In sinistro cornu marchionem fratrem, ac Oxoniensem comitem cum parte equitatus locat, dexterum ipse cum Exonienſi duce tenet, in medio inter utrunque cornu

cornu sagittarios ponit, quibus dux Somerseti prærat: ita instructos ad certamen milites multis uerbis adhortatur, uti forti atque parato animo essent, ac meminisse uellent se pro libertate patriæ contra tyrannum, qui regnum perperàm inuasisset, pugnaturos esse. Edouardus idem facit, qui postquam omnes suos ordine locauit, quia ingens adhuc militum copia supererat, cùm continenter gratificandi gratia, ad eum principes concurrerēt, eam omnem multitudinem in unum cogit, ad subsidium ferendum, quos ita in aciem ductos multis adhortationibus incendit, cōmemorās se illos duxisse ad dimicādum aduersus seditiosos homines, qui nil aliud nisi mortalium omnium dissidium, nisi ciuium cædem, nisi patriæ exitium quærerent. Postquam illucescere cœpit, edito utrinque signo, itur in certamen: primùm sagittis res eminus geritur, deinde gladijs cominus pugnatur. Edouardus fretus multitudine militum, qua longè præstabat, acriter instat: comes pristinę uirtutis memor haud timidus resistit. Ita maxima ui ubiq; certatur, multis passim cadentibus, quibus integri subinde succedebant. Interea omnes milites intenti in pugnam euentū expectabant, cùm post longam dimicationem, comes suos à multitudine premi animaduertens, cum expeditis equitibus in prima acie laborantibus succurrit, hostemq; pedem parum referre coëgit. Quod ubi Edouardus uidit, alios subitò suis ad subueniendum mittit, tum prælium maiore cæde, quàm hactenus factū sit, restituitur. Iam à mane propè ad meridiē, dubia uictoria pugnatū erat, cùm Edouardus quē iā tædebat longioris prælij, copias quas ad subsidium extra pugnam habebat, impetum facere in hostem iussit. At comes ubi uidit subsidiarios hostium milites in certamen uenisse, tum nō territus, sed in spem uictoriæ adductus, suos etsi iam fessos maximè cohortatur, uehementer incitat, impensè rogat, ut hunc extremū laborem magno animo ferant, identidem inclamans finem adesse pugnę: uerùm cùm illi longo labore defatigati nihil ferè eiusmodi uocibus excitarentur, ipse animo inuictus inter medios hostes uadens, dum incautus longè à suis cædendo hostē incurrit, ibi pugnans confoditur, unà cum marchione fratre, qui eum iamiam uictorem sequebatur: post mortem comitis, reliqui in fugam coniecti passim capiuntur. Hunc exitum uitę habuit Ricardus comes Varuici, qui ei per tot uarios casus ob magnitudinē animi, longè ante decursam ętatem obrepsit. Cęsa sunt ex utraq; parte, decem circiter millia hominum, captiuorū autem numerus tantus fuit, ut nullo pacto computari potuerit. Edmundus dux Somersetensis cum Ioanne comite Oxoniensi, cursu non intermisso, dum Scotiam petit, mutato consilio, propter itineris longitudinem, in Vualliam ad comitē Penbruchi se recipit, & alij aliò pro se quisq; fugit: dux uerò Exoniensis ægrè ad Vuestmonasteriū confugit, ibiq; in asylum se abdidit. Edouardus cęquis nō incruentam uictoriam adeptus, eius tamen lætitia maiorem in modum subla tus, cum Henrico captiuo, more imperatoris triumphantis, Londinū reuertitur. Corpora comitis & marchionis eōdem postea conuecta sunt, quæ priusquam terra humarentur, toto biduo in æde diui Pauli in feretro iacuere, ut ab omnibus exanimata cernerentur, ne populus ob aliquam simulationē nominis Varuicensis, ad nouas deinceps solicitaretur seditiones. Cæterum fertur rex Edouardus nō adeò gauisus esse, ob Varuicēsis cędē, quin summè doluisset interitum marchionis, quem, ut demonstrauimus, pro amico habebat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Interea Margarita regina certior facta, ob reditū Edouardi in Angliam, omnia iterum turbata esse, facto ex delectibus statim nō mediocri exercitu, in insulam cum Edouardo filio, quācitissimè potest, redire nititur, sed obstante fato, tardata aduersa maris tempestate, serius quàm res requirebat, applicuit se ad portum, quem Vaymuthum uocant. Hîc ubi descēdit in terram, intelligit Edouardum rerum potitū, Henricū uirum à suis desertum, & captum, Varuicensem interfectum cum fratre, eiusq; copias partim deletas, partim dissipatas, & denicq; plagā acerbissimā acceptam, cùm re, tum tempore. His auditis, misera mulier metu corruit, dolore disrumpitur, intercludit, torquetur, tempus calamitosum, fortunam aduersam, grumnam deplorat, fatum Henrici incusat, quod iam uenisse pro certo habebat, & denicq; se afflictat, ac præ morte uitā aspernatur, quòd fortasse animo prouideret deteriora, quæ supra caput erant, iamq; impendebant. Potuit tum Margaritæ in mentē uenire, se magna ex parte in istiusmodi incidisse mala, ob indignā Humfredi Gloecestrensis ducis cædem, cuius consilij quanquā fortè particeps non fuerat, peccauit tamē, quòd bonum uirum seruare potuerit. Sanè eo uno uiuo, ac Rempublicā regente, nuncq; Henricus tot adiuisset uitæ pericula. Vtinam eiusmodi euentorum causas bene multi ponderarent, qui æquum & iustum potentia & uolūtate sæpissimè metiūtur. Ad rem redeo. Margarita uidēs nihil esse, quòd bellum compararetur, iamq; penè suam & filij salutem iuxtà desperans, ad proximum cœnobium ordinis Cistertiensis, quod est ad uicum, quē Bellilocū uocāt, profecta est, ac in asylum quod ibi est, se recepit. Rumore interim de eius aduentu diuulgato, Edmundus dux Somerseti, cum Ioanne suo fratre, Thomas Corteneius comes Deuoniæ (is ab initio alteram partem est secutus) Gaspar comes Penbruchi, Ioannes Venlochius, & Ioānes Longstrotherus Rhodiorum militum præfectus, celeriter Bellilocū conueniūt, reginamq; adeunt. Mulier plena tristitiæ, ubi uidit principes amicos paulùm animo exhilarata, paulumq; respirans à metu, ut ne dicatur quicquam imprudenter fecisse, multa cum eis disserit, & docet causam, quamobrē in tempore adesse nequiuerit, ac qua ratione ad id asylum confugerit, rogatq; singulos, ut uelint filij saluti primùm omnium fideliter consulere, & cùm in præsens desperaret posse se aliquid armis proficere, iterū, si modò per anni tempus, per hostes liceret, in Galliam sibi eundum iudicabat, illicq; usq; eò manendum, donec Deus meliorē belli gerendi facultatem daret. Dux cum alijs, postquam reginam multis uerbis consolatus est, incipit de ratione belli longo sermone permulta conferre, primumq; sentit, nullas interponendas esse moras, ut ne per eas ipsi infirmentur, & fortior fiat Edouardus, qui exercitum paratum non haberet, cùm proximo facto prælio, omne penè iuuentutis eius factionis robur infractum foret, quique nuper secundam belli fortunam aduersus Varuicensem habuerit, meritò aduersam futuro bello sentire posset, cùm rerum bellicarum non rarò magna commutatio ad punctum temporis accidere soleret: deinde affirmat bonam principum partem pro Henrico rege stare, ac sua sponte homines militares ad opem ferendam uenturos, si modò ipsa uelit, ut aliàs sæpe fecisset, dux agminis esse in hostem, atque ad hæc ipse magnas copias pollicetur, maioresq; nomine utriusque comitis promittit: & postremò postquam permultis argumētis, uictoriam in manibus esse demonstrauit, omnes rogat, ut bono

bono animo sint, et quia celeritate opus esset, nō amplius de ratione belli, sed de ipso iam bello gerendo statuant. Regina cui maximè curę erat, non de suæ quidem, sed de filij salute, quę ob id anxio & solicito animo erat, quę nihil boni ferè opinione augurabatur, ad ea respōdit, se hanc sententiam facilè probaturam, si nullius charioris rei præterq; uitæ suæ iacturam fieri posse uideret, sed suspicari, ne dum illi uellēt affectis succurrere rebus, Edouardi principis, in quo omnis spes domus sita esset, uita nō periclitaret, ac propterea aut bellum in aliud tempus reijciendum, aut filium in Galliam remittendum, qui in tuto, ac in arcano operiretur, dū primi belli exitus obreperet. Nimirū mater nō iniuria cōsulere conabatur uitæ filij, cùm ei secundū uirum, quē pro perdito putabat, nihil illo esset amabilius, charius, iucundius. Ita regina prudentissima rogabat, ut principes bellicæ artis periti, ea antea secū bene cōsiderarent, quòd postea si bellum sumendum iudicarent, se nō negaret, in eorū sententiam uenturā. Sed longiori disputationi locus haud quaq; fuit, affirmante duce, omnibus decretū esse, dum uita suppeteret, bellū aduersus inimicos gerere, ac propterea quod summo consilio statutū esset, summo etiā cōsensu faciēdum esse. Ita omnibus ad unum, ad bellum incitatis, pro se quisq; exercitū comparat: dux per totum principatū suum diligēter delectum militū habet, idem facit comes Deuoniæ, comes etiam Penbruchi ad comitatū suū copias conscribendi causa discedit. Regina in hanc spem bene gerendæ rei tādem adducta, Hoc bene sit, inquit, ac statim Bathoniam de sentētia ducis pergit, illic expectatura, dū socij redeāt: sed quoquò esset gentiū itura, paucis notū erat, ut ne eius consilium aduersarijs prius patefieret, quàm quò ibat, peruenirēt.

Rex autem Edouardus ubi cognouit Margaritā in Angliam uenisse, ac ducem Somersetensem & eius socios exercitū cōflare, cōfestim aliquot leuis armaturæ equites quaquauersum mittit exploratū, quantæ sint hostiū copiæ, quóue iter habeant. Illi, ut iussi erant, celeriter profecti, postquam bonam ad occidentem regionis partem obierunt, quæ cognouissent, diligenter retulerunt. Rex cùm nihil certi de itinere hostium ab exploratoribus accepisset, statuit eis uspiam prius occurrendum, quàm Londino appropinquarent: itaque cum eo quem Londini contraxerat exercitu, in Oxoniensem agrum proficiscitur, locumq; castris idoneum quærens ad Abyndoniam deligit, eoq; ad se copias quę alibi cogebantur, uenire iubet. Hîc ubi omnē exercitū in unum coēgit, atq; cognouit aduersarios Bathoniā peruenisse, ibiq; causa maioris colligendi militum numeri, ex illis, qui ad eos undiq; confluebant, moram facere, inde digressus, Marlebrigium, qui pagus distat à Bathonia circiter millia passuum quindecim, contēdit, eoq; properat, ut prius cum hostibus facta potestate pugnandi, posset acie confligere, quàm in Vualliam eant, quò suspicabatur, id sanè quod erat, illos concessuros, ad coniungendum se cum comite Penbruchi, qui illic ingentes parabat copias. Atqui regina ubi cognouit Eduardum ante se esse, Bathonia discedit, Bristolliumq; petit, ac inde aliquot equites præmittit exploratū, si per Gloecestrensem agrum, tutum iter ad Vualliam pateat, quò augendi exercitus gratia, primò sibi eūdum, ac mox sine mora, in hostem ubicunque statiua haberet, infestis signis tendendum statuerat. Equites citò reuersi, renuntiant Gloecestriam oppidum stare in fide Ricardi ducis fratris Edouardi, & licet primùm promissis, deinde minis oppidanos

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad defectionem tentarint, illos tamen nihil moueri. Ea re cognita, regina Bristollio se mouet, ac ad uicum ad Sabrinam flumen situm, quem Teuchisberiã uocant, proficiscitur, præteriens Glocestriam, ut in oppugnando oppido ne tempus conterat. Hîc positis castris, Somersetensis audiens Edouardum, qui eorum uestigia sequebatur, haud procul esse, suos in aciem ducit, nõ magnopere id consilium probantibus cęteris belli ducibus, qui Penbruchensem expectandum iudicabant. Adfuit nõ multò post Edouardus cum instructo exercitu, datoq; utrinq; signo, prælium cõmittitur: post longum atq; acre certamen, Edmũdus dux sentiens suorum paucitatem à multitudine hostium valde premi, protinus milites ad signa reuocat, ut conferti facilius obsistant. Recreauit ea res paululùm militis animũ, qui ferocius cædere cœpit: sed cùm regina non haberet milites integros, quos saucijs & defatigatis summitteret, à multitudine oppressa, demũ uincitur, suis ferè ad unum cæsis, aut captis. Occubuere mortem in pugna ex nobilibus, Thomas comes Deuoniæ, Ioannes Venlochius, Ioannes Somersetensis frater, cum bene multis alijs. Capti sunt Margarita regina, Edouardus princeps, Edmundus dux Somerseti, Ioannes præfectus diui Ioannis, ac equites amplius uiginti. Ii omnes biduo pòst, præter Margaritam, & filium, in eo uico capite mulctantur. Edouardus princeps adolescens præstantissimus, aliquanto pôst ductus ad colloquium cum Edouardo, interrogatur ab eo, cur eius regnũ ingressus, ausus esset id armis diuexare: cui præsenti animo respondit, se auitum regnum recuperatũ uenisse. Ad ea Edouardus nihil respõdens, tantum manu adolescẽtem procul submouit, quem in uestigio qui circunstabant, circunstabãt autem Georgius Clarentię, Ricardus Glocestriæ duces, & Gulielmus Hastyngius, crudeliter trucidarũt. eiusq; corpus cũ reliquis interfectorũ cadaueribus in proximo cœnobio monachorum ordinis diui Benedicti humatur. Margarita uerò captiua Londinum ducta, & nõ multo pòst redempta ab hoste dimittit, quę in Gallias profecta, in perpetuo mœrore iacuit, nec tã id propter se, aut propter uirũ, quorũ iam ætas prouectior erat, q̃ propter amissum Edouardum filium, quem ipsa, quem pater Henricus superstitem uitæ, ac dignitatis suę relinquere sperabat, ex quo nihil ambobus in omni uita acerbius accidere potuerat. Edouardus ob uictoriam, quæ ciuilium bellorum finem fecit, immortaliter gauisus, postquam eam omnem regni partem in qua aduersarij in unum conuenerant, diligenter lustrauit, Londinũ reuertit, ubi tridui supplicatione, gaudiũ miris hominum studijs celebratũ est. Hæc summa rerum bellicarũ Edouardi. Fuit ille annus salutis MCCCCLXXI, & ipsi Edouardo à gubernatione regni sui XI.

Sub Edouardi reditũ, Thomas Facombrigius filius Gulielmi Facombrigij comitis Cantij ex concubina genitus, homo summæ audacię & factiosus, quem ad perturbandam Rempublicam mali in primis mores stimulabãt, magnã conflauit seditionẽ: is enim aliàs à Varuici comite præfectus maris cõstitutus, qui transitum qui est inter Caletum & Douerum tueretur, quo nulli qui Edouardi partes sequerentur, impunè transirẽt, postea factus egens tam amicis quàm inimicis infestus, cœpit palàm latrocinari: quo factũ est, ut breui tempore multarũ nauium classe munitus, omnia circùm litora latrocinijs turbaret, qui ad ultimũ in Cantium delatus, in terram descendit, contractaq; non parua Cantianorum manu, Londinum recto itinere petijt, spoliauitque primo

primo accessu, clamante turba se uenisse liberatum Henricũ regem suum. Sed ubi cognitum est Margaritam prælio uictam esse, tum Gulielmus Edouarde urbis prætor in eum annũ creatus, & Ioannes Aleyn, ac alter Ioannes Chelley uicecomites, cum bona armatorũ manu facto repẽtè impetu, Facombrigium præda exutũ profligant, multis in fuga Cantianorũ aut interfectis, aut captis. Iste tumultus quanq̃ paruus, si paulò antè ortus fuisset, haud dubiè res Edouardi in magnũ adduxisset discrimen. Fuit nempe Edouardus in istis postremis bellis longè fortunatissimus, quòd diuerso tempore à suis aduersarijs uexatus fuerit armis. Sanè si per idem temporis quo Varuicensis Londinũ cum paratissimis copijs properabat, Margarita regina ex altera parte terram Angliam cum exercitu attigisset, quod mulier ter summè conata est, & hæc à tergo, & ille antè eodem momento urgere cœpisset, aut si Edmundus Somerseti dux ad Teuchisberiam, non prius suis pugnandi signum dedisset, quàm Gaspar Penbruchi comes cum auxilio aduenisset, uel si Facombrigius simul Lõdinenses uexasset, unum siue alterum modis omnibus futurum erat, ut Edouardus necesse haberet, aut fugã rursus quærere, aut turpiter manus dare. Ac tãtum in omni re, sed in bello potissimùm, ualet bona hominis, ut uulgò dicitur, fortuna. Quanquã fortè illud potius uenit ex infortunio familiæ Lancastrensis, quod uiri sapientes diuinæ iustitiæ adscribendum iam tum existimarunt: quia regnum ab Henrico quarto sexti Henrici auo, per uim quæsitũ nõ potuisset perdiu ab ea possideri familia, atq; ita aui peccatũ ad nepotes redũdasse. Nũc ad rem redeo. Facombrigius celeriter ad naues ex fuga se recepit, sed aliquanto pòst ad Suthantonẽsem portũ, quò inconsultè accessit, captus, luit capite pœnas. At Gaspar comes Penbruchi ubi intellexit reginam ad Teuchisberiam, cõmisso prælio uictam esse, et nullam amplius spem salutis superesse, de itinere cũ militibus, quos secum ad socios ducebat, retrò Chepstollium abijt. Dum hîc moratur mœrens, quòd festinatio quę improuida semper est, & cęca, omnes ad extremũ Henrici opes perdidisset, cum suis, quid cõsilij foret capiendum agitabat, cùm eò mittitur ab Edouardo Rogerius Vuagham, uir fortissimus, qui comitẽ per dolũ caperet. Comes insidiarũ certior factus, Rogeriũ intra oppidũ capit, atq; capite mulctat. Ita Rogerius passus est à comite mortẽ, quã ei per dolũ intẽtabat. Hinc cognoscere licet eũ oportere suspicari sibi pestẽ paratã esse, q̃ alteri exitiũ parat. Comes inde digressus, se Pẽbruchum recipit, quem statim Morganus Thomas ab Edouardo missus circumsidet, fossa & uallo septum tenet, fuga prohibet: sed ille octauo pòst die à Dauid fratre Morgani amico fideli obsidione liberatus, cõfestim ad oppidũ maritimũ, quod Tynby uocant, discedit, atq; inde parato actutum nauigio, in Gallias cum Henrico nepote ex fratre comite Richemondiæ, paucisq; familiaribus nauigat, qui fortè in Britanniam delatus, Frãciscum ducem suppliciter adit, expositaq; sui aduentus causa, eius se fidei atq; Henricũ nepotem committit. Dux accipit comites hospitio libẽter, tractat honore, humanitate, gratia, nõ secus, ac si ei fratres essent, datáq; fide, pollicetur apud se deinceps procul ab iniuria fore, atq; ultrò citroq; quocunq; uoluerint, tutò ituros.

Edouardus pacato per hũc modũ regno, ut ne amplius noui fierẽt motus, totũ Cantiũ, q̃ illinc proximus tumultus duce Facombrigio profectus esset, paucis diebus obiuit, ultusq; est acerbè eos, q̃ seditionẽ fecissent. Quo confecto negotio, ut omnib. uideret iã parta quies, utq; omnia ab inimicorũ metu

Universidad de Deusto
Biblioteca

uacua esset, Hericus sextus paulò antè regno deiectus, in turri morte affectus est. Hūc, ut fama cōstans est, Ricardus Glocestriæ dux gladio percussit, quo ita Edouardus rex eius frater omni hostili metu liberaretur. Sed quisquis sanctissimi uiri percussor fuerit, satis liquet tam parricidam, q̄ parricidij autores dedisse cōmissorum pœnas, qui cùm deinde nō habuissent inimicos, in quos sęuitiā explerēt, saturarēt, in seipsos, sicut infrà perappositè declarabit, crudeli tatē exercuerūt, proprioq̄ sanguine suas polluêre manus. Exin Hērici corpus ex turri nullo cū honore, ad tēplū diui Pauli delatū, toto die ibi in capulo iacuit, ac postridie ad cœnobiū monachorū ordinis diui Benedicti, quod est in uico, q̄ Chertesseius uocat, & distat à Lōdino quindecim millia passuū, deportatū est, illicq̄ sepultū, sed nō multò pòst ex eo loco ad Vindesoriū Castrū delatū, in ęde diui Georgij nouo mausoleo inferē. Illud autē cœnobiū ad Chertesseiū quondā posuit diuus Erchēualdus Lōdinēsis episcopus, circiter annū salutis DCLXXIX, uti suprà libro quarto ostēdimus. Regnauit Henricus annos XXXVIII, & post receptū regnū, menses VI. Vixit annos LII. suscepit ex Margarita Edouardū unicū filiū principē Vualliæ. Fuit statura procera, corpore gracili, cui mēbra per omnia respondebāt, facie decora, in qua continuè renitebat illa bonitas animi, qua maximè præditus erat. Abhorrebat suapte natura tā corporis q̄ animi uitia omnia, ex quo iā inde à puero honestus fuit, integer, mali expers, boni capax, cōtemptor rerum omniū, quæ animos mortaliū labefactare solēt. Itē iniuriarū quibus idētidē affectus est, sic patiēs, ut nō uindictā appeteret, sed ob illud ipsum, Deo opt. max. gratias ageret, q̄ per id sua delicta dilui putaret. Quid q̄ uir bonus, gratus, pius, modestus, sapiens, tot sibi mala cùm suis tum suorum maiorū permultis peccatis, uitijsq̄ uenisse prędicabat? Quapropter non quā dignitatē, quos honores, quem uitę statū, quē filiū, quos amicos amisisset, magnopere cogitabat, aut dolore torquebatur, sed in qua apud Deū offensa esset, id curabat, id lugebat, id dolebat. Hæc & eiusmodi ueræ sanctitatis officia fecerunt, ut eius nomine, dū uiuebat, miracula à deo edita fuerint. Ex quo Hēricus VII. rex nō immeritò abhinc paucos annos eū inter diuos referendū apud Iuliū pont. Rom. curare cœpit, sed morte pòst statim obita, id officiū prestare nequiuit. Fuit preterea Hēricus animo liberali, qui bonarum artium studia mirabat, et eos diligebat, in quib. eas esse uideret: quare suos ipse quoq̄ iuuit, ut doctrina erudirent: cōdidit enim schola magnificā ad Hetonā pagū proximū Vindesorā, in qua collocauit collegiū sacerdotū puerorūq̄ magno numero, qui inibi nutrirent, docerentq̄ grāmaticā gratuitò. Idē Cantabrigiæ autor fuit collegij regij, quod hodie ita disciplinarū cultu floret, ut facilè omniū collegiorū sit princeps. Ad rem redeo.

Sic rex Edouardus bona curarū ac formidinis aculeorū parte abiecta, ut ne qua factionis aduersæ uestigia remanerent, inimicorū reliquias omnes ubiq̄ gentiū extinguendas statuit: itaq̄ Georgiū Eboracēsem archiepiscopū Varuici comitis fratrē uinculis maceratum Guinas mittit, ubi diu in custodia fuit, sed postea dimissus statim ex angore animi perijt: cui successit Laurētius Bothus, & Laurētio triēnio pòst mortuo, Thomas Rotheramus episcopus Lincolniēsis, qui fuit antistitū ordine LIIII. Rex itē Ioannē comitē Oxoniensem, qui nō multò post cladem ad Barnetū pagū acceptā, in Cornubiā profectus, montē diui Michaēlis occuparat, in suā potestatē redegit, misitq̄ protinus ad arcē trāsmarinā, quā uocāt Hammū, ubi loci amplius deinde annos XII. in custodia

fuit. Multi præterea in diuersis locis, ob minimā etiā suspitionē capti, aut in uincula ducti, aut grauiter mulctati sunt. Secūdū hæc, ut ne uicinitates perfugarū receptacula forēt, cū Iacobo Scotorū rege inducias in uiginti ānos fecit. Sed ne solicitudo uel omnis penitus metus regis mēti decederet, per idē tēpus intellexit comites Penbruchi & Richemondiæ in Britanniā delatos, à duce perliberaliter hospitio acceptos, id profectò quod longè molestissimè tulit, perinde quasi mēs eius aliquid præsagiret mali, quod malū ut auerteret, cōfestim secretos legatos ad ducē misit, qui magna munera illi pollicerentur, si utrunq̄ comitē sibi traderet. Audiuit dux legationē regis Edouardi libenter, & ubi cognouit comites tam opulentā esse prædā, nō sibi dimittēdos, sed apud se diligentius solito retinendos statuit, qui legatis respondit, se ob datā fidē, nō posse comites tradere regi, sed eius causa, ita eos custoditurū, ut omnino nihil esset, quod suspicaretur quicquā periculi ab eisdem sibi procreari. Legati postq̄ quod petebant, impetrare nō potuere, eo responso contēti ad regē rediere. Rex tum ad ducē rescripsit, ut quod spōte recepisset, pro sua dignitate, gratia, & cōstantia faceret, ac simul pecuniā, auxiliū, & ingētia munera promisit, deditq̄ deinceps quàm plena manu in singulos annos. Tum dux uidēs comitū mansionē ex re sua maximè fore, ut ne forsan aliò terrarū se conferrent, eos diuisit, remotisq̄ Anglicis ministris, quos secū illi duxerant, alios Britānos homines dedit, qui eis inseruirēt, custodiręq̄ essent. Interea rex ad III Idus Octobris, anno postquàm regnare cœperat, XII, qui fuit salutis humanę MCCCCLXXIII, conuocauit conciliū ad Vuestmonasteriū, in quo primū reuocant in pristinū usum omnia ab eo cōstituta et leges, quę paulò antè fuerūt ab Henrico sexto rescissæ, ac de publicandis uendendisq̄ aduersariorum bonis, item de reducendis de exilio, qui ut patrię hostes paucis antè mēsibus ab aduersarijs damnati fuissent, statuitur: secundo loco pecunia, cuius incredibiles erāt angustiæ in regio ærario, imperat: tertio tā publicę q̄ priuatæ discordiæ quæ inter principes, qui admodū pauci erāt, bona eorū parte domesticis cladib. absumpta, ortæ erāt, placant, sedant, tollunt. Iuuit illud negotiū quātū in eo fuit, summopere rex, qui ut sui exēplo alij iniurias obliuiscerent, odiumq̄ deponerēt, omnibus qui eo tēpore in regno essent, ac hactenus alterius factionis fuissent, pœnā criminis lęsę maiestatis aut legum uiolatarū remisit, ac nō lōgè pòst in gratiā recepit mercatores Germanos, qui in Anze Theutonica nati forēt, quos prius in carcerē coniecerat, bonis publicatis, quòd naues aliquæ Linuenses interceptæ fuissent à Dacis, ob homicidiū, cuius Angli rei haberentur, eiusq̄ facti negotiatores ipsi Germanici dicerentur autores. Verùm controuersia ui ueritatis sedata, Edouardus mercatores in integrū restituit, qui posthac cautiores effecti, cùm à Ricardo tertio, tum ab Henrico septimo regibus priuilegia accepta diligenter sibi conseruarunt.

Dum ita Edouardus rebus domesticis componendis uacat, ecce tibi, uocatur à Carolo duce Burgundiæ ad bellum externum aduersus Ludouicum regem Gallorum sumendū, ne non semper esset aliquid, quamobrem quies domestica turbaretur. Non poterat rex in eam belli societatem multis de causis non uenire, quarum duæ potissimum erant: una, quòd Ludouicus eius hostis esset, quippe qui Varuicensem contra ipsum in Gallijs armasset: altera, quòd Burgundioni extra affinitatē, multis in sua fuga acceptis ab eo beneficijs obligatissimus foret, quapropter postquam de tanto bello faciundo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cū ſuis principibus cōmunicarat, Burgūdioni reſpōdit, ſe uenturū in partem belli, contra Francum. Sanè per idem tempus, ingens bellum inter Carolum & Ludouicum flagrabat, & quia Ludouicus uir durus ac aſper, & iuxtà amicis atque inimicis contumelioſus erat, multi Francorum principum eius importunitatē abhorrētes, aut palàm uel occultè cum ipſo Burgundione ſentiebant. In ijs erat Ludouicus Lucemburgenſis magiſter equitū, qui clàm conſilia afficiendi aliqua clade Ludouici, quò uel reſipiſceret, uel periclitaretur, cum Burgundione, & bene multis de nobilitate hominibus cōferebat, adeò ut Gallia domeſtico pariter atq; externo premeretur bello. Burgundio conſilia omnia cum Edouardo communicauit, ut facilius ad bellum alliceret. Quę res omnino ut incitamentū uictoriæ regem tandem ad id bellum traxit, qui primo quoq; tempore exercitū cum claſſe parare cœpit, et quia magni impendebant ſumptus in illum exercitū, & pecunia paulò antè ex tributo collata in rei domeſticæ ſumptus abiuerat, uenit in mentem rationē aliquam inire, qua poſſet amicos locupletiores artificio quodam incitare, ad erogandā pecuniā, ut qui id non feciſſent, crimen ingrati animi ſubirent: itaque ſuis quæſtoribus præcipit, ut ad ſe locupletes generatim accerſant, eisq; ſigillatim explicēt cauſam belli gerendi, & ęrarij regij inopiam, ac rogent, ut pro ſua in regem fide, uolūtate, gratia, uelint aliquid ſuppeditare pecuniæ in belli ſumptus. Sed ne plura, ita ars ualuit, ut alij acceptorū beneficiorū memoria, alij pudore, alij metu permoti, cùm pro opibus quiſq; ſuum ſtudiū nauare cuperet, regē pecunia iuuerint. Rex autem ut beneficiū ſibi gratum fuiſſe oſtenderet, eiusq; memoriam perpetuaret, id tributū gratuitò collatū beneuolentiam appellauit, tametſi complures fortaſſe cum maleuolentia, eam beneuolentiā pręſtiterūt. Ita Edouardus rebus bellicis paratiſsimus, & exercitu ad uiginti armatorum millia conflato, Caletū quarto Nonas Iulias traiecit, ad quem Carolus ſtatim adiuit, cōgratulatusq; ei uictoriā magnopere hortatus eſt, ut huic bello totis uiribus operā daret, per quod haud dubiè res tandē ſuas de Franco reciperet.

At Ludouicus ubi cognouit Edouardum iam in continentem cum exercitu ueniſſe, copias auget, & quò plus periculi à tot ſimul potentiſsimis hoſtibus imminere uidet, hoc celerius obuiam periculo eundum ſtatuit: qui cum ijs copijs, quas celeriter contraxerat, præmittit ad Atrebatium fines Robertum Stoteuillenſem ſummum ducem, qui primùm uenientis Angli impetum excipiat: ipſe interim Syluanecti morabatur, cogitationem habens, quonam pacto res ad pactionē deducere poſſet: nam cùm à ſuis relictus eſſet, quos ipſe reliquiſſet, animo prouidebat lōgius fore bellum, & ſibi periculoſius, ſi ſemel ſanguis hauriri cœpiſſet, proinde nil ei potius erat, quàm concordiā amplecti. Talia Ludouicus meditabatur, cùm Edouardus ſe Caleto cōmouit, in Atrebatesq; uenit, ad quem cōfeſtim legatos de pace miſit. Audiuit Anglus legationē, eaq; audita, cœpit aliquantū frigere, minus à pacificatione abhorrere: nam etſi uir fortis erat, & conſiſus rerū fama geſtarū, bellum quàm pacem cum Franco haud antiquo nominis Anglici amico malebat: tamen cùm ſecū recoleret, ciuilia bella ita cōſumpſiſſe opes Anglicas, ut ſi opus foret nouo militum ſupplemēto, ferè deſperaret ſe id poſſe cōmodè ex ſuis conficere, ac non ignoraret uacuū domi eſſe ærarium, ut non poſſet diu ſtipendiū militi dare, putauit omnino neceſsitati parendum, & abſtinendum bello, quod honorificis conditionibus cōponere poſſet, cùm præſertim quereretur Burgundionē ac

ac Lucemburgenſem non ſeruare, quæ à principio promiſſa feciſſent. Igitur legatis orantibus, ut uellet in colloquium cum ſuo rege uenire, reſpondit tandem id ſe facturum, ac ita tempore & loco conſtituto, eos dimiſit. Illi ubi reſponſum prout in deſiderio erat, datū retulerūt, Ludouicus ſimul exercitu, ſimul auro munitus, Pinquiniacū quod eſt oppidū in Ambianorū agro, ubi loci congreſſus regū futurus erat, prior cū optabiliter acceſsit, quò & nō multò pòſt Edouardus frequenti etiā ſtipatus militū manu uenit. Hîc reges in pōte qui eſt in Somma flumine congreſsi, longū inter ſe ſermonē habēt, qui ad extremū inducias in multos annos his conditionibus paciſcunt, ut Ludouicus pro impenſis in apparatum belli factis, det in præſentia Edouardo ſeptuaginta quinq; millia aureorum, ac deinde in ſingulos annos quinquagena millia.

Poſt hæc, ut noua amicitia neceſsitudine cōfirmaretur, corroboraret, ſtringeretur, Elizabeth Edouardi filia Carolo Ludouici nato pacta eſt: Ita facta pace, ac accepta pecunia, Edouardus Caletum reuertit, et inde in Angliam. In eo bello extra Ioannem ducem Exonienſem, interijt nemo: is in aſylo, uti ſuprà oſtendi, erat, et ſecutus regē, poſtea contrà ac fides data fuerat, ſubitò è medio eſt ſublatus. Fuit ille annus ſalutis humanæ MCCCCLXXV. Ludouicus deinceps fideliter promiſſum uectigal Anglo pependit, uſq; ad initiū anni, quo ille eſt mortuus, id, opinor, tum ſoluere negauit, perinde quaſi futuræ ſortis ſciens. Vnde argumentum ſumere licet, à principio non inducias, ſed fœdus conueniſſe inter reges, quod ambobus cōmodo fuit. At Burgundio, & Lucemburgenſis ubi cognouerunt Edouardū feciſſe pacem cum Ludouico, uehementer indignati ad eum literas aculeatas, minaces, odioſásque dederunt, quòd per eum ſtetiſſet, cur minus Ludouicū ulti eſſent: quas tantū abfuit, ut ille qui poſt tot bellorū nexus, ſolùm ſeſe militaribus occupationib. tandem relaxare uel plenè exoluere cupiebat, curandas exiſtimauerit, ut ne flocci quidem fecerit. Atqui Lucemburgenſi in primis Edouardi alienatio, per quam cōiuratorū cōſilia patefacta fuerūt, malo fuit, qui paucis pòſt diebus captus, Lutetiæ ſecuri percuſſus eſt, ultimus apud Gallos Coneſtabilis, quē uocant.

Edouardus rex per hunc modum rebus tam militiæ quàm domi pacatis, quanq; tot bellorū uictor longè beatiſsimus habebat, qui in ſumma iam quiete ætatē tutò degere poſſet, tamē cùm Henricus adoleſcens Richemondię comes, reliquus unus ex ſanguine Henrici ſexti ſuperſtes eſſet, multum ſibi abeſſe, ac eam ſolam rem uſq; eò ſuam felicitatem turbare iudicabat, ut in metu quaſi perpetuo eſſet: quare decreuit iterum ſolicitare Franciſcum ducem Britannię largitionibus, promiſsis, precibus, ad illum ſibi prodendum, quē ſperabat poſt extinctā propè Henrici ſexti ab ſe factionē, facilius eſſe ſuis ſatisfacturū optatis: itaq; legatos grandi auri pōdere onuſtos quā primū ad ducem mittit, & ut poſtulatio honeſtior uideat, iubet eos declarare duci, ſe ideo Hēricū petere, ut ſibi affinitate cōiungat, atq; ita funditus reliquiæ factionis aduerſæ euellant: quanquā illud nō per affinitatē, etſi poſtea cōſecuta eſt, ſic, ut rex diuinaſſe uiſus ſit, ſed atq; adeò per necē Henrici efficiendū erat. Audiuit legatos dux humaniter, et primò negare, ac multa excuſare cœpit, quamobrē id facere ſibi nō liceret: ad extremū cùm precib. defatigatus, tū pretio uictus, Henricū legatis tradidit, quē per literas magnopere Edouardo ſimul cōmendauit, nequaquā ratus ſe cōmendare ouem lupo, ſed filium patri, quippe qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

credebat Edouardum daturum omnino Elizabeth maximã natu filiam Henrico in matrimoniũ. Legati tam desiderata præda potiti, magno cum gaudio ad Fanum Maclouij urbem maritimã pergunt, ut inde conscensa naui, in Angliam nauigent. Henricus qui sciebat se ad mortem trahi, ex mœrore animi, in itinere in febrem incidit. Interea Ioãnes Chenlettus inter Britãnicos princi pes talis, cuius paucos pares ea terra tulit, & duci maximè acceptus, ruri erat, ac ubi id factum resciuit, rei indignitate permotus, celeriter in aulam rediit, suoq; more, adiuit familiariter ad ducem, tacitusq; ac tristiculus stetit aliquan diu, sic, ut dux miratus eum tam deiectum gerere uultum, petiuerit, ecquid sibi uellet illa animi tristitia, quam præ se ferret. Ad ea Ioannes inquit: Dux illustris, iste pallor uultus nuntius mortis mihi est, quæ si ante hũc diem mihi accidisset, profectò minus multò nocuisset, quòd ad tantũ nõ fuissem seruatus dolorem, quem animo meo recens factũ tuum incredibilem inusit, qui haud dubiè me uitam siue statum amittere, siue perpetuò deinceps longè miserrimum uiuere coget. Tu enim dux famam uirtutis habes optimis actibus collectam, quam cuncti mortales uno ore ad cœlum ferũt: heu, hanc tamen ingentissimam (tua bona uenia dictum sit) minimè omnium conseruandam curare uideris, qui nuper immemor datæ fidei, Henricũ comitem Richemondiæ adolescentem innocentissimũ carnificibus tradidisti laniandũ, discruciandũ, ac deniq; necandum. Quocirca qui te amant, inter quos, ipse unus de multis sum, nõ possunt nõ dolere, cùm uideant celeberrimũ nomẽ tuum tantæ perfidiæ nota in perpetuum maculatum iri. Ad ea dux continuò respondit: Tace, queso, mi Ioannes, nil tale futurum est de Henrico, illum enim Edouardus rex sibi generum optat. Tum Ioannes subdit: Mihi crede, illustrissime dux, Henricus iam penè perijt, quem si semel tuis finibus pedem efferre permiseris, nemo mortalium posthac à nece eripere poterit. His Ioãnis uocibus dux motus, qui antea uel Hẽricũ ab Edouardo fraude peti, haud suspicatus erat, uel pecunia ab honestate, fide, probitate deductus, quid deceret, nõ considerauerat, ilicò Petrum Landosum quæstorem suum mittit, qui Henricũ intercipiat. Petrus celeritate usus, statim post Anglicos legatos ad Fanum Maclouij peruenit, simulatoq; negotio, dum eos longiore consultò sermone instituto detinebat, per suos Henricũ uix semiuiuũ in asylũ quod in ea urbe est inuiolatissimũ, bono modo induxit, atq; nõ multò pòst metu mortis liberatũ, ac ob id iam satis confirmatũ, ad ducem reduxit. Hinc equidem cognoscere licet, uerissimã esse illam græcam parœmiam: Homo homini deus. Siquidem Henricus adolescens suo immerito ad mortem proditus, repentè opera Ioannis Chenletti optimi principis seruatus est. Dij faxint, ut talia exempla documento sint illis, qui alijs præsunt, si qui sint officij monitoris egentes, quò addiscant tandem aliquando, & recipere in suam familiam, in suum consilium, qui sciant bene admonere, & eorum monita non aspernari. At legatis Anglicis sic pretio & merce spoliatis, ac ob id maximè querẽtibus, ut ne penitus ua cui domũ redirent, Petrus pollicitus est se daturum operam, ut Henricus aut retineretur in asylo, in quod per eorum incuriam aiebat eum se recepisse, aut apud ducem in carcerem rursus conijceretur, adeò ut pertimescendus non esset. Atq; Anglus tanti de Britanno emit inimici custodiam tridui.

Edouardus rex qui interea scire cupiebat, quid cum duce actum esset, et id circo

circo singularum horarum expectatione torquebatur, cùm per legatos intellexerit, nihil propius factum fuisse, quàm ut Henricus ad se captiuus duceretur, plurimũ doluit negotium nõ successisse, sed lenitus, quòd audiuisset eum custodiri, rem deinceps familiarem, quæ admodum angusta erat, reliquis curis præuertendam censuit: itaq; aliquantũ suis accuratè seruiuit cõmodis, sed honestatis memor, postquam satis ærarium numis impleuerat, ut ne in auaritiæ crimen incurreret, iam se per liberalitatem, bonum atq; utilem Reipublicæ principem præbebat, cùm ecce tibi, in immanissimum incidit facinus, Georgium enim fratrem ducem Clarentiæ comprehendi subitò iussit, atq; necari: extinctus est, ut aiunt, in dolio uini Cretici, pessimo in omni memoria hominum exemplo. Causam autem necis licet ipse de multis qui id temporis inter consiliarios regis, nõ mediocris autoritatis fuerant, quæsierim, nullam tamen certam habeo tradere. Fama in uulgus iam tum exijt, regem territum uaticinatione hominis fatidici, contra Georgiũ fratrẽ uenisse, qui prædixisset ita futurum, ut post Edouardum, regnaret unus aliquis, cuius nominis prima litera esset G. Quod quia sic solent dæmones suis præstigijs hominum mentes implicare, qui eiusmodi illusionibus delectantur, dixerũt postea uaticinationem illam non caruisse successu, cùm post Edouardum, Glocestrensis dux regnum occuparit. Alij uerò aliam ferunt necis causam, quæ eiusmodi est: Per id enim tempus glisscente ueteri odio inter fratres, quo nihil est uehementius dux amissa uxore, per operam Margaritæ sororis petebat sibi nuptum dari Mariam unicam filiam Caroli ducis Burgundiæ. Edouardus inuidens fratris felicitati, eam affinitatem impediuit. Inde redintegrata simultate, quidam ducis administer eodẽ tempore ueneficij damnatus afficitur supplicio. Contra id factum cùm dux non potuisset se tenere, quin uehementer reclamaret, rex ob eam querimoniam ualde cõmotus, ducem in carcerem detrusit, ac nõ multò pòst iure siue iniuria, maiestatis damnatum morte affecit. At mox Edouardum eiusmodi facti pœnituisse certũ est argumentũ, quòd ferunt, si quando pro cuiuspiam damnati uita oraretur, solitum esse inclamare, O infelicem fratrem, pro cuius salute nemo homo rogauit: manifestè innuentẽ illum principum inuidia interijsse. Reliquit dux binos liberos, Margaritam, quæ postea nupsit Ricardo Polo, & Edouardum, quem rex Varuici comitem fecit. Hæc eo anno gesta sunt, qui fuit salutis humanæ MCCCCLXXX, & XIX, cùm rex Edouardus regnare cœpit. Ita deposita bellorum et domesticarũ seditionum quæ accidere antea potuissent, omni cura, rex seuerius solito nobilium crimina notare, & auidius pecuniæ cõciliandæ studiũ habere cœpit, propter quod multi persuasum sibi habebant, illum deinceps euasurum durum principem, cùm post mortem fratris, se à cunctis timeri animaduerteret, & ipse iam timeret neminem. Sed per breuitatem uitæ id fieri non licuit. Ac res interdum secundæ tam malo sunt potientibus, quàm aduersæ patientibus bono.

Sub idem tẽpus Iacobus rex Scotiæ egit per legatos cum Edouardo, ut Ceciliam filiam collocaret Iacobo filio, quam ille iuueni libẽs despondit. Hæc erat ætate minor Elizabeth, quam suprà dixi Carolo Ludouici regis Galliæ filio iam pridem desponsam fuisse. Verùm nec una, nec altera consecuta est affinitas, cùm bona principũ pars soleat sæpenumero magis id quod in rem suam præsentẽ esse uidet, q̃s quod honestum sit, postremò sequi: nam Ludouicus

Universidad de Deusto
Biblioteca

rex postq̃ hostili metu liberatus est, non affinitatem modò cum Edouardo iam fide firmatam spreuit, sed promissam pecuniam pendere propè palàm negare cœpit, qui ita tergiuersando, unius iam anni uectigali Anglum omnino fraudarat, cùm eam ille iniuriam armis uindicandam sibi constituit. At Scotus certus ac perpetuus Francorum socius, ubi audiuit Ludouicum non stare promissis, sibi etiam licere quod libebat, arbitratus, fractis inducijs, Anglicos fines repentina incursione uexauit. Quare Edouardus ualde cõmotus, statuit illi bellum facere: postea tamen cùm Iacobus illud factum non suo consilio, sed quorundam suorum insolentia excusarit, leniri facilè potuit, nisi ad ultimũ à fratre ipsius Iacobi ad id bellum sumendum solicitatus fuisset. Porrò Iacobus homo acris ingenij, suo ipsius ultrà q̃ par erat, & consilio semel capto, & sensu confidens, non facilè bene admonentes audiebat, & cum nollet reprehendi, homines nouos ad cõsilia capienda adhibebat, ita nobilibus infestus quotidie alios criminando, alios mulctando cogebat, aut sua sponte in exiliũ ire, aut simulatis negotijs, aliquò terrarũ fuga petere. In ijs fuit Alexander dux Albaniæ eius frater, qui cùm in Gallias iter haberet, apud Edouardũ moratus, nõ cessabat eum ad suũ decus maturè ulciscendũ incendere, eiusq̃ desideriũ augere. Igit̃ cùm Edouardus in animo haberet, ut dictũ est, uindicare recentẽ iniuriã, & incitaret̃ à duce arma in Iacobũ mouere, et ille simul magna auxilia polliceret̃, istud tandẽ non grauatè faciendũ censuit, tum quòd Iacobus præter uiolatas nuper inducias, opportuna ministrasset Henrico sexto, ac eius factionis uiris auxilia, tum uerò quòd confideret ducẽ sibi fore fidelẽ, si sua opera, expulso fratre, Scotiæ regno potiretur: itaq̃ Ricardũ fratrẽ ducem Gloecstrensem, Henricũ quartũ comitẽ Northumbriæ, Thomam Stanleiũ, & ipsum Albaniæ ducem cum ualido exercitu, aduersus Scotos protinus mittit. Iacobus interea certior factus de Anglorum aduentu, copias quas in præsentia scribere potuit, subitò instruxit, ac obuiam hostibus factus, usq̃ Beruicum, ad tuendos fines accessit: uerùm ubi cognouit Anglos & armatorum robore & numero præstare, militemq̃ suum non satis sibi fidum esse persensit, de media se nocte mouens, Edimburgum rediit, ibi hostẽ expectaturus. Dux Gloecstrensis Scotiam ingressus, agros latè uastabat, urebat, ac longius procedẽdo, haud procul ab hostium castris erat, cùm animaduertens nullum ex gente Scotica ad ipsum Albaniæ ducem confluere, non iniuria fraudẽ suspicatus est, qui idcirco cum Iacobo rege inducias fecit, atq̃ recta uia Beruicum contendit, quod interim Thomas Stanleius non sine suorum cæde expugnarat. Iacobus autem qui suos Scotos sibi infestos habebat, eam iniuriam capti oppidi post factas inducias, necessariò deuorauit. Dux Albaniæ postea dolẽs fuisse se autorem belli, quo & patriæ & sibi nocuerat, cum iam apud Anglos nullo haberetur numero, in Gallias proficiscitur, atq̃ non multò pòst Lutetiæ equestri certamine interficitur. Reliquit filium nomine Ioannem.

Hoc feliciter expedito negotio, alterum quod instabat bellum rex Edouardus sibi primo quoq̃ tempore gerendum statuens, concilium conuocat, atq̃ ratus præ iniuria præsenti à Francis facta, præteritas omnes pro nihilo existimandas, principibus commemorat, ab illis fœdus nuper uiolatum, uectigal negatum, nuptias filiæ repudiatas, ac propterea hortatur, ut uelint patriæ decus

cus maturè defendere. Quibus rebus omnes æquè permoti, respõdẽt sese nõ ingnorare optatissimũ esse, cum Francis dimicare, quos sæpe uicissent, & pro dignitate patriæ nullum non ferendũ laborẽ, & idcirco paratos armis tantas offensas persequi, eiusq̃ dictis audiẽtes esse. Cognita principũ uolũtate, seorsum etiã sacerdotibus, quòd eis arma ferre per leges minimè licitũ sit, pecunia in bellũ gerendũ insumenda imperat̃. Sed ecce, dũ de his rebus curã & cogitationẽ suscipit Edouardus, repentè incipit ex morbo omnibus medicis incognito laborare: quare sentiẽs se ad exitũ uitæ uocari, primũ more Christiano, reconciliauit se Deo, quẽ putabat peccãdo sæpe offendisse, ut extincto corpore, anima per illius diuinã gratiã, ad eundẽ remearet, deinde fecit testamentũ, filios hæredes scripsit, quos Ricardo fratri suo Gloecstriæ duci in tutelã tradidit, ac multa bona piè distribuit: ita paucis pòst diebus quinto Idus Aprilis, ad Vuestmonasteriũ, ubi loci cõuentus fiebat, excedit è uita, annũ agẽs ætatis circiter quinquagesimũ, q̃ fuit XXIII cùm regnare cœpit, salutis uerò humanæ MCCCCLXXXIII. Corpus ad Vindesoriũ Castrũ funerali põpa deportatũ, in tẽplo diui Georgij ad sepulturã dat̃. Suscepit ex Elizabeth uxore filios decem, reliquit superstites septẽ, mares duos, Edouardũ principẽ Vuallię, & Ricardũ ducẽ Eboracẽsem, ac tertiũ ex concubina, nomine Arthurũ, natũ ad probitatẽ & gratiã: fœminas quinq̃, Elizabeth, Ceciliã, Annã, Catharinã, & Brigidã, quarũ aliæ alijs uiris nupserũt, præter Brigidã, quæ monacha facta est. Fuit Edouardus corpore procero, ac eminenti, quippe qui inter omnes excelleret statura, honesta facie, lætis oculis, patenti pectore, cætera ad pedes usq̃, modulo corporis æqualia, ingenio acri, animo magno, memoria tenacissima eorũ, quæ semel imbibissent, in rebus gerẽdis solers, prõptus in periculis, in hostes uehemens, ac horribilis, in amicos et hospites munificus, in bellis gerẽdis lõgè felicissimus, libidini indulgẽs, in quã suapte natura propẽsus erat, cuius pariter rei atq̃ humanitatis quæ plurima ei innata erat, causa, sæpissimè inter priuatos, ultrà q̃ maiestatis honos posceret, sese familiarem præbebat, quapropter percrebuit rumor illum interisse ueneno. Paulò ante exitũ uitæ, suprà diximus eũ cœpisse sensim in auaritiã labi, olim summa in omnes semper liberalitate usum. Cæterũ regnũ quod propter bella ciuilia populatum, ac tam uiris militaribus, q̃ opibus penè exinanitũ acceperat, rebus omnibus post sedatas ciuiles discordias, multò opulentissimũ reliquit. Honores præsertim sacerdotales præclarissimis quibusq̃ uiris deferendos semper curauit, eosq̃ in primis ad consilium adhibuit: reliquos uerò quos ex uulgo dilexit, opibus honestauit, nõ dignitate, id quod multi principes nulla habita honoris ratione, minimè faciũt: quibus uirtutibus ita populorum suorum animos sibi deuinxerat, ut magnũ apud eos sui desiderium mortuus reliquerit.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXV.

RICARDVS dux Gloecstriæ per eos illos dies, quibus rex Edouardus eius frater excesit è uita, in agro Eboracẽsi erat, ad quẽ Gulielmus Hastyngius regij cubiculi præpositus, certos nũtios cũ literis Londino datis, celeriter mittit, qui eum de morte fratris certiorẽ faciant, suisq̃ uerbis significẽt, regẽ morientem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ei soli uxorẽ, filios, opes, et deniq; omnia cõmisisse, propterea hortentẽ, ut quã primũ uelit ire ad Edouardũ principẽ in Vualliã, & cũ eo Londinũ uenire, ad rerũ omniũ curã suscipiendã. Hæc ubi Ricardus intellexit, cœpit statim incẽdi cupiditate regnãdi: sed quia nulla existebat causa, quę saltẽ specie conficiẽdi negotij honesta uideretur, eam in pręsens cogitationẽ in aliud tempus reiecit, interim dat ad Elizabeth reginam literas benevolentiæ plenas, quibus eã multis uerbis consolatus, maria & montes, ut dicitur, de se pollicetur, ac ut fidem studij sui & charitatis erga filios fratris maiorem faciat, conuocatis undique nobilibus Eboracum, ibi cunctos in uerba Edouardi principis iurare iubet, & ipse primus omniũ dat iusiurandum, quod paulò pòst ante alios uiolaturus erat, ita reliqui omnes conceptis uerbis iurati sunt. His actis, ille nõ mediocri collecta armatorum manu, suo tempore ad proficiscendũ se parat. Princeps uerò Edouardus id ætatis puer, cui pro suo iure uiuere non licebat, agebat per idem quoq; tempus in principatu suo ad Ludlollium, sub tutela Antonij comitis Riuerij auunculi, Thomæ Vuagham cubiculi præpositi, ac Ricardi Graij equitum. Hos Elizabeth regina, ac Thomas marchio Dorcestriæ eius filius ex Ioãne Graio priore uiro, qui Londini erat, crebris nuntijs admonent, ut confestim principem Londinum deducant, quò patris funere facto, rex more maiorum creetur. Illi reginę & marchionis imperata facientes, haud multò pòst iter Londinũ uersus intendũt. Approperabat et Ricardus Londinũ, cui ad Northantonũ obuiã fuit Hẽricus dux Buchyngamiæ, cum quo bene longũ habuit sermonẽ, adeò ut ipsum iam tum ei suum consiliũ occupãdi regni aperuisse, apud uulgus creditũ sit, cùm præsertim dux postea obsecundando, siue metu, siue obsequio, cũ eo steterit. Itaq; Ricardus ex illo, destinatũ animo facinus sibi artificio tentandũ, ac si minus q̃ sperabat, cõmodè caderet, tum demũ uoluntate nõ occulta obeundũ statuit, cui nempe infelici non ueniebat in mentẽ, se peccare sine summo Reipublicæ detrimento, atque suæ domus interitu, nõ posse. Sanè sic conscelleratis hominibus accidit, ut sua illũ fraus, suũ facinus, suũ scelus, sua perdita audacia, de sanitate ac mẽte deturbet, qui alteri periculũ intendit. Ita capto cõsilio, Ricardus ad principẽ conuolat, qui præcedebat cum paruo comitatu, iamq; Stonyngstratfordiã (est id pagi nomẽ) peruenerat, cùm ille unà cũ Hẽrico duce, militũ caterua stipatus, eum assecutus in potestatem recepit, Antoniũ uerò & Thomam Vuagham cum nonnullis alijs cõprehendit, comprehensosq;, quia suis consilijs minus assensuros esse suspicabatur, retrò ad arcem Pontifractensem custodiendos misit.

At ubi fama tam importunæ horriferæq; rei Londinum peruenit, cùm admiratio, tum pauor omnes occupauit, sed in primis exanimauit Elizabeth reginam, quæ in fuga subitò fuit: nam iam tum nihil synceri esse rata, cum reliquis filijs, ut eos à præsenti periculo eriperet, & marchione, in asylũ ad Vuestmonasteriũ se abdidit. Fecerunt illud idem principes, qui cum ea salutis filiorum causa sentiebant. Hastyngius autem qui secretas gerebat inimicitias cum marchione, ac alijs, qui reginæ partium erant, & ob eam rem hortatus erat Ricardum ad suscipiendã curam principis, cùm uidisset omnia iam spectare ad arma, & multò secus cadere ac putarat, facti sui pœnitens, ad ædem diui Pauli amicos quibus magnæ curæ uitam, dignitatẽ, amplitudinẽ Edouardi principis esse sciebat, in unum cõuocat, atq; quid agendũ, sit, cum eis disputat. Hîc non-

nõnulli quos recens Ricardi factum maximè pupugerat, maturè Edouardũ principẽ quem iamiam pro oppresso habebant, in libertatẽ asserendũ iudicabant, quò oriens incendiũ prius restingueretur, q̃ latius manaret, affirmãtes nullum posthac cõsilium à periculo uacuũ fore, nisi nefarium incœptũ quod testificabat in Ricardi animo nihil boni insidere, subita ui auertereẽ. Reliqui omnes nil esse sentiebant, quod armis uel ui uterentur, ut qui rem haudquaq; dirũ aliquem exitũ habituram suspicabantur. Quamobrẽ placuit expectare, dũ Ricardus ueniret, declararetq;, quid esset, cur tutores in uincula coniecisset. Et hoc demum cunctis probatũ est consilium, quod è Republica esse cõstaret, ut unusquisq; principum, quatenus liceret, à contentione abesset. Adfuerunt non multò pòst Ricardus & Henricus duces, cum principe, diuerteruntq; ad ædes episcopi Londinensis, quæ sunt iuxta templũ diui Pauli, ubi principem usq; eò esse uoluerunt, dum cætera expedirentur.

Tum Ricardus rerum omniũ procurationem suscepit, sed maximo cœpit angi dolore, quòd sine tumultu nõ liceret sibi alterũ fratris filium Ricardum ducem Eboracensem in suam tutelam recipere, quem mater in asylo seruabat: nam nisi ambos fratres simul in sua potestate haberet, omnino desperabat se efficere posse, quod curabat: in eũ idcirco de sinu matris eripiẽdũ spe et mẽte oculos defixit, itaq; quod per uim nõ poterat, per artes, ut statuerat, perficere nititur, qui uocata ad se bona principũ parte, Ne uinam, inquit, si nepotũ cõmodis non seruio, quandò eorum calamitatẽ cum Republica iuxtà atq; mecum coniunctam scio. Igitur postquàm Edouardus frater rex noster nuper moriẽs me regni gubernatorem constituit, nihil mihi prius fuit, quàm ut huc uenirem, ducerem q; mecum Edouardum principem eius filium maiorem natu, ut maturè omnia de consilij sententia gererentur: quia mihi decretum est, nihil sine uestra autoritate agere, quos socios, adiutores, participes rerũ omnium gerendarum mihi esse uolo, ut uestro testimonio facilè dicar, quicquid posthac in administratione regni egero, totum illud fide optima cõtulisse ad utilitatem Reipublicæ, atq; cõmodum Edouardi principis, cuius curam atq; tutelam ea duntaxat de causa, patrem eius mihi credidisse, uobis exploratum esse existimamus. Verùm ut ne id munus obirem, prout debebã, Antonius Riuerius nuper impedimento fuit, quem propterea coacti fuimus in uincula cum alijs conijcere, qui simul obstiterunt, ut eorum exemplo alij addiscerent nostra mandata non habere contemptui. Sed ecquid dicemus de malo consilio ab illis qui me semper pessimè oderunt, dato Elizabeth reginę, quæ nulla iusta de causa, tam imprudenter metũ simulans, ausa est filios regis tanquam facinorosos, miseros, perditos, in asylum unicũ in terris perfugium egestatis, æris alieni, nequitiæ, rapere, perinde ac si nos iremus eos perditũ, & iam omnia spectarent ad uiolentiam. Quę res tametsi nobis & regno longè maximo dedecori est, tamen danda est uenia sexui, à quo eiusmodi furores facilè profluere solent. Nos autem huic morbo muliebri in Rempublicam nostrã pessimo utiq; exẽplo serpenti, primo quoq; die mederi debemus. Quale equidem putatis futurũ spectaculũ eius diei, quo nouus rex corona decorabitur, si dũ pompa peragetur, eius mater, frater, atq; sorores in asylo permanserint? Qualis populi concursus illuc fiet, cuius autoritate rex creandus est, quos ille suo principi plausus tristitiæ potius quàm lætitiæ plenos dabit? Profectò nemo

Universidad de Deusto
Biblioteca

est quisquam unus ē populo, qui non iure sibi timere debeat, putetq; omnem iam legū maiestatē esse uiolatā, si regina ac filij in asylo diutius fuerint. Igitur collibeat, ut aliqui uestrûm ipsam reginā adeant, curentq; eam cum filijs quā primùm in regiam reducere, quæ si fortè ut deprauata ab inimicis qui in me inuidiam concitare, culpam deriuare studēt, de sentētia nulla potuerit ratione deduci, tum agant, ut saltem data publica fide, Ricardum alterum filium in uestram permittat potestatem, qui cum alijs principibus intersit, cùm frater rex creabitur. Iam animi mei sententiam habetis, nunc quod ex Republica esse ducitis, facite, qui à me omnia præclara expectare & potestis et debetis. His ab eo dictis, uisum est omnibus, qui nihil fraudis subesse suspicabantur, tam iustum, quàm honestum, quod Ricardus suadebat. Itaq; placuit, ut Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Henricus dux Buchyngamiæ, Ioannes Hauardus, ac plericq; alij uiri graues id negotij gererent: qui ad asylum profecti cœperunt multis cùm uerbis, tum rationibus reginā hortari, uti in regiam cum filijs rediret, cui tam priuatā quàm publicā fidem dederunt. Sed mulier quodammodo prouidens animo quod mox contigit, nullis potuit flecti rationibus, quò se Ricardi fidei committeret. Quod illi animaduertentes, postremò Ricardum eius filium tantummodo sibi tradi petiere, quod etiam ægrè post multas pollicitationes obtinuerunt. Ac ita innocens puer à complexu matris diuellitur.

Ricardus per hunc modū, id quod ei in optatis erat, propè consecutus, nepotes ex episcopi ædibus, ad turrim duxit: non attulit tamē ea res suspitionē cuipiā, quòd illinc põpa cùm rex corona redimiendus est, ad Vuestmonasteriū produci soleat. Quo facto, Ricardus cuius animus partim cupiditate occupādi regni ardebat, partim tanti sceleris edendi conscientia torquebaī (cõscientia autē facit, ut pœnā semper ante oculos uersari putent, qui peccarint) nihil prius postea habuit, quàm multitudinē largitionib⁹ lenire, aduersarios muneribus, prēmijs, promissis deuincire, deinde in turri ubi ipse cum nepotibus morabatur, noua quotidie de rebus quæ instabant agendis consilia subdolè ac astutè cum principibus inire, cõferre, capere. Hæc erat ars, ut dum populo expectatio faciebat nouæ pompæ desideriū, sensim consultando, explo raret principum uoluntates, simulans semper non se summam potestatem affectare, sed referre omnia ad regni utilitatem: ita cõmunis utilitatis nomine, aliquot dies suam cupiditatem tegendo, uelandoq;, adeò distraxit optimatū animos, ut illi omnes extra paucos, quos iā inde ab initio, quod esset acturus minimè celauerat, nullo pacto perspicerent, quare cunctaretur, quorsum'ue eius cõsilia essent euasura, tā multa toties proponebat, tam pauca explicabat, ut mens non conscia recti uacillare solet. Sed interim ubi animaduertit Gulielmum Hastyngium maximè omnium instare, urgereq;, ut Edouardo principi debitus tandem honor deferretur, qui unus inter omnes heroës, ut gratiosus & liberalis plebi multum acceptus erat, plurimumq; apud omnium ordinum uiros, honestosq; homines autoritatis habebat, siue eius potentiam ueritus, siue desperans posse eum in sententiam suam trahere, statuit hominem prius de medio tollere, quàm reliquis quibus nondum planè cõfidebat, suū consilium patefieret: quare furore incredibili ardens efficiendi quod destinarat, insidias eiusmodi ei facit. In cubiculo proximo illi in quo cum principibus

bus conuētum frequentem agebat, clàm nonnullos manu promptos collocat, mandatq; eis, ut accepto signo, repentè prodeuntes circumueniant omnes qui secū consederint, & in primis manus inijciant Gulielmo Hastyngio, atq; ilicò obtruncēt. Sic composito dolo, circiter pridie Idus Iunij accersiri iubet in turrim speciatim Thomam Rotheramum archiepiscopum Eboracensem, Ioannem Mortonum Elyensem episcopum, Henricum ducem Buchyngamiæ, Thomam Stanleium, Gulielmū Hastyngium, Ioannem Hauardum, complures q; alios, quos aut metu uel beneficio sibi fideles fore cõfidebat, reliquos uerò optimates cum Ioāne Russello Lincolniensi episcopo Angliæ cancellario, quos nolebat in tam diro fœdoq; interesse spectaculo, iussit illo ipso die esse in curia ad Vuestmonasteriū cum magistratibus, ut simul edicerent populo diem, quo Edouardus princeps regio esset honestandus honore. At principes uocati bene mane conueniūt omnes in turrim frequētes, tanquam de toto negotio deliberaturi. Hîc clausis foribus, soli quasi teste tantùm Deo, dum inter se de rebus grauioribus agere uolunt, Ricardus qui nihil nisi atrox & sæuum cogitabat, sic eos alloquitur: Vos huc hodierno die principes arcessendos ea duntaxat de causa curaui, ut uobis ostenderem, in quāto mortis periculo uersēr: ego enim abhinc paucos dies, neque noctu, neq; interdiu quiescere, neq; bibere, aut cibum capere queo, quare sensim me sanguis, me uires, me spiritus deficit, supráque modum omnia iam membra, ut uidetis (brachiū enim ostendebat) exiliora fiunt: quod utiq; malum in me proficiscitur ab illa malefica muliere Elizabeth regina, quę suis ueneficijs me infecit, quibus lęsus paulatim dissoluor. His dictis ut parū ad rem facientibus, cùm nemo responsum daret, Gulielmus Hastyngius qui Ricardum nō oderat, ac liberè omnia cum eo loqui solebat, respondit, reginam esse magna pariter infamiæ nota atq; pœna dignam, si magicis artibus usam ei nocuisse constaret. Ad ea Ricardus subdit: Ego, inquam, huiusce mulieris ueneficijs pereo. Cui Gulielmus idem quod antea respondit. Tum Ricardus ut signum daret illis inuadendi, qui in insidijs erant, clariore uoce inquit: Quid igitur Gulielme, sic tuis rationibus ducar ad interitum? Vix ea fatus erat, cùm illi quibus datum erat negotium prodiere, ac facto undique impetu, comprehenderunt ipsum Gulielmum, utrunq; antistitem, Eboracensem & Elyensem ac Stanleium. Isti tres diuersi in carcerem ibidē conijciuntur: Gulielmo uerò uix dato confitendi peccata spatio, caput ceruicibus abscinditur. Ita Hastyngius suo ad extremum periculo didicit, illam naturæ legem secundum euangelicum uerbum, Omnia quæ uultis, ut uobis faciant homines, sic & uos facite illis, impunè uiolari nō posse. Is unus fuit ex percussoribus Edouardi principis sexti Henrici filij, qui demum pari est affectus cæde. Vtinam eiusmodi exempla essent tandem aliquādo documento ijs, qui quod lubet, id sibi licere putant. Nunc ad rem redeo. Quo facto, per totam turrim est exclamatum, Proditio, proditio. Quæ uox ubi per urbem peruasit, ciues et uniuersus populus pro ueris ea primò dicta accipientes, simul ignari quæ intus gesta essent, eandem uocem geminare cœperūt: postea uerò cīs rem, prout gesta erat, rumoribus terrificis dissipatis intellexerunt, tum pro se quisq; à domesticis hostibus sibi timere, fœdissimāque mortem, aut miserabilem fugam cogitare cœpit, cuncto generatim populo gemēte, ob extinctū hominē, in quo cùm ipse, tum optimates qui Edouar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

di filios amabant, spes suas positas haberent. Neque illos præteribat, nemini iam Ricardū esse parsurum, quò sibi regnum obtineret, regnicq; autoritatem in tyrannidem uerteret. Ricardus post hęc, contentus cęde Gulielmi Hastyngij, Thomam Stanleium dimisit incolumem, ueritus ne si eum iniuria affecisset, Georgius regulus Strangius eius filius aliquem in se populi tumultū usciam non concitaret. Ioannem Mortonum Elyensem episcopum qui facilè omnes prudentia ac grauitate antecedebat, custodiendū tradidit duci Buchyngamiæ, quem dux protinus misit in Vualliam ad arcem suam, quæ ad Brecho notum oppidum est: Thomam uerò Rotheramum Eboracensem archiepiscopum commisit custodiæ Iacobo Terello equiti. Voluit eos antistites quibus haudquaquam sua consilia probatum iri putabat, eatenus in custodia retineri, quoad rerum potitus neminem timeret.

Quibus rebus actis Ricardus iā certò sciens nihil esse, quod amplius dissimularet, per literas mandat præfecto arcis Pontifractensis, ut Antonium Riuerium, Ricardum Graium, ac Thomam Vuagham securi quamprimū percutiat, id quod breui pòst factum est. Interim ipse Londini iam omnia pertimescens, primum omnium sese armatorum caterua stipat, deinde maximos quosque ex nobilibus uiros largiendo atq; pollicendo sibi conciliādos summa ope curat, quorum bonam partem magis terrore quàm spe beneficiorū adductam, in suam traxit amicitiam: mox eorum potētia fultus, aliam sibi aggrediendam uiam statuit. Siquidem desperabat posse se plebem ita muneribus uincire, ut illa æquo animo suum ferret imperiū, quā non ignorabat libertatis tuendæ, ac conseruandi iura regni causa, facilè ad arma concitari, idcirco eam timebat: cui proinde multa cogitanti res postremò in mētem uenit, qua ipsa plebs specie quadā honestatis decepta minus abhorreret ea, quæ ipse esset acturus. Itaque homo regnandi auiditate cæcus, quem nulla iam turpitudo retardare poterat, postq; sanguini suæ domus minimè parcere constituerat, etiā honori nō parcendū ratus, rem eiusmodi excogitat & cōminiscit. Sermonem habet secretum cum Rodulpho Shao theologo id temporis magni apud populū nominis, eiq; exponit hæreditatem paternā iure sibi uenire, ut ætate maiori omnibus filijs, quos Ricardus pater dux Eboracensis ex Cecilia uxore suscepisset, cùm satis cōstaret Edouardum qui antè regnauerat, nothū fuisse, id est, nō ex iusta legitimaq; uxore natū, idq; per argumenta nō ignota, & rogat, ut uelit de Paulino suggesto, de ea re concionando, populū docere, quò ille tandē aliquādo suū uerū agnoscat principē: ac illud ait se magnopere petere, quòd existimet præstare, ut potius matris posthabeat decus ac honestatem, cq; patiatur tali regum stirpe tam nobile regnū diutius turpificari. Rodulphus siue metu perculsus, siue amentia arreptus, recipit se ei morem gesturum. Atqui ubi dies adfuit, Ricardus qui nomine aliena fungendi uice, suas opes iam firmauerat, stipatus agmine armatorū, more regio, ad templū diui Pauli uenit, ibiq; cōcioni arrectis auribus interest, quo audiente, Rodulphus uir doctus dedita opera, nactus occasionē loquēdi nō de re diuina, sed de tragica, cœpit multis rationibus docere Edouardū nō fuisse à Ricardo Eboracē-si duce creatū, sed ex quodā alio, qui matris notitiā furtim habuisset, & id certis argumentis dilucere, quòd Edouardus neq; effigie, neque corporis forma Ricardo patri similis fuisset, cùm ille statura magnus, hic pusillus, ille facie amp-

pla, hic breui & compacta esset: sed neminem hominem posse dubitare, si talia bene considerentur, quin Ricardus foret uerus ducis filius, qui iure regnū patri debitū possidere deberet, & proinde hortari principes, cùm in præsentia rege carerent, uellent Ricardū ueram regiā prolem regē facere, repudiatis alijs, qui turpi essent genere orti. Hæc ubi populus audiuit, mirabilem in modum ei in uisceribus hæserūt, quippe qui rei indignitate permotus omnibus precibus execratus est cōcionatoris pariter temeritatē, audaciam, insulsitatē, atq; Ricardi nefarię mentis errorem, qui nō uideret quanta familiæ suæ, & totius regni esset turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, damnare in publico matrem pudicissimam fœminam adulterij, inurere optimo fratri de se bene merito perpetuā infamię notam, infligere innocentissimis nepotibus probrum æternū. Quapropter uno momento uidisses alios nouitate miraculoq; rei attonitos more amentium stare, alios flagitij atrocitate perterritos sibi timere, quòd regiorum puerorū amici essent, alios demum uicem ipsorum puerorum, de quibus iam actum esse iudicabant, dolere. At fama in uulgus est, filios Edouardi in ea cōcione nothos appellatos fuisse, nō Edouardum, quod omnino à ueritate uacuum est, quoniam Cecilia mater Edouardi, ut dictum est, adulterij falso insimulata, passim postea apud bene multos principes, quorum aliqui adhuc uiuunt, tantam iniuriam à Ricardo filio sibi factam questa est. Cæterū Ricardus ita matre ut adultera publicè uituperata, & Edouardo fratri ignominia aspersa, non pudore, uti debuerat, sed lætitia editæ in apertum rei, per quam curabat sibi regnum deberi, omnibus planū fieri, affectus, in turrim perinde quasi à patribus rex iam renuntiatus cum regio comitatu redijt. Verùm Rodulphum Shaum tantæ rei turpitudinis præconem, qui nō multò pòst ab amicis ob eius infamiam uerecundantibus grauiter castigatus ad sanitatem redijt, adeò facti sui pœnituit, ut mœrore animi breui consumptus, meritas suæ leuitatis pœnas dederit.

Iam per hęc, Ricardus & dominatū consecutus uidebat, & illud ubiq; q̄is metu magis q̄ hominū consensu prædicabat, cùm ipse timoris causa periculorum undiq; impendentiū, necessariò sibi contandū cōstituit, tametsi amici urgebāt, ut id quod latebat, erumperet, & quod reliquū erat, maturè perficeret, tamen ut ne factū suum facilè improbaret, uoluit etiā atq; etiam populū monitum, & rem omnē ad iudices referri, qui eam terminarent: Itaq; circiter XIII calendas Iunias, iussit iudices ac ciuitatis magistratus Robertum Bylles prætorem, & Thomam Norland, ac Gulielmum Martyn uicecomites cum senatoribus, in curiam ipsius prætoris frequentes cōuenire, ad eosq; misit ducem Buchyngamiæ, cum nonnullis alijs principibus, quos in consilio habebat, ut suam agerent causam, suisq; uerbis rogarent, ut illi auditis negotij peragendi rationibus, uellent id decernere, quod ad patrię, quod ad omnium salutē pertineret. Dux in primis longa oratione mādata Ricardi exposuit, & ex eius parte demonstrauit, pro causa aliud nihil nisi ius, nisi fidem, nisi constantiam, nisi honestatē, nisi æquitatē pugnare, cùm ille regnū sibi repeteret, quo antea per fratrē Edouardū fraudatus fuisset, & propterea uellent sua autoritate de tanto negotio agitare ac cōstituere, quò per fauorem populi qui eorū iudicio regeretur, ei liceret regnū suum tandem aliquando obtinere, quod Reipublicę cōmodo foret, cùm Ricardus ea prudentia & modestia esset, ut ab eo omnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

æqua cuncti sperare possent. Ea fuit ducis postulatio, simulq; sententia, contra quam, quia ius inter arma silet, nemo ire ausus est. At Ricardus perinde quasi territi iudices secundum eum iudicassent, postridie eius diei regali amictus uestitu, ac firmo armatorũ præsidio constipatus, ex turri per mediam urbem ad Vuestmonasterium progreditur, ibi in sede regia sedens, regem tum primũ se gerit, alia enim decernit, de alijs acturũ se nũtiat, magistratibus præcipit, ut omnia deinceps suo agant nomine, item diem præfinit, quo populus cũ principibus adsit paratus in ipsius uerba iurare. Hęc ubi per omnes partes regni fama diuulgauit, uariè accepta sunt: illi enim qui Edouardi ac eius Eboracensis domus partium erant, detestabantur Ricardi audaciam tanquam pestem, eam demũ familiam ad internecionem consumpturã. Contrà qui Henrici sexti regis fidem secuti erant, illa omnia sibi utilia fore iudicabant, quòd breui tempore ita usu ueniret, ut Ricardi regnũ nemini homini tolerabile esset, & principes illius funditus euellendi causa, antequã radices altius ageret, facilè sua officia conferrent in Henricum Richemondiæ comitem ipsius Henrici ex fratre nepotem, ad regnumq; euocarent. Ricardus interim haud secus ac eius uiolẽtia poscceret, ueritus est, ut ne quàm multi reginę amici essent, qui populum ad arma uocarẽt, cùm cernerent imperiũ præripi Edouardo principi: igitur primo quoq; tempore quinq; millia armatorũ ex Eboracensi agro (fidebat illis ante alios) collecta, duce Ricardo Rateclyffo ad se mitti iussit, præcepitq; nõnulla Ricardo in itinere curanda. Is ea multitudine uallatus ad Pontifractũ constitit, ibiq; iussit præfectũ arcis suppliciũ sumere de Anthonio Riuerio, Ricardo Graio, & Thoma Vuagham, sicut Gloccstrensis præceperat, quemadmodum suprà scripsi, ut ipso præsente, tam dirum facinus sine tumultu cõficeretur: quo facto, Londinum contendit. Ricardus ea fidelium hominum caterua munitus, cõfidenter ad cætera exequenda aggreditur: itaque coacto principum concilio, ad Vuestmonasterium pridie Nonarum Iulij, rex creatur, coronaq; honestatur, unà cum Anna uxore, populo magis ob metũ non repugnante, quàm approbante, dictusq; est Ricardus tertius. Fuit ille annus humanæ salutis MCCCCLXXXIIII.

Ita Ricardus iniussu populi, per potentiam uoluntate quorundam principum fauentium, contrà quàm ius fasq; esset, regni potitus est, qui non multò pòst rebus Londini ex sententia constitutis, Eboracum iter habet, rectaq; Gloccstriam proficiscitur. Dum hîc morabatur, ad singula temporis puncta ita scelerum conscientia mordebatur, ut perpetuò in timore esset, quem ut ab se omni modo depelleret, nepotes ad mortẽ ei constituti sunt, quòd illis saluis, sine periculo esse nullo pacto liceret: quocirca per literas Roberto Brachynburio præfecto turris Londinensis mandat, ut aliquo honesto modo nepotes ipsos quamprimùm necandos curet, atque inde Eboracum discedit, libentissimis animis à ciuibus acceptus, qui ob eius aduentum, aliquot dies gaudium publicè celebrarunt. Sed Ricardus ut copiam sui omnibus etiam ruri habitantibus faceret, plausus captandi cupidus, edixit diem, quo supplicationẽ archiepiscopus Eboracẽsis eius rogatu decreuit, in cuius pompa ipse cum regina redimitus corona incederet. Duxit secum Ricardus Edouardum comitem Varuici ex Georgio fratre duce Clarentiæ nepotem, per quem ut ne sibi aliquid periculi procrearetur, misit eum custodiendum ad arcem,

cem, quam uocant Schereshuton. Cæterum præfectus turris Londinensis, ubi regis horribile mandatũ accepit, rei atrocitate attonitus, ac ueritus si obdiret, ne sibi aliquando fraudi foret, illud nõ continuò cõfecit, sperans regem sanguini aut ætati parsurũ, uel triste consilium cõmutaturum. Veruntamen tantum abfuit, ut alterum sit consecutũ, cùm mens immota maneret, ut Ricardus statim atq; accepit præfectũ differre, quod præcepisset, alteri, id est, Iacobo Terello dederit negotium cædis maturandæ. Ille imperata facere compulsus, dolenter Londinũ proficiscitur, ac regios pueros exemplo in omni memoria propè inaudito, necauit. Ita Edouardus princeps cum Ricardo fratre interijt: sed quo genere mortis miselli pueri affecti fuerint, nõ planè liquet. Ricardus uerò per id factum cura & metu releuatus, non diu celauit cædem, sed paucis pòst diebus rumorẽ mortis puerorum in uulgus exire permisit, ut, sicuti credere par est, postquã populus cognouisset nullam iam ex Edouardo superstitẽ esse uirilem prolem, ipsius dominationẽ æquiore animo ferret. Verùm ubi eius insignis facinoris fama per regnũ peruasit, tantus generatim omnium animis inhæsit dolor, ut eo cunctũ iam metum uincente, passim lachrymarent, & post consumptas lachrymas gemerent, uociferantes: Ecquisquam certè omniũ est tam Dei, sacrorum, religionumq;, tam hominum hostis, qui à tanto occisionis scelere non abhorruisset? Sed speciatim amici reginæ & puerorum inclamabant: Quid hic faciet alijs, cùm suos crudeliter nullo eorum in se merito iugularit? pro certo habentes tyrannidem sæuissimam iam inuasisse Rempublicam. Sed matri puerorũ infelici quę adhuc in asylo erat, ille rumor instar mortis fuit: ut enim de nece filiorum cognouit, ad primum nuntiũ rei immanitate exterrita metu repẽtè corruit, iacuitq; exanimata aliquãdiu, pòst ad se reuersa flet, ululat, implet clamoribus ædes, percutit pectus, scindit comam, deniq; tanto uicta dolore, mortem sibi quoq; precatur, sua identidem charissima pignora uocans, seq; ipsam insaniæ condemnans, quòd alterum filium ex asylo insidiosis delusa promissis inimico ad necem tradidisset, quę secundum Deũ, & filios, se maximè omniũ uiolatam sentiebat: sed post longã lamentationem, cùm aliter ulcisci nequeat, Deum inuocat perfidiæ ultorem, quasi certum habẽs eum id aliquando facturum. Quotus est quisq;, qui si ad eiusmodi pueros indigna morte mactatos aspiciat, non terreat, cùm tale quid soleat interdum propter peccata maiorũ accidere, & illorum noxa ad posteritatem redundare? Illud fortasse istis duobus innocentibus pueris contigit, q; Edouardus eorum pater neglectę religionis crimen subijsset, per sanctissimũ iusiurandum, qui, ut superiore libro ostendimus, ad portas urbis Eboraci, aliud mente, aliud uerbis promissum fecit, ut illud ilicò diluxit, & postea per ducis Clarentię fratris necem, magna se suosq; pœna apud Deum obligasset.

Dum hæc alibi geruntur, iam supplicationum dies uenit, quo die Eboracum multi mortales conuenerant, studio noui regis uidendi. Tum in supplicationibus magno apparatu à sacerdotibus constitutis, rex insigni redimitus diademate interfuit, magna heroum comitante caterua. Sequebatur & regina coronam ferẽs, quæ manu ducebat Edouardum filium etiam coronatum, tanto ciuium honore, lætitia, gratulatione, ut Ricardum in cœlum plausibus ferrent. Peracta supplicationũ pompa, rex haud ita multò pòst concilium habuit, in quo posteaquã de statu illius prouinciæ maturè constitutũ est, filius

Universidad de Deusto
Biblioteca

regis unicus Edouardus annos natus circiter decẽ, princeps Vuallíæ, ac Ioannes Hauardus uir consilíj magni, & scientiæ in bello, dux Northfolchiæ, & eius filius Thomas florens & illustris adolescens, comes Surræ factus est. Item ex principũ eius regionis numero, augetur regius domesticus senatus, quòd Ricardus in illorum fide summam spem poneret, uti suprà demonstrauimus. Postremò quia nihil erat mali, nihil aduersi, quod mens regis tot delictis conscia non metueret, placuit prouidere, ne Henricus Richemondiæ comes ab inimicis studio turbandi omnia in Angliam reuocaretur. Itaq; Thomas Hutonus uir solers ad ducem Britanniæ legatus designatur, qui summa orationis & pecuniæ ui ageret, ut dux in perpetua saltem custodia comitem retineret, prout rogatu Edouardi eius fratris hactenus fecisset, qui protinus in Britanniam transmisit. Quibus actis rebus, rex Londinum reuertitur, cui tota ciuitas officij causa, obuiam prodijt. Ita Ricardus nouo quodam genere immanitatis in summã gloriã uenerat, uulgíq; admiratione beatus dicebatur, cùm aliquãto pòst de suo statu paulatim se demigrare sensit, nec in eo se ullo consilio retinere potuit: enimuero post necem filiorũ Edouardi, quoties aliqua nõ bona tẽpestas in præsens tempus, aut in posterũ impendêre apparebat, subitò populus ex recenti facinorũ regis memoria, eam soli Ricardo assignabat, uociferans Deum expiare in miseros Anglos scelera regis, quẽ idcirco criminabatur, detestabatur, ac deniq; ad summũ uocabat supplicium. Cùm ita Ricardus male ab omnibus audiret, & quamuis non eum fugeret, à quibus illæ uoces in primis emitterẽtur, nec tamen auderet manu uindicare iniuriã, ratus errantis esse, interdum monitorẽ officij non repudiare, incidit rursus ex tanta felicitate, in timorem animíq; tristitiam, & quia præterita corrigere non poterat, statuit infamię notam nomini suo inustam omnibus officijs delendam, ac de se talem spem faciendã, ut deinceps nulla amplius calamitas sua culpa, reipublicæ accidere putaretur: quanquam difficile est mutare animum, & quod moribus insitũ sit, subitò euellere: itaq; siue ob eam causam, siue quia, ut tunc uulgi opinio ferebat, malorum actuum iam pœnitebat, cœpit deinde alterius uitę quoddam initium ordiri, nomenq; boni uiri prætendere, quò iustior, mitior, popularior, ac liberalior præsertim aduersus inopes haberetur, atque sic primùm apud Deum, ueniam cõmissorum mereretur, deinde apud homines inuidiam leuaret, ac se in gratia poneret. Inchoauit multa opera tam publica quàm priuata, quę immatura morte præreptus nõ perfecit. Instituit Eboraci collegium centum sacerdotũ. Item eius aures amicorũ bonis monitis iam patêre incipiebãt, cùm statim pòst satis luculenter apparuit, timorẽ qui rarò est diuturni magister officij, non iustitiã, fecisse ad punctũ temporis Ricardum meliorem, quandoquidem hominis bonitas quæ fucosa erat, citò refrixit. Ex quo eius cuncta consilia ad nihilum subitò cadere cœperunt: nam Edouardũ filium unicũ primò amisit, tertio pòst mense, quàm princeps Vuallíæ factus fuerat, deinde autore Henrico duce Buchyngamię, facta est cõtra eum cõiuratio, quã etsi prius quàm coalesceret, indicio detectam cõprimere conatus est.

Quoniã aũt ad hunc locũ peruenimus, opus est altius repetere quædã perappositè, quibus explicare possimus initiũ ortæ discordię inter regẽ & ducẽ. Humfredus enim olim comes Herefordiæ, de cuius interitu suprà libro decimooctauo meminimus, duas ex se genitas reliquit filias, easq; fecit heredes, hoc

hoc est, Mariam, quæ nupsit Henrico comiti Derbiensi filio maiori natu Ioannis ducis Lancastriæ, qui postea adeptus regnũ quartus Henricus dictus est: & Aleonoram, quam in matrimoniũ duxit Thomas Vodestochus dux Glocestrię, & comes Buchyngamię. Ex Thoma & Aleonora una filia nomine Anna orta superstes sola fuit, cui publicatis bonis patris à Ricardo secũdo rege, qui ducem morte affecit, dos Aleonoræ matris iure hæreditario uenit. Hæc primo despõsa est Thomæ Staffordio, sed illo prius cẽ puellã deduceret, uita priuato, deinde locata fuit Edmundo ipsius Thomę fratri comiti Staffordię. Is creat Humfredum ducem Buchyngamiæ, & Humfredus Henricũ. Atq; ita per Annæ & Mariæ nuptias, diuisa est hæreditas comitis Herefordię, ac pars una familiæ Lancastriæ, & altera uenit genti Staffordiensi, unde duces Buchyngamiæ originem ducunt. Post aliquot autem annos, omne genus Henrici quarti regis defecit in Edouardo principe filio Henrici sexti, qua extincta domo, Hẽricus Buchyngamiæ iure sibi optimo putauit repetendã illam partem patrimonij comitis Herefordensis, quæ nomine dotis Mariæ, familiæ Lancastriæ uenisset, quam tunc Ricardus rex iure regio cum reliquis gentis Lancastriæ bonis possidebat. Igitur dux paucis pòst diebus nactus idoneam de ea re sermonis habẽdi occasionẽ, repetijt à Ricardo illam partem patrimonij Herefordensis comitis iure hæreditario sibi debitam. Ad ea Ricardus, qui eius rei causam iam mortuã putarat, protinus ira accensus, respondisse fertur: Num Henrice dux, uis tibi id ius Henrici quarti uindicare, quo ille perperàm regnũ occuparat, atq; ita ad illud uiam patefacere? Quod Ricardi responsum in pectus ducis altè descẽdit, qui ex eo tempore ira & indignatione agitatus, cœpit cogitare quonã pacto hominẽ ingratũ de regno deturbaret, cuius causa, multa contrà cẽ fas esset, persæpe inuitus fecisset. Dux ita animatus, haud multò pòst Ricardum Eboracũ proficiscentẽ usq; Glocestriã comitatus est, et inde eo nõ negante, in Vualliam se contulit, ubi bonã patrimonij partẽ habebat: hîc dum moratẽ, partim recenti acceptæ iniurię memoria stimulatus, partim pœnitẽs quòd hactenus per se nõ modò nõ obstitisset Ricardo male agẽti, sed plurimũ fauisset, statuit se ab eo disiungere, id licet ab initio factũ oportuisset, ac quod antea animo agitauerat, perficere: itaq; consiliũ suum Ioãni episcopo Elyensi, quem, ut suprà memoraui, captiuũ apud se, in Brechonotẽsi arce habebat, aperire incipit. Elyensis fraudem suspicatus primũ quærit quatenus id moliatur, oratq;, ne sibi noceat: postea ubi nouit iustum odium eius, & Ricardo diu debitũ, nõ negat de coniuratione loqui. Tũ dux omnia explicat Elyensi, totumq; se patefacit, indicans excogitasse modũ, quo & Edouardi & Henrici sexti genus quod supererat, per affinitatẽ coniunctũ in regnũ utriq; stirpi debitũ restitueret: nam Ricardũ nõ fratrẽ, sed hostem Edouardi appellabat. Modus iste erat, ut Henricũ comitẽ Richemõdiæ, quem fama erat post cognitã mortẽ Edouardi regis, apud Franciscũ Britannũ ducem liberatũ esse custodia, quam primũ arcessendũ curarẽt, opibusq; iuuarent, dummodo ille prius iureiurãdo promisisset, se post adeptum regnũ, ducturũ in matrimoniũ Elizabeth filiam Edouardi natu maiorẽ. Probauit Elyensis episcopus tam cõ filium ducis, quàm modũ rei peragendæ, curauitq;, ut Reginaldus Braius minister Margaritæ matris Henrici, quæ nupta erat Thomæ Stanleio, uenerit ad ducem in Vualliam, atq; cognita eius sententia, ad Margaritam properę

Universidad de Deusto
Biblioteca

redierit,feceritq; eam certiorẽ de omnibus,quæ inter ipsum ac ducem ad cõmunem salutem agitata essent.Hoc nimirum fuit,quamobrem dissensio orta sit inter regem & ducẽ,& coniuratio contra ipsum regem facta. Veruntamen uulgus aliter prædicabat:dicebãt enim ducem à principio eo consilio minus dehortatum fuisse Ricardũ per tot facinora regnum occupare, ut ille deinde iuxtà Deo ac hominibus inuisus regno pelleret,atq; ita ipse ad illud,ad quod modis omnibus aspiraret,à populo uocaretur,ac propterea arma in Ricardũ ad extremum mouisse.Sed ad incœptum redeamus.

Iam antecq; dux iræ plenus alieno cœpisset in Ricardum esse animo, nouæ conspirationis fundamentũ inter Elizabeth reginã uxorem Edouardi,et Margaritam matrem Henrici,Londini iactum fuerat,sic:Margarita inualetudinis causa,utebatur medico nomine Ludouico natione Vuallo,& quia uir grauis erat,ac nõ minimi usus,sæpe cum eo solebat liberè loqui,& familiariter suspirare.Ea autem post cognitam cædem filiorũ Edouardi,prudẽs mulier cœpit bene sperare de fortuna filij,rata id factum facilè posse Reipublicę bono esse, si cõtingeret,ut Henrici sexti & Edouardi sanguis per affinitatem misceretur, atq; ita duæ longè pernicio sissimæ factiones simul per unam colligationẽ utriusq; generis tollerentur:quare statim opportunitatẽ tantam nõ aspernata, inter conferendum exponit Ludouico iam aduenisse tempus, cùm filia Edouardi maior natu dari in matrimoniũ Henrico filio,& Ricardus rex inimicus patriæ ab omnib.habitus facilè omni honore deiici,ac regno spoliari possit, & propterea orat,ut cum regina de tali negotio secretò agat:nam regina eius quoq; opera utebatur,quòd esset medicus artis peritissimus. Ludouicus nihil cunctatus reginã conuenit,quæ adhuc se asylo tenebat,ac rem nõ ut mandatam sibi,sed tanq; ab se excogitatam narrat:Placuit consiliũ adeò regine,ut iusserit Ludouicũ ad Margaritam adire,quæ Londini in ædibus uiri sui morabatur,atq; suis uerbis promittere,se daturã operam,quò omnes amici Edouardi uiri sui,partes Henrici eius filij sequerentur,si modò ille iuratus esset,se post adeptum regnum,ducturũ in matrimoniũ Elizabeth filiam,aut Ceciliã ætate minorẽ,si illa prius moreretur,quàm ipse potiretur regno. Ludouicus actutum officio functus inter mulieres facilè negotiũ cõfecit,qui ex eo quòd medicus erat,sine suspitione aliqua,internuntius ac socius est illis nouæ conspirationis in Ricardum adiunctus.Ita Margarita in bonam spem adducta, constituit Reginaldum Braium ministrum suum hominem longè fidelissimum coniurationis caput,eiq; præcipit,ut quam secretissimè potest,ex nobilibus aliquos in quibus ingenium, fides, diligentia sit, in partem suam trahat, qui auxilio esse possint.Reginaldus intra paucos dies,exacto antea à singulis iureiurãdo,in coniurationis societatẽ conuocauit Aegidiũ Dabeneiũ equitem,Ricardum Gilfordiũ,Thomam Ranmeiũ,Ioannem Chenium,complures q; alios.Regina itẽ suos amicos cõsilij ac negotij maturandi participes facit.Margarita uerò interim Christophorum Vrsuychum sacerdotem probatum,spectatum,ac officij plenum in familiam recipit,datoq; ab eo iureiurando,cõsilia omnia illi aperit,idq; tutò se facere confidit, quòd Christophorus Henrici sexti regis semper studiosus,à Ludouico medico apud ipsam in gratia positus esset.Itaq; mater salutis ac gloriæ filij studiosa,dat negotium Christophoro proficiscendi in Britanniam ad Henricum,illiq; significandi omnia, quæ

quæ cum regina acta essent:sed antecq; ille iter facere inciperet,ecce,subitò facta est certior de eodem cõsilio atq; ipsa ceperat,à duce Buchyngamiæ inito, quemadmodũ suprà cõmemorauimus:quod ubi cognouit,cõmutato consilio,Christophorũ apud se retinet,ac Hugonem Coneueium in Britanniã mittit,cum bene magna pecuniæ summa,ad Henricũ filium,mandatq; ei, cuncta exponat,atq; hortetur ad reditum,& in primis admoneat,ut in Vualliã accedat,ubi locí paratũ auxilium inueniret.Mittit & post illum Ricardus Gilfordius ex Cantio Thomam Ranmeium cum eisdem mandatis.Ií celeriter eò uecti,per idem ferè tempus perueninnt ad Henricũ,quem suprà diximus apud ducem Britanniæ,post mortem Edouardi,sui iam fuisse iuris.Henricus accepto nuntio,gratias Deo agit,ratus id quod tota mente poscebat,nõ potuisse sine nutu diuino accidere,atq; ob id mirabiliter lætatus omnia cum duce confert,indicatq; se in certam potiundi Angliæ regni spem ingressum,& idcirco orat,ut illud eius pariter auxilio atq; uoluntate fiat,quando cùm licuerit, parem referret gratiam.Dux etsi paulò antè à Ricardo rege per Thomam Huttonum eius oratorem,quem suprà dixi eò legatũ fuisse, pecunia & precibus solicitatus fuerat,ut Hẽricum comitem in custodiam denuò truderet,promisit tamẽ auxilium,deditq; perlibenter. Tum Henricus præmissis in Angliam Hugone Coneueio,& Thoma Ranmeio,qui eius aduentum nuntiarẽt, quò cætera quæ cõsilio prouideri possent,ab amicis cauerentur,ibi usq; eò esse uoluit,dum quæ ad nauigandum opus essent,pararẽtur.Interea in Anglia principes conspirationis multa simul moliebãtur,alij opportuna loca armatis hominibus firmata tenebant,alij occultè ad tumultus plebẽ solicitabant,alij alibi intenti paratiq; erant,ut statim cognito Henrici accessu,belli initium facerent,alij uerò inter quos Ioãnes Mortonus Elyensis antistes primus erat, per secretos nuntios inuitabant ad nouam coniurationem omnes, quibus certò sciebant odium in Ricardum secum cõmune esse.

Inter hæc,indicatur Ricardo de cõiuratione principum,qui ancipiti malo permotus,quòd neque exercitum paratum haberet, neque si bellum subitò compararet,satis cõstaret,ubi loci occurrendum,aut manendum,quóue eundum esset,statuit aliquantum rem dissimulare,donec exercitũ cogeret, ac ex rumoribus uulgi,exploratorumq; diligentia,omnia aduersariorũ cõsilia inuestigata,comprehensa,illustrata,patefacta essent,aut per artificium eiusmodi,aliquem coniuratorum caperet,quãdò nõ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ quæ latent in dissimulatione intelligentiæ,uel in aliquo humanitatis nomine.Et quia ducem Buchyngamiæ sciebat coniuratorũ esse caput, sibi illud primùm omnium clàm aut ui amputandum iudicauit:itaq; longè humanissimis literis ducem ad se accersit,præcipitq; nuntio,qui literas defert,ut multa suis uerbis promissa illi faciat,bonoq; modo persuadeat redire in regiã.Dux stomachi ualetudinem excusans respõdet nuntio,se in præsentia nõ posse uenire.Ricardus excusationem non accipit,sed eum rursus ad se minaciter euocat. Tum dux apertè negat se ad inimicum iturum,atque simul bellum parat, persuadetq; cõsilij sui socijs,primo quoq; tẽpore alij alibi tumultus conflent. Ita uno ferè momento actempore, Thomas marchio Dorcestriæ de asylo egressus,ac ab omni periculo,opera Thomę Rouelli seruatus,in agro Eboracensi,Edouardus Corteneius cum Petro fratre episcopo Exoniensi,in Deuo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia, in Cantio Ricardus Gilfordius cũ aliquot nobilibus, agros passim incolentes ad arma concitat, initiumq; belli facit. At Ricardus interim cõtracta ingẽti armatorum manu, ne uires suas dissiparet, dum uellet singulos insectari coniuratos, decreuit cæteris omissis, in caput, id est, in ducem arma uertere, qui Londino se mouens Sarisberiam uersus iter ingressus est, ut de uia, in ducem iret, si uspiam exploratum haberet, eum se castris tenere: iamq; uix bidui ab urbe aberat, cùm dux magno cum militum Vuallorum robore, quos inuitos & à pugnãdo pro eo abhorrentes, ut homo acer magis imperio, quàm pretio armauerat, quod defectionis causa fuit, obuiam illi ire cõtendit, uerùm subitò in itinere à maiore parte suorum militum destitutus, in fugam se necessariò coniecit, qui dum fugiebat, ob subitam fortunę commutationem ualde territus, & cùm non satis cõstitutum haberet, quod sibi capiendũ consiliũ esset, compegit se in domũ cuiusdam familiaris sui nomine Humfredi Banaster, quem quia à puero bonum uirum habuerat, idcirco sibi fidissimũ fore cõfidebat, seq; eius fidei cõmisit, apud eum usq; eò in occulto mãsurus, dum aut sibi reparandum exercitũ, aut eundum in Britanniam ad Henricum comitem deliberaret. At ubi socij qui in bellum iam ingressi erant, cognouerũt ducem à suis desertũ fugisse, & nusquam comparere, subito timore perculsi cùm pro se quisq; in pedes se daret, ac de salute desperaret, aut asyla aut solitudines petũt, fugámue per mare tentãt, quorũ bona pars paucis pòst diebus, incolumis in Britanniã peruenit. In ijs fuit Petrus Corteneius Exoniensis episcopus, cum Edouardo suo fratre comite Deuoniæ, Thomas marchio Dorcestriæ, cum Thoma filio admodũ puero, Ioannes Burscherius, Ioannes Vuelles, Edouardus Vdeuylla uir bello strenuus frater Elizabeth reginæ, Robertus Vuylugby, Ægidius Dabeneius, Thomas Harundellius, Ioannes Chenius cum duobus suis fratribus, Gulielmus Barcheleius, Gulielmus Brandonus cum Thoma fratre, Ricardus Heggecombius: & hi ferè omnes equestris ordinis uiri. Item Ioannes Haluellius, Edouardus Ponyngus summus copiarũ dux, ac Christophorus Vrsuychus, Ioannes Mortonus Elyensis episcopus per idẽ quoq; tempus, cum plerisq; alijs nobilibus uiris, in Flandriam traiecit.

Atqui Ricardus horribili uigilantia ac celeritate plenus, qui iam Sarisberiam peruenerat, ubi de fuga ducis ac aliorum coniuratorũ cognouit, eos sibi persequendos constituens, primò ad omnes uicinos portus milites dimittit, qui maritimos exitus occupent, claudant, teneant, transituq; prohibeant fugientes, deinde si quis indicasset de duce, decernit præmia, seruo libertatem, libero impunitatem, ac mille libras. Item quoniam à Thoma Huttono dudum ex Britannia reuerso acceperat, tantũ abesse, ut Franciscus dux uellet sua causa tenere in custodia Hẽricum, ut etiam eum aduersus se paratum esset opibus enixè iuuare, pariter aliquot naues rebus omnibus instructas per oram maritimam, quæ ad Britanniam uergit, disposuit, ut si Henricus fortè ueniret, aut interciperetur, aut litoribus arceretur, præterea ut mirificè ubiq; essent custodiæ, milites alios locis opportunis locauit, qui uias, qui calles, qui aditus omnes obsiderent, alios autem quaquauersum misit, qui quærerent, si uspiam ducem, uel aliquem sociorũ inuenire, & comprehendere possent. Iis passim cuncta rimãtibus Humfredus Banaster, dubium est, metu an pretio ductus, Henricum ducem hospitem suum prodidit, qui eum confestim Sarisberiam ad Ricardum

cardum duxerunt. Dux diligenter examinatur, & interrogatus quæ scie bat, sine quæstione indicat, sperãs, quia ingenuè fateretur, futurum ut sibi liceret Ricardum alloqui, quod summè rogabat: sed postquã de crimine fassus est, protinus securi percutitur. Hanc mortem dux passus est à Ricardo rege, quem ultra aras, ut dicitur, iuuerat, qui cum societatem periculi uerius quàm imperij, per hunc modum coiuerat. Hinc profectò animaduertamus licet, illum operam perdere, et uitã suam magno obligare scelere, qui homini improbo auxilio est, quãdò cùm ab eo pro beneficio, ut plurimum maleficium recipit, tum à Deo meritam ad ultimum pœnam semper habet.

Dum hæc in Anglia fiebant, Henrico Richemondiæ comiti parato exercitu ad quinq; millia Britannorũ, ac classe quindecim nauiũ instructa, iam dies decessionis obrepserat, qui ad sextum Idus Octobris, anno salutis MCCCCLXXXIIII, & secundo, cùm regnare cœpit Ricardus, uento non aduerso nauigare cœpit, sed sub uesperũ, orta subitò tẽpestate, ita afflictat, ut naues aliæ aliò ui sæui uenti impellente, cursum flectere compulsæ sint, nonnullę in Normaniam reflatu delatæ, aliæ in Britanniam. Nauis in qua Henricus erat, cum una altera naui, totam noctem iactata fluctibus, bene mane tandem deponentibus uentis, circa australem insulæ oram, contra portũ, quem Polam uocant, peruenit. Hinc Henricus prospiciens omne litus à militibus obsessum esse, quos, uti diximus, Ricardus passim disposuerat, edicit, ne quisquam omnium descẽdat prius in terrã, quàm reliquæ naues conueniant, quas dum expectat, unam mittit scapham exploratum, an amici sint, qui eodem loci præstolentur. Tum qui missi sunt, magnoperè à militibus de terra rogantur, ut quãprimùm descendant, clamantib. se à duce Buchyngamię missos, ut pręstò essent, qui Henricum tutò ad castra comitarentur, quæ ipse in proximo cum florentissimo exercitu haberet, quo ambo iunctis copijs, Ricardum fugiẽtem persequerentur. Henricus id quod erat, fraudem suspicatus, postquam uidit nullam suarum nauium in conspectum existere, sublatis uelis, usus secundo uento, in Normaniam uenit, quasi flatu ipso uenti eum à periculo retrudẽre. Hîc ad litus, sui ac suorum ex labore recreandorũ causa, triduum moratus, statuit cum parte comitatus redire in Britãniã pedibus, ac interim misit legatos petitum à Carolo octauo Francorũ rege, qui Ludouico patri paulò antè mortuo successerat, iter per Normaniam. Rex Henrici miseratus fortunam, nõ modò iter libenter, uerumetiam pecuniã in itineris sumptus dedit. Sed ipse regis humanitate fretus, iã antea naues domũ præmiserat, & iter facere aggressus, parũ tamen processerat, cùm legati rediere, qui eo beneficio ualde lętatus, ac bonæ spei plenus in Britanniam reuertit, aliud inde cõsilium capiendum ratus: at ubi in Britannia fuit, ab amicis accepit, duce Buchyngamiæ in Anglia capite mulctato, marchionẽ Dorcestriæ cum bene magno Anglorũ principũ numero, illuc paulò antè se quęsitũ aduenisse, atq; apud Venetos esse, quibus cognitis rebus, uehemẽter doluit primos amicorũ principum conatus male cecidisse, attamẽ ex altera parte gauisus, quòd tot egregios duces socios belli haberet, iam tum omnes rationes suas cõsolidatas, ac rem suam saluam opinione propè certa concipiens, celeritate sibi utẽdum iudicauit, qui in Rhedones profectus, misit statim aliquot ex suis, qui marchionẽ cum reliquis optimatibus ad se ducerent. Illi ubi cognouerũt Henricũ post longam aberrationẽ in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

columem rediſſe in Britãniã, miro affecti gaudio (cùm enim neſcirẽt, ubi terrarum eſſet, timebãt ne incidiſſet in manus Ricardi) ſine mora ad eum conuolarunt. Hîc multa inuicẽ congratulatione facta, poſteaq́ de rebus agendis aliquot per dies inter ſe agitarũt, iam aduenit Chriſti dies natalis, quo unà in tẽplum cõuenientes, cætera fide ac fœdere ſanciunt, & Henricus primũ dato iureiurando, promittit ſe ſimulatq́ regno potitus fuerit, ducturũ in matrimonium Elizabeth Edouardi regis filiam, deinde illi in Henrici perinde ac ſi iam rex creatus eſſet, uerba iurãt, pollicẽtes ſe prius uitam, nedum res amiſſuros, quàm Ricardũ apud ſuos regnare patiantur, ferant, ſinant. Quo facto, Henricus cõfert omnia cum Franciſco duce, etiã atq́ etiã rogat, ut ſe maioribus copijs iuuare uelit, quò protinus in patriã cupidã ſui reuerti queat, & in primis mutuã pecuniã dare, quòd quam accepiſſet ab amicis, ea iam abñſſet in ſumptus in priorẽ belli apparatũ factos, & quã daret, ſe fideliter redditurũ, eiuſq́ ſingularem in ſe beneficentiã omni ſtudio, cura, opera, plena manu aliquãdo cõpenſaturũ recipit. Dux auxiliũ promittit, quo ille fretus, ſuſcepta rurſus naualis apparatus cura, ad nauigandũ ſe expedit, ut nihil ſit, q́ excludat tẽpore.

Interea Ricardus Londinũ reuerſus, aliquot cõiurationis participes diuerſis in locis comprehenſos, & ex ijs Georgium Brunum, Rogeriũ Clyffordiũ, Thomam Selengeriũ equites, item Thomam Ranmeium, Robertũ Clyffordium, nõnullosq́ alios etiam ex eius familia ſupplicio affici iuſsit, poſtea concilium coëgit, in quo primũ exules omnes ſenatus decreto, hoſtes patrię iudicandos, dein illorũ bona publicanda, ac nõ contentus ea prẽda quamuis opulenta, poſtremò magnam pecuniæ ſummã populo imperandam curauit: nam ſui purgandi, gratiæq́ à plebe ineundæ cauſa, tantas iampridẽ largitiones fecerat, ut iam egẽre inciperet. Sed nihil fermè propius factũ fuit, quàm ut Thomas Stãleius in numero quoq́ hoſtium haberetur, propter operationẽ Margaritæ uxoris Henrici comitis matris, quę uulgò coniurationis caput dicerẽtur. Verũ cùm mulieris ſtudiũ nullius eſſe momẽti iudicaret, ſenatus cenſuit, ac iuſsit, ut Thomas qui in ſe nihil culpæ eſſe probauit, uxorem omnibus miniſtris nudatam ſic apud ſe cuſtodiret, ut nullum deinceps neq́ ad filiũ neq́ ad amicos internuntiũ mittere, nec moliri in regem quicq́ poſſet, quod & factum eſt. Item eiuſdem concilij autoritate, cum Scotis qui paulò antè circa fines excurſiones fecerant, pax confecta eſt. Quibus rebus ita actis, uidebatur omnis cõiuratio penè iam extincta, ſublato duce, ac cæteris eius ſocijs partim quoq́ morte affectis, partim longè gentiũ exulantibus, cùm adhuc Ricardũ dubitantẽ magis quàm fidentem ſuis rebus, metus ferè perpetuus reuerſionis Hẽrici comitis, & eius ſociorũ diuexaret, torqueret, excruciaret, quapropter uitam miſeram habebat, qui ut ne diutius in ea moleſtia eſſet, ſtatuit tandem aliquando omnẽ timoris ac tumultus materiã euellere, idq́ dolo uel ui confi cere: itaq́ nihil poſt eiuſmodi captũ cõſiliũ, putauit opportunius antiquiusq́ quàm ut iterũ pecunia, precibus, præmio ſolicitaret ducem Britanniæ, quòd in eius manu eſſet, ut à periculo cuncto uacuus redderet, qui iccirco cõfeſtim miſit certos nuntios ad ducem, qui ei præter ingentia munera, quæ ſecum tuliſſent, promitterent ipſum in ſingulos annos daturum omnia uectigalia prædiorum Henrici, ac reliquorũ Anglicorũ principũ, qui cum eo eſſent, ſi illos deinceps apud ſe in cuſtodia retineret. Nuntij cum iſtiuſmodi mãdatis profecti

fecti, nõ potuere rem cũ duce agere, ex eo quòd ille ex grauí diuturnoq́ morbo infirmus factus, cœpiſſet mentis errore affici: quamobrem Petrus Landoſus eius quæſtor, homo cùm ſagacis ingenij, tum magnæ autoritatis, ſuo arbitrio res omnes gerebat, qui ob id Britannorũ principum inuidiam grauiter in ſe concitarat. Hunc Anglicani legati conueniũt, expoſitisq́ mandatis, uehemẽter rogant, ut ipſe cui omnia facere integrũ eſſet, uelit Ricardi deſiderium diuturnũ explere. Petrus qui in magna apud ſuos offenſa erat, arbitrans ſi Ricardo ſatisfaceret, ſe fore potentiorẽ aduerſus aduerſarios: reſpondit ſe factu-
rum, quod Ricardus petebat, ſi modò fidem nõ falleret, & id quidẽ domeſticarũ inimicitiarũ cauſa: nam Henricũ nõ oderat, quẽ, ut ſuperiore libro oſtendi, antea ad Fanum Maclouij à periculo liberarat. Sic cũ cauſa ſemper peccamus. Atqui Reipublicæ Anglicæ fortuna obſtitit, quò minus funeſta pactio conficeretur: nam dum ultro citroq́ negotij agendi cauſa, frequentes nuntij, crebræq́ literę inter Petrum & regem uolabant, Ioannes Elyenſis epiſcopus, qui in Flandria agebat, ex Anglia à ſuis neceſſarijs de inſidijs certior factus, per Chriſtophorũ Vrſuychum, qui ad eum per eos ipſos dies ex Britãnia uenerat, confeſtim Henrico de cõpoſito dolo indicauit, admonuitq́, ut quamprimũ cum alijs principib. ex Britannia ad Francos ſe cõferret. Erat tunc Henricus apud Venetos, quãdo de fraude cognouit, qui nulla interpoſita mora, Chriſtophorũ ad regem Carolum legauit rogatũ, ut ſibi in Franciam tutò ire liceret. Qua re facilè impetrata, legatus celeriter redijt ad principem ſuum.

Tum comes Henricus rebus ſuis maturè prouidendum ratus, cum paucis ſuorum cõmunicat conſilium, exploratisq́ itineribus, præmittit principes omnes Anglos, ſimulans ſe illos rei familiaris cauſa, allegare ad ducem, qui tũc haud procul à Gallorũ finibus, animi gratia morabatur, ac ſecretò comitem Penbruchẽſem legationis principem admonet, ut cùm fuerint ad cõfines Britannici agri, ſubitò uia recta omiſſa, in Franciam ſe recipiant. Illi quod pręſcriptum erat facientes, nullo temporis puncto intermiſſo itinere, Andegauẽſes petunt. Ipſe uerò biduo pòſt ex Venetis digrediens, ac quinq́ duntaxat comitatus miniſtris, ad amicũ qui in proximo uillã habebat, ſe ire ſimulat, & quia ingens Anglorũ multitudo in urbe relinquebatur, eius profectio nulli ſuſpecta erat: at ubi quinq́ propè milliaria progreſſus eſt, de uia recta in proximã ſyluam ſe proripit, ueſteq́ ſeruili ſumpta, unum ex miniſtris itineris ducem, tanquam dominum, ut ſeruus ſequitur, qui tanta celeritate nullo tamẽ certo itinere profectus eſt, ut non prius uſpiam niſi equos reficiendi cauſa, moram fecerit, quàm intra Andegauenſiũ fines ad ſuos ſe recepiſſet. Porrò poſt quartum diem, quàm Henricus fuga euaſerat, Petrus educturus erat copias deſcriptas, cum certis ducibus, quos ad conficiendũ quod ſtatuerat, delectos habebat, ut eas traderet Hẽrico, perinde quaſi eum in patriam redeuntem comitaturas, ſed reuera, imprudentẽ ac minimè opinantẽ cum reliquis principibus Anglicis, derepentè in uincula ducturas, ut per id facinus Ricardo pro uectigali promiſſo ſatisfaceret. At Petrus quæſtor, cui nõ deerat aſtus, ubi accepit Henricum diſceſsiſſe, id quod erat animo cernens, ſubitò quocunque equites dimiſit, qui eum ſequerentur, & ſi conſequi poſſent, cõprehẽderent, comprehenſumq́ ad ſe adducerent. Equites tanta celeritate uſi ſunt, ut nihil factũ fuerit propius, quàm ut eum aſſequerẽtur: nam uix comes ante unam horam

fines Gallicos attigerat, quàm illi eò peruenerint. Anglos uerò circiter trecentos numero, qui apud Venetos remanserant, cognita Henrici fuga, quia eius consilij ignari erant, tanta inuasit trepidatio, ut iam salutem suam desperarẽt. Veruntamen secus accidit, atq; pertimescendum sibi putarant: dux enim iniquo animo ferens comitem tam inhumaniter acceptum, ut fuerit coactus ex eius fugere regno, & ob id ualde Petro iratus, cui, tametsi omnis fraudis nesciens erat, eam culpam assignabat, uocauit ad se Edouardum Ponyngum, ac alterũ Edouardum Vdeuylla, & rogata pecunia in itineris sumptus, iussit decere omnes Anglos ad comitem. Ita Hẽricus omni sua cohorte accepta, mirũ in modum gauisus est, qui, ut ne ingratus haberetur, remisit nonnullos ad decem, ut suis uerbis dicerent, se cum socijs, eius beneficio conseruatũ, habere in præsens gratiam, sed in posterũ tempus aliquando relaturũ: ipse uerò paucis pòst diebus adiuit ad Carolũ regem, qui ad oppidum erat, quod ad Ligerim situm Angeum uocant, cui postquam pro beneficijs acceptis gratias egit, sui aduentus causam primò exposuit, deinde auxiliũ rogauit, quò eius immortali beneficio, ad suos principes tutò redire posset, à quib. generatim ad regnũ uocaretur, Ricardi tyrannidem abhorrentibus. Promisit Carolus auxiliũ, iussitq; bono animo esse, quòd libenti animo, suam ei præstaret beneuolentiam, qui statim pòst Montargeũ discessit, duxitq; secum Henricũ, cum omni eius nobiliũ comitatu. Dum hîc Henricus moratur, Ioannes comes Oxonienſis, quem suprà ab Edouardo diximus in arce Hammo custodia teneri, unà cum Iacobo Bluntio loci præfecto, & Ioanne Fortescuto equite, qui oppidi Caleti portas custodiebat, ab ipso subornatis, ad illum uenit. Sed Iacobus præfectus quia in arce uxorẽ relinquebat, eã prius nouo præsidio firmauit, quàm inde abiret. Henricus uiso comite, incredibilem cepit lætitiã, quòd homo magnæ nobilitatis, scientiæq; in bello, & integerrimæ fidei, suarũ partium studiosissimus, tandem uinculis, Dei nutu, solutus, in tempore tam opportuno sibi uenisset subsidio, in quo tutius, quàm in quocũq; alio spes suas ponere, atq; ipse acquiescere posset: nanq; alios qui Edouardi partiũ fuissent, non utiq; eum fugiebat, pro mala temporũ conditione in suam fidem uenisse, hunc autẽ qui toties pro Henrico sexto pugnasset, putabat cœlesti ope ea custodia liberatũ, ut haberet hominẽ suę factionis, cui tutò omnia crederet, ac idcirco ob aduentũ Oxonienſis immortaliter gauisus, cœpit de rebus suis melius sperare. Non multò pòst Carolus Lutetiã proficiscitur, quẽ Henricus secutus, ibi rem suã peragẽdam curat, qui rursus Carolum orat, ut se totũ tuendũ suscipiat, quò si ipse & socij salui essent, similiter etiam salutẽ suam ei omnes possint acceptam referre. Interim illius amicitiæ & fortunæ bene multi Angli, qui uel ex Anglia continenter confluebant, uel ibidem bonas artes studebant, sese dabãt, deuouebantq;. In ijs fuit Ricardus Fox sacerdos uir summo ingenio, homoq; doctus, quem Henricus statim in secretiorem familiaritatẽ recepit, ad summosq; breui tempore perduxit honores, qui nunc Vintonienſis est episcopus.

Ricardus interea certior factus, quas socij coniurationis in Britannia inter se pactiones fecissent, & quemadmodum duce Henrico omnes in Franciam euasissent, quamuis magna de spe deiectus, quòd dolus nõ processisset, tamẽ alia uia occurrendum statuit, ut ne Hẽricus per connubium Elizabeth neptis ad regnũ aspiraret. Et quia præ ijs quę antea regnandi cupiditate cæcus obiuisset

uisset facinoribus, cætera omnia, ut monet prouerbium, Taurum tollet, qui uitulũ sustulerit, parui momenti ducebat, quæ deinde facturus esset, uenit ei in mentem res pòst hominũ memoriã tam iniquissima dictu, quàm facti lon gè teterrima: dum enim secum agitabat, quãta mali moles instans esset, si Hericus per nuptias neptis augeretur, cuius rei rumore esse nõnullos audiebat, qui iamiam eius rebus studere uiderentur, constituit Elizabeth reginam modis omnibus sibi recõciliandam, quò illa & se & filias in suã ipsius fidem permitteret, ac eo pacto Hẽricus affinitate neptis fraudaretur, &, si aliter instantibus malis mederi non posset, & fortè usu ueniret, ut Anna uxor è uita excederet, tum ipse neptem in matrimoniũ potius duceret, quàm per eam affinitatẽ regnũ periclitaretur, perinde quasi eo cadente, regni ruinam edi necesse esset: itaq; frequentes nuntios ad reginam in asylum mittit, qui eius factum apud eam expurgent, & ei pariter atq; Thomæ marchioni eius filio omnia pollicendo, summa spe mulierem onerent. Nuntij uiri graues licet primò refricando memoriam cædis filiorum, aliquid reginæ animum uulnerarint, eiusq; dolor uix consolabilis uideretur, tot tamen eam rationibus atq; promissis aggressi sunt, ut paruo negotio lenire cœperint (sic enim illius sexus animal mutabile est) adeò ut mulier non surdis auribus audiret, et demũ in fidẽ regis se uenturam diceret, quæ haud ita multò pòst oblita iniuriarum, immemor datę fidei Margaritæ Henrici matri, primò filias in Ricardi potestatem tradit, deinde secretis nuntijs marchionem filium qui Lutetiæ erat, admonet, ut relicto Henrico, quam primũ in Angliam redeat, à rege ad magnos uocatus honores. Ricardus ita placata Elizabeth regina, filias omnes fratris ex asylo in regiã recepit. Restabat tantùm, ut domus nuptijs uacua fieret, quod omni modo sibi faciendum iudicabat, sed nõnihil ferum animũ deterrebat à tãto flagitio, quòd se antea, uti suprà memorauimus, simularat uirum bonum, & propterea uerebatur, ne nõ immatura uxoris morte offenderet opinionem, quam populum de se bonam animo imbibisse credebat: uicit tamen in ingenio iampridẽ à recto auerso prauũ cõsilium, nam primò se à coniugali toro abstinere, ac simul cum multis optimatibus de uxoris infelicitate queri cœpit, quòd non gigneret, & id præsertim deplorauit apud Thomam Rotheramum Eboracẽsem archiepiscopũ, quòd uir esset grauis & probus, quem paulò antè è custodia dimiserat, qui ex illo existimauit futurũ, ut regina haud diu superstes foret, idq; quibusdam amicis suis prædixit, deinde rumorẽ diuulgandum, autore incerto, de morte reginæ uxoris curauit, ut uel mulier ex fama rei dolore affecta, in morbum incideret, pariterq; uel periculũ faceret, si id postea accideret, an populus sibi crimini daret. At regina ubi audiuit tam horrificum rumorem suæ mortis in uulgus exisse, de se actum esse rata, uirũ adiuit tristis, ac multis cum lachrymis interrogauit, ecquid esset, quamobrem se interficiendã iudicaret. Ad ea rex, ut ne ferreus uideretur, si nullum daret uxori amoris signum, oscu lando blandè respondit, consolatusq; eam, iussit bonum animũ haberet. Sed regina sine dolore seu ueneno confecta, paucis pòst diebus occidit, sepultaq; est ad Vuestmonasterium. Hæc est illa Anna altera filia Ricardi comitis Varuici, quæ olim Edouardo principi Henrici sexti filio pacta fuerat. Rex sic coniugali uinculo solutus, iam adijcere oculos Elizabeth nepti, eiusque nuptias concupiscere cœpit: sed quia tantum nefas, puella reclamante, omnes abhor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rebāt,statuit nihil nō cunctanter agendū,cùm præsertim curis undiq; urgentibus premeretur,quòd quotidie nobiles alij ad Henricum transirent,alij socijs coniurationis occultè fauerēt. In ijs in primis erat Thomas Stanleius,Gulielmus eius frater,Gilbertus Talbotus,ac sexcenti alij, quorū studia tametsi Ricardus ignorabat,nemini tamen uni confidebat,& multò minus Thomæ Stanleio,quòd in matrimonio haberet Henrici matrem,prout res ipsa declarauit:nam cùm is per eos dies uellet se ad sua prædia conferre,animi causa, ut aiebat,sed reuera quo præstò esset,ut Henricum uenientem amicè exciperet, rex uetuit,nec prius abire permisit,quàm reliquerit in regia Georgium Strangium regulum filium nomine obsidis.

Dum ita futuri motus in tanta perturbatione,& rerū cōuersione Ricardus uersat,ecce tibi,iam illū erupisse audiuit,certior factus Hammū arcē stare pro Henrico,Oxoniēsis comitis opera,& eū cum Iacobo Bluntio loci præfecto, ad ipsum Hēricū aduolasse:quare principio obstandū iudicans,cōfestim bonam partē præsidij quod Caleti erat,ad recuperandā arcem misit. Qui in arce erant,ubi uiderūt aduersarios appropinquare,se celeriter ad defensionē muniunt,ac protinus nuntios ad comitē Henricū rogatū mittunt auxiliū. Henricus sine mora,comitē Oxoniensem cū electis militibus,suos adiuuandos ire iubet: in primo accessu positis nō longè ab arce castris,dum hostes intentos ex ea parte tenent,Thomas Brandonus cum triginta ualentibus uiris,per paludem quæ loco adiacet,in arcem intrat. Tum qui intus erant,accepto nouo subsidio,acrius solito ex muris hostem urgent,Oxoniensis etiam à tergo non minus instabat. Quo factum est,ut hostes ultrò fecerint inclusis potestatem abeundi cum fortunis. Quam conditionem Oxoniensis,qui idcirco uenerat,ut liberaret amicos à periculo,& cum primis uxorem Iacobi præfecti, non aspernatus,relicta arce,cum suis omnibus incolumis Lutetiā ad Henricum redijt. Ricardus post hæc ab exploratoribus intellexit Henricum apud Francos tempore exclusum defatigari, continenter de auxilio supplicando, ac nihil proficere,nihilq; ei procedere,sed cuncta quæ diligentissimè cogitata essent,haud bellè cadere:quæ cum ita esse crederet,perinde quasi totius belli uictor,ac omni metu liberatus nil esse ducēs,quod uigilaret in re tuta, reuocauit à stationibus suis naues,ac cunctos milites,quos antea dispoſuerat, ad arcendos hostes:sed ne imparatus offenderetur,mandauit nobiles oram maritimam habitantes,& præsertim Vuallos uicissim more patrio, uigiliarum munus obire,ut ne aduersarij expeditum ad litus receptum haberent, in terramq; descenderent. Nam belli præsertim tempore,qui Oceanum accolunt, in uicinis tumulis lucernas pilis affixas locant, ac ubi ex hostium aduentu, maior illustriorq; res accidit,subitò lucernas accendunt,clamoreq; per agros & regiones significant:hinc alij deinceps excipiunt, proximisq; eodem modo signum edunt,atque sic celeriter ad omnes uicos & urbes fama perfertur, & agrestes ciuesq; sese aduersus hostes armant. Ac ita Ricardus paulisper molestia leuatus, solutiore cœpit esse animo,ut ne diligentia omen auerteret, quod supra caput erat. Ea nanq; uis diuinæ iustitiæ est,ut quis minus cernat, minus prouideat,minus caueat,cùm uicinus est ad malorum facinorum pœnas dedendas.

Id tēporis quo Henricus comes apud Francos auxilij impetrandi causa morabatur,

rabatur, permulti principes propter Caroli regis ætatē,regni rectores, erant inter se parum consentientes,cuius simultatis princeps caput erat Ludouicus Aurelianensiū dux,qui cùm in matrimonio haberet Ioannā Caroli sororē,primas in Republica administranda partes tenere nitebatur. Quibus rebus fiebat,ut ad neminem unum imperij summa deferretur,& Henricus comes quidies noctesq; nullum locum prætermittebat itineris in patriā maturandi,cogeretur sigillatim omnes adire, rogare, obsecrare. Ita res extrahebatur, cùm Thomas Dorcestriæ marchio,quem suprà diximus à matre domum uocari, partim ob id,de successu Henrici desperans,partim Ricardi promissis subornatus,clàm & noctu Lutetia discessit,magnisq; itineribus in Flandriam contendebat. Quod simulatq; comes & alij Anglici principes cognouerunt,ualdè cōmoti,à Carolo petiuerunt,ut per eius mandatum liceret sibi hominem suorum consiliorum conscium ubicunq; inueniretur remorari, eaq; re facilè impetrata,per omnes uias discurrere cœperunt:sed Humfredus Ghenius uestigia antecedentis sagacius odorando,recta uia secutus,marchionē ad Compendium oppidū consecutus est,atq; ita ei persuasit,ut aliquanto pòst ad socios reuersus sit. Comes Henricus ea molestia liberatus, ut ne dubitando,& dies prolatando magnas opportunitates amitteret,néue amicorū qui ipsum præstolabātur,mentes amplius expectatio cruciaret,statuit sibi nō cunctandum,sed atq; adeò maxima utendum celeritate:itaq; impetrato à Carolo leui præsidio,ac tam ab eo quàm à priuatis amicis pecuniam mutuatus, pro qua marchionem sponsorem,uel potius obsidem unà cum Ioāne Burscherio reliquerat,Rothomagum proficiscitur. Dum hîc moratur,& ad ostium Sequanæ classem parat,ad eius aures rumor detulit Ricardum regem mortua uxore,statuisse in matrimonium ducere Elizabeth filiam Edouardi fratris,ac Ceciliam aliā ipsius Edouardi filiam nupsisse cuidam filio terræ,uiro minus se digno. Cœpit ea res haud parui omnino momēti,quippe quę spem omnē capti consilij exequendi socijs præcidebat,Henricum grauiter mordere,quòd per id iam uideret sibi non licere ullius Edouardi filiarū nuptias expectare, quāobrem pertimescendum putabat,ne illius amici se desererent. Igitur re ad paucorum consilium delata,placuit eam profectioni anteuerti,quò tentaretur,si alia adiungi auxilia possent,atque ex usu uisum est trahere in societatem belli per affinitatem Gualterum Harbertum ueteris hominem inter Vuallos potentiæ,qui sororem nubilem domi haberet,& ad id procurandū nuntij missi ad Henricum Northumbriæ comitem,qui aliam Gualteri sororem in matrimonio habebat,ut ille id negotij gereret. Sed uię adeò obsessæ erāt,ut nullus illorum ad eum penetrare quiuerit. Atqui melior nuntius uenit à Ioāne Morgano iurisconsulto,qui eodem tempore significauit Ricardum cognomento Thomam,uirum magni usus ac strenuum,& Ioannem Sauagium rebus Henrici summè studere, ac Reginaldum Braium non mediocrem pecuniæ summam in stipendiū militum confeciſſe,& propterea monebat,ut primo quoq; tempore Vualliam rectà peterent.

Tum Henricus maturato opus esse ratus,ut amici inter spem metūq; haud quaquā amplius suspensi tenerent,postq; Deū precatus est,ut felix faustumq; esset,cum duobus tantū armatorū millibus,ac paucis nauibus,Calēd. Augusti,ex Sequanæ ostio soluit,qui Austro lenissimo,cœlo sereno,septimo pòst

Universidad de Deusto
Biblioteca

die, sub solis occasum, Vualliam attigit, in portum delatus, quem Mylfordiũ uocant, ac confestim in terram egressus, primùm occupauit locum, cui Dalla nomen est, ubi aliquot aduersariorũ cohortes sui arcendi causa, præterita hyeme statiua habuisse audierat: inde prima luce discedẽs, Hauerfordium, quod est oppidum minus decem millia passuum procul à Dalla, profectus est, summa omnium uoluntate receptus, idq; adeò celeriter fecit, ut & simul adesse, & uenire nuntiatũ sit. Hîc intelligit Ricardum Thomam & Ioannem Sauagium contrà atq; in Normania factus fuerat certior, suis & suorum opibus Ricardum enixè iuuare. Cæterum Penbruchenses omniũ animos perturbatos eodem tempore confirmarunt, qui per Arnoldum Bottelreium hominem fortem, petita præteritorũ commissorũ uenia, se suo Gaspari comiti operam dare paratos esse significarunt. Henricus aucto sic exercitu, Hauerfordio discedit, ac millia passuum quinq; Cærdiganiam uersus progreditur. Dum hîc milites se reficiunt, profertur repentè per castra incerto autore rumor, Gualterũ Harbertum, & qui ad Charmardinũ oppidum castra habebãt, cum ingenti armatorum manu non longè abesse. Ex qua re orto statim tumultu, pro se quisque expedire arma, atq; tela tentare, intendereq; incipiebat, simulq; aliquantus timor omnes occupabat, cùm equites ab Henrico exploratum præmissi, omnia uti erant, quieta esse, ac nullum uiæ incõmodum impendẽre renuntiarunt. Sed longè maxima omnes lætitia affecit Grifinus uir summa nobilitate, qui quanq; se antea cum Gualtero Harberto, & Ricardo coniunxerat, tamen eodem penè tẽporis puncto, ad Henricum cum suis etsi paucis militibus defecit. Illo ipso quoq; die Ioannes Morganus ad ipsum Henricum uenit. Procedebat Henricus, nullo ferè loco moratus, qui, ut expeditius iter faceret, nonnulla loca aduersariorũ præsidijs munita aggressus, nullo ferè negotio expugnauit, & cùm secundũ hæc per speculatores intellexisset Harbertum ac Ricardum antè in armis esse, statuit in eos contendere, & illis aut fugatis, uel in fidem receptis, aduersus Ricardũ regem properare. Sed ut amicos rerum omnium certiores faceret, allegauit ad Margaritã matrem, ad Stanleios, ad Talbotum, ad alios, ex suis fidissimos quosq; cum mandatis. Erat autem hęc summa mandatorum, se amicorũ fretum auxilio, decreuisse Sabrinam transire, & per agrum Salopiensem Londinum petere, propterea illos rogare, ut sibi obuiam essent, cum quibus & loco, & tempore opportuno de suis consilijs plura cõmunicaret. Ita cum his mandatis abeuntibus nuntijs, ipse Salopiam ire pergit, cui in itinere fit obuiam Ricardus Thomas, cum bene magno militũ numero, seq; accepta atq; data fide, in eius potestatem tradit. Biduo antè Henricus promiserat Ricardo Thomæ præfecturam perpetuã Vualliæ, si in suam fidem ueniret, quam postea regni potitus, dedit liberaliter. Nuntij missi interea diligẽter mandata executi, & pecunia quam acceperãt à singulis, ad quos missi fuerant, onusti, rediere ad Henricum eo ipso die, quo ille Salopiam peruenerat, significaruntq; amicos paratos in tẽpore ad officiũ præstandũ. Hoc nuntio in bonã spem Henricus adductus, iter initũ ire cõtendit, ac ad pagum quem incolæ Neuuportum appellant, peruenit, positisq; in proximo colle castris, illic pernoctat. Venit ad eum ad uesperam Gilbertus Talbotus, cum quingentis & amplius armatis: deinde Staffordiam progreditur, ad quem dum ibi moratur, accessit Gulielmus Stanleius paucis comitatus, qui habito

bito breui cum eo colloquio, ad suos milites, quos cogebat, reuersus est. Inde digressus Lichefildiam petit, atq; extra mœnia eam noctẽ manet, postero die multo mane in urbẽ introit, honorificeq; accipitur. Nudiustertius fuerat ad eum locum Thomas Stanleius paulò minus quinq; millibus armatorũ stipatus, qui cognito Henrici aduentu, sine mora, ad uicum quam Aderstonam uocant, præcessit, illic dum Henricus accederet, expectaturus: hoc auertendæ suspitionis causa fecit, ueritus, si priusquam ad manus ueniretur, se cum Henrico stare, & sentire palàm ostenderet, ne Ricardus qui adhuc eius fidei nequaquam penitus diffidebat, Georgium filium morte non afficeret, quem suprà diximus, apud illum in custodia teneri loco obsidis.

At Ricardus interim qui per idem tẽpus Nothyngamię erat, factus est certior Henricũ cum cæteris exulibus, qui illum sequebantur, in Vualliã peruenisse, ac eius imparata & infirma omnia, contrà suos paratissimos, quos ad custodiam prouinciæ disposuisset. Is rumor sic illius animum inflauit, ut primũ id nõ magnopere curandũ existimarit, arbitrans Henricũ propter paucitatẽ suorũ temerè progressum, malum utiq; habiturum exitum, cùm eò peruenisset, ubi aut inuitus dimicare cogeretur, aut uiuus caperetur, per Gualterum Harbertum, & Ricardum Thomam, qui Vualliam pari propè imperio obtinerẽt. Veruntamẽ postea secũ reputãs, rem interdũ paruam in bello magnũ facere motũ, ac prudentiæ esse, nõ contẽnere hostiũ uires, quamuis modicas, casibus futuris maturè prouidendũ iudicauit: itaq; Henricũ Northumbriæ comitem, ac alios amicos principes, quos opibus suis ipsius salutem anteposituros sperabat, iussit habere protinus delectum militũ, atq; cum instructis copijs, ad se properè uenire. Item crebris nuntijs, atq; literis præcepit Roberto Brachyngburio præfecto turris Londinensis, ut ad se quamprimùm accederet, duceretq; secum tanq; belli socios Thomam Burscheriũ, Gualterũ Hungerfordiũ, complures q; alios equestris ordinis uiros, quos ipse suspectos habebat. Inter hęc uerò auditum est, Henricũ sine ullo accepto incõmodo, Salopiam peruenisse. Quo rex nuntio cõmotus, ardere dolore, scelusq; fuorũ qui fidem fefellissent, maximè clamare, simulq; alijs minus cõfidere cœpit, adeò, ut sibi primo quoq; die occurrendum aduersarijs statuens, subitò prœmiserit exploratores, qui specularẽtur, quam uiam tenerent hostes. Illi diligenter officio functi, nõ multò pòst reuertuntur, indicantq; Henricum ad Lichefildiam castra habere. Quod ubi cognouit, quia iam armatorũ numerus ingens conuenerat, continuò militibus in ordines deductis, iubet acies quadrato agmine incedere, per eam uiam qua intellexerat hostes uenturos esse, cunctisq; in medium coactis impedimentis, ipse cum suis stipatoribus sequitur, alis utrinque discurrentibus equitum: ita seruatis ordinibus, Lecestriã sub solis occasum peruenerũt, cùm interea Henricus Lichefildia se mouens, ad proximum uicum, quem Thomuuorth dicunt, ire contendebat, cui in itinere obuij fuere Gualterus Hungerfordius, Thomas Burscherius, ac plerique alij, qui se in eius fidem permiserunt: ij enim animaduertentes se Ricardo suspectos esse, ut ne ad inimicũ inuiti ducerentur, parum ultra Stonyngstratfordiam, Robertum Brachyngburiũ ducem deserentes, nocturnis itineribus ad Henricum transierunt. Confluebant passim & alij nobiles ad eum, qui Ricardum in dies singulos, peius omnibus mortalibus oderant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Accidit in itinere casus Hērico memorabilis: is enim licet magno esset animo, & eius copiæ passim augerentur, tamen in timore non paruo erat, quòd nihil certi uideret sibi polliceri posse de Thoma Stanleio, qui, uti demōstraui, propterea quòd à Ricardo periculū filio metuebat, neutrò adhuc inclinabat, & de Ricardi rebus longè aliter, ac amici significarāt, nūtiarēt nihil firmius esse, nihil paratius: quocirca cùm eius timor nō de nihilo esset, ipse uiginti tantū comitatus armatis, substitit in itinere incertus cōsilij, ut deliberaturus, quidnā faceret: accedebat ad hoc, quòd audierat Ricardū cū innumerabili exercitu appropinquare. Dum ita subtristis à longe sequebatur, omnis exercitus Thomuuorth peruenit, & cùm interuentu noctis ipse præcedentium uestigia uidere nequiret, postquam diu errabundus, suos non inuenisset, ad quendam uiculū à quo castra aberant plus tria milliaria, uenit, plenus timoris: qui ne in insidias incideret, nihil à quoquam sciscitari ausus, mansit illa nocte ibidem, non magis ob præsens quàm ob futurum periculum territus, porrò uerebatur, ut id alicuius futuræ plagæ prodigium foret. Neq; minus exercitus ob subitam ducis absentiam mœstus erat, cùm Henricus postridie albescente cœlo, ad exercitū redijt, excusans se id nō errore, sed de industria fecisse, quòd esset extra castra, gratum nuntium à quibusdam occultis amicis accepturus: deinde Aderstonam clàm proficiscitur, ubi Thomas Stanleius & Gulielmus fratres statiua habebant. Hîc Henricus cum Thoma & Gulielmo congreditur, iunctisq; dexteris, ac reddita mutuò salute, de communi statu inter se gratulantur, atq; omniū animi ad lætitiam excitantur: post hæc consilium faciendi prælij cum Ricardo, si ad manus ueniret, quem haud procul abesse audiebant, inter se conferunt. Sub uesperum eius diei, Ionnes Sauagius, Britannus Sanfordius, Simon Dygby, complures q; alij à Ricardo deficientes, ad Henricum cum electa armatorum manu ueniunt. Quę res & uiribus auxit, & bona spe Henricum magnopere impleuit.

Interea Ricardus audiens hostem aduentare, prior ad locū pugnæ parum ultra Leceſtriam, Bosuuorth (id pagi nomen est) accedit, ibiq; positis castris, suos ea nocte à laboribus recreat, hortaturq; multis uerbis ad futurū prælium. Fertur eadem nocte fuisse Ricardo terribile somnium: uisus est enim per quietem, uidere circa se obuersari imagines quasi malorum dęmonum horrificas, & illas nō sinere se quiescere. Quæ equidem uisio nō tam subito pauore eius pectus perculit, quàm anxijs impleuit curis: nanq; statim pòst animo æger, ex ea re grauem pugnæ futuræ euentum prędsagiebat, ac non ea animi aut uultus alacritate, qua antè ad certamen accedebat, qui ut ne hostium metu territus, diceretur eam prę se ferre tristitiam, multis mane somniū suum recitauit. Verùm id, credo, nō fuit somniū, sed cōscientia scelerū, conscientia, inquam, eò grauior, quò culpa maior, quæ si aliàs nunquā, at extremo uitæ die solet nobis cōmissorū nostrorū memoriā repræsentare, ac illorū simul imminentes pœnas monstrare, ut meritò ad id tęporis punctū, male actę uitæ pœnitētes, hinc tristes migrare cogamur. Iā ad propositū redeo. Postero die Ricardus rebus omnibus paratissimus, cuncto exercitu ex castris educto, aciē dirigit mirabili lōgitudine productā, ac peditibus equitibusq; confertā, ut procul aspicientibus terrorem ob multitudinē armatorū præbeat, & in fronte sagittarios locat, instar munitissimi ualli. His sagittarijs præficitur Ioānes dux Northfol-

Northfolchiæ. Post eam longam aciem, sequebatur ipse rex cum electo militum robore. Interim Henricus à colloquio amicorū digressus, animo iam erectiore esse incipit, qui nulla facta mora, propius hostes castra ponit, ibiq; pernoctat, bene autem mane militem se ad arma expedire iubet, simulq; mittit ad Thomam Stanleium, qui iam ut medius loco pugnæ appropinquarat, cum suis copijs accedat, ad milites ordinandos. Is respondet, ut ille suos in aciē ducat, dum ipse instructo exercitu adsit. Quo respōso Hēricus cōtrà atq; opinabatur, temporisq; opportunitas ac magnitudo rei postulabat, dato, quamuis nonnihil anxius reddatur, pendereq; animi incipiat, tamen nihil cunctatus, necessariò ita suos ordinat: aciem instruit simplicem, propter suorum paucitatem, sagittarios ante aciem constituit, quibus præficit Ioannem comitem Oxoniēsem, in dextero cornu aciei locat Gilbertum Talbotum, qui id tueatur, in sinistro uerò ponit Ioannem Sauagium. Ipse autem fretus auxilio Thomæ Stanlei, cum una equitum turma, paucisq; peditibus sequebatur: nam omniū militū eius omnino numerus uix erat quinq; millia, absq; Stanleianis, quorū tria circiter millia, duce Gulielmo, pugnæ interfuerunt: regiarum uerò copiarum bis alterum tantum fuit. Ita utrinq; instructa acie, ubi procul inter se milites conspicere potuerunt, sese galeis armant, atq; ad pugnā parant, expectantes arrectis auribus, inuadendi signum. Inter utrunq; exercitum intercedebat palus, quam Henricus de industria ad dexteram dimisit, ut suis instar munitionis esset: simul etiam id faciēdo, solem à tergo reliquit. At rex ubi uidit hostes præterisse paludem, suos impetum in eos facere iubet. Illi subitò sublato clamore, primùm sagittis hostem petunt, qui pugnam nihil retardans, ferociter & ipse sagittis ferire incipit, sed ubi cominus uentum est, gladijs deinde res agitur. Oxonienſis comes interim ueritus ne sui pręliando à multitudine circumuenirētur, edixit per ordines, ne quis miles à signis plus decem pedes procederet. Quo cognito mandato, cùm sese cuncti spissè coēgissent, & parū à certamine cessassent, aduersarij ut territi ob eam rem aliquid fraudis suspicati, ipsi quoq; parumper pugnam intermiserunt, & id quidem multi non grauatè, qui malebant regem perditum, quàm saluum, ac ideo minus fortiter pugnabant. Tum Oxonienſis una in parte confertis manipulis, in hostes impetum renouat, et alij in parte altera, facto cuneo, unà urgētes integrant pugnā. Dum ita inter primas acies utrinq; dimicatur, Ricardus primò à speculatoribus procul Henricū paucis stipatū armatis esse intelligit, deinde iam propius accedentem, certius ex signis Henricum cognoscit, qui tum inflammatus ira, concitat calcaribus equū, atq; in eum ex altero latere ultra acies incurrit. Sensit contra se Henricus Ricardum ire, & quia omnis spes salutis in armis erat, se certamini auidè offert. Ricardus primo impetu aliquot interfectis, & uexillo Henrici deiecto, unà cum Gulielmo Brandono uexillario, cōgreditur cum Ioanne Chenio homine longè fortissimo, qui se uenienti obtulit, quē magnanimi in terram trudit, uiam sibi ferro ubique faciens. Sustinuit tamen Henricus impetum diutius, quàm etiam eius milites putarant, qui uictoriam iam penè desperabāt, cùm ecce, Gulielmus Stanleius cum tribus armatorum millibus subsidio uenit. Tum uerò temporis puncto, reliquis in fugam se dantibus, Ricardus inter confertissimos hostes prælians interficitur. Interea Oxoniensis post breue certamen cæteros etiam, qui in prima acie pugnabant, in

Universidad de Deusto
Biblioteca

fugam quamprimum coniecit,quorum bene magnus numerus in ipsa fuga cecidit.Sed multò plures non inuiti,qui Ricardum metu,non item uoluntate secuti erant,se prælio abstinuerunt,atque nullo accepto detrimento, abierunt,quippe qui non salutem,sed exitium principi quem oderant,expetebãt. Cæsi sunt mille circiter homines,& in ijs ex nobilibus,Ioãnes dux Northfolchiæ,Gualterus Ferrysus regulus,Robertus Brachyngburius,Ricardus Rateclyffus,complures q; alij.Biduo pòst Leceſtriæ Gulielmus Chatysby leguleius,cum paucis suis socijs,supplicio afficitur.Ex illis autem, qui se in pedes dederant,Franciscus Louellus regulus,Humfredus Staffordius cum Thoma fratre ac multis comitibus confugerunt in asylum diui Ioannis,quod est ad Colceſtriam oppidum Essexiæ maritimum. Captiuorum uerò numerus maximus fuit,quoniam occiso Ricardo,cuncti cuestigiò proiectis armis, in Henrici potestatem ultrò se tradiderunt, quorum maior pars id à principio feciſſet,si per Ricardi exploratores ultrò citroq; uolitãtes licuiſſet.In ijs principes fuere Henricus Northumbriæ,& Thomas Surræ comites,hic in custodiam traditur,ubi diu fuit,ille ut uoluntarius amicus in gratiam recipitur.Amisit Henricus in ea pugna uix centum milites,inter quos unus princeps fuit Gulielmus Brandonus,qui Henrici militare signum ferebat. Pugnatum est ad XI calend.Septembris,anno salutis humanæ MCCCCLXXXVI,durauitq; dimicatio amplius duas horas.

Ricardus potuit,ut fama est,salutẽ fuga quærere,nam qui circa eum erant, ubi uiderũt militem iam inde ab initio certaminis,languidè ac segniter arma mouere,atq; alios clàm prælio excedere,fraudem suspicati,hortati sunt eum ad fugam,& cùm iam manifestè res inclinata esſet, equum uelocem adduxerunt.Ille uerò quem nõ fugiebat populum sibi infestum esse,spe deposita omnis posthac futuri euentus,fertur respondisse,se eo die aut bellorum,aut uitæ finem facturũ,adeò magna ferocia,magnaq; uis animi in eo fuit: qui propterea sciens certò illum diem,uel regnum sibi deinceps pacatum redditurũ, uel perpetuò adempturum,corona regia redimitus in certamen descendit,ut aut initium,finémue regnandi ex illo faceret.Ita miser subitò similem exitum habuit,atq; ijs accidere solet,qui ius,qui fas,qui honestum pro eo habent, ac uoluntatem,impietatem,improbitatem.Sanè ista sunt exempla longè hominum uocibus uehementiora,ad deterrẽdum eos,qui nullam horam uacuam à scelere,crudelitate,flagitio,præterire patiuntur.Henricus adeptã statim victoriam,Deo optimo maximo multis precibus acceptã retulit, dein incredibili lætitia perfusus,in proximũ collem se recepit,ubi postq; collaudauit milites,iussitq; curari uulneratos,atq; occisos sepeliri,immortales omnibus principibus gratias egit,pollicitus se memorẽ beneficiorũ fore, milite interea eũ magno clamore regẽ salutante,plaususq; libentissimo animo dante.Quo uiso Thomas Stanleius coronã Ricardi inter spolia repertã capiti protinus imposuit,perinde ac si iam populi iussu rex fuisset more maiorũ renũtiatus:atq; id primũ fuit felicitatis omen.Post hæc,Henricus collectis omnibus sarcinis, cum uictore exercitu,Leceſtriam ad uesperam perrexit,ubi reficiendi à labore militis,itinerisq; Londinum uersus parandi causa,duos moratur dies.Interim Ricardi corpus cuncto nudatum uestitu ac dorso equi impositũ, capite & brachijs ac cruribus utrinq; pendentibus,Leceſtriam ad cœnobium Franciſca-

ciscanorum monachorũ deportatur,spectaculũ meherculè miserabile,sed hominis uita dignũ,ibiq; sine ullo funeris honore,biduo pòst terra humat. Regnauit annos duos & totidẽ mẽses,plusq; die uno.Statura fuit pusilla,corpore deformi,altero humero eminentiore, facie breui ac truculenta, quæ olere malitiã,& dolum ac fraudem clamitare uideretur:dum in cogitatione aliqua uersabatur,inferius labrũ assiduè mordebat,quasi ita fera in eo corpusculo natura in seipsam furente:simul pugionẽ quem semper gestabat, dextera manu ex uagina dimidio tenus pariter recondendo,atq; cõdendo. Ingeniũ uerò habuit acutũ,sagax,uersutum,ad simulandum atq; dissimulandum aptum:animum autem elatũ ac ferocem,qui eum etiam nõ defecit in morte,quam destitutus à suis maluit per ferrum capere,quàm per turpem fugam,incertæ ac fortasse pòst paulò morbo uel supplicio interituræ uitæ parcere.

POLYDORI VERGILII ANGLICÆ HISTORIÆ LIBER XXVI.

QVÆ POST mortem Edouardi gesserit Ricardus,ac nobilium defectionem,præterea eius interitum,superiore libro explicauimus,nunc autem quæ postea acciderunt,commodùm exequemur. Henricus rerum potitus à primo sibi seditiones extinguendas statuit,qui priusquã Leceſtria discederet,Robertum Vuyllugby in agrum Eboracensem misit,qui duceret ad se Edouardum comitem Varuici,Georgij ducis Clarentiæ filium,decem & quinque annos natum,quem Ricardus in arce quam Schereshutton uocant, hactenus tenuerat. Enimuerò Henricus non sine causa uerebatur,ne per hunc puerum,ab hominibus audacissimis sibi aliquando noceretur,qui permultis ab ineunte ætate pressus malis,nihil potius optabat,quàm in pace esse.Robertus ad arcem profectus,Edouardum à præfecto sibi traditum Lõdinum deduxit,ubi miserus puer ad calamitatem natus,in custodiam protinus conijcitur.Erat in eadem arce Elizabeth uirgo,Edouardi filia,ætate maior, quam Ricardus ad connubium sibi seruabat,quemadmodum suprà demonstraui,uerùm tãtum aberat,ut puella ad id consentiret, ut etiam maximopere detestaretur, perhorresceretq;.Quid,quòd omnis populus eam longè importunissimam libi dinem non modò Ricardo,sed eius domestico senatui summo crimini uertebat,quòd tam nefarium hominis consilium corroborasset:Proinde Deus castam uirginis mentem iuuit,ab eoq; flagitio defendit,quæ paulò pòst multis cùm uiris tum matronis comitata,Londinum ad matrem reuertit. Interea Henricus iter Londinum uersus facere cœpit,ingenti passim rura incolentium lætitia & congratulatione eum regem appellantium, sed ubi appropinquauit urbi, Thomas Hylle prætor,ac Thomas Bretayn,Ricardusq; Chester uicecomites,& cũ his totus senatus atq; omnis ciuitas in eum summè officiosa obuiam effusa est,nõ modò uniuersi salutabant,uerum etiam pro se quisq; uictrices uenientiũ dexteras quæ tyrannũ occidissent,cõtingere cupiẽs alius gratulabat,alius gratias agebat,quòd eorum opera incolumis esset Respublica,sublatis malorũ autoribus.Igitur gaudiũ generatim celebratũ,ac Deo aliquot dierũ supplicationibus,ad omnia diuorũ templa,passim honor habitus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Cæterũ amici speciatim lætitia exultabant, quòd animo cernerẽt factionẽ aduersariã exterminatũ iri. Secundũ hæc, conciliũ more maiorũ indicitur, ac dies dictus, quo Henricus Elizabeth puellam in matrimoniũ duceret. Ea porrò res & gaudium principibus adauxit, & Henrici nomen in magna apud populum gratia posuit, pro certo habentem, uenisse diem, cum factionũ fons & seminarium tandem aliquando exhauriretur. Postea coacto ad Vuestmonasterium concilio, pridie calend. Nouemb. Henricus principũ atq; populi iussu, rex creatur, dictusq; est Henricus eo nomine septimus. Fuit ille annus salutis MCCCCLXXXVI. Henricus sic regnum adeptus est, quod Dei nutu atq; consilio gestum, & prouisum esse, uisum est, quandò abhinc, id est, ex hoc anno salutis 1486, annos DCCXCVII memoriæ proditum ferunt, uocem diuinitus Cadoualladro ultimo Britannorum regi, ut suprà memoraui, redditam, eius progeniem rursus regnaturam. Istius uocis fato Henricũ ductum regnũ obtinuisse, opinio per animos hominum iampridem peruaserat, quod & Hẽricus sextus futurum prædixerat.

Igitur Henricus rex ritè factus, primũ omnium uetus Athenienſium exemplum, ut dicitur, sibi reuocandum putat, hoc est, omnem actarum rerum pariter ac iniuriarum memoriam delendam. Itaq; post fundatum in eo cõcilio patrum ac populi autoritate regni statum, placuit publico edicto, omnibus parci, ac bona restitui, qui in Henrici fidem uenirent, in eiusq; uerba iurarent, & qui non uenissent, post XL. dies, quàm potestas ueniendi facta foret, numero hostiũ patriæ haberi. Quo factũ est, ut bene multi qui se asylis tenebant, ad sanitatem redierint, studiorũ diuersarum partiũ obliti. Deinde de amicis ratio habita, & alij dignitate, alij opibus, quisq; pro meritis aucti. In ijs Gaspar Henrici patruus dux Bedfordiæ, Thomas Stanleius comes Derbij, Aegidius Dabeneius & Robertus Vuyllugby Broke reguli creantur (regulos, sicut alibi diximus, uulgus dominos uocat) & Edouardus filius maior natu Henrici duCis Buchyngamię restituitur in paternam dignitatem, atq; possessiones, quas Ricardus rex publicauerat, unà cum alijs exulum bonis. Postremò in eo conuentu, quędam à Ricardo ac Londinensibus decreta rescinduntur, atq; leges quæ id temporis è Republica esse uidebantur, populo dantur. Constitutis rebus publicis, ac dimisso concilio, Henricus absentium etiam rationem habendam ratus, Thomã Dorcestriæ marchionem ac Ioannem Burscherium, quos Lutetiæ pro accepta pecunia, quasi pignori reliquerat, quamprimũ redemit, atque Ioannem Elyensem episcopum ex Flandria accersendum curauit. Item consiliũ domi constituit, de cuius sententia, cuncta iustè & rectè gubernentur, causæq; ad ipsum relatæ sine litium acerbitate deciderentur: in quod quidem consilium à principio uiros propter prudentiam singularem, fidem & grauitatem, claros delegit, Ioãnem Oxonienſem comitem, Gasparem ducem Bedfordię, Thomam Stanleium Derbienſem comitem, Georgium regulum Strangium, eius filium, & Gulielmum fratrem sui regij cubiculi præpositum, Robertum Broke regulum, suæ domus regiæ præfectum, quem Stouardum dicunt, Reginaldum Braium, Ioannem Mortonum Elyensem episcopum, Richardum Fox, Ioannem Dynham, quem postea fecit Angliæ thesaurarium, quem uocant, id est, quęstorem, Ægidium Dabeneium, Ricardum Gilfordium, Ioannem Chenium, Ricardum Tonstallum, Ricardum Eggecombium, Tho-

Thomam Louellum, Edouardũ Ponyngum: ac alios deinde sapientes homines sibi consiliarios optauit, ad consilia q; rerum gerendarũ continenter adhibuit, quo in numero erat Ricardus Thomas homo Vuallus, Morganus Kydwellus, Thomas Graius marchio Dorcestriæ, homo bonus & prudens, Georgius Talbotus Salopiæ comes, uir nobilis, sapiens, ac in omnibus uitæ partibus moderatus, Ioannes Rysleius, Thomas Ormondię comes, homo Hybernus, Henricus Marneius, Gulielmus Say, uir sui equestris ordinis primarius, Gulielmus Ody, Gilbertus Talbotus, Gulielmus Vdallus, Thomas Troys, Ricardus Nanfantus, is aliquãdiu Caleti præfectus fuit, Robertus Poyntus, Iacobus Hubertus, Carolus Somersetus, homo paratus, atque nobilis, Thomas Hauardus comes Surræ, uir prudẽtia, grauitate, constãtia summa, Henricus Burscherius Essexiæ comes singulari bonitate præditus, Gulielmus Blõtus Monioij regulus dissertus, ornatus, Ioãnes Burscherius, Ioannes Fyneux, Petrus Eggecombius, Hugo Conueius, Thomas Terellus, Henricus Vuyat, Robertus Throgmartonus, Thomas Brandonus, homo fortis ac experiens, Ioannes Vuyngfildus nobilitate æquè ut uirtute prędarus, Edmũdus Dudleius, Edouardus Belknapus, Ricardus Hemsonus, ac deinceps pleriq; alij cõsilio boni. Restabat ad corroborandũ præsentem rerũ statũ, ut Henricus Elizabeth puellã Edouardi filiã perinde ac pollicitus erat, sibi matrimonio iungeret, quod & fecit. Ex illo quies Anglicano populo iã parta uisa est, quòd Lancastria & Eboracensis, duæ præpollentes æquè opibus ut nobilitate familiæ, tandẽ aliquãdo in unã coiuissent domũ, unde certa regia proles uẽtura esset, quæ in posterũ tẽpus regnũ obtineret. Quibus rebus actis, etsi omnia quieta ac tuta uidebant, Henricus tamen præteritis malis doctus, sibi adhuc inimicorum insidias pertimescendas ducebat, quòd mortales ab incunabulis odio factionũ imbuti, nõ facilè soleant uirus ex animo expuere: itaq; primus omniũ Angliæ regum stipatores corporis habere cœpit, quod à Francis principibus sumpsisse ferũt. Cæterũ quia ad cauenda pericula, parum interdũ foris arma ualent, nisi sit consiliũ domi, idcirco suũ domesticũ senatũ, quemadmodũ suprà dictũ est, constituit, in eumq; grauissimos quosq; ac sapientissimos uiros, & præsertim eos quos omniũ suorum consiliorũ, periculorum, calamitatũ iam indeab initio socios, adiutores, participes habuerat, adsciuit, utpote qui cunctas suas curas in Republica rectè regenda sibi defigendas putabat, memoria tenens se ad imperiũ à populo Anglico eius rei causa esse uocatum, ac propterea sua permagni interesse curare, quò regnũ legibus, institutis, moribus pariter floreret, atq; spes cunctis renascerentur fore melius. Atq; tale gubernationis fundamentum Henricus à principio iecit.

Eodem anno nouũ morbi genus peruasit per totum regnũ, sub primũ Hẽrici in insulam descensum, dira quidem lues, & quã nulla sit ætas antea, quod constet, perpessa: subitò enim sudor mortifer corpus tentabat, ac simul dolor caput stomachumq; uehemẽti caloris ardore affectum angebat. Quo in morbo homines qui à principio erant, quia alij æstus minus patientes, si in lecto erant, stragula dimouebant, si uestiti, uestes deponebãt, alij sitientes frigidum potũ sumebãt, alij demũ patientes caloris fœtorisq;, nam sudor graue olebat, additis stragulis, sudorem prouocabant, æquè omnes aut ilicò, aut nõ multò pòstq; sudare cœpissent, moriebantur, ita, ut ex omni ægrotantium numero,

Universidad de Deusto
Biblioteca

uix centesimus quisq; euaderet. Neq; ulla interim medicorum ars aut scientia quicq; opitulabat, q; morbi nouitas omnē illorū excluderet peritiā. Verùm post uigintiquatuor horas (tanto tēporis spatio uis eius morbi durabat) abeunte sudore, nōnulli confirmabant: nō eo tamē ita expurgati erant, quin iterum atq; iterū in morbum reciderent, multiq; inde perirent. Sed ea res remedium tanto malo ad ultimū monstrauit: nam qui semel primò sudarant, cùm deinde rursum ægrotarent, obseruabant ea quæ in prima curatione profuissent, & illis pro remedio utentes, addebant semper aliquid ad curationem utile. Item & illi ĩdem cùm iterum in idem ualetudinis genus inciderent, ex priore obseruatione earum rerū per quas se confirmassent, ita se curare didicerūt, ut uim sudoris illius facilè tolerarent. Quibus rebus ita usu uenit, ut post ingentem mortalium stragem, remedium unicuiq; promptissimum inuentum sit, quod huiusmodi est: Si quis interdiu sudore corripiatur, cum uestitu protinus cubatū eat: sin noctu, & in lecto, tum quiescat, nec se è loco moueat, usq; ad uigintiquatuor horas exactas: interim ita se stragulis oneret, quò nō prouocetur sudor, sed sua spōte molliter stillet, cibi nihil capiat, si tandiu famem tolerare possit, neq; plus potionis consuetæ ac calfactę hauriat, quàm modicè satis sit ad sitim extinguendam: inter hanc curationem in primis caueat, ne manū quidē aut pedem sui refrigerandi recreandiq; causa, extra stragula proferat, quod facere letale est. Hoc remediū est nouo morbo inuentū, qui tantū Angliam id temporis peruasit, & posthac sæpe grauiter afflixit. Atque annus primus cùm regnare cœpit Henricus, tali fuit peste insignis, id quod iam tum in uulgus opinio tulit prodigiū esse duri eiusdem regis futuri imperij: atqui potius, si quid ueri uana potest monstrare religio, portendit Henricū usq; ad extremū uitę spatiū, nullum tranquillū atq; otiosum spiritum esse ducturum, quandò ab initio cœpit suorū seditionibus uexari, adeò ut nunquā ei postea per illas licuerit esse quietum, securúmue. Ad rem redeo.

Postq; Henricus Londini res suas ex desiderio constituerat, bonoq; loco esse uiderat, reliquas regni partes sibi obeundas censuit, quò animos hominū factionū contagione cōtaminatos purgaret, & ante omnes, Eboracēsem prouinciam aduersariarum partiū in primis studiosam in officio contineret: itaq; primo quoq; tempore Eboracum proficiscitur, & quia paschales festi dies instabant, eius rei causa iter Lincolniam cōuertit, qui dum ibi commorabatur, factus est certior Franciscum Louellum regulum cum Humfredo Staffordio abijsse ex asylo Colcestrensi, sed quò terrarum se contulisset, neminem hominem pro certo habere, qua de re id minus curandum existimans, Eboracum prout constituerat, perrexit: quò simulac peruenit, rumor repentè per totam urbem diuulgauit Franciscū cum bene magnis copijs adesse, ac infestis armis ipsam urbem petere, & Humfredum cum Thoma fratre, in Glocestrensi agro inter agrestem multitudinem seditionem concitasse, atq; inter se partitos, qui portas urbis, qui muros, qui uias occuparent. Ad primū nuntiū ut incertum, rex parū mouetur, sed ubi cognouit ex literis suorum uera esse, quæ antè rumor attulisset, ingenti afficitur trepidatione, quòd non exercitū, nō arma quibus suos armet, parata habeat, non eo denicq; loci sit, ubi militem eo temporis puncto scribere possit, in ea ciuitate scilicet aliàs inimica, cui Ricardi nominis memoria recens in animo hæreret: sed quia res diligentiam requirebat, ut ne spatium

spatium daretur aduersarijs uires augendi, Gasparem Bedfordię ducem cum tribus militum milibus leuiter armatorum, quia bona eorum pars ex corijs thoraces sibi fecerat, properè ire obuiam hostibus iussit, & quid sui cōsilij esset, cōmonefecit: ipse interim undecunq; potest, militem cogit. Bedfordiensis more tumultuarij exercitus raptim profectus, ubi castris hostium appropinquauit, & paulisper cum suis ratiocinatus, quomodo sine certamine, illorum conatus reprimere posset, cōfestim præcones edicere iussit omnibus impunitatem dari, qui arma deposuissent. Quæ equidem res permagni fuit momenti: nanq; Franciscus siue ob id minus suis confidens, siue timore perterritus, de media nocte à suis clàm discessit. At illi cognita fuga ducis, sine mora, cuncti ad pedes Bedfordiensi iacentes, ueniamq; precantes, in regis potestatem se tradiderūt. Sic impetus aduersariorū, qui in regem fiebat, ex quo cædes multorū esset consecuta, Bedfordiensis opportuno consilio repentè resedit, atq; Franciscus magis periculi timens, quàm gloriæ appetens, nō tentato certamine, in comitatum Lancastrensem perpetuo cursu se recepit, adiuitq; ad Thomam Brogtonū equitem magna in ea regione autoritate, apud quē aliquot per menses latuit. Humfredus etiam ex Franciscī fuga pauore affectus, discedit à suis in asylum, quod uocant Colnamū, abest ab Abyndonia circiter milia passuum duo, & quia id asylum perfugio non est illis, qui contra regis maiestatem commisissent, Humfredus inde extractus capite mulctatur: Thomæ uerò fratri, qui unà cum eo erat, uenia datur, quòd non sponte, sed fratris impulsu in id bellum ingressus fuisset. Rex sic sedato tumultu, qui eius animum magno timore impleuerat, & Eboracensis prouincię statu diligenter collocato, Londinum reuertitur, ac paucis pòst diebus Vintoniam petit, ubi loci Elizabeth regina eius uxor puerum peperit, quem Arthurū appellauit, atq; Londinum aliquanto pòst regreditur.

Interea ex parua fictaq; re, initium maioris motus ortum est, quod pro artificio rei, facinus audax censendum est, at pro tempore, nulla admiratione dignum, quoniā iampridē permulti homines inter seditiones, quas superioribus libris memoraui, aut orti aut nutriti, nec in armis diu, nec in otio esse poterant, partim domi sedentes, ac male cogitantes, partim per licentiā bellorū omnia prædæ esse cupientes, ac ad ulciscendas partium iniurias uehementer ardentes, qui neq; belli neq; pacis iura ulla esse uolebant, ex quo ut improbi facilè aut odio emolumentóue in fraudem impellebantur, nec deerant turbarum ac seditionū duces autoresq;. In ijs fuit Ricardus Simondus presbyter, homo sordido loco natus, cui fraudes & doli à primo cordi erant, cæterum non indoctus, & propterea discipulū sibi elegit Lambertū Symenellum puerum non malo usquequaq; ingenio, per quem fallaciam eiusmodi confinxit. Venit perfidioso homini æquè improbo ac facinoroso, qui iam ab alterius factionis principibus subornatus fuerat, in mentē, facere suum Lambertum regem, & se Anglorum antistitum primarium: cuius consilio materiam dedit, quòd in uulgus fama ualeret filios Edouardi regis aliquò terrarum secretò migrasse, atq; ita superstites esse, ac Edouardum Varuici comitem ducis Clarentiæ filium uel necatum, uel breui necandum. Hi rumores quamuis uanissimi, spem fecere Ricardo Simondo, ut uenturum tempus putaret, cùm Lambertus aptè posset alicuius ex istis regijs pueris personam sumere, & regnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

repetere, ut qui certũ quasi haberet, omnino nõ defuturos, qui eum iuuarẽt, cùm odia ex factionibus orta ut plurimũ ęterna sint, quod ille ex seipso metiebatur: ita ea spe ductus suũ Lambertũ Oxonij ubi literas studebat, regalibus moribus instituere, bonis erudire artibus, regiã prosapiam edocere miro studio cœpit, ut cùm opus foret, uulgus pueri indolem miratus fidẽ suo cõmento facilius haberet. Haud ita multò pòst, fama passim dissipauit Edouardum comitẽ Varuici in carcere interijsse. Quod ubi Simondus resciuit, existimãs esse tẽpus obire destinatum facinus, mutat adulescentulo nomẽ, uocatq; eum Edouardum, quòd illud nomen filio ducis Clarentiæ fuisset, qui & id ætatis puer erat, ut alter alteri annis nõ præstaret, ac protinus cum eo in Hyberniã trajicit, ibiq; secretò cõuenit nõnullos Hybernorũ principes, quos parum fidos esse Hẽrico ex fama cognorat, datáq; ab illis fide, narrat se seruasse filium ducis Clarentiæ à morte, ac duxisse in eam terrã, quam audierat semper unicè amasse nomẽ & genus Edouardi regis. Res facilè ab illis credita inde alijs aperitur, sicq; pro uera habetur sine controuersia, ut Thomas Gerardinus insulæ cancellarius specie ueri deceptus in primis, puerũ ut regia stirpe procreatum acceperit hospitio, summaq; ope iuuare ingressus sit: primò enim conuocatis suis cliẽtibus, indicat de aduentu adolescentis, & quẽadmodum ei reliquo exuirili regia prole, regnũ Angliæ debeatur, & propterea eos hortatur, ut cùm suo tum pueri nomine, se sequi uelint, atq; pro se quisq; ipsum in auitũ regnũ restituẽdum curare: deinde cum reliquis principibus rem cõmunicat, qui cognito eius cõsilio, in illum multò sese officiosiores fore ostendentes, operam suam pollicentur. Per hunc modum fama celeriter ad omnes Hyberniæ ciuitates perfertur, quæ confestim in fidem pueri ueniunt, eum regẽ certatim appellantes, ita ut secta iam præpollente effecta, principes statuerint alios alibi belli socios adiungendos, qui continuò dimittunt certos nuntios in Angliã ad eos, quos sciebant Ricardi regis partes secutos esse, qui orent, rogẽt, obtestentur, ut in fide maneant, atq; uelint regium adolescentem opibus iuuare: alios itidem nuntios mittunt in Flandriam ad Margaritam sororem Edouardi, quæ nupta fuerat cum Carolo duce Burgundię, rogatum etiam auxilium. Carolus enim nullis ex Margarita susceptis liberis, unicam ex priore uxore reliquit filiam nomine Mariam, quam in matrimonium duxit Maximilianus Frederici Imperatoris filius, ex qua duos genuit filios, Philippum & Margaritam. Hosce Marię quę haud diu pòst superstes fuit, & Maximiliani liberos Margarita Caroli altera uxor materno complexa amore, mira charitate nutriebat, accipiebat, fouebat, studioseq; rebus domesticis operam tribuebat, quæ eiusmodi officijs magnam apud Flandros sibi autoritatem compararat. Ista igitur Margarita etsi non ignorabat domum suam Eboracensem à Ricardo fratre duntaxat funditus euersam esse, tamẽ nõ saturata ódijs, quibus omnis ferè Henrici sexti progenies extincta esset, nec memor affinitatis, qua ad ultimũ, uti suprà ostendimus, reliquus alterius familiæ sanguis alteri in perpetuum admistus foret, in Henricum regem pessimè animata, iraq; simul accensa nõ cessabat omnia tentare, quamobrem hominem ut alterius factionis caput opprimeret, perinde quasi eius sanguine suæ domus interitum lui uellet, adeò magna uis est ciuilium simultatũ, ut interdum sapiẽtissimos quosq; ab honesto auertat, præcipitetq;. Igitur mulier certior facta de noua subitò orta

orta in Henricũ factione, quãuis rem, prout erat, simulatã non item parui momenti arbitraretur, non modò promisit nuntijs se opem laturam, sed operam quoq; daturam, quò maiora auxilia ipsis cõspirationis socijs adiungerentur.

Quibus rebus in Angliam Henrico nuntiatis, haud secus atq; par erat, uaľde cõmotus est, quòd fraude unius longè sordidissimi improbissimiq; hominis tantum in se bellum compararetur: uerùm ut uir sciens, homoq; prudens iudicabat genus belli crudelissimi fore, si in campum descẽderetur, in quo sæpe area multorũ scelerum esse soleret, ac idcirco primùm omniũ rentandum sibi constituit, si sine armis, quorum exitus semper incerti, posset suos ad sanitatem antè reducere, quàm malum nondum latè disseminatum per terrã Angliam manaret. Itaq; cõuocato principum concilio, ad Cartusianorum cœnobium, quod parum abest à regia uilla, quã ipse postea appellauit Richemondiam, quonã pacto mota temporis procella deuitari possit, diligenter consilium exquirit. Cunctis primo consessu uidetur utile factu, ut priusquam cætera agitentur, illis omnibus uenia cõmissorum præteritorum proponatur, qui in officio deinceps permanserint, ut ne si id differatur, interim Thomas Brogtonus eques, qui Franciscũ Louellum apud se diu seruarat, præsensq; aderat, atq; alij eius amici tempore tam difficili ac periculoso, desperata uenia, palàm erumpant: nam quanquam ij eius cõiurationis consiliorum affines esse putabantur, quia tamen id nullo certo constabat indicio, non uidebatur conducere quicquam in præsentia in eos grauius cõstituere, partim ut ne tumultus augeretur, partim uerò, ut si posthac ab officio discederẽt, id eis suo merito fraudi foret. Quare statim edicto tota Anglia diuulgato, cunctis generatim sontibus etiam capitalium rerum condemnatis parcitur, pœnaq; remittitur. Deinde post longam consultationem, quorundam mentes & sententiæ eò inclinabant, ut in rem præsentem esse ducerẽt, filium ducis Clarentiæ populo ostendi, quò illa opinio uana puerum esse in Hybernia, decederet de mentibus hominum. Sunt simul multa quæ ad statum Reipub. pertinebant, decreta. Inter cætera, Elizabeth quondam Edouardi regis uxor omnibus possessionibus mulctatur, propterea q̃ se atq; filias Ricardo regi cõmisisset, cõtrà atq; ab initio factæ cõspirationis in Ricardũ, promiserat, ac receperat principibus illis, qui cunctis suis fortunis neglectis, quas in Anglia habebant, eius potissimũ rogatu & causa, ad Henricũ in Britanniã transissent, ab eoq; iusiurandum exegissent, quo ille obligarat se ad ducẽdã illius filiã maiorẽ natu in matrimoniũ, & id per eam nõ stetisset, quin irritũ fuerit, ac principes Henricũ secuti perpetuò exularint. Graue quidẽ certè delictum, sed eius exitus ex eo minus omnino legibus uisus est uindicãdus, q̃ tantũ abfuit, ut alijs uel Henrico nocuerit, ut etiã adiumẽto fuerit, cùm per id Ricardus rex facinus facinore cumulare autsus religionẽ neglexerit, neptis cõnubium petendo, ac ob istuc, Deum magis iratũ sibi fecerit, unde eius ruina erupit. Hinc profectò cognoscamus licet, im probos nõ humani iudicis cõsilio trahi, sed Dei nutu, perinde quasi sua sponte ad meritum exitium properare. Atq; ita regina sua in se leuitate magnã deriuauit inuidiã, qua cõfecta miseram deinceps uixit uitã. Tales res nostræ sunt, semper incõstantes, quales ipsi sumus. Atq; unũ Elizabeth reginæ opus fortuna diminuere nõ potuit: illa em̃ dum Edouardus uir regnabat, Cãtabrigię loco magnifico optimarũ disciplinarũ atq; artiũ studiosorũ adolescẽtiũ collegiũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

instituendũ curauit, deditq; fundos, ad eorum uictum. Vocatur Reginæ collegium, eo ipso certè dignum nomine, quod omni tẽpore doctissimis hominibus ibidem assiduo studio eruditis affluit. Sed ad rem reuertamur.

Rex dimisso concilio, Londinum uenit, ac insequenti die dominico, educi per mediam urbem, ex turri, iussit Edouardum filiũ ducis Clarentiæ, ad templum diui Pauli. Hîc adolescens, ut edoctus erat, sese omnibus ostendens, interfuit in supplicatione, in cæterisq; sacris, ac simul collocutus est cum multis principibus & præsertim cum ijs, qui coniurationis participes habebantur, quò illi facilius intelligerẽt Hybernos ex re uana, nouos dementer facere motus. Sed animis male sanis nihil hæc profuit medicina: nanq; Ioannes comes Lincolnienſis, Ioannis Polæ ducis Suthfolchiæ & Elizabeth Edouardi regis sororis filius, hanc nouandarũ rerum facultatem haudquaquã omittendam ratus statuit Hybernorum conatus, ut ne male caderẽt, modis omnibus corroborandos. Sanè uir ingenij acrimoniæ pleni, & consilij nõ modici, ueneno ciuilium inimicitiarũ iampridem infectus, non poterat in animũ suum inducere, ut patienter uideret Henricum aduersę factionis hominem regnare, qui propterea inito cum Thoma Brogtono, ac plerisq; alijs amicis cõsilio, decreuit ad Margaritam materteram trajcere, & eius opibus nixus, ad nouæ seditionis autores adhærescere. Itaq; statim post dimissum à rege principum conuentum, comes clàm in Flandriam ad Margaritã uenit, quò aliquot antè diebus, Frãciscus Louellus se receperat. Hîc pro suo quisq; sensu ac desiderio, in rerum gerendarum rationẽ locutus est, quarum post longam disputationẽ, summa fuit, ut comes cum Francisco properè Hyberniam peteret, Lambertũ fictitium nepotem regio honore honestandum curaret, Hybernorũ auxilia cum nouo rege, in Angliam adduceret, amicis undiq; ad arma uocatis, bellũ Henrico faceret, & si res feliciter caderet, tum Lamberto in ordinẽ redacto, Edouardum comitẽ Varuicensem uerum nepotẽ carcere primũ liberaret, ac postea ex autoritate principum amicorũ, regem constitueret. Rex Henricus interim, qui sperabat suos principes post uisum Edouardũ filiũ ducis Clarentiæ quieturos, nec esse quempiã tam improbũ putabat, qui de eo quicq̃ fingeret, nec tam furiosum, qui crederet, solùm studebat Hybernorũ temeritatẽ cõpescere, cùm repẽtè de fuga comitis Lincolnienſis cognouit, qui ob eam rem ualde animi perturbatione cõmotus, inimicorũ iniurias quas nullo cõsilio uitare se posse animaduertebat, iam tum apertè persequendas, uindicãdasq; armis statuit: itaq; certos belli duces quaquauersum missos exercitũ parare, atq; in unum locũ cogere iussit, ut omni multitudine in eam partẽ impressionẽ facerent, quà aduersarios uenire constiterit: ipse interim timens ne nõ plures in Flandriam ad comitẽ transfugerent, omnẽ oram quæ ad orientem solem spectat, obire passim præsidijs, custodijs, uigilijsq; munire cœpit, & iam ad cœnobiũ diui Edmundi peruenerat, cùm intellexit Thomã marchionẽ sui purgandi causa ad se approperare, quẽ misso obuiam Ioanne comite Oxoniensi, de itinere in turrim Londinensem duci iussit, ut si esset amicus, sicuti reuera erat, illud tantillũ indignitatis eius salutis causa subire, haud ægrè ferret, sin inimicus, ne noceret: quo facto, Nordouicũ petit, & ibi Christi die natali acto, Vualsingamiam progreditur, ingressusq; diuæ uirginis templum, quod in eo pago ob summã miraculorum religionem, sanctissimum est, orat, precatur, atq; uota

uota facit, ut ope diuina, & uirginis Marię ductu, sibi liceat inimicorũ insidias cauere, & se & patriam ab instanti periculo defendere, eiusq; uitiosas partes sanare. Ita precatus Cantabrigiam & inde Londinum celeriter reuertitur.

Interea Ioãnes comes Lincolnienſis & Frãciscus Louellus, accepto à Margarita exercitu duorum circiter milliũ Germanorũ, quibus præerat Martinus Suardus homo Germanus, summo genere natus, ac rei bellicę scientia præstans, in Hyberniam trajciunt, atq; Dublini Lambertum puerum perinde quasi regia stirpe ortum, more maiorũ, regem creandum curãt. Post hæc, Hybernorum egentium ac ferè inermium coacta ingenti multitudine, quorum dux erat Thomas Gerardinus, cum nouo rege, in Angliam nauigant, ac dedita opera, haud à Lancastro procul in terram descendũt, freti opibus Thomæ Brogtoni, qui princeps erat coniurationis socius. Rex aũt Henricus qui suæ causæ non indormiebat, quod acciderat suspicatus, paulò ante aduentum hostiũ, dimiserat per oram ad occidentẽ spectantẽ, aliquot equitũ turmas, cùm ad obseruandum aduersariorũ accessum, tum ad aliquos de Hybernia profectos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret, & ipse copijs coactis, quibus Gasparẽ Bedfordiæ ducẽ, & Ioannẽ Oxonienſem comitẽ præfecerat, Conuentriã petebat, quò uix peruenerat, cùm equites officio functi renuntiarunt comitẽ cum suo collectitio exercitu, ac nouo rege, in oram Lancastrensem esse appulsum, quod ubi intellexit, de obuiam itione, cum suo domestico senatu agit, cùm res nõ inanis uideretur postulare consiliũ pariter ac celeritatem. Cunctis una mente probatur, ut ipse aduersarios uenientes excipiat, quoquo gentiũ ierint, seq; receperint, ne illis spatiũ detur maioris faciendi exercitus. Ita capto consilio, rex Nothyngamiã petit, ad proximamq; syluã, quæ Bonrys uocitatur, castra ponit, quò non multò pòst cum magno armatorum numero conuenit Georgius Talbotus comes Salopienſis, Georgius regulus Strangius, ac Ioannes Chenius, egregij belli gloria duces, cũ pluribus alijs rei militaris peritissimis: nam Hẽricus ex uicinis comitatibus nobilissimũ & fortissimũ quẽq; partim ad se euocarat, partim iusserat, ut qui arma ferre possent quamparatissimi forent, subsidio uenire, si opus esset. Itaq; uno propè tempore habito militũ delectu, magnæ copiæ coactæ sunt, quarũ centuriones & duces erãt, Rodulphus Longfordius, Ioannes Montigomerius, Henricus Vernonus ex Pek, Rodulphus Shurleius, Gotthofredus Folgehan, Thomas Grysleius, Edouardus Suttonus, Humfredus Stanleius, alter Humfredus Stanleius, Gulielmus Hugtonus, Gulielmus Meryngus, Edouardus Stanopus, Geruasius Clyftonus, Brianus Stapultonus, Henricus Vuyllugby, Gulielmus Perpoynt, Ioannes Babyngtonus, Gulielmus Bedyllus, Robertus Brundellus, Ioannes Markhã, Gulielmus Merbury, Edouardus Aborogh, Gulielmus Tyruuitus, Ioãnes Huſeius, Robertus Shefildus, Gulielmus Neuportus, Rogerius Ormestonus, Thomas Tempesta, Gulielmus Knyuettus, Henricus Vuyllugby, Edouardus Hastyngius regulus, Ioannes Dygby, Simon Dygby Haryngtonus, Ricardus Sacheuerellus, Ioannes Vyllers, Edouardus Fyldyngus, Thomas Pulteneius, Nicolaus Vaux, Thomas Grynus, Nicolaus Gryfinus, Edmũdus Lucy, Edouardus Belknapus, Robertus Throgmartonus, Georgius Graius è Ruthyn, Guido Volstonus, Thomas Fynderius, Dauid Philippus, Thomas Cheneius, Robertus Cottonus, Ioãnes Sãcti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannis, Ioannes Mordantus, Thomas Terellus, Ioannes Raynsfordius, Robertus Payntonus, Robertus Daniel, Henricus Marneius, Edmundus Armidellus. Accurrebant usq; ab ultimis finibus simul alij principes uiri, & centuriones, & in his erat Georgius Oglius, Rodulphus Neuyllus, Ricardus Latemerius, Gulielmus Bulmerius, Ioannes Langfordius, Gulielmus Norres, Ioannes Neuyllus è Thortinbrigio, & Ioannes Gulielmus. Ita regi in horas singulas mirum in modum exercitus augebatur.

Comes Lincolnienſis interea Eboracenſem agrũ ingreſſus cùm ſocijs, lento incedebat gradu, ac ſine ullo maleficio incolarum, quippe qui ſperabat aliquem populi concurſum ad ſe fieri, ſed ubi uidit paucos ſe ſequi, & nihil eſſe, quod de referẽdo pede cogitaret, cùm hoſtes in armis eſſent, ſtatuit nihilominus tentare fortunã belli, ſciens Martem eſſe cõmunem, memorq; Henricum biennio antè, parua armatorũ manu uiciſſe Ricardum regẽ, qui magnas ſecũ habuerat copias: quare ſuis cõfiſus uiribus, ex agro Eboracenſi Neuuarcum uerſus iter facere cœpit, ut ibi auctis copijs, in regem, quẽ uenire obuiã, & uix bidui abeſſe intellexerat, recta uia cõtenderet. Cæterũ priuſquã ille eò peruenire, Hẽricus cui nulla hora operis comitis erat ignota, ad ueſperã illius dici, qui ante prælij diem illuxerat, celerius opinione eorum obuiam uenientibus factus, Neuuarcũ acceſsit, parumq; illic moratus, tria millia paſſuum progreſſus eſt, ibiq; poſitis caſtris pernoctauit. Comes uerò cognito regis aduẽtu nihil territus, ire pergit, eodemq; die peruenit ad uiculum proximũ aduerſariorum caſtris, quem uocant Stoke, ubi caſtra facit. Poſtero die rex ex omnibus copijs triplici inſtructa acie, Stoke proficiſcitur, ac prope caſtra comitis conſiſtit, atq; facit æquo in loco pugnandi poteſtatem. Poteſtate facta, comes copias educit, ſignoq; ſuis dato, in certamen deſcendit: pugnatur utrinq; fortiſsimè ac acerrimè, neq; Germani homines aſperi & exercitati in armis, qui in prima acie erant, Anglis in dimicando cedebant, ſicuti nec etiam Martino Suardo eorum duci, animi & corporis uiribus omnino multi præſtabant. Contrà Hyberni etſi magnis animis præliabantur, attamẽ cùm patrio more, nullis armis corpora tecta haberent, ante omnes paſsim cadebant, eorumq; cædes aliijs multò maximè formidini erat. Dimicatum eſt plus tris horas æquo prælio, cùm ad ultimum prima regia acies longè confertiſsima firmiſsimaq;, quæ ſola pugnam cõmiſerat, continuabatq;, tanta ui in hoſtes impetũ fecit, ut primùm alios alibi reſiſtentes aduerſariorum duces interfecerit, deinde cæteros omnes fugarit, qui in ipſa fuga aut capti, aut cæſi ſunt. Verùm confecto prælio, tunc magis apparuit, quantũ animi roboris fuiſſet in exercitu hoſtium, ſiquidem illorũ duces Ioannes comes Lincolnienſis, Frãciſcus Louellus, Thomas Brogtonus, Martinus Suardus, ac Thomas Gerardinus Hybernorũ dux, in eo ipſo loco omnes interfecti ſunt, quẽ uiui pugnando cepiſſent. Cæſa ad quatuor millia hominum, & in ijs duces quinq;, quos memoraui. Rex dimidio minus ex ſuis, qui primam fecere impreſsionem, amiſit. Lambertus uerò puer rex cõmentitius cũ Ricardo ſuo præceptore capitur, ſed uitæ utriuſque parcitur, quòd ille innocens nihil per ætatem peccaſſet, utpote cui nihil pro ſuo iure facere licuerat, & iſte ſacerdos eſſet: qui tamen ut intelligeret lapidem ſolere ſuper eius caput cadere, qui illum in altum emiſerit, ut aiunt, æternis tenebris uinculisq; demandatus eſt. Viuit adhuc Lambertus ex rege, accipitrum

pitrum domitor factus, poſtquam aliquantiſper in coquina regia ueru uerterat, aliaq; uiliora munera obiuerat. Atq; ita primus Margaritæ conatus male cecidit, quæ continuò ut illud ex rumore in Flandriam perlato cognouit, cœpit miſerandum in modum afflictari, lugere, mœrere, ac iam tum excogitare ſimul, quo pacto aliud quodpiam grauius negotium Henrico regi faceſſeret, quemadmodum infrà appoſitè demonſtrabimus.

Henricus poſtquam ſic res magni momenti nõ magno item motu, ſummũ periculum breui tumultu, bellum inteſtinum optato euentu ſedatum eſt, duplici eodem puncto tẽporis liberatur metu, præſenti & futuro. Porrò cùm ille animaduertiſſet aduerſarios quibus ipſe numero armatorũ ac uiribus longè præſtabat, tanta animorũ conſtantia in ſe arma ferre, atq; ad extremũ haud ſegniter in certamen deſcendiſſe, ſuſpicatus eſt illos plures haber ſuie conſilij ſocios, qui tempore & loco opportuno eis auxilio eſſent: quare cùm uidiſſet in prælio hoſtium aciem manifeſtè inclinatam, edixit, ne quis Ioannem Lincolniẽſem comitem interficeret, ut ab eo totius cõiurationis fons aperiretur. ſed ferunt milites noluiſſe eum ſeruare, ueritos, id quod fortè fuiſſet, ne unius uita ſeruata, multorũ uitas perderet. Incidit hoc domeſticũ bellum in annum ſalutis humanæ MCCCCLXXXIX, & III, cùm regnare cœpit Henricus, qui etiam nobilis fuit morte Thomę Burſcherij Cantuarienſis archiepiſcopi, uiri ſanè & doctrina et moribus clariſsimi, in cuius locum ſubſtituit Ioannes Mortonus Elyenſis epiſcopus, par nempe uirtute antiſtes, quem Alexander ſextus Romanus pontifex Cardinalem, & Henricus Angliæ cancellarium fecit, qui fuit ordine Cant. archiepiſ. L XIIII. Secundum hæc, rex occiſorum ſpolijs collectis, ac corporibus ſepulturę datis, Lincolniam proficiſcitur, ubi dum moratur, primũ Deo trium dierum ſupplicationibus, gratias agendas curat, ac ſtatim ſignum militare quo uicerat, ad Valſyngamiũ templum mittit, ut ibidem uelut uictoriæ quã Deo per preces in primis diuæ uirginis auxiliatricis, acceptã referebat, trophęũ monumẽtũq; ſtatuat, deinde de quibuſdã captiuis ſupplicium ſumit, & paucis pòſt diebus Eboracũ petit, prouinciã quaquauerſum luſtrãdo, ubi aduerſarij exercitũ in eum conflarãt, quã ſeuerè purgare nititur, multis in uincula datis, ad quos aliquid criminis pertinere cõperiſſet. Hæc faciendo, Nouum caſtrũ peruenit, & iam magnam æſtatis partem in ea regione manſerat, cùm poſtremò indidem miſit in Scotiam Ricardum Fox, qui paulò antè Exonienſis epiſcopus creatus erat, & Ricardũ Eggecombiũ equitẽ, legatos ad Iacobũ regem. Summa legationis erat, ut fœdus induciáſue cum Scoto facerẽt: magni enim æſtimabat Henricus, ſi cum finitimis regibus amicitiã ac pacẽ haberet, & præſertim cũ Iacobo rege, quò ſuos Anglos eius rei ſcientes, & ob id ſe ad uicinitates receptũ habituros deſperantes, facilius in fide cõtineret. Legati perbenignè accepti, auditiq; ſunt à Iacobo rege, quippe qui eis à primo ſuum ſummũ in Henricũ regem ſtudium, ſummã uoluntatẽ, egregiã fidem, at nõ item ſuorũ eſſe oſtendit, ingenuè faſſus ſuos Scotos natura & uoluntate diuerſos, non facilè poſſe promiſcuè cum Anglis conſentire, quare ne eorũ animos offenderet, legatos rogauit, ut ſeptem annorũ inducijs contenti eſſent, quibus pollicebatur ſe cum Henrico pacem continuam ſecretò habitu rum, ac inducias in totidem annos ſæpe deinde renouaturũ. Hoc agebat Iacobus, quòd ſciret ſuũ nomen bonæ populi parti ita odio eſſe, ut ille nullũ eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

factū magnopere cōprobaret. Legati perspecta Iacobi erga Henricū beneuo
lentia, inducias quas obtulit, ultrò firmarūt, domumq; reuersi, legationē regi
ordine renuntiarunt, qui Scotū in se optimè animatū pro tēpore, ex sua maxi
mè re esse iudicans, mira affectus est lætitia. Sed hæc aliquāto pòst acciderūt.

Henrico à Nouocastro interim Londinū discedenti ad Leceſtriam, occur-
runt legati à Carolo rege Francorū missi, qui significarent ipsum recuperasse
nōnulla loca, quæ à Maximiliano rege prius tenerētur, ac bellum habere cum
Frācisco Britānię duce, quòd ille aliquot Frācos principes aduersarios hospi-
tio accepisset, eorumq; caput esse Ludouicū Aurelianensiū ducem, & propte
rea orare pro cōmuni coniunctione, & hospitio, ut uel iuuare uellet, uel se me
dium esse, nihilq; de alterutra parte iudicare. Rex quamuis Carolū, quo pau-
lò antè adiutore, regno potitus erat, diligeret, attamē nō ignarus qua ratione
illud bellum in Britannos suscepisset, minimè grato animo eum nuntiū audi-
uit. Siquidem Franci nullam cum duce, nisi imperij fines propagandi causam
belli habebāt, quòd ille senex ac lethargicus sine liberis maribus esset, quam-
obrem in spem occupandæ Britanniæ facilè ueniebant, primisq; nō inuiti, etsi
id uafrè dissimulabāt, bellū facere incipiebant. Hoc Henricus animo cernens
nequaq; sibi utile fore, ut Britānia amica populi Anglici, etquę ei sępe usui fue
rat, à Gallo occuparetur, statuit sibi succurrendū duci, ubi uideret res eius in
periculo uersari: quod etiam ut faceret, accendebat charitate illa paterna, qua
eū dux iam inde ab initio, cùm in Britāniā uenisset, complexus semper fuerat.
Cōtrà recēs memoria accepti beneficij à Carolo faciebat, ut ingrati animi cri-
men horreret, suaderetq;, ne quid in illum tentaret, quod inhumanitatis uitio
dari posset. Res ita per se difficilis erat, quia rex in capiendo consilio, nihil prę
termittebat, & tamē nō explicabat quicq;, quod satis placeret. Sed postremò
ad belli casum rationes suas accōmodandas censuit, ut si usu ueniret, quò Bri-
tannus, cuius summa in ipsum merita constarent, in periculum adduceretur,
tum illi palàm opem ferret, ui & armis ab iniuria eundem defensurus. Arqui
interim ut ne alterius partis odium subiret, legatis respondit, se operam datu
rum, ut pacificatio aliqua inter regem & ducem amicos cōmunes consequere
tur: itaq; dimissis à se Caroli legatis, confestim Christophorū Vrsuychum ad
Carolum legat, cui dat in mandatis, ut primò congratuletur Carolo suis uer-
bis, adeptam uictoriam aduersus Maximilianum, deinde eum certiorem fa-
ciat, de aduersarijs ab se deletis, ac postremò offerat ipsum fore pacis concilia
torem, inter eum, & ducem, & si id Carolo cordi sit, tum quamprimùm ad du
cem proficiscatur, cōcordiamq; conglutinādam sedulò suo nomine curet. At
ubi Henricus Londinum uictoriam reportauit, ciues propter eam ualde lęta
ti sunt, quòd pericula quæ antea suis rebus imminere suspicabantur, iam deui
ctis quietis uiolatoribus, penitus sublata esse uiderent. Ipse quoq; rex odij ini
micorum faces paulò antè ardentes extinctas putans, non poterat non gaude
re, qui idcirco multò se in cunctos humanissimū, æquè ac in eos longè libera-
lissimum prębstabat, qui bona, qui fortunas, qui seipsos in cōmunionem peri-
culorum contulissent, atq; non multò pòst Thomam marchionem custodia
liberatum, in pristinam gratiam & familiaritatem recepit, quòd eius uirtus et
fides satis probata foret.

Interea Christophorus cum mandatis in Galliam profectus, accipitur co-
miter

miter à Carolo, cui posteaquam mandata Henrici exposita sunt, placuit, sicuti
ostendebat, ut Hēricus disceptator pacis esset. Quo uiso, Christophorus sine
mora, in Britanniam transiuit, ac pro parte regis sui, ducem conuenit, expo-
suitq; mandata diligenter. Et quia duci Francisco ex longo morbo mens inte-
gra non erat, adhibitus est Ludouicus Aurelianensis dux, qui unà cum eo &
alijs eius consiliarijs, legatum audiret. Is ubi cognouit ab Hērici legato de pa-
ce agi, quam sibi cōmodo fore nō putabat, respondit protinus, conuenire po
tius Henrico, pro ueteri hospitio, quod ei cum Britannis olim fuerat, auxiliū
ferre Francisco duci necessario suo, hostium ferro, manu, copijs, oppugnato,
quàm uanam tentare cōcordię compositionē: &, si nulla esset apud ipsum me
moria beneficiorū acceptorū, debere tamen considerare, Britanniā esse instar
munitissimi ualli Anglis, aduersum Gallos, ac illud si à Gallis expugnaretur,
hostes multò proxime regnū suum fore. Hæc Aurelianensis homo Francus
suijpsius cōmodi causa, quòd hostis patriæ esset, in præsentia dicere coactus
est, qui sciebat illud idem, atq; Henricum non fugiebat, haudquaq; in rem Au
glorum esse, ut Britannia à Francis possideretur. Cęterū Christophorus acce
pto respōso à duce, qui dixit se, si Hēricus de recōciliatione gratię ageret, faci-
le æquis cōditionibus cōtentū fore, ad Carolū primò iter flectit, ac apud eum
paucos dies moratus, quę cum Frācisco de pace egisset, illi renūtiat, deinde in
Angliā reuertit. Dū hæc gerebant, Carolus dura obsidione premebat Nane-
tes, & quo magis ad eā rē incūbebat, hoc studiosius apud Anglū, literis, nun-
tijs, cohortationibus de pacis negotio instabat, quærendo morā subdolè rei
conficiēdę, scilicet ueritus ne per eū uictorię penè partæ, sibi potiri nō liceret,
quippe quē propédiē suspicabatur Britannis opem laturum esse. Quocirca
Bernardū Dobenensem honestū equitem' properè ad Henricū misit rogatū,
ut cōtrouersię quouis modo finē faceret. Rex huiusce etiam rei cupidus, qui
malebat negotium pace cęq; armis terminari, ut ne ipse cogeretur in societatem
belli contra Frācos uenire, libēter in istam pacificationē quā consecuturā esse
cōfidebat, quasi deintegro se interposuit, qui statim tris designauit oratores,
Sanctū monachū ordinis diui Benedicti Abyndonēsis cœnobij abbatē, Ioan
nem Liliū natione Lucēsem, pōtificis Romani quęstorē, iurisconsultū, ac bo-
nis moribus ornatū, & Ricardū Tonstallū equitē, uirū ætate & prudētia gra-
uem, qui recōciliandæ amicitiæ causa, primò ad Carolū, deinde ad Franciscū
ducē irent, quibus mandata ad rem cōficiendā dedit opportuna. Sed per eos
ipsos dies, Ioanne Lilio ex pedibus laborante, Christophorus Vrsuychus in
eius locum surrogatur, atq; ita oratores in Gallias proficiscūtur, qui ubi cum
Carolo de forma fœderis faciendi agitarūt, Ricardus cum Christophoro ad
ducem discesit. Hîc de summa rei agitur, & id quidē frustra, quia Britannus
constanter omnes à legatis propositas conditiones repudiauit, ut qui odora
batur Francum aliud moliri, atq; Anglus existimabat. Quæ cùm ita essent, le-
gati spe & actione concordiæ sublata, omissa, ad Carolum redeūt, & quæ gesse-
rant, narrant, eodemq; tempore per literas Henrico cuncta significant.

Inter hæc, Edouardus Vdeuylla homo fortis & animosus, de quo superio-
re libro memini, siue otij fugiens, siue amore quem erga ducem habebat, mo-
tus, magnopere orat Hēricū regē, ut sibi per eius uoluntatē liceat, cum aliqua
armatorū manu ire Britānis amicis subsidio, et ut ne id ei à Frāco crimini uerti

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit, ait ſe clàm & ſine cõmeatu diſceſſurum, quò fugę haud quaq; ſimulatę ſi dem faciat. Rex qui ſperabat pacem ſuorũ legatorũ opera factum iri, tãtum abfuit, ut Edouardi ardori indulſerit, ut etiam ſummopere prohibuerit, ne id genus ſtrategematis moliretur, ratus ſuæ dignitatis alienum eſſe offendere Carolum, cui cuperet in primis gratum facere, ob rem modici momẽti, quam nihil Britanno profuturam opinaretur. At Edouardus ubi à rege quod optabat, agere prohibitus eſt, id ſibi pro ſuo iure, eo inſciẽte, faciũdũ ſtatuit, qui raptim & ſecretò profectus in Vectem inſulam, cuius ipſe præfectus erat, illic contracta armatorũ manu numero circiter quadringentorũ, in Britannos traiecit, ſeq; cum illis aduerſus Francos coniunxit. Eius rei rumor in regiam Caroli perlatus, non mediocrem legatis Anglicis timorem incuſsit, quippe qui optimè gnari Frãcorum ingenia ad ulciſcendas iniurias, eſſe ſubita, formidabant ne ab ſe manus abſtinere non poſſent. Vicit tamen ius gentium, & ueritas ſimul eos ab iniuria defendit: dum enim legati in metu ſunt, & Franci id factum eſſe fraude ab Henrico ſuſpicantur, ecce tibi, nuntius ab ipſo Henrico qui ſe amico purgatum uolebat, uenit ad Carolum, qui de tranſitu Edouardi ad Britannos, ueriſsimo docuit argumento, quòd Vdeuylla abĳſſet, cum exigua armatorũ copia, quam neq; decuiſſe regem mittere, nec poſſe rem Britannicam multùm iuuare, perſpicuum eſſet. Huic nuntio tametſi Francus nõ magnam fidem habuit, tamen ira in præſens mitigata, rem bellè diſsimulauit. Legati poſt hæc renouatis in duodecim menſes cum Carolo inducĳs, domũ rediere. Rex multa de rebus tranſmarinis à legatis liquidius eruditus, intellexit Francũ omnia ſuo ſimulationis artificio tractare, cp nil ab eo remotius abeſſet pace, nil eidẽ pluris foret cp bellũ, & illud omnibus rebus manifeſtè anteueretet. Quod ubi compertũ habuit, id quod principio decreuerat, maturandũ ratus, confeſtim ſuorum principum conuocato concilio, de auxilio Franciſco duci ferẽdo deliberat, dein pecunia in futuri belli ſumptus decreta. Poſt hæc, permulta ſtatuta ſunt, quę pro tempore, ac rerum occaſione, multò Reipublicæ utiliſsima uiſa fuere. At dimiſſo concilio, rex celeriter delectum militũ haberi iubet, ſed ut ne amicitiam qua cum Carolo coniũctus erat, diſiungere uideatur, mittit continuò legatos in Franciam, qui ei exponant, ipſum nuper ſe ciſſe ſuorum principum conuẽtum Reipublicæ cauſa, & in eo conuentu cunctis placuiſſe optimatibus, pro uetere hoſpitio, ac mutuis ſtudĳs, maturè ſub ueniri Britannis uicinis, qui aliàs diu ſub Anglico fuiſſent imperio, quiq; Angliam cùm externis tum domeſticis hoſtibus laborantem, ſæpe armis atq; cæteris opportunis iuuiſſent auxilĳs: ac idcirco ipſis principibus cùm tot cauſas in illis tuendis defendendiſq; haberent, uiſum eſſe nullum in amicos officium ſine maxima culpa, poſſe prętерire, & propterea cõmonefaciãt eum, aut ab eo bello deſiſtere, uel ſi id abnuat, equi boniq; facere, ſi oporteat ex uolũtate ſuorum principũ, Britãno pręſidiũ ferre, opitulari, auxiliari: uerũtamen ut id fiat amicitia incolumi, eius uerbis polliceant ſuũ exercitũ iturũ eſſe adiutũ Britannos, nõ perſecutũ Francos, niſi quatenus in terra Britannia morent. Cum his mandatis legati properè in Gallias profecti, Carolo ordine omnia exponunt, qui eam rem parui omnino facere uiſus eſt, quia ſperabat illud auxiliũ ad tempus nõ adfuturũ. Dum iſta Anglus agit, à Britannis cõmiſſo prælio, ad Fanũ Albani, qui locus illorũ eſt, male pugnatur aduerſus Francos: ibi Ludouicus dux

dux Aurelianenſiũ inter alios capitur, qui poſtea in arce Biturigenſi diu fuit, & ad extremum pœnas capite ſoluiſſet, niſi fuiſſet loãna eius uxor, altera Caroli regis ſoror, quę eam iniuriã uiro condonari à fratre impetrauit. Interfecti ſunt multi copiarum duces, & in ĳs Edouardus Vdeuylla, ac Iacobus Galeotus homo Italus Neapoli natus, uir belli gerendi peritiſsimus. Hoc prælio in Angliam nuntiato, Henricus rex uidens properatione opus eſſe, quam celerrimè poteſt, Robertũ Broke regulũ, Ioannẽ Chenium, item alterum Ioãnem Mildelgtonum, Rodulphum ex Heltona, Ricardum Corbettum, Thomam Leygtonum, Ricardum Laconum, & Edmundum Corneuillum, ſtrenuos duces cum octo millibus militum, quos electos paratoſq; habebat, Britãnis ſubſidio mittit. Ii ſecundo uento uſi, eò celeriter peruenĳunt, ac poſtquam ex labore ſuos recrearunt, inſtructa acie præter caſtra hoſtium conſiſtũt. Franci cognito Anglorum aduentu, quos aliàs experti ſciebant in prelio præſertim dum recentes ſunt, penè inuictos eſſe, ſeſe primò in caſtra metus cauſa peritè & callidè contrahunt, deinde equites leuis armaturę dimittunt, qui illos deſatigandi ſtudio tumultuoſè diuerſis in locis pugnent. Ita aliquot per dies leuibus prælĳs certatur, ſed plus detrimenti à Franco accipitur, quòd ſagittarĳ Anglici uehementer eos diuexabant, cùm Franciſcus dux moritur. Tum Britanni principes partim pecunia, partim factionibus ſolicitati, in diuerſa abeũt ſtudia, adeò, ut non amplius patriam tueri, ſed perditum ire uiſi ſint. Quod Angli animaduertentes, qui iam anni tempore, ineunte hyeme, excludebantur, neceſſariò poſt menſem quintum, quàm eò ierãt, domum reuerterũt. Reliquit Franciſcus moriens Annam filiam, & alterã ætate iuniorem, quæ non multò poſt eius obitum interĳt.

Placuit patribus, quemadmodum ſuprà oſtendimus, ad faciẽdos ſumptus in id bellum Britãnicum, conferre pecuniam tributo generatim in ſingula capita impoſito, poſtea Eboracenſes pariter atq; Dunelmẽſes eam ſoluere recuſarunt, ſiue magnitudine ſummæ grauati, ſiue monitu quorundam, qui nouũ aliquod negotium Henrico exhibendum ſecretò curabant. Illi qui cum imperio prefecti erant ad exigendas pecunias, poſtquam nihil ſe proficere animaduerterunt, ad Henricum Northumbriæ comitem eius regionis præfectũ rem deferunt, is uerò haud in re ſegnis regi per literas ſignificat populũ ardentem dolore, clamare ſexcentis incõmodis ſe his paucis annis nullo ſuo delicto affectum, non poſſe neq; uelle imperatã pecuniam perſoluere. Rex mandat comiti, ut omni modo pecuniam exigat, ac recuſantes ad id faciendum compellat, quò concilĳ decreta à rudi plebe non reſcindantur. Populus audito regis reſponſo, in comitem tanq; eius iniuriæ caput impetum facit, atq; eum occîdit. Quod admiſſum facinus maius multò ſtatim ſequit: nam cuncti deinde ſumptis raptim armis, Ioãnem Egromontũ equitem hominem factioſum ſibi ducem conſtituunt, ſeq; contra Henricum regem, libertatis tuendę cauſa, ituros palàm uociferãtur. Sed ubi ad diſcrimen uentum eſt, conſedit ac remiſit ſe ſubitò furor, nam alĳs alio, ſicut in re fieri ſolet, à qua conſiliũ abeſt, diffugientibus, ea manus diſſoluta eſt, atq; dum pro ſe quiſq; ſuæ ſaluti conſulere laborabat, penè ſinguli pœnas dederunt. Etenim rex audito tumultu, ſtatim Eboracum ſe contulit, cuius aduentu ſeditioſiores quiq; ſubitò territi, paſsim ſe fugæ mandarunt, quos ille ad ſupplicium requiſiuit, puniuitq; captos grauiter:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannes uerò Egromontus illorum ductor in Flandriam ad Margaritã confugit. Rex ex animi sententia sedato tumultu, reliqui tributi exigendi negotium dedit Ricardo Tonstallo equiti amplissimo, ac statim Londinum rediit, iam tum rectè edoctus, populum suum Anglicum deinceps tam nõ perdifficilimè passurum se emungi, quàm grauatissimè nimiũ emungi. Fuit is annus salutis humanæ MCCCCXC, & IIII, cùm regnare cœpit Henricus.

Accepit his temporibus Scotia funestam plagam, illatã ex eo, quòd nomẽ Iacobi regis summo esset nobilibus odio: nobiles enim cùm male accepti essent à suo principe, sicut in extremo libro uigesimoquarto suprà memorauimus, postquam diu tolerarant id incõmodum, & ea graui patientia nihil melius agi cum rebus suis animaduerterant, se ad extremũ armis in pristinam libertatem uindicandos statuerunt: itaque coniuratione facta, regi propalàm mortem intentãt: sed ne uideantur contra patriam facere, filium eius nomine Iacobum adolescentẽ ad uirtutẽ natum, etsi nolentem, sibi ducem constituũt, uociferantes passim se malum regem, nõ regnum euersuros, afflicturos, deleturos, quò ita ab sese omne perfidiæ uitium propulsent. Quare cognita, Iacobus subitò ancipiti malo mordetur, torquet, angitur, quòd se cõserere manũ cum suis ciuibus, quorũ dux filius esset, quo secundum seipsum, nihil in terris charius haberet, nihil aliud esse censebat, nisi caput cum cæteris membris pugnare, non resistere uerò periculosum esse, quòd augeretur animus inimicis: sed ut ad utrunq; malum tentaret remediũ, primũ ad cohibendũ furorẽ concitati populi, exercitum parauit, deinde legatos ad filium atq; principes de pace misit, item alios cum literis ad Carolum & Henricũ reges rogatum, ut curare uellent delere tam nefarium bellum inter ipsum, ac eius ciues, quorundam perditissimorũ hominũ impulsu ortum: simul etiam ad Innocentiũ Romanũ pontificẽ literas eodem exemplo dedit, quibus orabat, ut pro sua fide, gratia, probitate, quamcelerrimè posset, legatum aliquẽ mitteret ad principes, eius aduersarios, qui eos suo nomine iuberet impia arma de manibus deponere. Infelix senex sperãs diẽ tẽpusq; simul, & preces acamicorũ rogatus lenituros iras, sanitatemq; animis allaturos, hæc omnia remedia adhibere tanto nascẽti morbo prius uoluit, quàm in tam fœdam dimicationẽ ingrederetur. Verum tamen irritatis nobilium animis, nulla salutaris medicina fieri potuit: primùm legatis ab eo ad principes missis, atrox datum est responsum, id est, si ille se imperio abdicaret, posse agi de pace: idem deinde oratores à Carolo & Henrico regibus amici uicem alienam pro sua quasi iniuria dolẽtibus, misi retulerũt. Legatus uerò ab Innocentio põtifice missus, de quo infrà plura dicemus, tardè aduenit. Vbi igitur nihil flectere potuit animos principum, ad extremum utrinq; ad arma concurritur, cõmissoq; prælio, post multam factam cædem, Iacobus rex interficitur. Tum principes Scoti sic acceptas iniurias ulti, Iacobũ eius filium huiusce nomine quartum regem faciunt.

Legarat Innocentius Rom. pontifex Hadrianũ Castellensem, hominẽ Hetruscum natum Corneti, quod ueteres Castrum nouum uocarant, qui in Scotiam proficisceret, ad tollendas ipsius autoritate ex illorũ principũ animis discordias. Is quãuis magnis sit itineribus profectus, tamẽ cùm peruenit in Angliam, cognouit ab Henrico rege, ad quem etiã à põtifice mandata habebat, se tardius uenisse, cq; res requireret, quare eius monitu, sibi iam pedẽ referendum

dum, ac ex Anglia non excedendum ratus, uix biduí moram fecerat, cùm nuntius cædis Iacobi regis uenit. Mãsit deinde Hadrianus in Anglia aliquot mẽses, in quẽ à primo Ioannes Mortonus Cantuariensis archiepiscopus, omnia humanitatis officia conferre studuit, hominis doctrina ac moribus ductus, quippe qui eum in summa etiam apud regem gratia posuit. Atqui Henricus cùm hominẽ sibi à Mortono cõmendatum uideret, nõ minimi esse usus, iam tum mirificè diligere cœpit, eiusq; opera cùm apud Innocentiũ, tum apud Alexandrũ sextum pontifices, ita deinde usus est, ut primũ Herefordensem, & eo mox relicto, Bathoniensem & Vuellensem episcopatũ ei detulerit. Cæterũ Hadrianus breui pòst tempore Romam reuersus, per omnes honorũ gradus in collegiũ Cardinaliũ uenit: nã Innocẽtius eum primò collectorẽ, id est, quæstorem pontificiũ in Anglia, & protonotariũ unum ex septem creauit, postea Alexander pontifex eundem diu secretiorẽ familiarem habuit, Cardinalemq; fecit. Sed quotusquisq; est, qui ista quę ignauis iuxtà atq; solertibus & dari, & auferri possunt, miretur? Alia nempe Hadriani laus est, & hæc quidem æterna: erant enim in eo plurimæ literæ non uulgares, sed reconditæ, ac summum bonorũ uerborũ delectus iudicium, qui memoria nostra primus omniũ post illud disertissimũ Ciceronis seculum, suis scriptis mortales excitauit, ad perfectas literas de doctissimorum autorũ fontibus hauriendas, docuitq; modum purè, nitidè ac luculenter loquendi, sic, ut eo doctore, in præsentia ubiq; gentium latinitas ab integro renascatur. Nunc redeo rursus eõdem.

Res Britannicæ interea nondum sedata discordia, rursus omnia obturbãt: Maximilianus enim id temporis cœlebs, nuptias cum Anna Francisci ducis filia per procuratorẽ facit, & ut puella q̃d promisit, seruare religione teneat, nouo res modo peragitur: nocte enim insequẽti, Anna nuda torum coniugalem matronis nõnullis, ac principibus testibus ingreditur, & procurator mariti uice, cuius in eo negotio uicarius erat, alterũ crus genu tenus, intra stragula iniicit, perinde quasi ita cum puella cubando, matrimoniũ pro consummato habeat. Sed parum ualuit istęc religio, apud eum, qui hanc prædã alteri eripere auebat: Carolus porrò rex Annę nuptijs inhiabat, & eas cum Maximilia no factas pro nihilo ducebat, qui propterea non cessabat interim Britannos bello premere, quo tandem & puella & principatu simul potiret, cui utrunq; obtinere iam certũ erat: cæterũ suo huic desiderio solũ putabat Henricũ regẽ impedimẽto fore, ueritus ne nõ in se nouũ mitteret exercitũ, quippe qui unà cum Ferdinãdo Hispaniæ rege, summè Annã, ac Britannos sibi iuuandos statuerat, ut ne inuiti cogerent in Francorũ potestatẽ uenire, cuius rei causa, ambo fœdere coniuncti erãt, ad eam iniuriã propulsandam: quare primo quoq; tẽpore misit Franciscũ Lucemburgensem, Carolum Marignanũ, ac Robertũ Gaguinũ ministrũ ordinis sanctæ trinitatis, quẽ uocãt, oratores ad Henricũ, qui de pace agerẽt. Ii in Angliam profecti, honorificè à rege accipiunt, qui rogati ut mandata referãt, petunt, ut per eũ liceat Carolo iure dominatus quod in terram Britanniam habet, de nuptijs Annæ, suo arbitratu decernere. Contrà Henricus illud in primis quærit, ut ne puella quæ Maximiliano iam ritè matrimonio iuncta esset, contrà quàm ius, fas q; sit, cogatur quempiam alium inuita uirum habere. Ita multis diebus inaniter consumptis, ad ultimum tamen de conditionibus fœderis actio nõ inanis futura uidebatur, cùm illius

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanciendi causa, cõmodissimũ uisum est, ut Hẽricus legatos ad Carolum mitteret, qui eius similiter nomine ac autoritate id negotij maturè conficerẽt. Ita que rex quãprimũ Francos oratores magnis donatos muneribus ab se dimittit, suosq́, hoc est, Thomam Goldestonũ Cantuariensis cœnobij prefectum, & Thomam Ormondiæ regulũ, uiros prudentes atq́ integerrimos, illos sequi iubet cum mandatis ad Francum, quibus omnem sui consilij rationem recẽtè declarabat. Inter hæc Alexander sextus Romanus pontifex, qui Innocentio paulò antè mortuo successerat, ad Carolum legarat in Franciam Leonellum episcopum Concordiensem, uirum summa industria, operaq́ probata, cui inter cætera mandata, dederat etiam negotium reconciliandę concordię, inter reges. Is in Galliam profectus, postquam mandata pontificis exposuerat, ac ea ferè omnia quæ postulasset, à rege facilè impetrarat, aliã deinde rem quæ in motu erat, aggressus, Carolum principesq́ Francos est multis uerbis hortatus, ad pacem inter se & Henricum conciliandam, à qua ubi sensit Francorum animos non abhorrere, idem apud Anglum officium facturus in Angliam quamprimum proficiscitur, cui uenienti oratores Anglici cum Francis, ad Caletum obuiã fuere. Ibi de communi negotio postq́ inter se aliqua commodùm contulerũt, ille in Angliã, isti ad Carolum sunt profecti. Hẽricus amicè accepit Leonellũ uenientẽ, audiuitq́ benignè se luculenta oratione ad conseruandã retinendamq́ amicitiã Francorũ hortantem, eiq́ suum desiderium planũ fecit, quod erat, ut iam in honesto otio per istas exitiosas inimicitias acquiescere sibi liceret. Leonellus cognita regis sententia, quasi de pace nihil esset quod amplius dubitaret, properè in Gallias reuertit, cupidus, ut Cõcordiẽ sem decebat episcopũ, omnibus superioris tẽporis iniurijs funditus euulsis, reducendæ confirmandæq́ concordiæ. Anglici oratores interim cum Carolo congressi, de integro cũ eius consiliarijs de pacis negotio agitare cœperũt, quod utrinq́ artificio summo gerebatur. Angli enim legati, ut pauca tandem quæ cupiebant, assequerentur, permulta postulabant, Franci autem, ut nihil in fine concederent, omnia repudiabant, stomachabantur, pernegabant, qui interim largitionibus confisi, quas more patrio, in omni re peragenda, effuse faciunt, ac præ illis, minus interdũ spei in armis ponunt, nõ desistebant principes Britanniæ singulos solicitare, appellare, hortari, item Annam puellã uerborum omniũ illecebris irretire, quò uellẽt se in fidem Caroli permittere, sed speciatim puellam per illas etiam honestas matronas, quibus in disciplinã tradita erat, aggrediendam curabant, ut tam splendidis nuptijs, non recusaret se Carolo regi potentissimo iungi: & ne uirgo legũ pertimescens religionis metu cõmoueretur, ac ab auditione de ea re auerteret, eius auribus instillabant, facta cum Maximiliano sponsalia nullius esse momenti, quòd iniussu Caroli regis, ad quẽ dominatus Britanniæ proprietas pertineret, facta forent, essetq́ matrimoniũ nõ consummatũ. Hæc nimirum causa erat, cur nulla concordiæ actio firma esse posset. Præterea Franci quoniam Carolus iam diu apud se seruarat Margaritam filiam Maximiliani sibi pactam, itidem affirmabant ea sponsalia non teneri, quòd puella id ætatis esset, qua nondum posset neq́ dari neque duci in matrimonium, ac ob id integrum esse Carolo eam repudiare: his artibus puellam nesciam mali in eam adduxere sententiam, ut ad extremum nõnullis Britannorũ principibus, pretio deductis ab officio, adiutoribus,

bus, credens se iure posse facere, quod Franci petebant, non negauerit uenire in fidem Caroli, atq́ illi nubere, ut hoc demum pacto se atq́ patriam bello liberaret, quo duriter premebatur. Quod sanè remediũ principes illi Britanni, qui cum Frãco sentiebãt, ideo rebus quoq́ publicis magis consentaneũ iudicabant, quòd iam pro certo haberent, se frustra expectare subsidium à Maximiliano. Tum Carolus hoc pacto negotio ex desiderio suo, cum Anna principe clàm confecto, Anglicos oratores re infecta domum redire facilè permittit, ac quantum potest, nuptias maturat.

Henricus interea usq́ eò patientia usus, dum res in quo casu esset, luculentius appareret, antequam legati redirent, animaduertens Francos astu omnia agere, nõ amplius legationibus pacificatorijs, sed armis controuersias omnes finiendas statuit: & id quidem nõ sine molestia, quòd meminerat illa superiora in se Caroli officia, quæ eius animo infixa perpetuò mansissent, nisi fuisset tam iusta de causa ad bellũ uocatus: sed cùm culpa uacaret, nõ dubitauit captũ necessariò consilium sequi: igitur conuocato principũ concilio, primũ exponit causas belli sumendi contra Francos, deinde eos poscit pro bello pecuniã. Causas belli cũcti generatim probãt, suãq́ operã pro se quisq́ offert. Rex collaudata suorũ uirtute, ut populus tributo nõ grauaretur, cui gratificandũ existimabat, uoluit molliter ac leniter pecuniã à locupletioribus per beneuolentiã exigere: fuit id exactionis genus ab Edouardo rege excogitatũ, uti in eius uita scripsimus. Itaq́ egit cũ amicis, ut sponte in sumptus belli pecuniã corrogarẽt, quòd ipse ex ea re beneuolentiã singulorũ mẽsurus esset, ut qui scilicet plus daret, plus diligere se censeret. Hinc uidere licet perinde in Republica ualere, quòd semel actum sit ad principis utilitatẽ, ac in iudicijs rem semel cõstitutam, ad præiudiciũ iudicaturis præbendũ. Rex ita bene magnam pecuniæ summam cõmodè confecit. In eo item conuentu nonnulla decreta sunt, quæ ad præsentem regni statum maximè conducerent.

Dum hæc in Anglia fiebant, Maximilianus domabat Flandros, à quibus paucis antè diebus per tumultũ captus, in custodiam traditus fuerat, cui rex Hẽricus opẽ ferens miserat in Flandriã Ægidiũ Dabeneiũ Caleti prefectum, cum tribus armatorũ millibus: sed hæc aliquãtò prius acciderãt. Ad ultimum ultus Flandros Maximilianus, in Carolũ sibi manu uindicandũ statuit, quòd ille ad se Margaritam filiam repudiatam per eos ipsos dies remisisset, quodq́ prout suspicabatur, Annam Britannorũ principem præripere conaturus esset: sed quia tantam belli molem per se diu ferre nõ poterat, Henricũ regem sibi socium quærendũ putauit: quo capto consilio, mittit Iacobum Contibaldum uirum grauem in Angliam, qui regem ad eam societatẽ hortetur, eiusq́ uerbis recipiat ipsum seruiturũ bello amplius duobus annis, cum decem minimũ armatorũ millibus, et cùm ipse prior paratus fuerit in bellum exire, tum admoniturũ Henricum, ante sextum mensem, quàm in hostem eatur. Maximilianus hoc nuntio maximè excitauit Henricum, qui decreuerat, sicut suprà memorauimus, Britannis ultimo saltem in discrimine opem ferre, quod iam aduenisse tempus ratus, sua sponte bellum comparabat, cùm illi grauiter diuexarentur, quò Francos libertati ipsius populi Britannici, uitæ, sanguini imminentes cohiberet, arceret, propulsaret: uerùm ubi audiuit Maximilianum illud idem facturum, maiore animo ad id studium incumbens, respondit la-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cobo se daturũ operã,ne offenderetur imparatus à Maximiliano belli socio. Atq; ita compositis rebus,Henricus legatũ ab se dimisit.Interea Carolus Annam Britannorum principem in fidem recepit,in matrimoniumq; duxit,eius principatu dotis nomine potitus.Sic denicq; Britanni in Francorum potestatem uenere.Hoc ubi Maximilianus resciuit,nimia ira percitus, quòd Frãcus non satiatus iniuria repudiatæ filiæ,etiam Annam sibi pactam eripuisset,Deum tantorum facinorum ultorem deuocare,ac omnia in Carolum maledicta conferre,eidemq; iamiam sexcentas mortes intentare: sed pòst paulũm,ut se collegit,suum decus armis ulciscendũ existimans,continuò oratores ad Henricum misit cum mandatis,ad quem & literas dedit,quibus cõmonefaciebat regem,ut quamprimùm exercitum pararet, ac se breui tempore præstò fore, ut Franco bellum faceret.

Credit promissis Maximiliani Henricus,quòd non ignorabat capitale odium inter eum et Francũ exardere,& protinus delectum militum habendũ, milites q; armandos,ac classem instruendam curat, qui celeriter nuntios in omnes regni partes dimittit,uocatq; ad se optimos quosq; bellipotentes.Quo audito nuntio,haud mora, summi,medij infimiq; homines sumptis certatim armis,conueniunt partim cupidi operam nauandi suo principi,partim conserendi manum cum Gallis,cum quibus Angli non inuiti confligere solent. Itaq; primo quoq; tẽpore pro se quisq; cum bene magno militũ numero Londinũ approperat,& ante alios Ricardus Thomas cũ ingẽti Vuallorũ manu, item Thomas Derbij,Georgius Salopiæ, Thomas Harundelli,Edmundus Suthfolchiæ,Edouardus Deuonię cum Gulielmo filio adolescẽte animi pariter atq; corporis uiribus florente,Thomas Ormondiæ,Georgius Cantij,comites,Thomas Dorcestriæ marchio,Ioannes Chenius,Ægidius Dabneius, Ricardus Gilfordius,Ioannes Raynsforthus,Iacobus Terellus,Ioannes Sauagius,Thomas Baro ex Heltona,Gulielmus Bulmerius,Edouardus Stanleius,Gulielmus Percius,Thomas Tempesta,Ioannes Fortiscudus,Ioannes Vuyngfildus,Georgius Neuyllus Burgenniæ regulus, Thomas Terellus, Edouardus Ponyngus,Gulielmus Say,Robertus Vuyngfildus,Ioãnes Verneius,Ricardus Polus,Ioannes Darellus,Gulielmus Bulleyne,Ioannes Donne, Ioannes Rysleius, Robertus Littonus, Georgius Verius, Gilbertus Talbotus,Edouardus Hauardus,Henricus Haydonus, Robertus Brandonus cum Thoma fratre,Gulielmus Knyuettus,Ricardus Beancampus,Ricardus Delabere,Gualterus Baskeruillus,Matthæus Brunnus,Ioannes Peche, Thomas Burscherius,Ricardus Cornuallus,Ioannes Harundellius,Gulielmus Treuanionus,Ioannes Basettus,Thomas Berynfildus,Ioannes Mortimerius,Thomas Vuest regulus Delauare,Ioãnes Suche regulus,Edouardus Hastyngius regulus,Ioannes Polus Cobani regulus,Gulielmus Sandes,Dauid Ouinus,Henricus Rossus,Gulielmus Matreuersus,Alexãder Baynham, Robertus Clarentius,Henricus Hogardus.Ita exercitu ualido cõflato,cuius præfectus erat Gaspar Bedfordiæ dux,& Ioannes Oxonienſis comes,rex nõ multò pòst cæteris rebus omnibus paratissimus,mittit Christophorum Vrsuychum,& Ioannem Ryseleium equitem ad Maximilianum,ut nuntient se in armis esse,celeriterq; in continẽtem uenturũ,si modò intelligat eum quoque paratum esse.Illi in Flandriam profecti,officioq; functi, ad regem literas dedederunt,quæ eum uehementer perturbarunt,curamq; animo maiorem iniecere: equidem significarunt nihil imparatius,nihil impeditius,nihil inermius Maximiliano,quòd ille totus ferè iaceret,ex numorum caritate laborãs,adeò ut in eo nihil esset,nullus usquã delectus,nullę copiæ,nulla arma, & denique omnia deficere,præter uoluntatẽ,& propterea nil esse,quod eius uiribus confideret.Hæc Henrico & formidinem & mœstitiam attulerunt,qui rectè ponderabat,si tantum bellum solus sumeret,illud magis periculosum sibi futurũ: sin uerò omitteret,omnes se uecordię accusaturos esse: sed suos Anglos illud neq; boni nec æqui facturos suspicabatur, qui meritò tantum belli apparatũ eodem illò pertinere arbitrari possent,ut per simulationem belli,lucrum faceret,pecunia iam speciatim exacta: quare simul multa timebat,simul dolebat à Maximiliano autore belli suscipiendi,ita societate defraudari: qui dum quid consilij in re ancipiti caperet,assiduè animo excubabat,cum suoq; domestico senatu agitabat,statuit ad ultimũ,suo Marte,fortiter uiriliterq; rem obire,nõ ignorans,militarem gloriam hoc præclariorẽ haberi,quo difficilius colligat, cùm præsertim uideret se nõ posse incolumi fama,à bello discedere.Edicit itaque suis militibus expeditionẽ in Galliam,quibus tamen nequaq; aperit Maximilianũ se fefelliſſe,ut id rescientes ne minus alacrioribus animis in id bellũ intendant,simulq; omni futuro periculo prouidendi causa,antè copias sic auget,quàm traijciat,ut etiam solus formidini hostibus esse possit.Igitur cõflato ingenti exercitu,VIII Iduũ Septembris Caletũ petit,ibiq; positis castris,aliquot dies ad armandũ militem cõmoratur.Quo in loco reuersis Anglicis legatis ex Flandria,omnes tum demum cognouerunt nihil auxilij uenturũ esse à Maximiliano.Quæ res nõ metum Anglis satis suis uiribus confidentibus, sed admirationẽ cunctis attulit,qui eam fabulam exaudierant,quòd Maximilianus accepta à Franco nuper tam insigni iniuria,nõ adesset,nõ instaret,non urgeret,nõ denicq; potius opponeret sexcẽta corpora,si tot haberet,q; desereret Anglos in cõmunẽ hostẽ se mouentes.Verùm Maximiliano non animus ulciscendi, sed facultas belli gerendi defecit, qui & pecunia & milite in terra Flandria parum omnino amica carebat.

Carolus uerò rex interea tametsi animo pariter atque armis paratus,ueni-
entibus Anglis obuiam ire statuerat, attamen præ se ferebat,nilmalle,quàm pacem,non quin sciret eam magno sibi constituram, sed omnes sumptus in pacem impendendos leuiores bello ducebat, quòd Britanniæ principatum nuper adeptus timeret,ne se bello Anglico occupato,Britanni quorum maior pars grauatissimè eius imperium ferebat, subitò deficerent.Item iuuenis gloriæ cupidus,per ipsos illos dies inuitabatur à Ludouico Sforția duce Mediolanensium,ad bellum contra Ferdinandũ regem Neapolitanũ gerendum, quem haud quaquam grauatè audiebat,arbitrans optatũ negotium sibi in sinum,Dei nutu, delatum: nam in primis cupiebat illud regnum armis recuperare,diu antè sibi,uti asseueratione asseuerabat,debitum,ex eo,quòd Rhenatus ultimus Siciliæ rex olim sine liberis maribus moriens,testamento fecisset hæredem Ludouicum regem eius patrem, cuius etiam rei causa, diligentius curabat amicitiam sibi esse cum uicinis regibus, ac principibus, quò domi compositis rebus,uacare posset totis uiribus Italico bello: itaq; concordiæ cupidissimus,negotiũ dedit Philippo Desquerdo uiro primario summo officio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac uirtute prædito, qui Annoniæ præerat, ut daret operam, quò Anglum sibi reconciliaret. Is imperata faciens, quamprimùm ad regem Henricum antequam in continentem ueniret, literas dedit, quibus significabat se pro suo in utrunq; regem officio & obseruantia, curam & cogitationem talem susceptu rum, ut speraret posse eum & Carolum Maximiliani nomine distractos, rursus in pristinam concordiam reducere, si libêret aliquos suorum ad fines agri Gallici mittere, qui secum sermonem haberẽt, quibus tales pacis conditiones offerret, ut omnino ei liceret cum honore ab armis discedere. Rex qui iudicabat re Britãnica iam amissa, quam in animo fuerat cum primis conseruare, & Maximiliano suę causæ nõ satis seruire in præsentia ualente, expedire sibi negotium sine hominum cæde conficere, quiq; Philippum bonę fidei uirum esse sciebat, præmisit Ricardum Exoniẽsem episcopum Caletum, qui unà cum Aegidio Dabeneio pacẽ conciliandam curaret, inter se & Philippũ. Hi simul congressi, sine intermissione de fœdere faciũdo usq; eò agitarunt, dum tandẽ æquis conditionibus, sicuti infrà dicetur, cõuenerit. Rex interea, ut diximus, Caletum transgressus, ubi omnia ad iter necessaria parauit, illinc discedẽs quadrato agmine, Bononiã pergit, captoq; idoneo castris loco, magna ui oppidũ oppugnare aggreditur. Erat intus firmum præsidium, quod impigrè oppidũ tuebatur, uerùm priusquam ad durum certamen ueniretur, ecce, subitò fama per castra diuulgauit, pacem à legatis esse confectam. Quæ res quanto Francis gaudio, Anglis militibus tanto fuit dolori, qui parati dimicare, nullumq; pro sua laude periculum recusaturi fremebant, atq; uociferabantur oblatã uictoriæ occasionẽ per conditiones nulli neq; exercitui neq; uix regi utiles, turpiter amitti: sed ordinũ duces aliquot, qui spe gloriæ onerati, æs alienũ domi fecerant, suis possessionibus oppigneratis, quò huic bello magis seruirent, in primis dolebãt, atq; Hẽrico succensebãt, quòd perinde quasi hostes metuẽs, intempestiuam pacem admisisset. Ita cunctos indignantes rex edocet quanto detrimento, et quot fortium uirorum morte necesse esset expugnationem oppidi longè munitissimi constare, & ideo summæ se iniquitatis cõdemnari debere, nisi eorum uitam sua salute chariorẽ habeat: sic suos consolatus exercitũ Caletũ reducit, quòd iam tum odorari cœperat motus impendẽtes, per quẽdam Ricardũ alterum Edouardi regis filiũ apud Flandros, operatione Margaritæ principis, ab inferis ad superos subitò reuocatum. Quos quidem motus dubio procul bello quod flagrabat, ipse Henricus implicatus, postea nõ sine suo malo comprimere coactus fuisset, atq; tunc accipere ab hoste, non dare conditiones pacis, nisi uoluisset uno momẽto & militiæ & domi hostibus laborare. Hæc animo prospiciẽs Henricus, eo consilio rem cum Franco transegit, ut externo bello liberatus, expeditius domesticis futuris turbis occurreret. Summa autem pactionis fœderis fuit, ut Carolus primùm solueret bene magnam pecuniæ summam Henrico, pro sumptibus in id bellum factis, iuxta æstimationem legatorum, deinde in singulos annos millia aureorum uicena quina penderet, per aliquot annos, pro impensa ab ipso Hẽrico facta in copias, quas Britannis auxilio misisset: idem dedit & singulis Henrici consiliarijs primarijs munera, constituitq; tam ex sua liberalitate, quàm more maiorum, ut ex ærario suo quotannis eis pecunia promereẽt, quò consultando uel fauerent rebus suis, uel minus aduersarentur, & id, rege Henrico non abnuente, quo-

te, quoniam humanitatis est à quouis amicitiæ causa, donũ capere. Franci reges postea bello Italico implicati, id annuum uectigal etiam Henrico octauo septimi filio pependerunt, quò tandem debitam pecuniam persoluerent, amicitiamq; seruarent. Henricus paucos dies Caleti moratus, in Angliã cum exercitu redijt. Fuit is annus Henrico à gubernatione regni sui VII. & ab salute humana MCCCCCXCIII. In ea Bononiensi oppugnatione ut breui, nulla ferè cædes facta est: ex Anglis in primis cecidit Ioãnes Sauagius uir strenuus, qui cũ Ioãne Ryseleio clàm castris egressus, dũ temerè oppidi muris obequitaret, à Gallis subitò circumuentus capitur: sed ira accensus, cùm etiam captus animi magnitudine reluctaretur, pugnando interficitur. Ioannes uerò Ryseleius cõcitato equo, ad suos incolumis se recepit. Henricus ubi fuit in Anglia, nihil prius habuit, quàm Alphonsum ducem Calabriæ in collegium equitum Garterij ordinis adsciscere, cui haud multò pòst per Christophorum Vrsuychum legatum suum, misit insignem eius ordinis uestitum. Legatus Neapolim profectus, tradidit duci religiosum amiculum, quod ille summa cum reuerentia accepit, ac reuerentius induit, qui eo munitus, & per id ab Henrico amicus appellatus, aduersus omnia inimicorum arma se tutum fore sperabat: ea enim causa fuit, quamobrem per idem maximè tempus, in illud collegium uenire uoluerit, cùm audiret Francos in se bellum comparare. Atqui iampridem ea consuetudo ferẽdi auxilij obsoleuerat, cui rei memoria nostra testimonio fuerunt frequentes quorundam Italorum principum imploratione, qui patria pulsi, neq; uel à Francorum neq; à Burgundionum sociorum equitum collegijs subleuati sunt. Alphonsus paucis pòst diebus legatũ Anglicum amplissimis donatum muneribus domum dimisit.

Carolus secundũ hæc, cum Ferdinando Hispaniæ rege fœdus icit, Ruscinone oppido, quod est positum ad Pyrenæos mõtes, ei restituto. Item adiutoribus multorũ principũ legatis, qui regũ animos lenire conabantur, uenit & cum Maximiliano in colloquiũ, pacemq; ad tẽpus coagmẽtauit, quò sic bello Italico quod Ferdinãdo regi, atq; adeò omnibus Italis sibi faciendũ statuerat, maioribus uiribus ac expeditius operã dare posset. Quibus rebus confectis, Carolus equitatu, peditatu, classibus, auxilijs Italorũ paratus in Italiã irrupit, paruo negotio potitus est regni Neapolitani, cum Venetis secundũ prælium fecit, domum uictor reuertit. Post eum, Ludouicus rex cùm iam uia patêret, iterum Italos inuasit, recepitq; regnũ ipsum paulò antè amissum de Federico rege: sub imperiũ ditionemq; redegit Mediolanum, sed aliquanto pòst uaria usus fortuna, regnũ amisit, cum Mediolanẽsi principatu. Atq; ita Galli tempestate nostra nihilo melioribus euentis in Italia bella gessere, quàm eorũ quondam superiores fecisse, memoriæ proditũ est: quippe qui quot primo accessu loca cladibus affecerũt, totidem postremò sua cæde nobilitarũt, id quod tamẽ multos miseros mortales omnibus antea fortunis euersos parũ omnino subleuauit. Inde Hispani in Italiam uenerũt, qui profligatis Gallis, Neapolitano regno potiti sunt, quod etiam nunc tenent. Germani quoq;, hoc est, Heluetij nouissimè in partem prædæ uocati, aliquot oppida ceperunt, habentq;.

Inter hos uerò post homines natos ualde terribiles Italiæ motus, nullus ferè populus, nulla priuata domus, nulla nobilis familia, nullus denique locus fuit, quin aceruis corporũ, ac ciuium sanguine redundarit, cladem, iniuriam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

detrimentum,plagam acce perit,atq; sufferre oportuerit,uno uel altero tem-
pore,alia omnia mala,quæ ex inimicorum uictoria extitissent.Quæ equidem
tanta reginæ quondam terrarū labes non sua sponte facta est,sed ipsi Itali rui-
næ uiam fecerunt:nam ætate nostra,ita usu uenit,ut principes Italiæ cùm suas
res sub manus succedere pari gaudio atq; lætitia exultarent,& ob id,desides
domi sedentes ac mulierum quasi ritu,inter se altercantes,discordias concita-
rent,inimicitias & simultates nō cum hostibus,quemadmodū cōsueuerāt,at
secum exercerēt, facilè pristinæ gloriæ immemores studio ulciscēdi iniurias,
per libidinē dominandi,suæ Reipublicæ fundamenta euertere affectarint:&
quia de domesticis uiribus desperabāt,protinus externos homines pecunijs,
donis,pollicitationibus tentare,cōcitare,solicitare,hortari,ac nuntijs frequē-
tibus accersere placuerit.Illi autem partim præmio,partim spe imperij atque
prædæ adducti,magno cum agmine in Italiam aduolarunt,eamq; maiore ex
parte deuastarunt,spoliarunt,occuparunt.Ac ita Itali uelut furore acti, dum
alij alijs nocere conati sunt,Italiam mari atq; altis montibus naturæ beneficio
undiq; septam,exteris gentibus reserarunt,seq; ferè omnes perditum ierunt.
O progeniem æquè iniquā,ut impiam,tanti ne tibi discordia fuit,ut æternū
patriæ malum inureres?& tandem multo miserrimam,quòd uisa ruina,quam
edidisti,magis te pœnituit cœpisse, quàm licuit desistere.Sic peccati dedisti
pœnas,simulq; cognouisti,etsi serò,in salute tuæ reipub.tuam salutem fuisse
repositā.Istius autem mali caput fuit Ludouicus Sfortia,qui id temporis res
Mediolanensium suo arbitrio,duce Ioanne Galeatio nepote ex fratre,guber
nabat.Quamobrem reclamante Alphonso duce Calabriæ,quòd per id, ipse
Ioannes Galeatius eius gener suo fraudaretur imperio,Ludouicus solicitauit
Carolum ad bellum Neapolitanū,quo Alphonsus qui Ferdinando patri pau
lò antè mortuo successerat,primùm regno,deinde uita priuatus est.Sed Lu-
douico haud diutinæ lætitiæ inimici interitus fuit:siquidem à Ludouico re-
ge,qui Carolo successerat,per Heluetios,quorum bene magnum cōduxerat
numerum,proditus capitur,ducturq; in Galliam,ubi miserrimè,uitæ finē ha
buit,perinde ut in euangelico uerbo est, Vę homini,per quem scandalum ue
nit.Cœpit hęc malorū lues in Italiā id tēporis peruadere,cùm Carolus in eam
terram descendit,duratq; etiam nunc,qui est annus salutis humanæ MDXII.
Plus nimio fortè diuertimus,sed ad filium Edouardi hominū astu ab orco in
lucem reuocatum,iam ueniamus,qui regni quietem nonnihil obturbauit.

Margarita Burgundię princeps nutrita inter nobilium factiones,ut suprà
memorauì,non poterat non peius in dies singulos odisse Henricum Angliæ
regem,ex eo quòd familia longè inimicissima ortus esset,quare dies noctesq;
pestē aliquā in eū cōferendā cogitabat,qua tandē aliquādo homine confecto
consumptoq;,sanguine inimici expleret odiū suū,& imperiū regni ad quem-
piam suæ factionis uirum peueniret:itaq; posteaq; uidit omnes Ioannis Lin
colnienſis comitis,atq; suos conatus paulò antè male cecidisse,ad antiquissi-
mum officiū reuersa,aliam ab integro ordiri cœpit telam,quæ Henrico inex-
tricabilis esset.Fortè reperit iuuenem quendam hominem Tornacensem, for
ma nō ineleganti,ingenio acuto,uafroq;,cui nomen erat Petrus, cognomine
Varbechus,sed postea ob eius uecordiā contēptui ac ludibrio habitus,appel
latus est ab Anglis Perychinus,qui Anglicā nōnullas q; alias callebat linguas,
ac à

ac à paucis cognoscebatur,ut homo obscuro loco natus,& qui egestate pres-
sus,iam inde usque à pueritia,uagari per diuersas nationes & gentes cœpe-
rat.Hunc Margarita,aptum esse existimans quem confingeret esse illum Edo
uardi regis sui fratris filium ducem Eboracensem,cui nomen fuit Ricardus,a-
pud se aliquandiu occultè tenuit,docuitque ita diligenter de rebus Anglicis,
deq; Eboracensis domus institutis,atq; genere, ut ille postea omnia memo-
ria teneret,facilè narraret, mores repræsentaret,faceretq; apud omnes fidem
per ea,se in Eboracensi familia procreatū: quia hoc generi hominum natura
quasi datum est,ut qui sunt eius stirpis,cupidè suorum maiorum laudes con-
sequi nitantur.Margarita ita parato negotio,quod inimico exhibendum cu-
rabat,ubi audiuit Henricum regem aduersus Carolum bellum cōparare,rata
tempus idoneum esse,ad res nouas moliendas,misit Petrum clàm in Hyber-
niam, ut ibi iuuenis uafer inter Syluestres homines ad nouos semper motus
paratissimos,nouæ factionis semina iaceret.Petrus in Hyberniā delatus,bre-
ui tempore sua astutia tantum gratię cum illis hominibus iniuit,ut bene mul
ti principes dictis fidem habentes,eum non secus ac si re,ut uerbo prędicaba-
tur,regis filius esset,honore & dignitate tractare cœperint,& sequi,& armis
iuuare,ac cętera suppeditare,quæ ad bellum opus forent,non negarint.Inter
hæc,fama eius rei ad Gallos perlata,Carolus uocauit ad se Petrū,ut illum ar-
maret in Henricum contra se uenientem.Cepit lætitiam Petrus ex eo nuntio,
seq; iam in cœlo esse putabat,quòd inciperet in familiaritates regum intrare,
ac statim ad Carolum se contulit,à quo amanter accipitur,ornaturq; cohorte
ac cæteris rebus,quæ hominem regio genere ortum decerent.Verùm haud
multò pòst facta,ut dictum est,cum Anglo pace,Carolus hominē ab se able-
gauit,qui ita de tanta spe deiectus ad Margaritam in Flandriam redijt.Marga
rita cui à principio quotidie horę quibus expectabat certum scire,quomodo
cum iuuene actū esset,longæ uidebantur,& postremò de eo repudiato à Frā
co,dolor in animo hærebat,uenientē Petrū perinde quasi nuper natum ac ab
se nunquā antea,sicut bellè dissimulabat,uisum,tanto accepit gaudio, ut uix
præ lætitia,compos mentis esse uideretur, atq; ut gaudiū suum apud omnes
notum faceret,primùm cōgratulabatur palàm nepoti salutem,iuuabat,dele-
ctabat,iterum atq; iterū audire,quonā pacto ille à cæde seruatus,per alienas
partes euagatus fuisset,postliminioq; redijsset,quò sic cunctis persuaderet,il
lum omnino esse Ricardū Edouardi fratris filiū:postea adolescēti summos ho
nores habere cœpit,quē etiam eius causa,Flandri principes omnibus officijs
prosequebantur:& quò cōmentum magis specie ueritatis occludebatur,eò
plures credebāt adolescentem nutu Dei,saluū esse,ac ab initio,per quempiā
fidelem Edouardi eius patris familiarem,aliquò terrarū longè gentium dedu
ctum,atq; sic euasisse è manibus Ricardi regis,qui tandē aliquādo auitū regnū
recuperaret.Peruasit uno ferè momento fama nō obscura tanti miraculi,per
omnes uicinitates,sed multò celerius per Angliam,ubi equidem operæpre-
tium est non silere rem non modò in uulgus probatam atque creditam,uerū
etiam statim fuisse uiros quoq; illustres, qui id pro certo habuerint. Itaque
ubi diuulgari cœpit Ricardum Edouardi regis filium uiuere,atq; apud Flan-
dros in summo haberi honore,non aliter actutum germinant seditiones, ac
ineunte uere,solent arbores se in uarios induere flores:primùm enim perdi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tissimi quique homines qui se ob infinita edita scelera, asylis continebant, aut egestate ac ære alieno opprimebantur, ad Petrum in Flandriam aduolant, deinde principes quamplures inter se coniurãt, quorum alios impellebat temeritas, alios certò quodammodo scientes Petrum esse Ricardum Edouardi filium, studium factionis Eboracensis solicitabat, alios arbitrantes se male muneratos ab Henrico rege, ob operam ab se in eum enauatam, cùm indignatio, tum auaritia urgebat, alios demum desiderium nouandarum rerum præcipites in eam coniurationẽ agebat. Ita rumor non quidem raucus renati Ricardi ducis Eboracensis trahebat totã ferè Angliã in partes, diuexabatq; spes & metus animos hominum, nec erat, qui de tali re nõ uehementer laboraret, pro se quisq; de suo sensu, & periculum & commodum metiebatur.

Rex autem ubi audiuit de hoc importuno Margaritæ commento, tam ipse, quàm eius amici haud mediocriter mirabantur, potuisse cuiquam mortalium talem dari mentem, ut confidenter auderet tam pernicio sam atque non modò mirabilem, sed omnino prodigio similem excogitare fabellã, per quam manifesta fallacia sic faciem ueritatis præ se ferret, ut multi Anglorum optimatum (id etenim ille iam persentiebat) quod malitiose & stolide simulabatur, pro certo haberent, ita ut iam tum animo cerneret, eam fabulam pestilentissimam aliquid omnino ruinæ edituram, nisi maturè constaret inter omnes, fabulam, nefariamq; fraudem esse. Alij autem quibus bella, tumultus, seditiones cordi erant, nouitate hac gaudentes, nihil in re tectum aut ueteratorium, sed quicquid fama dissipasset, syncerum & apertum esse ducebant, sibiq; illud lucro atq; honori fore sperabant, quod in primis coniuratorum spem alebat. Et quoniam res magni erat momenti, ac multorum opibus iuuanda, idcirco placuit coniuratis præmittere aliquos in Flandriã ad Margaritam, qui cognoscerent, quando Ricardo duci Eboracensi iter in Angliam commodum esset, idq; statim sibi significarẽt, ut ipsi sub eius aduentũ, opportuna auxilia submi nistrare possent. Itaque de communi omnium consensu, Robertus Clyffordius eques cum Gulielmo Barleio, in Flandriam missus est, qui omnia amicorum noui ducis consilia Margaritæ aperuit. Margarita aduentu Roberti uallde lætata, illi facilè persuasit omnia esse uera, quæ rumor de Ricardo duce diuulgasset: postea ostendit Petrum ipsum, qui Ricardi personam multa arte induerat, mirisq; laudibus apud eum in cœlum tulit, quòd esset omnibus uirtutis bonis ornatissimus, suorumq; maiorum similimus. Robertus uiso adolescente, credidit protinus eum regia stirpe ortum, illudq; ad socios scripsit, & ut plus fidei dictis haberetur, addidit se de facie rectè nouisse hominem. Tum acceptis Roberti literis, principes noui consilij causa concitandi populi ad aliquos motus faciendos, passim prædicant, nihil à uero esse uacuũ, quod paulò antè de duce Eboracensi uulgò dictũ esset: sed id tam simulatè faciunt, ut audiẽtes neminem unum eiusmodi rumoris certum autorem notare queant. At rex ubi animaduertit rem uanam haud quaquam apud uulgus euanescere, iam sibi consulendum, iam patriæ cum qua suum malum coniunctum uidebat, prospiciendum putat, qui coniurationem aliquam iam factam suspicans ex eo, quòd Robertus Clyffordius clàm discessisset, continuò uiros aliquot equestris ordinis cum electissimis militibus, quocunque ire iubet, qui omnes maritimos exitus claudant, ut ne cuipiam potestas sit nauigandi, néue

néue ullus sine licentia, continentem petat, aut in insulam accedat, quin uias quoq; omnes & calles, ne quis ad litora eat, uel uspiam hominum conuentus fiant, diligentissimè custodiri mandat. Post hæc, ut ne in Anglia, aut alibi homines eius rei credulitate quæ etiam in optimi cuiusq; mentem facilè irrepere potest, decepti uel obstinati diutius insaniant, exploratores ad omnes Belgicæ urbes mittit, qui originem Ricardi ducis promissis præmijs indicantibus perquirant, scribitq; ad amicos, ut idem faciant. Illi in Galliam profecti, dum alij alia loca peragrant, quidam Tornacum perueniunt, ibiq; intelligunt Ricardum humili loco natum, nomenq; à primo habere Petrum, cognomento Varbechum, idq; multorum testimonio constare. Ita conquisitores regij officio functi celeriter redeunt, ac comperta demonstrant. Sed amici quidam regis per literas, & secretos nuntios, multò planiora ea omnia faciunt. Igitur Henricus patefactam fraudem primo quoq; tempore non modò per Angliã, uerumetiam per omnes transmarinas partes diuulgandam magnopere curauit, qui confestim legauit in Flandriam ad Philippum archiducem, eiusq; consiliarios, cùm ille per ætatem, nondum ad gerendas Respublicas idoneus esset, Edouardum Ponyngum equitem, ac Gulielmum Varamum iurisconsultum, sacerdotem summa modestia & grauitate præditum, qui palàm declararent illum adolescentem sordido genere natum, falso sumpsisse personam & nomen Ricardi ducis Eboracensis, qui olim unà cum Edouardo fratre, in turri Londinensi, iussu Ricardi patrui necatus fuerat, sicut nemo homo nesciebat, & secus credere, uel affirmare, summæ esse dementiæ, cùm satis etiam argumento non mediocri liqueret Ricardum regem tollendo è medio Edouardum maiorem natu Edouardi regis fratris filium; nihilo plus securitatis habiturum fuisse, si passus fuisset seruari Ricardum alterum filium, qui paterno nomine, itidem regnum Angliæ iure obtinere deberet, ac propterea rogarẽt Philippum, eiusq; principes consiliarios, ut ne uellent tam manifesto commento singularis nequitiæ pleno fidẽ habere, néue tã fucosæ personæ quæ suũ ipsius & nomen & genus fraudulenter mentiretur, auxilium ferre, aduersus ipsum, qui superioribus annis Maximilianũ eorum principem bello Gallico pressum, domesticisq; seditionibus laborantem iuuisset. Cum his mandatis legati in Flandriam profecti, humaniter à Philippo accepti sunt, atq; postea facta copia fandi, Gulielmus luculentè habuit orationem, qua diligenter mandata regis explicuit, in extrema sua ipsa oratione nonnihil cauillatus in Margaritam, quòd monstra pareret, quæ ætate iam decursa, intra paucos annos, duos, Lambertum, cuius suprà mentio facta est, & Petrum, non octauo nonóue, uti fit naturaliter, sed centesimo octogesimo mense, enixa esset: tot enim menses conficiunt annos circiter quindecim, quot quidem annos ambo pueri antè habuerant, quàm illa eos quasi è partu, in lucem edidisset, & illos quidem non infantes, at id ætatis pueros, qui statim nati bella regibus facerent. Cæterùm istuc scomma etsi Margaritæ magnum inusit dolorem, maioremq; fecit Petro, quòd fraus iam diluxisset, tamen eò magis mulier inflammata, quàm territa, nihil restinxit odium, sed ignem nouũ subijcere cupiens, tum Petrum aduersus Henricum sibi armandum statuit. At Philippus & eius consiliarij post longam disceptationem, an Petrus foret Edouardi filius nec ne, responderunt oratoribus, se deinceps Henrico gratificandi gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia, nullã Petro opem laturos, sed si Margarita ferret, nõ esse in manu sua, ut il lam impedirẽt, quando quidẽ mulier libera in sua dotali terra omnia pro suo iure ageret. Hoc accepto responso legati in Angliam redeunt, actaq; edocent.

Interea Henricus in rem suam uigilanter incumbens, præstare existimauit procellas quas impendêre cernebat, cõsilio, nõ armis, si id per suos principes fieri liceret, auertere, optimè gnarus sæpe ex tumultu tumultum solere oriri: itaq; statim misit exploratores in Flandriam, alios quidem, qui simulantes se ad Eboracensem ducem transfugisse, scrutarentur cõiuratorum consilia, eorumq; omnia: alios uerò, qui Robertum Clyffordium ac Gulielmum Barleiũ promissa impunitate, ad reditum hortarentur. Illi utrunq; diligenter fecerũt, & nomina quorundam conspiratorum nouerunt, & Roberto Clyffordio ut ab incepto in quo nihil esset firmitudinis, desisteret, persuaserunt. Gulielmus uerò Barleius de sententia deduci non potuit, qui tamen non diu in ea uoluntate fuit: nam biennio pòst data ab Henrico uenia ad sanitatem reuocatus, domum se retulit. His actis, qui in Flandriam missi fuerant ad indagandas inimicorum technas, alius post alium à fictitio duce clàm discedentes, ad Henricum rediere, atq; nomina quorundam qui in coniuratione erant, detulerunt. Nonnulli tamen illic remanserunt, ut Robertum redeuntem comitarentur, quorum statio mirabilem in modum coniuratorum spem infirmauit, quòd paulatim læderentur, & neminem hominem cauendum cernerent. Rex omnes coniuratos exploratorum indicijs patefactos comprehendi, atque ad se Londinum perduci iussit, quorum principes fuerunt Ioannes Rateclyffus, Simon Monfordius, Thomas Thuartus, equites, Gulielmus Dabeneius, Robertus Rateclyffus, Ricardus Leseius, complures q; alij. Item sacerdotes aliquot, Gulielmus Richefordius, & Thomas Ponys, ambo monachi Domini cani ordinis, Gulielmus Suttonus, Gulielmus Vrseleius decanus, quem uocant, diui Pauli, & Robertus Laybornus. Reliqui uerò nouæ sectæ socij, ubi audiuerunt indicatum esse de coniuratione, in diuersa asyla se receperunt. Illi omnes comprehensi proditionis damnantur, ex quibus securi feriuntur tres duntaxat, Simon Monfordius, Robertus Rateclyffus, & Gulielmus Dabeneius, ut capita & autores eius nefarij consilij. Cæteris autem unà cum sacerdotibus, ob reuerentiã ordinis, parcitur. Fuit & cõcessa uita Ioanni Rateclyffo, sed Caletũ ductus, ibiq; in custodiam traditus, quia corruptis custodibus fugere conatus est, mox ipse etiã capite mulctatur. Pauci deinde intercessere dies, cùm Robertus Clyffordius, partim Henrici promissis adductus, partim quia audierat plerosq; illustrata iam coniuratione, pœna affectos, ac incœpto negotio nil perditius, nil desperatius esse, clàm ex Flandria discesit. Rex de ea re certior antea factus, confestim in turrim Londinensem se contulit, ibi expectaturus dum Robertus ueniret. Eò pertinebat illud consilium, ut si Robertus principes aliquos eius coniurationis participes indicaret, sine suspitione possent accersiri ad eum locum, in custodiam. Ponam prius quàm cætera explicemus opinionem, quæ id temporis uehemens per animos multorum peruaserat, de Roberti transitu ad Flandros. Fuere qui putarint Robertum exploratum ab Henrico missum fuisse, & ea de causa, facilè redijsse cum eo in gratiam. Verùm secus atque creditum est, certo argumento fuisse constitit, quòd id consilium & Roberto malo fuit: nam non mediocrem eius nomini

homini notã inusit, & illius amicis fraudi, quin posthac Robertus cum Henrico rege in minore gratia multò fuit, ut qui culpa non uacarit. Igitur Robertus Eboracensis familiæ studiosissimus, à principio causa nocendi Hẽrico, ad Margaritam transisse uisus est, ut errore ductus, qui Petrũ pro Ricardo Edouardi filio habuerit. Ad rem redeo.

Robertus interea uenit, & regi ad pedes prouolutus ueniam primùm petiuit, deinde interrogatus, totius coniurationis ordinem, & quę in Flandria gererentur, aperuit, postremò sociorum nomina detulit, & in primis Gulielmi Stanlei. Ea re cognita, rex ualde perturbatur, quòd Gulielmus eius culpæ affinis esset, qui præpositus ipsius cubiculi erat, cui summam rerum omnium fidem habebat, cuius multa in se merita, sed maximum illud beneficium numerabat, quòd eius præsertim opera, Ricardum regem uicisset. Quas ob res non poterat adduci, ut Roberti primùm dictis crederet, sed ubi certæ res ueri indicij apparuerunt, deinde Gulielmum comprehendi, atq; examinari iussit. Ille nihil inficiatus, sed si quid peccatum erat, ingenuè fassus est. Peccatum eiusmodi fuisse ferunt: orto enim sermone inter Gulielmum & Robertum, de Petro, qui se falso Edouardi filiũ prædicabat, Gulielmus professus est se nunquam arma in eum iuuenem laturum, si certum haberet Edouardi filium esse. Id arguit Gulielmũ ira, ut fit, ad punctum temporis permotũ, alieno ab Henrico esse animo, unde suspitiones ortæ, ad quas postea accessere ea, quæ Robertus indicauerat. Interea rex dubius animi erat, quid de Gulielmo statueret, consiliumq; capiendum euentu ponderabat: nam timebat, ne eius supplicio Thomæ Stanlei fratris de se bene meriti animum offenderet: contrà si iniuriam condonaret, ne cæteri ea lenitate audaciores facti, peiora molirentur. Itaque ad extremum placuit, ut seueritas uinceret, ac ita Gulielmus capite damnatus morte afficitur.

Quid autem fuerit, cur syncera Gulielmi uoluntas erga Henricum regem, similiter uersa sit postremò in maleuolentiã, atq; regis amor aduersus Gulielmum, mutatus in odium, rationẽ utriusq; rei hanc afferũt: Henricus enim, ut cætera ab initio collata mutuò inter eos officia omittamus, in illo prælio, quo deniq; Ricardũ regẽ & uita & regno priuauerat, paucis stipatus armatis cùm repentè ab ipso Ricardo circumuentus esset, ita ut eius uita iamiam periclitaretur, Gulielmus missus cum ualida militum manu, à Thoma fratre, qui prope locum pugnæ, cum suis copijs cõsederat, confestim ac peropportunè subsidio uenit, eumq; à cæde seruauit incolumem, interfecto ibi eodem momento Ricardo rege, sicut superiore libro est à nobis abundè explicatũ. Fuit certè hoc beneficiũ post hominũ memoriam maximũ, per quod Henricus à periculo mortis liberatus, conseruatusq;, regnum sibi quæsiuit. Contrà Henricus statim ut regnũ obtinuit, gratiæ nõ oblitus, de qua meminerat, & prędicabat libenter, primũ Thomam Stanleium fecit comitem Darbiensem, deinde Gulielmũ magnis donatum muneribus cubiculo suo prępfecit, summoq; in honore habuit. At Gulielmus tametsi magnũ amicitię locum apud regem tenebat, magis tamen dati quàm accepti beneficij memor, mensuram adhuc cõfertam & superfluentẽ, iuxta euangelicũ uerbum, sibi datũ iri sperabat, adeò ut minoris merita regis in se collata faceret: quæ cùm ei Henricus animaduerteret sordere, cœpit sic succensere, ut irritatis animis, uterq; suæ gratiæ fructum amise-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit. Atque ita usu sæpe uenit, ut ex eiusmodi iniqua meritorum æstimatione habita, summũ beneficium, summa sequatur inhumanitas. Redeo rursus eõdem. Cæterum uidebatur tempus eius animaduersionis quo seditionum uulnera retractari summopere incipiebãt, seueritatem tum maximè poscere, cùm homines perinde quasi ab omni metu uacui, auderent passim iactare uoces probri plenas in Henricũ ueluti regem nullo iam numero habendũ, qui Eboracensis ducis in singulas horas aduentum præstolabantur. Verùm cùm eiusmodi probrosi sermones ad regis aures peruenissent, & aliquot meritas cõtumeliæ pœnas luissent, cæteri uidentes male cecidisse eorũ conatus, qui primi dementer res nouas tentassent, simulq; omnia prouisa, parata, cõstituta aduersus impendentes motus, cœpere sua sponte quiescere, ita, ut uiderentur uniuersi non nolle in officio permanere. Post Gulielmi casum, fit regij cubiculi præpositus Ægidius Dabeneius uir fidelissimus moderatissimusq;.

Solùm restabat, ut Hybernia purgaretur, quò si qua semina nouæ sectæ aduersariorum inter illos homines feros à Petro Varbecho superiore anno iacta fuissent, maturè extirparentur: itaque Henricus primo quoq; tempore Henricum Deneum monachum Langtonienſis cœnobij præfectum, uirum bonæ frugi ac officij plenum, quem insulæ cancellariũ designauerat, & Edouardum Ponyngum cum bene magno militum numero, eò misit, qui confestim loca lustrarent, in quibus Petrus moratus esset, & quos reperissent tantę perfidiæ affines, in eos grauiter uindicarent. Illi celeriter in insulam delati concilium nobilium regis nomine conuocant, quo coacto, Henricus cancellarius eos primùm hortatur, ut in fide maneãt, deinde iubet sumptis armis sequi Edouardum copiarum ducem aduersus homines planè insanientes, qui paulò antè siue errore ducti, siue libidine nocẽdi agitati, Petrũ pecunia uel armis iuuissent. Promisit pro sua quisq; parte auxilia, sed pauci postea ea subministrarũt, ut qui Anglos plus fronte quàm mente colerent. Postquã nuntiatũ est Edouardũ Ponyngũ ueniſſe persecutum omnes, quos Petrus sui studiosos habuisset, non fuit quisquam omnium ad quem etiam leuiter ea culpa pertineret, quin raptim in proximas syluas sese abdiderit. Hîc simul more patrio consilia inierunt, quibus in locis deberent aut Anglis insidias tendere, aut cum illis, si ita necessitas ad periculum uocaret, manum cõserere. In omni Hybernia duo sunt hominum genera, quemadmodum est à nobis loco perappositò, superà decimotertio huius operis uolumine demonstratum: unum mite & urbanum: ad hos ut magis tractabiles ac diuites nauigant frequenter uicinitatum continentis mercatores negotiandi causa, sed Angli in primis cõmeant, quorum mores illi facilè imbibũt, linguamq; ex assiduo cõmercio, maiore ex parte intelligunt, & omnes parent regi Anglo. Alterum genus ferum, incultum, stultum, asperum, qui à neglectiore cultu, rusticisq; moribus, Syluestres appellantur, habentq; quamplures regulos, qui inter se continenter belligerãt, qua de causa, reliquos Hybernos ferocia præcedunt, ac nouarũ rerum longè cupidissimi, secundum rapinas & latrocinia, nihil tumultibus magis amant. Ad istos Syluestres Hybernos Petrus se principio contulit, eisq; omnia facilè persuasit, quæ de se falso prædicabat. Igitur Edouardus Ponyngus persecutus generatim illos, qui Petrum accepissent, iuuisséntue, aduersus Syluestres Hybernos arma conuertit, cùm præsertim ad eos etiam omnes alij eius culpæ participes

participes se recepissent, ut simul ab iniuria se iunctis armis defenderent: sed cùm nihil secundi accideret, quòd principes Hyberni promissa auxilia non misissent, & Syluestres per saltus uagantes ob suorum militum paucitatem, nusquam ad pugnam faciẽdam cogere posset, tum necessariò pedem retulit, & iracũdia ac stomacho exardens, quia suspicatus erat ea omnia dolo ac fraude Geraldi comitis Chyldariæ, qui insulæ præfectus erat, accidisse, prout ab inimicis comitis ad ipsum delatum fuerat, eum de improuiso cepit, captumq; duxit in Angliam ad regem. Huic postea licet multa obiecta fuissent, non defuit tamen ingenium ad leuandam culpam, quam facilè in alios deriuauit, ac ita se purgauit, ut à rege missus statim factus in Hyberniam redierit, præfecturamq; rursus obtinuerit. Multa nempe Henrico uenerunt in mentem, quamobrem minus seuerè, quàm aduersarij Geraldi factum peruolebant, ea in re agendum iudicarit, primùm hominis autoritas apud suos Hybernos, deinde cõditio temporis, quo initium fieri alicuius belli sentiebat, & tertio loco fidu cia iampridẽ in comite collocata. Repressa magis quàm compressa sic seditionum peste, rex nihil esse existimãs quod in præsentia de bello curaret, ad VIII calendas Iulias, animi recreandi causa, in Lancastrium comitatũ proficiscitur, ut ibi uisat Margaritam matrem, quæ cum uiro suo Thoma comite Darbiensi, in eo comitatu per illos eos dies erat.

Dum hæc in Anglia geruntur, Petrus Varbechus in Flandria quanquam summum accipiebat dolorem, quòd patefacta coniuratione, & socijs ab Henrico supplicio affectis, promissa auxilia non uiderentur uentura, oblatam tamen imperij spem haud negligendam statuit, fretus ducibus suis uiris desperatis naufragisque, & in primis multitudine perditorum hominum undique ex uicinis populis, ac asylis Anglicis ad se conuenientium, quos spes prædandi ab agricultura & quotidiano labore reuocarat: itaq; cum ea hominum caterua imposita in naues, quas ope amicorum parauerat, ex Flandria soluit, petiturus eam partem Angliæ, in quam uentus deferret: qui ubi ad oram maritimam Cantij peruenit, quia magna erat maris tranquillitas, per quam naues secundum litus, sine incommodo in anchoris teneri poterant, ibi cursum sistit, exponitq; in terram aliquot suorum militum, ut significent se omnibus esse refertum copijs, spemq; uictoriæ non dubiam faciant, ac ita tentent, si Cantiani uelint secum stare, ac se ducem sequi, qui aliàs sua sponte rebus nouis studuerint. Cantiani primùm audito ducis Ricardi Eboracensis aduentu, quia iam fabula satis diuulgata erat, dubij aliquãtisper fuere, utrum illum sumptis armis iuuare, & sequi, an non recipere mallent: sed ad ultimum memoria repetentes nouos ab se antehac factos motus semper sibi malo fuisse, existimarunt ex re sua minus fore, si se cum homine magis ad uastandam Angliam, quàm ad uincendum parato coniungerent, idq; dubium non esse inter se disputabant, quòd Petrus non alium ferè militem nisi externũ haberet, qui templa, qui priuata tecta, qui urbes, qui oppida, qui uicos, non patriam, sed prædam putaret: igitur ab illis nil esse, quod non metueretur, ac propterea ab officio nõ discedendum iudicantes, decreuerunt in eos irrumpere, qui descendissent, postquàm dum se armarẽt, alios plures ex nauib. in terram bonis uerbis euocassent: ita cõposito dolo, se ducem secuturos cõclamãt. Verũ cũctatio deliberandi attulit Petro suspitionẽ, utpote quẽ nõ fugiebat uulgus solere

Universidad de Deusto
Biblioteca

non cõsultò, sed subitò ac temerè semper ad nouos se incitare motus, propter quod statuit nõ prius pedem è naui egredi, quàm omnia tuta uideret: permisit tamen aliquot plures suorũ in terram descendere, qui ubi aliquantulo longius à nauibus progressi sunt, ecce tibi, subitò à Cãtianis magno conatu contendentibus circumueniuntur, multisq; acceptis uulneribus, ad naues repelluntur. Comprehensi sunt in ea fuga bene multi, qui postea omnes supplicio affecti sunt. Petrus omisso incœpto, in Flandriam unde uenerat, abijt, expecturus illic, dum tractaret cum suis amicis, de rebus in posterũ tempus cautius agendis. Rex uerò in itinere certior factus de hostiũ accessu, uoluit Londinum pedem protinus referre, sed postridie illius diei refrigerato iam rumore, ac altero accepto nuntio, de re bene gesta, iter reliquum cõficere perrexit, misso confestim Ricardo Gilfordio in Cantium, qui ipsius nomine, collaudata eius populi fide ac uirtute, gratias generatim ageret, pro officio amãter collato, pollicereturq; ipsum fore memorem, atq; simul excubiarum munia circa litora, more patrio, obeunda curaret.

Petrus & eius duces in Flandria omnia interim circumspectantes consilia, nihil reliqui habebant, præter unum tutissimũ, ut incœptos conatus cõtinuarent, postquam non essent ciues, aut populi, cum quibus furorẽ suum, qui nihil refrigescebat, consociarẽt, ut ne tarditas belli gerẽdi, aut spatiũ daret Henrico uinciendi loca opportuna præsidijs, quòd audierint nihil esse, quòd ille potius faceret, uel amicis quos in Anglia se habere confidebãt, animũ adimeret: itaq; reparato confestim exercitu, statuũt ad Hybernos primùm transire, & ibi auctis copijs, inde, si ita expediat, proximam Angliæ partem attingere: si uerò id non procedat, recto demum cursu ad Scotos se recipere, quòd illis haud unquã soleat perpetua cũ Anglis intercedere amicitia. Hoc capto consilio, Petrus idoneam proficiscendi nactus tempestatem, Hyberniam petit, ubi paucos dies moratus, quòd intellexisset spem uictoriæ minimè ponendam in solis Hybernis, qui nullis armis tegentes bellando corpora, parum aduersus Anglos in prælio ualerent, cùm uentus cœpit flare secundus, in Scotiam nauigat, regémque Iacobum suppliciter adit, sicq; alloquitur: Non arbitror, maxime rex, te fugere, quæ superioribus annis labes facta sit domus Edouardi quarti Angliæ regis, cuius, si nescis, ego filius sum seruatus à cæde, Dei optimi maximi nutu: Edouardus enim pater moriens constituit tutorem filiorum Ricardum fratrem ducem Gloestrensem, quem quò maioribus afficerat beneficijs, hoc magis filios amaturum sperauit. Sed heu me miserum, quàm secus atque ille putarat, euenit: Is non tutor gentis nostræ, sed extinctor penè fuit: ecce, ex improuiso tyrannus regnandi cupiditate captus, Edouardum meum fratrem, meq; unà interfici iussit. Ille autem cui tam immane atque horrificũ negotium opprimendi nos miseros innocentes datum erat, quanto magis scelus abhorrebat, tanto magis non edere, sibi timebat: itaque dubius animi, ut demum & tyranno morẽ gereret, & in parte culpa uacaret, fratrem necauit, me uerò cõseruauit, ac in continentem raptum qui aliò terrarum duceret, et cùm lõgè gentium abessem, subitò, quemadmodum fecit, desereret, socium dedit. Sic Ricardus regnum tanquam sui sceleris prædam occupauit: ego uerò ita saluus, per ætatem tamen meijpsius ferè oblitus, usq; eò per uarias gentes uagatus sum, dum tandem aliquãdo qualis essem edoctus, ad Mar-

ad Margaritam amitam meam, quæ olim cum Carolo duce Burgũdiæ nupta fuerat, ueni, quæ me ut ab inferis ad superos reuocatum summo cum gaudio accepit, & quoniam mulier cui nihil præter dotem, in ea terra est, non ita me iuuare, sumptusq; belli necessarios suppeditare potuit, quin mihi pro recuperãdo regno, necesse esset alienas expectare opes, idcirco eius monitu hac modica armatorum stipatus manu ad te confugi, à quo fama iampridem per orbem peruasit, nunquam quempiam per iniuriam suis fortunis euersum aut finibus eiectum, perinde ut ipse à puero fui, auxiliũ frustra petijsse. Te ipse igitur nunc patria domoq; exul ac rerum omnium egens per maiestatem regni tui rogo, uel atqueadeo precibus omnibus oro, & obtestor, ut mihi subueniras, uel de loco saltem commodes, ut non sit amplius mihi errãdum: nam si tuæ opera & beneficio & gratia, mihi licuerit auitum recipere regnum, nõ modò me, sed omnes reges qui ex nostra progenie orti illud posthac obtinuerint, ita tibi obstringes, ut illi in referenda gratia, nũquam sibi satisfecisse putarint.

Rex ad ea respondit, ut bono esset animo, quandoquidem ita eum acciperet, ut quisquis esset, nunquam pœniteret, in Scotiam peruenisse. Post hæc, conuocato principum concilio, interrogauit, ecquid singuli sentirent de ijs, quæ Petrus coràm dixisset, ecquidq; deliberandum censerent. Illi quibus sanior mens erat, multis argumentis affirmabant, ea omnia perinde ac somnia habenda, atq; nihil esse, quòd longior consultatio solicitos teneret. Alij uerò non parum multi hanc dari nouam belli gerendi aduersus Anglos occasionẽ, è Republica fore ducebant, quòd licet nihil euentorum exploratum esset, tamen uideretur bellè casurum modis omnibus negotium, si Petri causa, qualiscunque esset, maturè defendẽda susciperetur, quandò bello inchoato, si Petri res bene iret, nihil ille suis adiutoribus negaturus esset: sin minus, Henricus nullas nõ pacis conditiones offerret, ut ne Iacobus rex suis aduersarijs socius foret. Visa est hæc sententia pluribus potior, quare rex siue errore ductus misericordiaq; cõmotus, siue simulans, cœpit postea Petrum habere in honore, eumq; iam palàm Ricardum ducem Eboracensem appellare, & ut cunctis huius rei fidem faceret, eidem Catharinam filiam Alexandri comitis Huntlei sibi genere propinquam nuptum dedit. Illò ea affinitas pertinebat, ut rex partim leuaret inuidiam, qua breui futurum prospiciebat, ut ex eo maximè flagraret, quòd inducias cum Anglo haberet, partim uerò, ut ne leuitatis accusaretur, si postea constitisset Petrum alium hominem esse, atq; ille prædicasset. Quibus constitutis rebus, dum rex bellũ comparabat, Petrus lætitia exultãs, quòd ex animi sententia, Scotos in studiũ sui duxisset, ut ne sibi deesset, prædicabat magna auxilia ab Anglis amicis longè sibi obuiam uentura, cum primùm fama esset, ad arma uentum esse. Scoti etsi hisce promissis exiguam habebant fidem, tamen in spem propè certam prædæ potius quàm pugnæ uocati, se celeriter armant, in finesq; Anglorum contendere incipiunt: rex uerò ut ne quid temerè fiat, ueritus ne Angli cognito Petri accessu in Scotiam, circa fines præsidia dispositissent, aliquot equites præmittit, qui speculentur, an agrorum coloni in armis sint, nec ne. Equites quaquauersum secundum hostium agros profecti, ubi omnia quieta esse cognouerũt, ad regem reuersi, nuntiant tempus aggrediendi ad bellum mouendum aptissimum esse. Ille tum in Angliam inuasit, qui primùm omnium passim per præcones significandum cu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rabat,illis duntaxat parsum iri,qui protinus in Ricardi ducis Eboracensis fidem uenissent:deinde metus iniiciendi gratia,tam crudele bellū faciebat, ut nō homines,quorum humanitatis est cæde satiari hominū,& misericordiam impartiri infirmis,sed incendium ac calamitosa tempestas per agros, per uicos,per fortunas peruadere uideretur,qui prędando longius progressus iam Northumbrorū agro latè populato,ultra iturus erat, nisi uidisset noui ducis hominem Anglum studiosum esse neminem,& milites præda onusti se sequi posse negassent,ac concursus agricolarū suspitionem insidiarum attulisset: ita multum prædæ secum trahens in Scotiam reuersus est. Operæpretium est cognoscere hoc loco genus quoddam ridiculę misericordię,qua Petrus permotus uisus est nihil alieno cōmodo habuisse potius:dum enim Scoto ita irruente in Anglum,nihil aliud nisi gemitus & ploratus exaudiretur,ille sui semper similis,qui fraude omnia agebat,animaduertens nullos ad se fieri Anglorum concursus,& ueritus ne ob id,dolus eluceret,haberetuŕq; contemptui,ratione quadam naturali machinæ tegēdæ causa,fertur inclamasse:O me ferreum, qui meorum calamitate nō moueor:atq; rogasse regem,ut ne ultra suam gentem affligeret,neu patriam maiore incendio deformaret,perinde quasi patrię amore uictus,iam misereri cogeretur:& rex respondisse, sibi uideri eum non suam,sed alienam uicem dolere,qui appellaret Angliā suam patriam,suamq; gentem,ex qua tamē nemo omnium bellum eius causa & nomine susceptum iuuaret.Ita rex hominis infantissimi leuitatē perbellè coarguit,quē deinceps in dies magis neglexit,cùm eius facta cum dictis,& rerum successus cum promissis minimè consentirent.

At nobiles Angli eius regionis,ubi ex fuga clamoreq; incolentium rura,cognouerunt Scotos adesse, ualde conterriti, subitò ad loca munitiora cōfugiunt,ibiq; ad se undiq; accersitis armatis,ad resistendum se parant, præsidia circa uias disponunt,alia dimittunt,quacunq; putant hostes trāsituros,simul crebris nuntijs de improuiso Scotorum accessu,regem certiorem faciūt. Quibus rebus cognitis,Henricus subito malo perturbatur,domesticarū solicitudinum repentè aculeis punctus,quippe qui non hostes tantùm,uerumetiam suos principes pertimescendos putabat,ne eorum quispiam defectionis initium faceret,periculūq; sibi crearet:quare ipse quoq; accepto nuntio,rem magnam & multę cautionis esse ratus,opportuna remedia impigrè parat,ad primam periculi procellam propulsandā. Verùm cita hostium fuga omnes Anglorū conatus extraxit:Scoti enim facta omis generis præda contenti, ocyus pedem retulerūt,quàm Angli se in unum collegissent. Atq; hoc Scotici belli initiū fuit.Rex Henricus postquam cognouit Iacobum intra suos fines se recepisse, collaudata nobilium Anglorum eius regionis uirtute, qui in officio permansissent,destitit ab incœpto negotio occurrendi periculo iam pręterito:sed ne hostibus ex eo maleficio animus crescceret,decreuit sibi quamprimū armis uindicandam iniuriam:itaq; coacto principum concilio,quid causę inferet,qui sit mentis suæ sensus,illis aperit,multisq; rationibus docet,ex Reipublicæ usu maximè esse,bellum ab hoste inchoatum persequi. Placuit cunctis, qui non minus quàm ille,stomachabantur,ob tam iniurioſum Scotorum facinus,ut bellum fieret,ac ad id gerendum,aliquid pecuniæ tributim pendere tur,quod & factū est:nam post longā disputationē,de concilij sententia, tributum

butum haud omnino graue in singulorū hominū capita indiciī,sed id tamen generis exactionis,quod agrestiū turba omni tempore abhorruit,grauiterq; tulit. Deinde eo in conuentu,leges nōnullæ perpetuatæ,aliæ nouæ latę sunt, quæ statui regni optimo conducerent. Ac ita rex dimisso concilio,bellum de integro cōparat. Scotus interea nec suę causæ deerat,qui prospiciens Anglos non quieturos esse diu,nequaquā minore studio in exercitu conscribēdo hærebat,ut uel hostibus in se arma mouentibus obuiam iret,resisteretq;,uel rursus fines Anglicanos ingressus nouas prędas faceret. Ita ambo reges rei bellicæ iuxtà studebant,sed Henricus lacessitus iniuria,tantū animi aduersus Scotum gerebat, ut nihil procrastinauerit, qui longè prior ualentissimas copias parauit,easq; duce Ægidio Dabeneio,in Scoticum agrum ire iussit. Ille rebus omnibus paratissimus iam iter facere cœperat,cùm domi grauior seditio derepentè orta,bellum externum interpellauit.

Quæstores interea passim dimittuntur,qui decretam ac imperatam in bellum Scoticum pecuniam colligant, quam dum alij conferunt,Cornubienses qui minimam insulę partem eandem que steriliorem incolunt,de tributo indicto recusant,eius grauitatē se ferre non posse uociferant,& dolore similiter atq; iracundia ardentes,primū parum modicè regis nomini temperant,eius consiliariorū crudelitatem mali causam esse fremunt, conqueruntur, lamentantur,deinde palàm furentes exitium autoribus tanti facinoris intentandū, eosq; prorsus ad supplicium sibi petendos constituūt. Ita commoto populo, duo ex eo hominū cœtu, Thomas Flammochus leguleius,& Michaël Ioseph faber ferrarius uiri audaces sese seditionis duces profitētur. Ii ubi uiderūt turbam ira & furore esse inflammatā,non cessabant multò acrius concitare,more amentiū,exclamantes indignū esse facinus,ut pro minimo motu à Scotis facto,& puncto temporis sedato(putabant enim homines rerum omniū rudes id bellum iam restinctū,quod tum maximè ardere incipiebat)tanta cum acerbitate premerentur miseri cum primis Cornubienses tributo,qui loco minimè frugifero nati, maximè omniū mortaliū uictum sibi manibus quærerent, tantum in fodiendo plumbo,dies noctesq; hærentes,& propterea quiduis eſ se perpeti satius,quàm in tanta ui,atq; miseria uersari. Sed eam culpam in primis assignabant Ioanni Mortono Cantuariensi archiepiscopo,ac Reginaldo Braio,quòd principes essent domestici regij senatus. Et talia præmia,ut pluri mum habent illi,qui apud principem autoritate ualent,quia sic usu uenit,ut si quid recti fiat,illud principi acceptum referatur,si quid mali,id cōsiliarijs crimini uertatur. Quod si bene multi secum uacuo animo ponderarēt, haud ad illum locū multis laboribus aspirandū ducerēt. Nūc ad rem redeo. Quocirca ductores ipsi hortabant,ut sumptis quamprimùm armis,se sequi nō formidarent,promittētes ita futurū,ut ipsi nihil damni facerēt:nec illi impunè ferrent, qui uexandi populi per exactiones,autores fuissent. Atqui si quos uidebant, uidebant autem complures,suum imprudens,calamitosum,ac nefarium consilium improbare,dicereq;,summæ dementiæ esse,capitis periculū adire,prore,quam supplicite principem poscere deberent,eos ut uecordes,stultos,pigros,multis uerbis male accipiebant, adeò se atq; suos perditum ire auebant duces longè perditissimi. His uocibus bona pars plebis stimulata,signa tandem consentientis multitudinis nō incerta dedit. Illi collaudata populi auda

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia,ubi ea quæ opus essent ad profectionem pararunt,agmen fluctuantis uul
gi Vuelliã uersus ducunt,ituri Londinũ,ubi se regem tenere audierant. Quæ
postquam Henrico per certos homines ab eius quæstoribus missos,nuntiata
sunt,eum ualde pupugerunt,quòd uno tẽpore perincõmodè duplici uexare
tur bello,externo,ac domestico,& quoniã par periculum ab utroq; imminebat, aliquantulum pependit animi utrum utri anteuerteret. Inter hæc factus est certior Iacobum Tuychettum regulum Audeleium cum nonnullis alijs nobilibus,societatẽ coiuisse cum Cornubiensibus,& illos citato agmine Londinum approperare: tum uidens domesticũ bellũ in foribus esse,deliberauit omnes uires in illud conuertere,ut eo sedato tumultu,deinde expeditius Scoticis rebus seruiret: itaq; Ægidium Dabeneium in Scotos proficiscentẽ cum exercitu,de itinere ad se euocat,habitoq; nouo militum delectu,copias augẽdas curat. Item ut se bello domestico præoccupato, ne Scotus finitimos Anglos diuexet,obturbet,uiolet,mittit Thomã comitem Surræ principem prẽstantissima uirtute præditum,quem bello cõtra Ricardum gesto,ut suprà dixi,captum paulò antè libertate donarat,biennioq; pòst in locum Ioãnis Dynham demortui,regni quæstorem fecerat,in agrum Dunelmensem,qui ibi aliquam armatorũ manũ colligat,atq; unà cũ alijs regionis principibus, hostes eatenus finibus arceat,quoad Ægidium cum exercitu,post debilitatum ac repressum Cornubiensiũ furorem,quod factu facilimũ ducebat,illuc remittat: cùm interea audito tam terribili motu,undiq; principes uiri equitesq; multò fortissimi Londinũ properabãt,manũ aliquam armatorũ factam pro se quisque ducebat,quo in numero erat Henricus Essexiæ comes,Gulielmus regulus Monioñ,Edmundus Suthfolchiæ comes,Ricardus Thomas,Gulielmus Say, Thomas Hauardus Surrę comitis filius,adolescens illustris ac strenuus, Robertus Lyttonus, Thomas Baudus, Robertus Clyffordius, Gulielmus Dauers,Georgius Verius, Thomas Terellus, Ricardus Fizleues, Ioannes Raynsforthus,Thomas Montigomerius, Ioannes Vuyngfildus, Robertus Brugthonus,Iacobus Terellus,Robertus Fenys,Gulielmus Careus,Robertus Drurus,Ioannes Andelius,Robertus Vuyngfildus,cum Ricardo fratre, Robertus Brandonus, Thomas Vuest Delauare, Thomas Fenys Dacres,Dauid Ouinus,Henricus Rossus, Ioannes Deneuyssus, Henricus Selengerius, Ioannes Paulettus, Thomas Troys,Gulielmus Sandes,Edmundus Graius è Vuiltona,Ioãnes Verneius,Thomas Brianus,Ricardus Polus,Thomas Harecortus,Ioannes Hampdenus,Edouardus Barkeleiensis,Gulielmus Bulleyne cum Thoma filio,Henricus Haydonus, Robertus Clarentius, Philippus Calthorpus, Robertus Louellus,Iacobus Hubertus, Ioannes Vuyndham, Ioannes Burscherius,Thomas Vuodus, Matthæus Brunnus, Ioannes Say, Thomas Frouuicus,cum multis alijs inferioris ordinis uiris pugnandi peritissimis,ut simul uim aduenientiũ hostium ab urbe & agris prohiberent. Per illos ipsos dies Carolus Frãcorum rex reuersus à bello Neapolitano,legatos ad Henricum misit,qui ei significarent ea,quæ ipse in Italia egisset,& mandata quæ pertinerent ad beneuolentiam conseruandam: nam Carolo nihil antiquius erat,quàm cum Anglo amicitiam perpetuare,& id quidem,quia in uarios Italici belli laqueos sese ac suam gẽtem induerat,ex quorum nullo illa ad hunc diem,qui est annus salutis MDXXIIII, se expedire potuit. Henricus ubi

ubi cognouit legatos Caroli Caletũ peruenisse,misit obuiam aliquot heroës, qui exciperent illos ueniẽtes,ad Douerumq; de industria usq; eò remorarentur,dum seditio supprimeretur,atq; curarent,ne quid de eiusmodi rerum tumore ad legatorum aures perueniret,id quod diligenter factum est.

Interim Cornubienses Vuellia, ubi loci Iacobum Audeleium suum principem ducem læti acceperãt,digressi,Sarisberiam primũ accedũt,deinde Vintoniam,ac postremò in Cantium,sperantes Cantianam plebem in societatem belli facilè uenturam. Quæ porrò opinio eos ualde fefellit: celeriter enim sub armis fuit Georgius Cantij comes,item alter Georgius Burgenniæ regulus, Ioãnes Polus Cobani regulus, Thomas Burscherius,Edouardus Ponyngus, Ricardus Gilfordius, Gulielmus Scottus,Iacobus Cromerius,Ioãnes Peche, alter Ioannes Darellus,Henricus Vuyatus,Ricardus Haulte,& Ioannes Fogus,ac alij ad patriam ab omni maleficio iuxtà defendendam,atq; ad populũ in officio cõtinendum attenti. Sed Cantiani partim memores aliàs sibi nouos motus damno fuisse,partim suorũ nobilium custodijs intercluſi,tantũ abfuit ut uoluerint ad agmen adhærescere,ut etiam eorum aditum sermonemq; defugerint,quò ne in suspitionẽ ullam apud regem caderẽt. Ea res adeò minuit animũ ignauæ multitudini,ut statim pòst non exiguus illorũ numerus deserbuerit,clamq; ex agmine noctu excedẽs domũ repedauerit. Cęterum ductores agminis postquam uiderunt Cantianos minimè se mouere,tum suis freti uiribus,in collem proximũ Londino, quem Blakhethfelde uocant, omnem multitudinẽ ducunt,ibiq; in planitie,quæ in uertice collis ampla est,positis castris,iubẽt se ad certamen instruere,ut cum rege manum conserant,si obuius fiat,uel urbem oppugnent,nanq; arbitrabantur regem terrore affectũ,hactenus nõ ausum fuisse quicquam de obuiam itione cogitare,ac propterea maioribus animis quasi certæ fiducię potiũdæ uictoriæ pleni,urbem inuadendam constituebant,qua rex se inclusisset. Sed Henricus secus atq; illi putabant,omnia agebat,qui cõsultò noluit uenienti turbæ se opponere,quò eã procul domo,unde nulla spes esset subsidij,longò itinere defatigatã,ac penè remisso furore,suæ iam ipsius temeritatis pœnitentẽ uspiam intercludere,armisq; subitò undiq; circumuenire tutius posset. Interim ingens in urbe trepidatio in singulas diei horas existebat,conclamabatur uicatim ad arma,cõcurrebatur ad portas,item custodiæ ubiq; atq; uigilię mirificæ erãt,ut fortè noctu ne illa hominum inops multitudo derepentè descenderet,ad diripiẽdas ciuium opes, mœniaq; intraret. Ita ciuitas iussu regis,& opera, cura, solertia Ioannis Tate prętoris,item Ioannis Shaa,ac Ricardi Haddon uicecomitũ,atq; totius senatus,munita,armata,paratáq; erat,ad defendendum sese aduersus repentinos multitudinis incursus et impetus,cùm rex eripuit cunctis protinus timorem, qui ubi cognouit Cornubienses in proximo colle paratos, ad multumq; diei intẽtos ad dimicandũ esse,confestim mittit Henricũ Burscheriũ Essexiæ,Edmundũ Polam Suthfolchię comites,ac Ricardũ Thomã,duces belli excellentes,cum magno numero cùm sagittariorum,tum equitum,qui collem dextra sinistraq; circundẽt,ut infesis omnibus uijs,spes omnis fugę hostibus adimatur,postea ipse cum instructo exercitu urbe egressus,in collem fortissimo prę stantissimoq; animo contendit,præmittitq; Ægidium Dabeneium cum militum robore. Is ubi in collem peruenit, tum comites cum Ricardo Thoma in

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostem impetū faciūt, primaq; impressione in fugam conijciūt, occisione occidunt resistentes amplius duo millia, capiunt deterritos infinitos, & in ijs ductores multitudinis, qui paulò pòst supplicio afficiuntur. In Michaële Ioseph altero ex illa fæce hominum duce aliquid fuit appetitus laudis, quem ferunt dum ad mortē traheretur, seipsum consolatū, quòd ob id facinus speraret sui nominis memoriā perpetuatum iri: adeò medios ac infimos uiros perinde ut summos gloriæ cupiditas incēdit. Rex uix trecentos ex suo exercitu desideravit, qui pro suo instituto, reliquis captiuis uitā cōcessit: at in duces non itē lenis, quòd nō contētus eorū supplicio, uoluit ut more maiorū, corpora Thomę Flammochi & Michaëlis Ioseph in partes scissa diuersis in locis suspenderentur circa Cornubiam, quo eorum pœna notior testatiorq; esset: sed audiens cæteros qui domi erant, nihil ferè ob suorum acceptā plagam fractos animo, ad res nouas adhuc moliendas non imparatissimos esse, si modò stimularentur, mutauit consiliū, ne maioribus curis se eo tempore oneraret, quo satis habebat sedare domesticas seditiones, ut sic in Scoticū bellum promptius in posterum tempus incumbere posset, contentus in pręsens re tam bene gesta.

Dum hęc apud Anglos gerebantur, Iacobus rex Scotorum per speculatores fit certior, nullum exercitum Anglicum contra se paratum, & regem Hericum ac nobiles aliquot cum plebe Cornubiensiū, in seipsos uersos ciuili discordia detineri, qui idcirco anticipandum bellum quod hostem in se renouaturum cum primùm per eas seditiones licitum foret, certò propémodū sciebat, iudicās, raptim fines Anglicos rursus ingressus, agros uastat, urit, à nullo loco manus abstinet, ac dum pars suorum agrum Dunelmensem latè populatur, ipse cum altera militum parte oppugnare aggreditur arcem Noramum, ad limitem Angliæ & Scotiæ sitam, quam Dunelmensis episcopus tenebat. Hanc Ricardus Fox Dunelmensis episcopus, paulò ante aduentum hostium firmo prędidio muniuerat, qui prospexerat ita futurum, ut Scotus cùm intelligeret apud Henricum omnia plena esse discordiæ, primo quoque die in fines Anglicanos excurreret. Is est Ricardus, quem suprà appellauimus episcopū Exoniensem, qui postea ob eius singularem animi uirtutem ad episcopatum Bathoniensem & Vuellensem, atque postremò ab illa sede ad Dunelmensem euocatus est. Hic omnia quæ acciderant, quamprimùm crebris nuntijs regi qui tunc Londini erat, significat: item per alios homines certos quam celerrimè potest, arcessendum curat Thomam comitem Surræ, qui in agro Eboracensi, iam bene magnum militum numerum contraxerat. Thomas certior factus rem nō abesse à periculo, maturat iter suum, quē pari celeritate sequuntur ex omni parte principes, quorum unusquisq; pro opibus, quàm magnam armatorum manum fecerat, & in his uirtute belliq; scientia præstātes reguli, Rodulphus comes Vuesthumbriæ, Thomas Dacres, Georgius Strangius, Rodulphus Neuyllus, Ricardus Latemerius, Georgius Lumleius, Ioannes Scroppus, Georgius Oglius, Thomas Baro ex Heltona, Henricus Clyfordius, Gulielmus Conyers, Thomas Darcius. Item equites tam fortissimi, q̄ prudentissimi, Gulielmus Percius, ac tres alij eodem nomine, Bulmerius, Gascognus, & Penyngtonus, Rodulphi tres, Bigottus, Bouys, ac Elarker, Thomas Apparus, atque duo alij Vartonus, & Stranguychus, Ioānes numero octo, Constabulus, Rateclyffus, Sauellus, Gouerius, Mosgrauus, Mallerius, Aloder,

Aloder, & Euerynghamus, Brianus Stapeltonus, Thomas Vorteleius, Marmaducus Constabulus, Christophorus Pikerynus, ac alter Christophorus Vuardus, Gualterus Stryklondus, Rogerius Bellinghamus, Gulielmus Heron, Rodulphus Graius, Nicolaus Ridleius, Gualterus Griffithus, Ioannes Heron, Rodulphus Feneuicus, Thomas Graius, atq; Christophorus Curuynus, prętera Robertus Varcoppus, Rolandus Tempesta, & Iacobus Metcalfus, complures q; alij uiri tametsi inferioris ordinis, uirtute tamen haudquaq; impares. At Scoti postquam complures dies in oppugnatione arcis consumpserant, & non paruo suorum detrimento, nullam partem munitionum conuellere potuerant, iam sua sponte eam dimittendam statuebant, cùm rumor attulit Thomam comitem aduenire cum exercitu, ac fermè bidui abesse. Tum rex uidens nihil esse, quod de expugnanda arce amplius in præsentia laboraret, sublatis castris, hostiū finibus excesit. Atqui Thomas cognito regis discessu, magnis itineribus sequitur, Scotiamq; ingreditur, spe propè certa consequendi, alicuiusue prælij faciēdi: sed longius abeunte rege, quàm ut conduceret ultrà pedem inferri, ac deficiētibus cibarijs, quæ præfestinatione, in paucos dies secum tulerat, postquam fines latè uastauit, exercitū in Dunelmensem agrum reduxit, ubi positis castris dum intelligeret, quid Henricus consilij de bello cepisset, expectandum decreuit.

Inter hæc, peruenit in Scotiam Petrus Hyalas uir ingenio ac prudētia multa, nō itē doctrina ulla preditus, missus à Ferdinādo rege Hispanię ad Iacobū regē, qui de pace concilianda inter reges ageret: Ferdinādo enim ac Elizabetha eius uxori, mulieri cui noster Christianus orbis paucas pares tulit, amicitia cū Hērico intercedebat, nihilq; optatius erat, quàm ut locata Catharina filia Arthuro Vuallię principi eius filio, intercederet & affinitas: item par necessitudo erat cum Iacobo Scotię rege. Igitur Ferdinandus se utriq; regi libentius pacis faciendæ autorem obtulit. Petrus statim cœpit omni ope, atq; opera cum Iacobo agere, quibus legibus pax coagmentanda esset, ac cùm spes bona arrideret, per literas rogauit Henricum, ut aliquem suorum sibi sociaret, rei confi ciendæ causa. Henricus qui quantū sine magno incōmodo licebat, pacis amator, ac, ut ita dicam, alumnus erat, uel potissimū id temporis, quo suorū seditionibus uexabatur, protinus dedit negotiū Ricardo Dunelmensi episcopo, qui in propinquo erat, ut primo quoq; tempore Petrum conueniret. Ita Ricardus & Petrus ut arbiter pacis, cum legatis Scoticis cōgrediuntur. Hîc sexcentæ proponuntur conditiones, sed post longam disputationem, nulla satis placebat, unaq; tantummodo res officiebat, quòd Henricus rex peteret sibi tradi Petrum Varbechum, sui regni quietis turbatorem. Contrà rex Iacobus in primis negabat se quicquam concessurum, quod ipsi deinde uitio dari posset, & quamuis iam tum cœpisset percipere fraudem, tamen quia ei cum Petro affinitas erat, longè turpissimū facinus iudicabat hominē ad cædem prodere. Multis itaq; consumptis diebus, ad extremum cùm in tam diuersis mentibus pax ulla haud esse posset, induciæ quę loco pacis haberentur, cōuenere in aliquot annos, his conditionibus factæ, ut Iacobus confestim tota procul Scotia, Petrum Varbechum ablegaret. Dum hæc alibi fiebant, rex Henricus multa congratulatione audiuit legatos Caroli regis, quos suprà memorauimus in itinere retardatos, ut ne ad eum adirent, dum Cornubiēsium negotium tumebat;

Universidad de Deusto
Biblioteca

pari etiam comitate accepit Philippi Flandrorũ principis legatos, qui fœdus & amicitiam petitum uenerant, quam rem opportunissimam domesticis motibus gratissimè concessit: ita conciliata finitimorum principum pace, gratias postremò ingẽtes Ferdinãdo & Elizabeth principibus per literas egit, quòd conciliatores fuissent pacificationis, quę nuper inter ipsum & Scotum secuta esset, Petrũ uerò eorũ legatum digno remunerauit præmio. Incidit hæc regũ concordia in eum annum, qui fuit salutis humanæ MCCCCXCVIII, & cùm regnare cœpit Henricus, XII. Petrus autem Hyalas mansit apud regem Henricum, qui sui negotij gerendi occasionẽ nactus, ita cum eo egit, ut breui pòst facta sint sponsalia inter Arthurum Vuallię principem eius filium, & Catharinam Ferdinandi filiam, loco et tempore constituto, cùm puella ad uirum ducenda foret. Ad Scotum redeo.

Non fefellit fidem datam Iacobus rex Scotus, qui iam certò sciens se fraude peti, Petrum Varbechũ ad se uocauit, suaq; in eum officia collata modicè cõmemorauit, hortatusq; est, ut aliquò terrarũ migraret, ubi usq; eò morari tutò posset, dum melior facultas sui negotij agendi daretur, cùm ipse necessariò pacem cum Anglo fecisset, & ob id, affinitas quam cum eo haberet, sibi tanti haud esse posset, ut deinceps liceret eius nomine amplius arma sumere, quod à principio libens fecerit, sperans ab Anglis eius amicis auxilia opportuna ministrari: sed cùm ea frustra expectata sint, demonstrauit per hęc, oportere non molestè ferre moram, quæ tandem aliquando posset rebus affectis adiumẽto esse. Hæc atq; alia huiuscemodi rex dicendo, Petrum aliò ire iussit. Ille autem cognita regis uoluntate, uehementer ea destitutione perculsus est, iam uidẽs nihil sibi apud Scotos reliqui esse, sed multis acceptis beneficijs, cùm parẽ gratiam referre nequiret, ut non uideretur ingratus, æquo animo regis mandata accepit, ac paucis pòst diebus cum uxore in Hyberniam discessit, eo consilio, ut in Flandriam ad Margaritam rediret, aut cum Cornubiensibus se coniungeret. Sed utcunq; sit, dum in Hybernia moratur, dubitationéque çstuat, per certos nuntios intelligit Cornubienses ex recenti suorum clade nihil domitos, adhuc male in Henricum animatos, paratósque esse rursus arma capere, & iniuriam ulcisci: quam ob rem putans sibi conducibile fore, oblatam occasionem non dimittere, nulla facta mora, ad eos transuolat, solicitat, concitat, tantáque pollicetur, ut dux eodem momento appellatus sit, cunctis se eius dictis obedientes fore clamantibus. Petrus per hæc in bonam spem rursus adductus, statuit nihil temerè agendũ, sed primùm loca munita quaquauersum pergeret, in potestatem redigenda, quæ sibi præsidio esse possent, ac deinde auctis copijs, quibus suis cõtrà tendentibus obuiam eundum. Hoc capto consilio, Exoniam petit, atque obsidet, & quia tormentis carebat, quibus mœnia quatefaceret, portis tantum infringendis studet, quas cædere saxis, instare ferro, ligna circundare, ignem subijcere magna ui incipit. Ciues uidentes hinc muros ab hoste cinctos, & illinc incendium fieri, primò pauere incipiunt, qui statim de suo casu per nuntios noctu funiculis ex muro demissos, regem certiorem faciunt, deinde magno animo ignem igne arcendum rati, ligna fractis iam portarum claustris, ad incendium addunt, quò flamma utrinque erumpens, ac omnem aditum occupans, perinde hostem ingressu, atque suos exitu prohibeat, & ipsi interim fossas aliasq; intus pro foribus munitiones faciunt.

Ita

Ita omnis obsidentiũ circa portas conatus male cecidit, & ciues flamma à flãma conseruauit. Tum Petrus necessariò ad portas, certamine omisso, diuersis in locis quæ debiliora uidebantur, urbem oppugnat, admotisq; scalis, sæpius cum magno suorum detrimento, summa murorũ capere tentat, sperans interim ciues aut metu, aut cõmeatus inopia uictos ad deditionem compellere.

Rex autem acceptis nuntijs, haud segnius quàm res requirebat, exercitum Exoniam ducit, præmissis bene multis leuis armaturæ equitibus, qui de eius aduentu passim cunctos certiores facerent: nam interea duce Edouardo Corteneio comite Deuoniæ, cum Gulielmo filio adolescente optimo, fortissimo, nobilissimi quiq; cum magna militum manu, Exonienses subsidio ire maturabant, & in his erat Thomas Trencherdius, Edmundus Careus, Thomas Fulfordius, Gulielmus Corteneius, Ioannes Haleuellus, Ioannes Crokerus, Gualterus Corteneius, Petrus Eggecombius, & Gulielmus Sanctimaurius. Hæc ubi ad aures Petri peruenere, relicta obsidione, se Tantoniam (est id proximum oppidum) mouet, ibi exercitum suum recenset, instruit ad certamen cum hoste futurum, quanquam eo exercitu parum cõfisus, uti postea apparuit, cuius bona pars dexteris duntaxat armatis, reliquo corpore inermis, ac pugnandi nescius erat. Henricus cognita hostium discessione, iter protinus Tantoniam uersus intendit. Eò uenit Edouardus dux Buchyngamiæ adolescens magnitudine animi ac ingenij uirtute singulari præditus: post quem sequebatur ex uicinis locis, multitudo nobilissimorum equitum cùm armis, tum cæteris ad bellum gerendum necessarijs rebus longè paratissimorum. Erat in eo numero Ægidius Briggius, Alexander Baynham, Mauritius Barkeleiensis, Robertus Tamius, Ioannes Guisius, Robertus Poyntus, Henricus Vernonus, Ioannes Mortimerius, Thomas Tremaylus, Edouardus Suttonus, Amisius Paulettus, Ioannes Byknellus, Ioannes Sapcotus, Hugo Lutrellus, Ioannes Vuadham cum Nicolao filio, Ioannes Spek, Ricardus Beancampus è sancto Amando, Franciscus Chenius, Rogerius Tokettus, Thomas Longus, Nicolaus Latemerius, Ioannes Turberuilla, Gulielmus Stortonus, Rogerius Neuburgus, Gulielmus Martinus, Thomas Lyndus, Henricus Rogerius, Gualterus Hungerfordius, Ioannes Semerius, Edouardus Darellus, Mauritius Barous, Gulielmus Norres, Ioannes Langfordius, Ricardus Corbettus, Thomas Bluntus, Ricardus Laconus, Thomas Cornualius, ac complures alij milites egregij. At rex interea cùm appropinquasset, siue ne dimicandi moram faceret, siue belli fortunæ metuens, præmisit cum militum robore, Robertum Broke regulum, Ricardum Thomam, & Ægidium Dabeneium, qui prælium inirent, ipse uerò sequebatur, ut cùm instare certamẽ uideret, aut suis auxilio esset, uel à tergo, eodem temporis puncto, se obijceret. Cæterum non fuit quòd rex eo uteretur consilio: tantum enim abfuit, ut Petrus expectauerit certamen, ut postquam intellexerat hostes in armis esse, etiam clàm & noctu se in fugam dederit, cõtinuatóque cursu in asylum, quod est ad cœnobium Bellilоci, sese abdiderit. Id Petrus animi ne uecordia, qua præditus erat, an fraudem suspicatus fecerit, perinde incertum est, ac satis constat illud bono fuisse regi, qui ad manus uenire non est coactus cum Cornubiensibus, quibus desperatio ita uires auxerat, ut cunctis iuxtà eo prælio, aut ad unum cadere, uincereue certum esset. Henricus cognita

Universidad de Deusto
Biblioteca

fugaPetri,dimisit quocunq; equites,qui eum sequentes consequi niterentur, sed ille plurimum uiæ progressus,non antè est uisus,quàm in asylum se receperit:at non item eius duces,qui in fuga capti,ad regem ducũtur. Cętera omnis multitudo ubi neque Petrum,neq; ducũ signa conspexit,ignara ubi nam foret,iacerét ne fraude aliqua interfectus,an fugisset,nõ satis certum habebat, quod sibi consilium capiendum,quidue agere præstaret,sed ad ultimum cognita eius turpissima fuga, cuncti actutum communi malo,communi metu, communi periculo oppressi, abiectis armis,manus tendere daréque cœperunt, quibus rex pro sua lenitate facilè ignouit: qui inde sine certamine uictor Exoniam profectus,collaudatis ciuibus pro officio facto,gratias egit,ibiq; nonnullos ex Cornubiensibus recentis tumultus autores supplicio mactandos curauit. Equites regñ interea nullis prohibentibus,usq; ad montem diui Michaëlis currendo peruenerunt,ibiq; inuentam Catharinam Petri uxorem,ad regem captiuam duxerunt. Henricus mulieris uenustatem miratus, non milite prædam,sed imperatore dignam putauit, atq; eam cum honesto matronarum comitatu,Londinum ad reginam statim misit, ut certam partæ uictoriæ nuntiam.

Dum autem rex Exoniæ moratur,haudquaquam se uicisse,aut materiam seditionum sustulisse existimans,nisi Petrum eius pestis caput in potestatem redigeret,primũ duabus equitum turmis asylum undiq; sepit,ne spes ulla fugæ Petro superst,deinde uenia omniũq; obliuione proposita,per fidos nuntios iuuenem tentat,si uelit in suã fidem uenire. Petrus iam sine spe, sine sede, sine fortunis,qui animaduertebat se in summa rerũ omniũ difficultate uersari,quòd illo desperatissimo uteretur perfugio,& omnẽ rei bene in posterum gerendæ facultatẽ de manibus amissam duceret,ubi ueniam propositam esse audiuit,tum demũ publica fide fretus,sponte de asylo exiuit,atq; sese in Henrici potestatẽ permisit. Ac ita tantus subitò tumultus sedatur. Rex sic gesto feliciter bello,animo mirabiliter lætanti,Londinũ proficiscit,ad quẽ quacunq; transibat,populi cõcurrebãt Petri uidendi causa,qui omnibus miraculo erat, quòd homo alienigena,& nulla re ipsa,quanq; uerbo aliter canebat, maiorũ cõmendatione sultus,ausus fuisset tantum regnum diuexare dolis,ac tot cùm populos tum principes non sine multorũ ex illis pernicie,suis astutijs ad credendũ ea adduxisset,quæ de se falso hactenus prædicarit. Henricus ubi Londinũ peruenit,Petro custodes dedit,qui ab eius latere ne pedẽ quidẽ discederent,ut ne ausugeret,néue ad res nouas solicitatus,iterũ regni quietem turbaret. At rumor in Flandriam perlatus,Petrũ nihil profeciss̃e,sed in uincula datum,attulit Margaritæ principi lachrymas multas,quæ prius expectãdo nuntium rerũ gestarũ multas habuerat noctes plenas timoris. His rebus prosperè gestis, Henricus nõ ignarus maximã illecebrã esse peccãdi impunitatis spem, ut suos deinde in officio facilius cõtineret,quamprimũ quæstionem habuit, comperitq; tam in Deuonia,quàm in Somerseto complures fuisse,qui Cornubienses in ipsum bellũ molientes,ac postea fusos & fugatos domũ redeuntes pecunia & cõmeatu iuuissent,quos omnes pro grauitate delicti,pro facultatibus mulctandos statuit,illamq; prouinciã dedit Annisio Pauletto equiti, cui non multò pòst Robertũ Scherburnũ diui Pauli decanum quem dicunt, collegam adiunxit,li à primo uelut procella per fortunas fermè omniũ utriusq; comita-

comitatus habitatorũ peruadunt,quò ne quisquam omniũ eius capitalis rei affinis sociusq; ex merita labatur pœna:mitius tamẽ cum bene multis actum, qui metu aut ui,non item uoluntate peccassent.

Eodem anno res subita & ab initio nullius momẽti sic redintegrauit simultatem inter Henricum & Iacobum reges,ut uix manus abstinuerint,quę eiusmodi fuit. Quidam iuuenes Scoti armati propter Noramum arcem accesserunt,tacitiq; circumspiciebant,quasi uellent cognoscere,quæ ibi fierent: sed cùm nihil appareret hostile,& iam gradum referrent,qui arcis prę̃sidio erant, non esse,quod scisciterentur rati, non mouerunt se. Verùm die postero cùm ijdem ad locum adirent,Angli orta repentè alicuius fraudis suspitione, conclamarunt,Ecquid ad se uenirent,an speculandi causa? Ad ea Scoti multò ferocius responderunt. Quibus uocibus utrinque animis irritatis,ad arma concurritur,& post multa utrinque accepta uulnera, aliquot ex Scotis interficiuntur,reliquis à multitudine qua Angli præstabant,in fugam coniectis. Hęc ubi Iacobus resciuit,clamare cœpit nihil sibi incertius esse,quàm pacem cum Anglis habere, idem'que Henrico per literas significauit, cum eo'que de ijs rebus iracundius ac uehementius expostulauit. Henricus qui præ quiete,& finitimorum principum amicitia,nihil magnopere curabat,ut tandẽ aliquando sibi liceret in otio honesto post tot labores abusque pueritia exantlatos acquiescere,respondit,id non suo consilio factum,sed militum temeritate,& propterea non putaret uiolatam esse fidem,quandoquidem ipse causam cognosceret,& si culpa apud suos foret,pœna ab eis non abesset. Non potuit hoc responsum,etsi longè æquissimum,ingentem molem iræ,qua Scotus agitabatur,excutere. Quare Ricardo Dunelmensi episcopo qui præter cæteros dolebat,quòd suorum qui arcem tenebant,causa,renata esset inter reges discordia,nihil potius deinde fuit,quàm Iacobum placare, ad quem crebras dabat literas, rogando, ut si qua offensiuncula facta esset eius animi, errore suorum,daret se more suo,ad lenitatem,humanitatem et gratiam. Rex perspecta Ricardi fide & grauitate, ira iam deferuescente, respondit humaniter ad eius literas,& quia uenerat ei in mentem cum illo nonnulla sua communicare consilia, petiuit, ut ad se de ijs rebus,quæ nuper accidissent,agendi causa ueniret. Ricardus postulata Iacobi quamprimùm ad Henricum detulit, cui causa colloquendi adeò iusta uisa est,ut permiserit eum ire. Accepit rex comiter Ricardum,ad cœnobium Melrosæ,id loci nomen est,secundum fines Scoticos,quod monachi Cistertiensis ordinis habent,& primum de recenti suorum cæde questus,facilè iniuriam condonauit,deinde remotis arbitris, docuit quàm ueteres,quámque iustæ causæ necessitudinis sibi cum Henrico intercederent,& eas maiore quodã amoris fœdere corroborari se summè appetere,atq; illud procul dubio futurũ,si ille uellet sibi Margaritã filiã ętate maiorem in matrimoniũ collocare,ac iampridẽ in animo habuisse,cõnubium per legatos petere,et id maturè facturũ esse,si non alia foret eius sententia,ne rem negandã poscceret. Ricardus ad ea modicè respõdit,operãq; suã pollicitus,bonam omnino oratores de cõnubio mittendi spẽ regi fecit,qui domũ reuersus omnia suo regi,quę cum Iacobo egisset,ordine retulit. Ea mirũ in modũ delectarunt Henrici animũ,cui pax maximè cordi erat,& iampridẽ constitutum, nulli causam dare bellorũ. Neq; interceserant multi dies,cùm Iacobi legatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

adfuit, ad petendum Margaritæ filiæ regis coniugium. Henricus auditis legatis, rem ad consilium detulit. Erant qui suspicarentur posse aliquando fortè contingere, ut hæreditas regni Margaritę ueniret, ac propterea eam nō externo principi locandam iudicarent. Ad ea rex respondit, Quid tum? si enim tale quid accideret, quod Deus omen auertat, uideo futurum, ut nostrū regnum nihil inde damni faceret, quoniam accessio Anglię non ad Scotiam, sed ipsius Scotiæ ad Angliam fieret, tanquam ad totius insulæ caput multò nobilissimum, cùm semper quod minus est, soleat ad decus & honorem ad id adiungi, quod est longè maius, quemadmodum olim Normania in ditionem & potestatem uenit Anglorum maiorum nostrorum. Ita laudata regis sapientia, & cunctis una uoce rem probantibus, Margarita uirgo regi Iacobo pacta est.

Iam interim cœpit dies fatalis mortis Petri Varbechi, & Edouardi comitis Varuicensis aduentare, quandò una procella ambos absorbuit. Porrò Petrus siue quòd grauiter ferret se custodiri, seu quòd ad res nouas ab amicis solicitaretur, seu denique quòd sui perdendi libidine continenter stimularetur, fugam tentandam statuit, sperans non defuturam bene rei gerendæ occasionem, si se ab Anglorum manibus semel eriperet, & quamuis non ignoraret, nihil ferè se agere, nihil moliri, nihil cogitare, quod Henrico latêre ualeret in tempore, spe tamen euadendi adductus, quæ hactenus eius miseriam consolata erat, uoluit potius illud conari, quàm præsentem calamitatem diutius sufferre: itaque deceptis custodibus, se fugæ mandat, imò seipsum in arctiorem custodiam dat, in supplicium præcipitat: nam cùm ad litus properaret, & parum itineris processisset, diuulgato rumore de eius fuga, omnes subitò uiæ à regijs satellitibus, qui eum custodiebant, infestæ sunt, quorum ille insequentium clamore tremefactus, ac animi pariter atque consilij inops, aliò uersum atque cœperat, iter necessariò intendit, peruenitque ad Bethleemense cœnobium monachorum Cartusianorum, ac præfecti loci se fidei commisit, supplíciter rogitans, ut ad regem adiret, sibiq; ab eo uitam deprecaretur. Præfectus hominis calamitatē miseratus, ad regem uenit, de Petro indicat, de eius salute multis precibus orat, idq; impetrat. Ita Petrus in aulam ad Vuestmonasteriū reducitur, ignominię obijcitur, qui compedibus uinctus, in ipsius aulæ uestibulo integrū diem, nullo nō ludibrio à turba petitus explodit, postridie eius diei Londinum per omnium oculos traducit, aliquotq; horas in foro paribus probris exponitur, ac postremò in turrim conijcitur. At Edouardus Varuici comes in carcere ab incunabulis extra hominū ferarumq; conspectum nutritus, qui gallinā ab anſere nō facilè internosceret, cùm nullo suo delicto supplicij quærere posset, alieno ad id tractus est. Siquidem monachus quidam Augustinianus nomine Patritius, ut comiti, credo, inuidiam conflaret, discipulū quem habebat (nomen, quod sciam, non ponitur) subornare, eiusq; auribus instillare cœpit, se illi regnum facilè paraturū, si suum uellet sequi consilium. Discipulus non modò id se facturum non renuit, sed iterum atq; iterum rogauit, ut quod destinasset, maturè tentaret. Quotus enim quisq; est tam legum aut periculi metuens, qui nolit regnandi causa quiduis facere, & pati? Itaque subtiliter communicato consilio, confidenter etiam in Cantium aliàs ad res nouas non surdum ambo proficiscuntur, ibi adolescens primo clàm nōnullis indicat

indicat se Edouardum Varuici comitem esse, & nuper ope & arte Patritij ex turri Londinensi aufugisse, & quia dictis habita fides, dein palàm id ipsum prædicat, cunctorumq; auxiliū implorat. Verùm seditio prius caput amisit, quàm illud efferret, euestigiò præceptore cum discipulo in uincula rapto, & hoc necato, & illo ęternis tenebris mādato, quòd monachus esset: etenim tantum apud Anglos ordini tribuitur, ut sacerdoti uel de maiestate damnato, a-lijs' ue sontibus qui reliquis initiati sint ordinibus, uita concedatur: id quod etiā fit, quia longa iam consuetudine, episcopi in eiusmodi maleficijs, causę cognitionē nō habent, ex quo eis minus licet tales ita damnatos desecrare, aliter enim morte non sunt afficiendi. Quid, quòd ita usu uenit, ut qui legere sciant, cuiusuis rei capitalis præter maiestatis crimen, damnati, eodem loco habeantur? quòd per id ordinis affines censeant̄, atq; ita salui in custodiam detrudantur. Iis ut si casu euaserint, ne spes ulla uitæ amplius sit, in palma manus sinistræ sub pollice inuritur homicidis M litera, quia Anglicè murdre homicidiū dicitur, furibus uerò T, quòd fur thefht uocatur: qui sic stigmatiæ effecti, si in peccato rursus inuenti fuerint, tum meritas ilicò dant pœnas. Cuius sanè instituti autor fuit ipse rex Henricus in concilio, quod anno regni secūdo habuit, illud à Gallis, opinor, mutuatus: nam apud eos eiusmodi damnatis hominibus solet amputari altera auris, certa posthac maleficij nota. Custodiendi uerò onus, eius religionis causa, episcopis imponitur, mulcta illis indicta, si eorū negligētia aliqui damnati effugerint. Quod equidē institutū bellè furū sectā nutrit, auget, armat, cùm postea sexcentæ inueniantur uiæ, quibus ex carcere, uno uel altero tempore, multi illorum educantur, purgato utcunque furti homicidij' ue crimine, quod fit, cùm nemo homo iam reclamat: nam si offensus & læsus actionem nō prosequatur, tum reus furti iam inde ab initio liberatus discedit, ita iure patrio iubente. Sed ad rem. Petrus interea etiam in carcere nō desinit cum sua pestę ac pernicie, cumq; eorum exitio, qui se cum eo cōgregarant, insidiari, quippe qui nonnullis ex custodibus corruptis, fertur constituisse interfecto arcis præfecto, se per uim eo carcere liberare, atq; rapere secum ad eandem libertatē Edouardum Varuici comitem, quem antea in eam spem impulisset. Sed dolus patefactus nō processit, & ille de spe conatuq; depulsus cum socijs ad iudicium trahitur, damnaturq;, ac paucis pòst diebus laqueo suspenditur. Hanc sui pernicioſi cōmenti pœnam Petrus habuit, qui ut uiuendo suis nefarijs fraudibus permultos magnos uiros miserè perire coēgerat, ita moriendo nonnullos ad supplicium secum rapuit. In ijs fuit Edouardus Varuicensis comes, qui securi percussus est, quòd cum Petro, uti iam tum rumor dissipauit, consensisset, ad fugam parandam, id quod tentare custodijs maximè capitale est. Is fuit annus salutis humanæ, cùm hæc acta sunt, MCCCCXCIX, & XIII, cùm regnare cœpit Henricus.

Annus qui secutus est, insignis fuit & pestilētia, quæ cùm multos alibi mortales, tum Londini plus triginta millia absumpsit, & memorabili incendio regiæ uillæ ad Thamesim sitæ, quā Henricus de integro condidit, mutatoq; nomine, Richemondiam appellauit, quòd ipse olim eius regionis comes fuisset. Eius igitur pestilentię uitandę causa, rex Caletū traiecit, quò simul per otium prouideret, ut ne quid de cōsuetis uigilijs à suo præsidio remitteret, quę eodē loci cōtinenter aguntur, aduersus repētinos finitimorū incursus. Dum Caleti

Universidad de Deusto
Biblioteca

morabatur, uenit ad eum officij gratia Philippus Flandriæ princeps, quẽ perhumaniter accepit, qui fœdus, quod paulò antè per legatos icerant, nouis pactionibus multò firmius corroborarũt. Interea deferuescẽte pestilentia, Henricus in Angliã redijt, quò uix peruenerat, cùm aduenit Gaspar Pous homo Hispanus doctrina pariter atq; moribus clarus, missus ab Alexãdro Romano pontifice, qui Anglis uiam patefaceret, qua cœlum ipsum adirent: agebatur iubileus Romæ, qui annus salutis humanæ erat M D. & ut longinqui populi eò proficiscendi labore leuarentur, pius pontifex quaquauersum legatos misit, qui eam cœlestem gratiam impartirẽtur Christianis, quibus per bella, per itinera, per inimicitias, minus Romam petere liceret. Veruntamen non fuit gratuita liberalitas, Alexander enim saluti hominum prospiciendo, per honestam causam, suis quoq; commodis seruiendum statuerat, quare pretium suæ gratiæ constituit, & ut rex id fieri non impediret, partem gratiæ offerebat, ac populus libentius iuuaret, prædicabat se primo quoq; tempore bellum aduersus Turcas suscepturũ. Ita pecunia non mediocris confecta est, at bellum nõdum inchoatum in Turcas, qui de nobis multa interim oppida ceperunt, sed dij meliora. Ipsum illum annum trium antistitum mortes nobilitarunt, Ioannis Mortoni Cantuariensis, Thomæ Langtoni Vintoniensis, alterius Thomæ Rotherami Eboracensis. Huic successit Thomas Sauagius Londinensis episcopus, ordine Eboracensiũ archiepiscoporũ quintus & quinquagesimus in cuius locum Gulielmus Varamus, de quo suprà meminimus, surrogat. At Cantuariensis Henricus Deneus Sarisberiensis episcopus, archiepiscoporum Cantuariensium ordine L X V. & Vintoniensis Ricardus Fox Dunelmensis episcopus, fit antistes. Cæterum id temporis multò insignius fecere duo longè splendidissima connubia: Henricus enim Margaritam filiam Iacobo regi Scoto, & Ferdinandus Hispaniæ rex Arthuro Henrici filio Vualliæ principi Catharinam filiam locauit, & utriusq; puellæ nuptiæ omniũ generum ludis factæ. Non inuitus cum Scoto iunxit Henricus affinitatem, uti suprà ostendi, cui cùm nihil antiquius esset, quàm tandem aliquando procul armis curriculum uitæ perficere, putauit per eam coniunctionem facere, ut nihil hostile amplius à Scoto in se tentaretur, ac nullus suorum deinceps receptum ad Scotos haberet. Quapropter ita inter reges conuenit, ut perinde non liceret Anglis adire Scotiam, sine sui regis cõmendatitijs literis, ut Scotis commeare in Angliam. Atqui Arthurus qui nuptiarum causa Londinum uenerat, mox in Vualliam in suum principatũ cum uxore reuertit, quò illum pater paucis antè annis miserat, ut adolescens iam inciperet bene imperare, & ne erraret, eum probatissimorum hominum familia honestarat: dederat enim ei præfectum cubiculi Ricardum Polum affinem suum uirum optimũ, ornatissimum, domus uerò Dauid Philippũ. Fuere simul in consilio equites Gulielmus Vudalus, Ricardus Crosthus, Petrus Neutonus, Henricus Varnemus, Thomas Englefildus uir probus, frugalissimus: item Ioannes Vualestonus, Henricus Marineus, & Gulielmus Smythus sacerdos consilij præfectus, atque Carolus Bothus iurisconsultissimus: hic nunc Herefordensis est episcopus, ille olim Lincolnensis fuit.

Cæterum cùm usu ita ueniat, ut ex eodem fonte, gaudium & mœror sæpe fluat, operæpretium est, ut repetamus Arthuri & Catharinæ nuptias, posteaquam

ea quæ interceſſerant, explicuerimus. Paucis enim antè menſibus Edmundus Pola Suthfolchiæ comes, filius Ioannis Suthfolchiæ ducis, ex Elizabeth Edouardi regis ſorore genitus, homo audax, fortis, rapidusq; in cõſilijs, reus parricidij fit, quòd hominem plebeium, inter altercationem, occidiſſet, & quanquam ei rex pepercit, ille tamen iniquo animo ferens, quia ut reus ad iudiciũ ſubeundum uocatus fuiſſet (nam id ignominioſum eſt) paulò pòſt in Flandriam ad Margaritam materterã ſine regis licentia ierat, ſed ſtatim pòſt ita ſe de facto ſuo Henrico expurgauit, ut uiſus ſit carere crimine, atq; idcirco ſine fraude redierit. Is igitur dum nuptiæ Arthuri & Catharinę Londini fiũt, ac omnis populus ſe uoluptati dat, & in primis Henricus gaudio perfunditur, in Flandriam cum Ricardo fratre rurſus diſcedit, ſeu ære alieno preſſus, quod ingẽs ob eas nuptias fecerat, ſiue à matertera ſolicitatus, ſiue denicq; inuidia ſtimulatus, ut qui nõ poterat æquis oculis uidere Henricum hominem aduerſariæ factionis tot iam annos regnantem. Hæc res, credo, triſtis inter lætas accidit, ut ne Henricus fortaſſe nimio gaudio repentè ſpiritum efflaret, quod aliàs contigiſſe, memoriæ proditum eſt: qui ubi de Edmundi fuga cognouit, ualde perturbatus, iam tum cœpit nouos pertimeſcere motus, & ſe magnopere condemnare inertiæ, quòd illi peperciſſet: quanquam ſatis conſtabat, eum feciſſe id conſultò, ut eatenus cum Edmũdo diſſimularet, quoad de cõiuratione aliquod indicium haberet, quam modis omnibus iam factam animo cernebat. Quocirca ſtatim ut comes è Flandria reuerſus eſt, Robertus Curſonus homo ualens & meditatus, qui per regẽ, in equitũ ordinẽ uenerat, Hammi arcis præfectus, perinde quaſi unus aliquis ex coniuratis, in Flandriã fugit, dubio procul explorandi cauſa, quæ apud Margaritã agitarentur. Hæc opinio per animos hominũ à principio peruaſit, ac etiamnum tenet, & argumentũ ſumunt ex eo, quòd Robertus nulla priuatim affectus, quod quiſq; ſciret, iniuria, ad inimicos Henrici tranſierit, & poſt omnia illuſtrata, patefacta, oppreſſa, uindicata, in gratiam ab ipſo Henrico receptus ſit. Verùm utcunq; res acciderit, morbo animi, an artificio, poſt finitas nuptias, tanta in Henrico fuit cura, diligentia, uigilantia, ut deprehenderit eſſe, qui ei peſtem aliquã partim machinarentur, partim haud ſyncero eſſent uſquequaq; in ipſum animo, eoſq; nominatim cognorit, quorũ bona pars intra paucos dies comprehenſa eſt. In ijs fuit Gulielmus Corteneius Edouardi Cortenei Deuoniæ comitis filius, uir ſumma nobilitate, exiſtimatione, uirtute, qui habebat in matrimonio Catharinã, Edouardi regis filiã: alter Gulielmus frater ipſius Edmundi, Iacobus Terellus, & Ioannes Vuyndham. Ambo Gulielmi ſuſpitione magis quàm peccato, ob propinquitatẽ coniuratorũ, in cuſtodiam traduntur, ut ibi ſi quid ſit delicti, luant. Quare Gulielmus Corteneius poſt aliquot annos ab Hẽrico octauo, qui patri Henrico in regnũ ſucceſsit, miſſus factus eſt, fuitq; apud eum in magno honore atq; gratia, ſed cùm ad ſuum militaris artis ſtudium cõtinuò redijſſet, facilè in morbum incidit, quem pleureſim uocant, qui cùm apud Anglos rarus ſit, ac idcirco minus cognitus, medicorum inuria perijt. filium unicum nomine Henricũ reliquit ſuæ uirtutis ſuperſtitem: alter Gulielmus eſt etiã faciliorem multò cuſtodiam ab eodem rege cõſecutus: Iacobus uerò & Ioannes ſupplicio mactãtur. At Edmundus ubi audiuit amicos partim morte affectos, partim æternis uinculis mandatos, ſibi timere cœ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pit, & omni in præsentia desperato successu, per uarios Germaniæ, Galliæq; populos uagari, & cùm nusquam tutam fidem inuenisset, ad extremũ ut intel ligeret grauem uitæ exitum homini debitum nulla humana ope aut opera auerti, uitariue posse sese in potestatem Philippi Flandriæ principis permisit. Ricardus uerò eius frater homo experiens, ita per idem pelagus hactenus est cautè uersatus, ut in nullam diram inciderit tempestatem.

Vix Henricum regem domesticæ seditionis periculo defunctũ, maior cura excepit coërcendi nonnullos, qui eius conspirationis participes in diuersa asyla se recepissent, expectaturi dum melior facultas daretur: nam uenit ei in mentem, his quoq; religiosis claustris feras ponere, quò ne aliqua inde mali labes fieret: qui per literas & legatos cum Alexãdro Romano pontifice egit, ut sua autoritate omnes Anglos exules religionis hostes decerneret, uelut populi turbatores concitatoresq; turbarum, & asyla non amplius eis receptacu lo fore, qui ex illis semel exissent: quod pontifex concesit, & Henrico bono fuit, quia metu eius ignominiæ, bene multi facilius ad sanitatem redierunt, & qui in tuto erant, minus ausi sunt se periculo obijcere. Ita rebus ex animi sententia Henrici cõpositis, multiplex repentè ortus est luctus: Arthurus enim princeps post quintum mensem, quàm Catharinam in matrimonium duxerat, è uita excesit. Tristem huiusce connubij exitum fertur Catharina puella iam inde ab initio pertimuisse, ex eo, quòd ubi à parentum complexu discesit, nauemq; conscendit, diu fluctibus atq; huc atque illuc iactata per sæuam tempestatem ad ultimum terram Angliam attigerit. Item non multò pòst Elizabeth regina mulier electissima enixa puellam, quæ paucos uixit dies, moritur. Secutus est reginam in cœlum redeuntem Reginaldus Braius uerè pater patriæ, homo seuerus, ac ita recti amator, ut si quid interdũ peccatũ esset, illud acriter in Henrico reprehenderet. Id officij uel nauiter faciebat Ioannes Mortonus, qui biennio antè, quemadmodum suprà diximus, mortẽ obiuerat, ita ut ambo regiæ potentiæ moderatores iuxtà essent, cùm tamẽ uulgi opinio ferret eos regię indolis potius corruptores, adeò semper tam errat uulgus, quàm princeps, dum patitur & audit officij monitores, neutiquã errare potest. Moritur quoq; per ipsos illos dies Henricus Cantuariensis archiepiscopus, cui succesit Gulielmus Varamus Londinensis episcopus, antistitum Cantuariensium ordine sextus & sexagesimus, & Varamo in Londinensem episcopatũ, Gulielmus Baronsus: Baronso uerò post aliquot mẽses mortuo, Ricardus Fiziames Cicestrensis episcopus, pater ueteris prosapiæ, magnę doctrinæ, summæq; bonitatis. Interea Henricus concilium habuit, in quo nonnulla è Republica constituta sunt, & illud quoq;, ut fures & parricidæ conuicti, qui beneficio trium literarũ, hoc est, q; legere sciant, seruantur, stigmatiæ fierent. de ea re paulò antè memini. Post hæc, pecuniæ ad reipub. usus necessarios decretæ sunt, & exulum bona proscripta. Actus est & sacerdotũ conuentus, sicuti moris est, quo & illi pecunia Rempublicam iuuarent. Fuit is annus Henrico à gubernatione regni sui XVI, & à salute humana MD II.

Hactenus aspera bella, nefarias seditiones, multorũ mortes scripsimus, nũc rerũ familiariũ certamina, fremitus mentiũ, & uota facta perappositè hoc loco perstringemus. Henricus enim rex cùm iam senectã agere inciperet ætatẽ & ante id tẽpus, domesticarũ seditionum tumultuumq; scrupulis ac aculeis grauiter

grauiter punctus morte magis bellũ ciuile horreret, statuit ita prouidere, ut omnis talis futuri mali materia tolleretur, quod omnino facturũ se pro certo habebat, si suos ciues, præsertim locupletiores, aliquantulũ attenuaret, optimè gnarus homines ob rerũ copiam, facilè insolentiores fieri, nihilq; opibus ferè charius habere, cùm eas uel amittẽdi metu, uel acquirẽdi spe adducti, plerunq; soleant pacẽ aut bellũ amplecti: sed ut ne diceretur facere iniuriã, cuius ipse esset publicus uindex, cogitationẽ suscepit, quo id modo fieri posset honesto. Cui talia cogitanti uenit in mentẽ suos Anglos cõsuesse acceptas leges sic negligere, ut si de ea re quæstio haberetur, nõ dubium, quin permulti cum primis magni uiri, item mercatores, artifices, oratores, pecuarij, illarũ uiolatores deprehenderentẽ. Hoc capto consilio, cœpit recognoscere leges, & qui nõ obseruassent, leniter mulctare: deinde constituit duos fiscales iudices, Ricardum Hemsonũ, & Edmundũ Dudleiũ, iuris patrij sui consultos. Ii ut à principe maiorẽ gratiam certatim inirent, à primo caterua delatorũ, qui reorum nomina deferrent, armati, præ studio cõciliandæ pecuniæ minus officij, pericli, humanitatis rationẽ habere potuerũt, tametsi à primarijs uiris sæpenumero admoniti fuerãt, ut manus aliquando abstinerent. Sed rex postq; maximã fecerat pecuniam, populi finem eius mali à Deo assiduè poscentis misertus, suæ dementiæ, humanitatis & gratię ita meminit, ut ambos iudices ab scabendos, & pecuniã illis à quibus iniustè exacta esset, restituendam statuerit.

His tẽporibus mortua est Elizabeth regina Castellę, Ferdinandi regis Aragoniæ uxor, sine uirilis sexus liberis, ex quo regni Castellæ hæreditas uenit Ioannę eius filiæ maiori natu ex Ferdinando genitæ, quæ nupta erat cum Philippo Flandrorum principe. Is igitur dotis nomine, id regnũ consecutus, bene magna parata classe, circiter Idus Ianuarij, anno qui fuit salutis humanæ MDV, cum uxore ex Flandria soluit Hispaniã petiturus, qui uix in altum euectus erat, cùm mala subitò tẽpestas uẽtis cõtra se flantibus, exorta est. Classis aliquãdiu iactata fluctibus, ad extremũ maxima ui uentorũ superante, dissoluitur, ac naues aliq; aliò uersum, circa Anglicanũ litus propellunt. Nauis prætoria cum duabus alijs, ad insulæ partẽ, quæ solis occasum spectat, delata, se in Vynmuthũ portũ compegit: tum rex qui marinorũ fluctuũ insolens erat, æquè corpore atq; animo defatigatus, sui ex languore nauseaq; reficiẽdi causa, scapham conscendit, seq; in terrã protinus eiecit, etsi ducibus dehortantibus, quasi animo cernentibus futurũ, ut illa descensio esset omnibus molestiã longioris moræ allatura. Cognito autem peregrinarũ nauium appulsu, fit confestim accolarũ, præsertim nobiliũ qui secundum eam oram habitãt, concursus ad litus, ad arcendum hostem, si hostis esset: sed cùm intellexerant amicũ esse, tum Thomas Trencherdius eques dux multitudinis, ad regẽ adiuit, multaq; comitate rogauit, ut ad suum domiciliũ, quod in proximo erat, uellet accedere, ac putans se gratũ suo regi facturũ, si usq; eò illum retardaret, dum ea de re certior fieret, eodem momẽto celeres nuntios ad Henricum misit, qui omnia significarent. Inter hæc longius rumore de Philippi accessu perlato, multitudo hominũ continenter ad litus concurrebat: ante alios aduenit Ioannes Carous eques magna armatorũ manu stipatus, is itidem cum Thoma regem rogauit, ut nollet prius abire, quàm cum Henrico suo amicissimo & affinitate coniunctissimo colloqueretur, cùm præsertim certum haberet, eum intra bi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

duum ad summúmue triduũ uenturũ, Philippus necessitatẽ sui negotij excusans, demonstransq; se angustijs temporis maximè excludi, ac propterea moram sibi damno futurã, primum negauit expectare, dum Henricus accederet, postea fortasse ueritus ne non sibi liceret ad naues redire si id tentaret, necessariò annuit dictis. Interea Henricus cognito Philippi accessu, incredibili uoluptate afficitur, tum ob uetus amoris uinculum, quo simul astricti erant, tum ob id, quod iam tum prospiceret eius aduentũ è re sua omnino fore: itaq; primum per crebras literas & nuntios, Thomã & Ioannem equites cõmonefacit, ut bono modo regem morentur, dum ipse ueniat, deinde heroũ cateruas obuiam mittit, qui Philippũ ad ipsum deducant. Verùm Philippus uidens iam manendũ esse, nõ expectauit Henricũ, sed ad Vindesoriũ Castrũ ad eum perrexit. Secuta est haud multò pòst & Ioanna eius uxor. Hîc reges post longa & uaria colloquia inter se facta, cœpere de fœdere renouando agitare: Anglus Edmundũ Polam exulem in potestatem suam tradi poscebat, id Philippus in manu sua esse negauit, & quãuis duceret facinus esse importunissimũ, se hospitis sui necandi autorẽ esse, ad extremũ tamen cùm nullam neq; excusationem, neq; rationẽ accipi animaduerteret ab Henrico, qui uitam Edmundo ultrò concedebat, ex eius uoluntate omnia se facturum promisit, atq; confestim Edmundum accersendum curauit. Secundum hæc, Henricus ut tempus extraheret, usq; dum optata potiretur præda, Philippum duxit Londinum, ut urbem regni caput uideret, atq; parum moratus eôdem pòst eduxit. Interea Edmundus qui Philippi aduentum in Angliam sibi fatalem iam à principio horruerat, & in externorũ principum fide nihil amplius spei ponendum certum habebat, nõ admodum inuitus uenit, sperans futurum, ut tandem alí quando post concessam uitam, ab Henrico libertatem quoq; consequeretur, sed si ea spes falleret, saltem in patrio solo moreretur, sepelireturq;. Ita renouato fœdere, Philippus in Hispaniam proficiscitur, ubi paucis pòst diebus morbo affectus mortem obijt, nondum triginta natus annos. Genuit ex loãna filios sex: mares duos, Carolum, & Ferdinandum: fœminas quatuor, Aleonoram, Elizabeth, Mariam, & Catharinam. Statura fuit iusta, facie uenusta, corpore crasso, ingenio bono, animo forti & liberali. Illa tempestas qua Philippus conflictatus est, loco prodigij à uulgo habita est, quandò uis uentorum quæ mare concitarat, ex fastigio turris diui Pauli, Londini, aquilam æneam quæ lanceę infixa, ut pinna uentorũ flatum facili motu indicabat, euellit, deiecitq; in terram, quæ cadendo alteram aquilam proximæ tabernæ signum infregit. Hinc iam tum persuasum est religiosis portentorum obseruatoribus, Maximilianum Imperatorem qui aquilam gerebat insigne, facturum esse iacturam, qualis proculdubio fuit, amittere Philippum filium.

Henrico post Philippi discessum, habita quęstione, fides Georgij Neuylli Burgenniæ reguli, & Thomæ Gryni equitis in dubium uenit, quòd suspicaretur eos fuisse à principio Edmundi cõsilij participes, quare ambos in custodiam dedit, ac non multò pòst iam purgatos educi iussit. Sed Thomas priusquã liberaretur è uita migrauit. Georgius uerò princeps modestus atq; probus, quia sui semper similis ab Henrico inuẽtus est, paulò mox cum eo in gratiam multò maiorem redijt. Pax foris domiq; erat in futurum triennium duratura, nullaq; amplius causa seditionum, cùm Henricus cœpit debilitare qua-

quadam tentari, & id eiter in singulos annos circiter uernum tempus accidit. Sed quia principis mala plerunq; solent populo communia esse, redijt & eodem tempore ille pestilens sudor de quo in principio huiusce libri memini, qui tamen per multorum mortes inuento iam remedio, minus nocuit. Tertia pestis repentè erupit: iudicum enim fiscaliũ de quibus suprà memorauimus, operatione, paulatim permulti opulentiores uiri iure patriæ priuati extiterunt. Res est tam dictu mirabilis, q̃ factu miserabilis, & tamen ius appellatur, cùm potius sit peruersus iuris usus, ut fit, per iudiciorum corruptelas introductus. Quis enim alterum interdum imprudentem, nec opinantem, inscientem apud iudices in ius uocat, ille iam reus statutis diebus, nominatim in foro à nomenclatore inclamatur, qui demum si non respondeat (quomodo respondere potest omnis negotij ignarus, & sæpe procul à foro amplius centum ducentis ue passuum millibus:) condemnatur, priuaturq; omnibus bonis, & ut patriæ hostis perpetuis demandatur uinculis: cæterum bona non actori, sed principi cedunt. Qui ita condemnati sunt, uulgò dicuntur extra legem esse, hoc est, omni iure patrię per legem homini dato priuati. His technis bene magnus mortalium numerus circumuentus, postremò, uti infrà explicabitur, extrema principis gratia conseruatur.

Interea Alexander Romanus pontifex mortuus est, in cuius locum surrogatur Franciscus homo Senensis Pij secũdi nepos, qui & ipse Pius dictus est. Hunc Henricus iampridẽ apud pontificem sui regni protectorẽ cõstituerat, qui eius honoris accessione mira uoluptate affectus, confestim Gilbertũ Talbotum equitẽ, Ricardum Beerrũ Glasconiensem abbatẽ, & Robertũ Scherburnum oratores designauit, qui ipsius nomine pontifici gratulatũ irent, atq; ut moris est, obediendi promissum facerent: sed Pius nõ expectauit cõgratulationem, qui post sextum & uigesimum diem, quàm sedere cœperat, è uita excesit. Eodem quoq; tempore mortem obijt Aegidius Dabeneius regij cubiculi præpositus, in cuius locum surrogatur Carolus Ioannis fratris Edmundi ultimi Somerseti ducis filius nothus, uir spectatus, homoq; honestus. Item nõ multò pòst rex Henricus cooptandum curauit in collegiũ equitum Garterij ordinis Guidonem Vbaldum Vrbini ducem, uirũ in militari arte probatum, ac latinis græcisq; literis iuxtà doctissimè eruditũ. Petiuit id decus Guido, ut Federici patris longè post hominũ memoriam principis clarissimi, qui per Edouardum regem, in illum ordinem antea uenerat, honorum omnium particeps esset. Et quia fama diuulgarat Iulium secundum hominẽ Ligurem Pio successisse, rex suam legationem ad eum misit, & per illam, uestitum insignem Guidoni tradendum. Guido accepto amictu, haud multò pòst Baldesarem Castillionem Mantuanũ equitem honestum ac nobilem legatum ad Henricum misit, per quem equites ei possessionem Garterij ordinis tradiderunt. Dum hæc alibi gerebantur, Ludouicus Francorũ rex desperata iam uirili prole ex se creanda, Claudiam filiam ætate maiorem, quam paulò antè Carolo regi Castellæ desponderat, Francisco Valesio Delphino Engolismensi duci locauit. Id factum ubi Henricus resciuit, statim duxit fore, ut ex usu esset Mariæ filiæ, quam domi habebat Caroli æqualem. Itaq; missis ultò citroq; legatis, negotium tandem opera Ricardi Vintonienſis episcopi eius legationis principis, Caleti, quò Flandrenses oratores conuenerant, conficitur, ac ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maria uirgo decimum agens annum Carolo pacta est.

Iam instabat finis triēnij de quo suprà memini, Henrico fatalis, quippe qui iam manifestè languebat, prospiciebatq; futurum, ut sibi in paucos dies uita suppeteret: quare statuit aliqua gratuita liberalitate sui desideriū apud populum relinquendū, qui primo quoq; tēpore, edicto toto regno diuulgato, omnibus pœnam remisit, qui leges generatim uiolassent, in ijs tamen esse noluit, neq; homicidas, neq; fures, quòd ea facinora non ipsum, sed alterum læsissent. Propter acceptum munus, publicè supplicationes pro salute principis decretæ. Ille uerò interim morbo iam consumptus, ad XI calendarum Maij à uita discesit, in sua Richemondia uilla, qui fuit annus salutis humanæ MDVIIII. Corpus funerali pompa ad Vuestmonasteriū delatū, in sacello quod ipse cōdiderat, sepulturæ datur. Regnauit Henricus annos tris & uiginti, ampliusq; mēses septē, uixit LII. Suscepit ex Elizabeth uxore filios octo, mares quatuor, totidemq; fœminas: reliquit superstites tris, Henricum principem Vualliæ, Margaritā, & Mariam. Corpore fuit gracili, sed bene firmo ac ualido: statura, quæ parum iustam excederet, forma eximia, uultu præsertim in sermone hilari, oculis glaucis, dentibus raris, capillo etiam raro, ingenio magno sagaciq;, & à literis non alieno, animo excellenti atq; forti, in summis quoq; periculis, & naturæ ipsius habitu propè diuino. Res consultò grauiterq; gerebat, quò suæ prudentiæ opinio per hominum animos facilius peruaderet: quippe non ignorabat suam uitam multorum oculis obseruari, ac ob id, principem oportere tantum alijs sapientia antecedere, quantū potentia præstet. Etenim quis illi quicquam tribuerit, cuius leuitatem expertus esset? Erat præterea moderatus, honestus, frugi, comis, & benignus, & adeò superbiæ atq; arrogantiæ abhorrēs, ut in eiusmodi uitijs notatos durus ac asper esset. Nemo homo tanta apud eum autoritate fuit, ut uel posset, auderétue quicquam suo arbitrio agere. Quid, quòd ne matri quidē fœminæ prudentissimæ istuc postremò permissum? Et eo se uti instituto dictitabat, quò non immeritò rex diceretur, qui regere, nō regi uellet. Iustitiæ seueríssimus custos, qua una re, plebem sibi maximè deuinxerat, cùm illa uitam ab iniurijs potentiorū, ac perditorum hominum maleficio uacuā traduceret. Atqui cum ista seueritate, coniuncta existebat misericordia, quam ille læsis facilè impertiebatur: nam ciues à suis iudicibus diminutos seu exinanitos uno uel altero tēpore augebat, subleuabatq;, quò sic pennas eis incisas renasci uelle se testaretur, id quod argumentum nō dubium erat, eum, sicut ipse aiebat, studio coërcendi ferocem populi inter factiones nutriti animum, non item cupiditate cogendæ pecuniæ, ea cœpisse uti seueritate, quemadmodum suprà demonstrauimus, quanquam saucij ista non tam seueritatis quàm auaritiæ tela esse clamabant. Sanè modestus princeps non emungebat suos fortunis immodicè qui regnū rebus omnibus longè locupletissimū reddidit, reliquitq;, quod planū præter cætera, fecit immanis auri pariter atq; argenti copia, quæ in annos singulos, in insulā importata est à mercatoribus ultrò citroq; commeantibus, quos ille sæpenumero pecunia ad tempus data gratuitò iuuabat, ut mercatura ars una omnium cunctis æquè mortalibus cùm commoda, tum necessaria, in suo regno copiosior esset. Atq; ita uiuendo Henricus rex uirtute, fortuna, gloria, rebusq; gestis clarissimus extremum edidit spiritum, qui dubitari non potest, quin reuersus

sus sit in cœlum, ad eum locum, ubi æuo sempiterno fruatur: quandoquidem impiger fuit religionis iuxtà obseruator ac cultor, libēter enim rebus diuinis operam dabat, intererat q; dum fiebant, nec ullo negotio aut tēpore ab eo officio excludebatur, attentè audiebat quotidie binas ternásue missas, quas uocamus, & sæpe conciones sacras, assiduè inopibus hominibus eleemosynam dabat, & id quidē in occulto, cùm licebat, iuxta illud Christi seruatoris præceptum, ut ne sciret eius sinistra manus, quid dextera faceret, illiusq; muneris obeundi causa, domi ex maiorum instituto, habebat ministrum, qui eleemosynarius dicitur. Sacerdotio honorem habebat, illudq; piè colebat, libens iuuabat, largè augebat, qui delubrum ad Vuestmonasteriū, & cœnobia tria Franciscanorū, quos Obseruantes appellant, unum apud uillam suam Richemondiam, alterum Greneuychi, tertium Neuuarchi condidit, acijs assignauit totidem cœnobia, quæ familia altera Franciscanorum, qui Conuentuales uulgò nuncupantur, Cantuariæ, Nouicastri, & Suthantoni diu habuerat. Item orabat multum, & festis præsertim diebus, horas recitabat canonicas. Sed nō suis adeò fretus est precibus, quin sacerdotes cuiusq; ordinis sui adiutores nō expeteret: quos etenim integros atq; innocētes esse certò quasi sciret, illis secretò largitiones faciebat, ut pro se orarent, ac toto passim regno, certis in tēplis, iusta quotannis sibi postquam mortem obijsset, facienda cōstituit, ad idq; ex suo mercedem paratam uoluit, ut cura atq; opera in supplicādo diligentius à rerum diuinarum administris poneretur. Hæc Christiani principis uita, qui animo ex corporis custodijs liberato, duceret alterā esse uitam, & eam quidē multò meliorem, ad quam aspiraret. Fecit testamentum, & primùm omnium iussit dari, restitui pecunias, si quæ in ærarium per fiscales iudices, iniustè delatæ fuissent, deinde domum hospitalem paulò antè ab se in suburbijs Londinensibus, ad eum locū, cui Sauoia nomen est, qui Thamesim tangit, inchoatā perfici, in eamq; inopes hospitio accipi. Hoc maturè factum est, illud uerò hominum mulctam iure uel iniuria irrogatam iuxtà repetentium importunitas, peruersitasq; impediuit. Vnde cognoscere licet, in eiusmodi rebus pietatis causa distribuendis, esse unicuiq; non aliena, sed sua utendum manu.

Iisdem temporibus perfectæ literæ similiter latinæ atq; græcæ ex Italia bellis nefarijs exclusæ, exterminatæ, expulsæ, sese trans alpes, per omnem Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiamq; effuderūt. Sed Germani cum primis eas in suas ciuitates adscripserunt, quandò illi ut quondam minimè omnium literati erant, ita nunc maximè docti sunt. Idem Gallis, Anglis, Scotis, ut de alijs sileamus, à Deo optimo maximo munus est impertitum. Quippe solæ literæ sunt, quę quidem certè nostra benefacta cum æternitate adæquent, nostriq; nominis cōmemorationem seruent, idcirco rursus quàm multi magni uiri, fœminæq; nobilissimæ ubiq; gentium cœperunt iuuare bonarum artium ac disciplinarum studia, quæ ut apud Anglos uehementius colerentur, Margarita Henrici mater mulier sanctissima, hortatu Ioannis Fiscerij Roffensis episcopi, uiri summa doctrina, summa gratia, summa integritate, Cantabrigiæ in loco nobili ac celebri, binas extruxit magnificas ædes, in quibus duo instituit discipulorum collegia, & alterum Christo seruatori, alterum diuo Ioanni euangelistæ dedicauit, deditq; ad illorum uictum, largiter fundos. In ea etiam academia, Ioannes Alcocus Episcopus Elyensis, pater sanctimonia

Universidad de Deusto
Biblioteca

& uirtute clarus, paulò antè autor fuit collegij, quod IESV consecrauit, ut eo duce, qui ibi ad bonas colendas disciplinas se darent, non errarent, sed ad ueram gloriæ & laudis mercedem accipiendam, quam ille bene semper agentibus promisit, recta uia cõtenderent. Per id quoq; tempus, Gulielmus Smyth episcopus Lincolnienſis Margaritæ exemplo ductus, Oxonij eorum adolescentium qui bonis disciplinis dediti se in literis exercerent, collegium collocauit in aula, quam uulgò uocant Brasyn Nose, hoc est, æneum nasum, quòd eo loci imago ærea facie admodum immani pro foribus extet. Item Ricardus Vintonienſis episcopus, tale eiusmodi opus Oxonij effecit, appellauitq; corporis Christi collegium. Idem etiã uirtutis & gloriæ stimulus concitauit Ioannem Coletum decanum, quem dicunt, diui Pauli, ad istiusmodi bonas literas propagandi studium. Is partim animi atq; mentis uirtute, partim uitæ ac morum integritate ornatus, apud suos Anglos alter penè Apostolus Paulus habitus est, quòd natura sanctus ac religiosus, ut primum ex pueris excesit, atq; ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informatur, se ad diuinarum literarum studium contulit, & Paulum sibi præceptorem delegit, in eoq; cùm Oxonij & Cantabrigiæ, tum in Italia, ita exercuit, ut homo factus ad unguem, sicut aiunt, cùm domũ redijt, cœperit Londini ubi natus est, Paulinas legere epistolas, & in templis sæpe concionari: & quoniam nõ secus docebat, quàm uiuebat, idcirco mirũ in modum mortales in eius optimis præceptis acquiescebant: erat enim homo continentissimus, qui semel in die cibũ capiebat, non sitiebat honores, nõ cupiebat opes, non quærebat diuitias, quæ tamen eum fugientem secutæ, tandem cõsecutæ sunt. Sanè accidit, ut ex duobus & uiginti filijs, quos Henricus Coletus eius pater ciuis summa modestia & grauitate, ex Christiana uxore nobili muliere susceperat, solus ipse superstes fuerit, eiq; paterna hæreditas uenerit. Tum Ioannes uidẽs plures suos ciues naturæ tantũ habitu, euadere uiros graues & modestos, putauit illos ipsos multò excellentiores fore, si excolerentur doctrina: quapropter statuit suis sumptibus iuuare pubem Londinensem, ad percipiendam, colendamq; doctrinam, qui circiter ista tempora, posuit in ea parte cœmiterij Paulini, quæ ad orientem solem spectat, magnificam scholam, deditq; præceptorem Gulielmum Lilium, & alterum qui rudiores informaret pueros, quòd in eo erat literatura, mores boni, diligentia summa: nam Lilius uir, quemadmodum dicit Horatius, integer uitæ scelerisq; purus, postquam in Italia aliquot per annos, perfectis literis operam dederat, domum reuersus, Anglorum primus apud suos, eas docuit: antea enim Cornelius Vitellius homo Italus Corneti, quod est maritimum Hetruriæ oppidum, natus nobili prosapia, omnium primus Oxonij bonis literis iuuentutẽ erudiuit. Deinde secutus est doctrinæ & morum magister Ioannes Righeuus, deinde Ricardus Ionys. Iis autem ludi literarij magistris, Coletus ex suis facultatibus, in annos singulos stipendiũ constituit, quo illi & posthac alij omni tempore gratuitò docerent. Ac ut Londinensis iuuentus è Paulina schola multò est politior, sic tota Anglia, multi studijs & doctrinis dediti, perfecta literatura florent.

Proœ-

PROOEMIVM EIVSDEM IN LIBRVM XXVII.

PErdifficile est, quod sis cum spe magna ingressus, id non exequi usq; ad extremum, si animus præsertim se antea in laboribus minus fregerit. Sed de nobis loquamur licet, ut ostendamus nauem nostram bene cursum confecisse, quæ gubernatore hactenus neq; ualde insciente, neq; inerti usa est. Quippe iampridem inchoaueram historiam Anglicã, quæ exiguo tempore absolui non potuit, cùm in me interea senectus sensim irrepsit, quæ hominibus æquè uires, ac eorum animos diminuere solet, ego tamen historiã meam haud imperfectam mihi relinquendam statui. Postea uerò quàm Gulielmo Normano rege, apud Anglos constitutum est, ut unus deinceps rerum potiretur, reges usq; ad ætatem nostram, fuere sex & uiginti, quorum quæ in uita quisq; egerit, literis suo ordine mandauimus. Deinde secutus est Henricus eo nomine octauus, numero uerò regum uigesimus septimus, cuius res gestas usq; ad trigesimum regni ipsius annum perscripsi, qui posthac octo regnauit annos, cùm ipse id temporis in Italiam reuocatus fui negotiorum causa, ubi perdiu mansi: at simulac inde reuerti in Angliam, interrupta iam serie rerum publicarum, quas in dies singulos annotare prius solebam, nõ statim pòst idem mihi institutum tenere per ualetudinem incommodam licuit. Igitur pars maxima rerum gestarũ Henrici foras data est, simul cum alijs, quas socius belli cum Carolo Imperatore in terra Italia aduersum Gallos curauerat peregeratq;. Quibus in rebus exponẽdis noluissem profectò multus uideri, si breuitas potuisset cuncta absolutè complecti. Cæterùm quod restat, suo tempore in unum colligetur locum ad historiam perficiendam, quo liber iste tandem more superiorum librorum, ipsius regis uitæ exitu terminetur.

POLYDORI VERGILII VRBINATIS ANGLICÆ HISTORIÆ XXVII.

HENRICVS Vualliæ princeps statim ut patris funus fecit, in matrimonium duxit Catharinam, quæ Arthuri mortui fratris uxor fuerat, idq; Romani pontificis autoritate lege solutus, omnis scrupuli euellendi gratia efficiendum curauit, quod fas atq; iura sinebãt, cùm Arthurus nullos ex ea puella suscepisset liberos. Nanq; lex à Mose populo data est, de qua fit mentio in Deut. capite xxv. ubi legere licet: Quando habitauerint fratres simul, & unus ex eis absq; filijs mortuus fuerit, uxor eius nõ nubat alij, sed ducet eam frater ipsius, & primogenitum ex ea natum nomine fratris sui appellabit, ut ne deleatur nomen eius ex Israel. Hanc legem Christiana ecclesia postea receperat, pacis confirmandæ causa, inter principes nostros. Atqui casus inopinatus interuenisse dicitur, quasi testis non uiolatæ Catharinæ uirginitatis, quòd ei per imbecillitatem naturæ uiri admodum adolescentis, uirginem adhuc esse licuerit, sicut illa sanctè affirmabat, & cum ea testabantur fœminæ probatissimæ, quibus cum ille de rebus suis secretioribus sæpe communicare solebat. Post hæc cõcilium ad certum diem edicitur, ut princeps more maiorum rex crearetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Agebat Henricus annum ætatis decimumoctauũ,& ob id minus experiens, quise à primo ad literas discendas dederat,idcirco ex principibus parentis familiaribus in primis sibi consiliarios delegit Gulielmum Varamum Cantuariensem archiepiscopum, regni cancellarium, Ricardum Vintoniensem episcopum, Thomam Hauardum comitem Surrę,regni quæstorem,Georgium Talbotum domui regię præpositum, Carolum Somersetum cubiculi præfectum, Thomam Louellum,Henricum Viatt, Thomam Rutall, Edouardum Ponyngum,ad quos rerum administrandarum curam detulit.Illi ueriti ne copia & magnitudo opum (nulli enim regum antea cùm in numerato, tum in mouentibus rebus maior uenerat hæreditas)malo non esset adolescentis indoli,cœperunt studiosè Henricum ad consiliũ adhibere,negotijsq; gerendis assuefacere,ut ille se paulatim ad res agendas sponte accommodaret,qui iam tum ueluti tener iuuencus,iugum gubernandi regni horrere uidebatur. Sed primum omnium testamentum Henrici regis demortui,hoc est,uoluntatem conseruandam summopere curabant.Itaq; tota Anglia edictum proponitur, ut si quis esset uiolatus bonis ue priuatus per iudices fiscales,accederet ad regem, resq; suas repeteret, qui omnibus de iniurijs satisfacere paratus foret. Vbi edictum diuulgatum est, cuncti à quibus aliquid iure uel iniuria detractum fuisset,ad regiam accurrunt,& pro se quisq; suam repetendarum rerum causam iustiorem esse argumentantes,iniuriam acceptam exponunt, querun tur,lamentantur.Consilium autem causas cognoscit,& quos manifestò lęsos esse comperit,ijs pecunias restitui iubet.Qua re audita,bone Deus,quãto cæteri impetu etiam meritò puniti ruunt,urgent,instant,multa comminiscentes cõfingentesq;,quibus quouis modo amissa recipere possint,eaq; de causa largitiones faciunt, amicorũ opera utuntur,& denicq; nihil non intentant. Hoc uehemens studiũ atq; cupiditas iudicibus fiscalibus pariter perniciei, acrerum repetitoribus damno fuit.Porrò consilium desperans posse se moderari desiderium populi, eiusq; simul postulationibus satisfacere, statuitrepetitores non amplius audiendos esse, iudices uerò fiscales Ricardum Empson & Edmundum Dudleium in custodiã dandos, cum accusatoribus atq; delatoribus uti pernicioſis hominibus, ad sedandum plebis animi motum & expectationem,quos illa in primis ad pœnam uocabat.At paucis pòst diebus, iudices uiri graues iurisq; periti coram consiliũ causam suam constanter dicũt, & Ricardus ætate maior eiusmodi uerba pro re facit:Optimi patres nõ ignoratis, scio, quantũ leges sint consentaneæ humanæ uitæ & utiles,sine quibus nec domus ulla, nec ciuitas stare potest.Ipsę eę leges apud nos incuria atq; negligentia magistratuũ partim labefactatæ,partim iam antiquatæ crãt. Quod quidem malum quotidie plus crescens Henricus septimus princeps sapientissimus opprimere uoluit,qui nobis negotium dedit,ut curaremus,ut leges usitatæ in suo permanerent statu,& inusitatæ ad pristinum usum reuocarentur,ac qui eas perfregissent,illi merita pœna afficerentur.Igitur officium fecimus quamfidelissimè potuimus, ad reipublicæ maximum profectò commodum. Proinde suppliciter oramus, ut uos uestræ probitatis, humanitatis, & iustitiæ simul memores,nihil de nobis graue decernatis, quin potius de referendis gratijs aliquid constituatis. Hæc multis illorum bene dicta uisa sunt: sed plures qui putabant eam legum recognitionem duce auaritia esse factam,

sicut in

sicut in uita Henrici demonstratum est, & nõ multò ante acriter mulctati fuerant, unde infenso erãt animo, iudicarũt, ut iudices qui eam causam egissent, acalios pecunia mulctassent,ipsi morte mulctarentur: qui ab ea die mox securi percussi sunt.Accusatores autem delatoresq; ignominia per urbem notati, aut mœrore animi periere multi, aut alij mulctantur, uel uinculis æternisq; tenebris mandantur.

Iam dies concilij ad Vuestmonasterium habendi aduenerat,ubi Henricus cum Catharina uxore à Cantuariensi archiepiscopo corona redimitur,sacraturq;,octauo Cal.Iulias,anno qui fuit salutis humanę MDIX quo eius pater è uita excesserat,qui dictus est Henricus eo nomine octauus.Dum publicum gaudium celebratur,lætitiam mœror uelut sæpe comes sequitur : Margarita enim Henrici auia moritur, ob cuius obitum nõnihil respublica damni fecit, quippe mulier erat prudentissima atq; sanctissima,quę cùm uideret Henrico per ætatem non licere suum officium præstare,ita à principio prouidere,consulere, prospicere cœpit, ut summa imperij penes optimos quosq; principes esset, quò ne quid ipsa respublica detrimentũ acciperet, quæ aliquot menses cõmuni multorum cõsilio gubernata, postremò ad duos,Ricardum Vintoniensem episcopum & Thomam comitẽ Surræ eius administratio peruenit, qui inter se secretas habebãt simultates,quas autoritatis æmulatio in dies singulos magis magisq; augebat.In ijs diuersa erãt studia: Vintoniensis suis amplis rebus contentus regis tantum ac reipub. utilitatẽ quærebat: comes uerò qui olim paternę hereditatis maiori ex parte,propter ciuilia bella & factionũ seditiones,naufragium fecerat,suo interim priuato commodo inseruire cogebatur,qui idcirco ad latus regis assiduè adhærens,bene magna identidem ab eo beneficia habebat, quæ ille tam suis quàm alijs postea ad arbitrium suum daret, tribueret, deferret. Ista Vintoniẽsi uisa sunt eò breui tempore euasura, ut comes primas apud principem teneret omnino,nisi maturè obuiam conatibus eius præiretur, id quod sibi modis omnibus faciundũ deliberauit. Accesit in eandem palæstram & tertius Gulielmus Conton in regio cubiculo primus minister,sed is cùm magis rei familiari quàm potentiæ studeret,nihil dabat suspitionis.Interea Christophorus Benbricus Eboracensis archiepiscopus Romam legatus ad Iulium Romanum pontificem mittitur, & Thomas Ruthal designatur Dunelmensis episcopus.

Dum hæc in Anglia gerebantur, alibi Iulius pontifex, Maximilianus Romanorum,Ludouicus Francorum, & Ferdinandus Hispaniæ reges facto fœdere, bellum in Venetos suscipiendum statuunt. Causa conspirationis erat, quòd Veneti dum ardebat Italia bello,ipsi multis urbibus & castris,quæ aut Romani pontificis,aut regum ditionis fuerant,potiti essent.In hos itaq; arma sumũt,sua loca pro se quisq; recuperaturi:sed Ludouicus primus,qui id temporis Mediolanũ tenebat, cum expedito exercitu ad manus uenit, hostemq; una pugna uicit, capto Bartholomæo Aluiano duce exercitus. Mirum equidem dictu est,quantũ res Veneta eo prælio affecta sit,quando præter Venetias,quicquid ferè in cõtinenti erat,ad punctum temporis amissum est. Tum Veneti Gallicam fidem experti sunt,uel potius meritam pœnam habuerunt, qui paulò antè Ludouicũ regem suis opibus aduersus Ludouicũ Sfortiam Mediolanensem ducem iuuerunt. Ita uno tempore Pontifex recepit Arimi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num, Rauennam, Fauentiam: Maximilianus Veronam, Vicentiam & Patauium: sed hæ duæ ciuitates aliquanto pòst in Venetorum ditionem rursus per ciuium defectionem redierunt: Ludouicus Cremonam, Brixiam, Bergomum: Ferdinandus in ora Apuliæ Brundusium, Tranum, & Hidruntum, oppida paucis antè annis à Ferdinando rege Neapolitano Alphonsi filio Venetis oppignerata. Per hunc modũ diuisa eius belli parta præda est. Ab illo tempore inter ipsos socios discordia orta est: nanq; Gallus totius Italiæ imperium affectans, Venetos propè iacentes in primis delendos putat, quos ut domi semper concordes ac rebus suis nunquam indormientes, & breui uim habituros armatorum ad nocendum, & solos suis desiderijs impedimento fore rebatur. Itaq; Alphonso duce Ferrariæ in amicitiã suam accepto, quamprimũ contra Venetos iturus erat, cùm Iulius pontifex & Ferdinandus eius consilium intellexerũt, qui per id factum, iam apertè fœdus uiolatum arbitrantes, necessariò cum Venetis pacẽ faciunt, atq; simul uno momento arma in ipsum Gallum conuertunt. Ex quo deinde uariè inter eos usq; eò pugnatum est, donec ad extremum fortuna belli, uti alius perappositus infrà locus planum faciet, controuersiam diremerit. Cæterùm hinc Pontifex causam arripiens Bononiam proficiscitur, ac Alphonsum ducem sibi persequendum constituit. Alia fertur huius dissidij causa fuisse, quòd cùm Iulio pacatam Italiam reddendi gratia, iampridem certum deliberatumq; foret, exterminare Gallum, uoluit uti operà ducis, qui Romani pontificis beneficiarius esset, cùm illoq; consilium suum communicauit, & dux diffidens uiribus pariter atq; uitæ Pontificis id ætatis hominis qui breui moriturus uidebatur, pernegauit ab amicitia Ludouici desciscere, à quo postea ei palàm auxilia missa sunt. Commouit Gallus eodem tempore, Bernardinum Cardinalem sanctæ crucis hominem Hispanum sic, ut ille cum Francisco Borgia, Federico sancti Seuerini, & Caroło Finario Cardinalibus, in Galliam profugerit, ibiq; cum alijs Gallicis Cardinalibus contra Iulium facere cœperit. Interea in agro Bononiensi ab exercitu Iuliano male cum Gallo pugnatum, & ipse Iulius amissa Bononia, Romam retrò abijt, qui ubi cò peruenit, missis quaquauersum nuntijs, à principibus amicis præsidia petit, & ea in primis à Ferdinando rege flagitat, quòd de eius re maximè ageretur. Ferdinandus, cui nihil prius erat quàm rem Christianã continenter iuuare, exercitũ sub armis habebat aduersus Mauros, & ei Henricus gener Angliæ rex opem tulerat, qui miserat Thomam Darcium equitem rei militaris scientem, cum mille & quingentis sagittarijs, sed ubi audiuit res Italicas in periculo esse, omisso tantisper sacro bello, omnes copias duce Raymundo Cardona, & Petro Nauarra uiro longè fortissimo peditum præfecto, in Italiam necessariè misit, quæ suis ac Pontificis rebus subsidio currerent. Ita nostra intestina bella semper Christiano nomini dãno fuere. Tum re infecta, Thomas ad Henricũ redijt. Nec etiã alio memorabili expectato euentu, Edouardus Ponyngus missus auxilio Carolo Castellę principi aduersum Carolum Geldrensem ducẽ, propter locorũ insolentiã, domũ per eos quoq; dies reuertit. Eodem tẽpore, peruenerat Romã Christophorus Eboracensis archiepiscopus legatus, qui Iulio pontifici fuit multò acceptissimus gratissimusq;, quẽ ille ut maiorẽ ab Hẽrico rege gratiã iniret, fecit Cardinalẽ, per eũq; cœpit euocare regẽ ipsum in societatẽ belli, uti Gallus undiq; oppugnaretur.

Haud

Haud multi interceſſere menſes, cùm Ferdinandi copiæ in Italiam aduenerunt, ſeq; cum Pontificis exercitu coniunxere, qui tunc in agro Bononienſi ſtatiua habebat, cui Frãciſcus Maria Vrbini dux Iulij ex fratre nepos præerat, homo animi magnitudine & rei bellicæ ſcientia longè præſtantiſsimus, atque unà ambo Bononiam obſeſſum contenderunt. Item non ſolum ad commune periculum, ſed etiam ad aciem præſtò fuerunt & Venetorum copiæ. Qui autem in urbe erant, fortiter ſe defendebant: ſed paulò pòſt ſuperueniẽte Gallorum exercitu, qui apud Rhegium erat, hoſtem procul ſummouerunt, quotidianáque prælia cum eo faciebant. At Iulius pontifex ueritus ut iſte ultimus conatus male caderet, primo quoque tempore conduxit ingentem Heluetiorum manum, præbuitq; illis legatum Matthæum Sedunenſem Cardinalem, hominem etiam Heluetium, quem ipſe paulò antè ea dignitate honeſtarat, ſimulq; ex Heluetijs ſatellites ad cuſtodiam corporis accepit, quò eam gentem tali beneficio deuinctam haberet. Interim Gallus undique accerſit amicos, curatq; in fide retinendos, & ante omnes Anglum, nouasq; in Iulium, cuius odium pertimeſcebat, machinas commolitur: Itaque eo impulſore, Cardinales qui in Gallia erant, Bernardinum preſidem faciunt, & ille continuò ſua autoritate conſilium Piſas uocat, ac non multò pòſt cum omni ſacerdotum cœtu eò concedit. In Piſano conuentu primùm omnium Iulio cuncta autoritas abrogatur, multáque in eum ſtatuuntur, deinde publico edicto reliqui Cardinales euocantur, qui cum alijs de nouo pontifice creando deliberent. Iulius contrà, ut clauum clauo, ſicut dicitur, truderet, Romæ concilium habere cœpit, quod Lateranenſe appellauit. Atque ita natum ſchiſma egregiè utrinque alebatur, quod omnium bonorum animos ualde perculit, cùm inde Chriſtiana religio maximè labefactaretur. Hæc eo anno geſta ſunt, qui fuit ſalutis humanæ milleſimus quingenteſimus undecimus.

Legatus interea Anglus Chriſtophorus Cardinalis, literis & nuntijs ſignificabat Henrico regi, Iulium pontificem auxilia ab Anglia expectare, & quo magis ſciebat ſe Pontifici ob delatum ſibi Cardinalatus honorem debere, hoc impenſius obteſtabatur, rogabatq; regem, ut eius ſalutis rationem haberet, ac neutiquam Pontificem de reipublicæ Chriſtianæ libertate optimè meritum, pateretur ab improbis hominibus oppreſſum iri, ſed ſpeciatim amicos rogabat, ut animo & opibus in id bellum incumberent. Chriſtophori ſtudium ita Henricum permouit, ut res ad conſilium delata ſit. Multæ & uariæ ſententiæ in utranque partem dictæ ſunt: Rex ætate florens, ac opibus æquè ut uiribus præſtans, bellum ſuſcipiendum cenſebat: nonnulli id è republica fore negabant, argumentantes ita uſu facilè uenturum, ut pulſo ad extremum tota Italia Gallo, dum amici qui longè gentium abſunt, parta quiere fruerentur, ipſi in bello ſoli eſſent. Illud alij nihil eſſe quod pertimeſceretur, putabant, affirmantes nunquam poſthac futurum, ut Gallus manum ab Italia abſtineret, quamuis in ea occupanda operam non ſine detrimento, perpetuò perderet, exempli cauſa, more culicis circa ardentem candelam uolitantis, ac ad ultimum inflammatis alis, grauiter læſi cadentis, ſed omnino præſtare, uti ex rerum ſucceſſu, poſtea conſilium caperetur. In hanc ſenten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam bene multi uenere, existimantes Iulium ab omni periculo uacuum, ex eo, quòd haberet complures longè potentissimos belli socios. Postremò tamen uicit regis sententia, quam consiliarij potissimum probarunt, partim ut ne regij animi alacritas bellandi extingueretur, qui iam tum militarem disciplinam pluris quàm cæteras artes faciebat, partim uerò ne ingrati animi nota Angliæ inureretur, quæ noluisset communem reipublicæ Christianæ antistitem iniuria prohibere. Ita bellum esse suscipiendum, decretum est. Secundùm hæc, de ratione gerendi belli agitatum, & post longam disputationem, placuit sociare arma cum Ferdinando rege, quòd finitima Galliæ loca teneret, unde nullo negotio in hostem facere impetum liceret: eaq; res Henrico cum Ludouico Carrocio Ferdinandi legato conuenit, ut Ferdinandus cum octo peditum & quinq; equitum millibus, bellum cum Franco ad Aquitaniæ fines gereret, & Henricus totidem sagittariorum millia mitteret, ac daret conferrétque stipendium in partem equitum, & loca quæ de hoste caperentur, redirent in ditionem Ferdinandi aut Henrici, quæ eorum maiores olim possedissent. Quibus rebus ita peractis, exin de concilij autoritate, populo generatim pecunia imperatur. Atque ut ne tanto bello sine iusta causa Henricus se implicare diceretur, quamprimum legauit Ioannem Iunghe sacerdotem ac iurisconsultum ad Ludouicum regem, qui eum suis uerbis hortaretur ad pacem æquis conditionibus cum pontifice Romano faciendam. Erant conditiones eiusmodi, ut Bononia restitueretur, Pisanus conuentus seminarium pessimi schismatis agi desineret, ac postremò causa Alphonsi Ferrariæ ducis per æquos arbitros iudicaretur. Ad has equidem Francus conditiones dubio procul honestas descendisset, nisi obstitisset, quòd iam antè factus erat certior de consilio belli aduersus se capto, per Antonium Pierrepontium equitem oratorem suum, quem apud Henricum habebat, atque ita stomachatus minimè dictis legati Anglici fidem habendam putabat. Porrò consultationi de bello in Francum gerendo interfuit Hieronymus Bonuisius homo Italus, patria Lucensis, qui paucis antè diebus opera Christophori Cardinalis, missus fuerat legatus ad Henricum à Iulio, ut regem in amicitia retineret. Is prius à Franco in itinere deprauatus, postquam Londinum peruenit cum Anthonio oratore Gallico clandestîna colloquia facere cœpit, & quæ ille retulisset, Anthonius impigrè suo regi significaret. Sed ea res tantummodo autori fraudi fuit, quæ breui illustrata, Hieronymum penè perdidit, quando nihil propius factum est, quàm ut supplicio mactaretur. Post captum belli consilium, nullum Henrico regi maius studium fuit, quàm exercitum, classémque parare, ac Maximilianum regem qui cum Gallo stabat, in partem belli trahere. Itaque Robertum Vynchefildum equitem ad eum legauit, crebrisque literis agebat, ut ab amicitia Ludouici regis disiungeret. At Maximilianus ad omnia more suo cunctabatur, cùm ut demum quod ex re sua esse animo duceret, honestius sequi sibi liceret, tum uerò quia non mediocriter Venetis unis fœderatorum succensebat, quòd sibi non multò antè Patauium & Vincentiam ademissent, sed hanc controuersiam Pontifex ad tempus trãsegit, factis inter Maximilia-

num & Venetos annuis inducijs, ut eo tantulo temporis interuallo aliqua pax conciliari posset. Aduenit hoc interim spatio ex Gallia Ioannes Iunghe, renunciauitq; Henrico & consilio legationem suam, cuius summa erat: Tantum abfuisse ut Ludouicus aliquam tandò pacem habendi significationem fecisset, ut etiam parum amicè respondisset. Qua re audita, nõ fuit omnium quisquam, qui dubitaret, quin bellum Franco pacis abhorrenti meritò inferretur, quod ei per certum nuntium mox est indictum.

Hæc dum alibi fiunt, Venetianimum ad Brixiam recuperandam intendunt, perinde quasi non dubitantes tempus esse, cùm id tutò periclitari possent, quòd Galli satis haberent resistere hostibus, qui in Bononiensi agro contra eorum castra considebant. Quare tentatis ad defectionem ciuibus, duce Andrea Gritto ciue suo Brixiam petunt, mœniaq; intrant, præsidio Gallico aut interfecto, uel in arcem coniecto, ac subitò copias quas suprà demonstrauimus esse in Pontificis castris, accersunt. Cuius rei ubi Gasto Flussatium comes & Nemorsi dux Gallici exercitus præfectus certior factus est, non aliud in præsentia quod magis instaret, præuertendum sibi esse existimans, festinanter cum electa militum manu ex omni multitudine, qua hostibus longè præstabat, Venetorum copias quæ iam bidui aberant, sequi incipit, & in itinere consecutus profligat, inde pari atque discesserat ab exercitu continuato cursu, Brixiam proficiscitur, suis auxilio succurrit, de mediaq; nocte ad arcem accedit, atq; per posticum admittitur: postero die multo mane in præsidium Venetum erumpit, ac post mutuam cædem factã, delet, capto Andrea Gritto duce, cum nonnullis alijs. Tum Gasto re feliciter gesta ferocior effectus, ac ciuibus defectionis pœnas tanta crudelitate expetit, ut nulli neq; ætati neq; sexui parcat, postea urbẽ hostilem miserandumq; in modum diripit, bona militi pro tanto labore suscepto, prædæ nomine distribuit. His rebus ad punctum temporis confectis, nulla facta mora, ad exercitum in agrum Bononiensem reuertit, qui ab illo belli successu, sibi statuit omnibus locis hosti occurrendum esse, atque etiam inuitum ad certamen eliciendum, id quod postea mãturè fecit. Ita Brixia intra uiginti dies bis capta est. Andreas Grittus in Galliam captiuus ducitur, quò antè missus fuerat Bartholomæus Aluianus ipsorum Venetorum dux exercitus. Interea Pontificis & Ferdinandi exercitus cognito detrimento à Venetorum copijs accepto, se in Adriaticam oram recepit, ut ibi loco idoneo positis castris, expectaret usque dum uel supplementum à Pontifice mitteretur, uel Heluetij in Mediolanensem principatum erumperent: sed neutrum per Gallorum celeritatem fieri licuit: nam Gasto secutus hostem propter Rauennam, ad tria millia passuum, collatis signis præliari coëgit, etiam ad Pascha summum diem festum. Hic itaque commissa acri pugna, à prima luce ad meridiem dimicatur, interfectis antequam ad manus ueniretur, bombardarum, quas uocant, ictibus plus decem tum hominum tum iumentorum millibus: ad extremum, Raymundo Hispanarum copiarum duce, homine ante id tempus pugnæ insolenti, pedem referente, Galli præter spem uictoria potiuntur, quæ breuem tamen eis lætitiam dedit, uti infrà explicabitur. Cæsa sunt eo die utrinque amplius uiginti hominum millia, & in ijs Gasto, cum multis alijs ducibus, qui ita sua

Universidad de Deusto
Biblioteca

crudelitate atque iracundia, quam nuper post hominum memoriam teterrimam, in miseros Brixianos exercuerat, pœnam dignam habuit. Capti sunt in primis Ioannes Medices Cardinalis, exercitus Pontificis legatus, Fabritius Columnensis, Petrus Nauarra, complurésque alij ordinum ductores. At ubi fama acceptæ cladis per finitimos populos peruasit, protinus legati ad duces Gallorum undique missi, qui pollicerentur, quæ imperarent, se facturos. Quin etiam Romæ trepidatum: sed Galli sibi suorum uulnerum conscij, pedem ultra ferre non sunt ausi, quippe qui procellam quæ repentè mota est, animo cernebant, atque ita paulò pòst Mediolanum redeunt. Quò illi uix peruenerant, cùm Heluetij in Italiam descenderunt, & primùm Veronam profecti Gallicum præsidium quod per speciem amicitiæ, eam urbem contra Maximiliani loci domini uoluntatem tenebat, turpiter dimiserunt, deinde per Brixianum agrum, iter facientes se cum Venetorum copijs, quas senatus nuper comparauerat, coniunxere, atque unà Gallum latè fugientem usque ferè ad Alpes persecuti sunt, quorum bonam partem agrestes in ipsa fuga trucidarunt. Tanta passim cædes facta est, ut uix decima pars ex tãto exercitu incolumis euaserit. Ita nouissimè Galli memoria nostra, Italiam perinde ac sæpe aliàs fecerant, suis cladibus nobilitarunt. Cùm autem huiuscemodi tempestas & turbo impendêret, Bernardinus præses cum suo sacerdotum cœtu Pisis discedens Lugdunum se fuga recepit, in itinere amisit Ioannem Medicem Cardinalem, quem uelut prædam minimè opulentam negligenter custoditum agrestes interceperunt, in libertatemq; uindicarunt. Et hæc in initio anni gesta sunt, qui fuit salutis humanę MDXIII, & cùm regnare cœpit Henricus, IIII.

Henricus rex in sociale bellum iam ingressus, exercitum permagnum ex robore florentissimæ iuuentutis delectum, cum classe sexaginta nauium, armis ac omnibus rebus ad rem naualem pertinentibus instructa, conflauerat, & cùm uer appropinquaret, delegit uiros aliquot cùm fortes tum prudentes, quorum consilio res militaris administraretur, ac terrestribus copijs ducem præfecit Thomam Dorcestriæ marchionem uirum strenuum, & classi Edouardum Hauardum Thomæ comitis Surræ filium, hominem fortitudine summa. Hi alacres & fiduciæ pleni in Cantabros transeunt, seq; in terram è nauibus emittentes ad maritimum oppidum quod Fontirabeum uocant, considunt. Aduenium statim pòst aliquot equites à Ferdinando missi, qui de ratione belli gerendi cum eis agant: sed primùm fit inter eos gratulatio, dein ad rem suam aggredientes, statuunt Baionam proximã Aquitaniæ urbem, quæ ab eo oppido abest circiter millia passuum duodeuiginti, armis adoriri, & eò Ferdinandi copias qui missi fuerant, quamprimum uenturas renuntiant, id quod postea factum non est, unde accidit ut ab Anglico exercitu in ea terra nihil sit memorabile gestum: quod Angli tanto molestius tulerunt, quanto animi omniũ magis erecti in expectationẽ preclari alicuius facinoris toto eo tẽpore fuerunt, quo ille exercitus aberat. Cuius quidẽ rei causa extitit inconstantia Ioannis regis Nauarrę, quã exponendã ducimus. Blancha enim Caroli regis Nauarrę filia olim regni hæres facta nupsit Ioanni, qui Aragonũ postea rex fuit, & pater Ferdinandi, de quo modò memini, quẽ ex secunda

secunda uxore sustulit, ex qua ille suscepit Carolum, qui sine liberis mortuus est, & Aleonoram: hanc Gasto Flussatium comes uxorem habuit, ex qua creauit quatuor filios, totidemq; filias, sed de duobus duntaxat natu maioribus dicendum nobis est, de Gastone, & Ioanne. Gasto autem qui successit patri, duxit in matrimonium Mariam sororem Ludouici ducis Aurelianensium, qui in præsentia Francorum rex est eo nomine duodecimus, ex eaq; genera-uit Gastonem ducem Nemorsi, quem prælio ad Rauennam facto interfectum fuisse suprà memorauimus: ille uerò habuit in matrimonio Magdalenam sororem Ludouici undecimi Francorũ etiam regis, ex qua genuit duos filios Phœbum & Catharinam, sed hic regnum occupauit, qui post aliquot annos, quàm regnare cœperat, sine liberis moritur: cui in regnum successit Ioannes Alanni Libretensis reguli filius, huic Catharina illius soror in matrimonium collocata erat. Verùm quoniam hic plus potentia quàm ius ualuit, Gasto Ludouici regis ex sorore nepos ea potissimum re fretus, cœpit regnum Nauarræ ut sibi debitum repetere, quòd reliquus unus esset uirilis sexus, ex familia Gastonis olim uiri Aleonoræ Nauarræ reginæ. Contrà Ioannes causam suam apud regem acriter defendebat, dicebatq; ius ex eo secum facere, quòd uir esset Catharinæ Phœbi regis sororis, cui regnum iure hæreditario obuenisset: nec obstare legem apud suos Gallos obseruatam, quæ fœminis regni hæreditatem abroget, quam Hispania non recepisset, cuius finibus Nauarra continetur. Atq; ita lis de regno Nauarræ, sub iudice erat. Ioannes igitur rex rebus suis metuens, se Ferdinandi amicitiæ dedit, & ut ab iniuria Ludouici regis prohiberetur, accessit ad conditiones fœderis cum Henrico icti, id quod peropportunè accidisse uisum est, quòd per eam terram quæ ad Vascones pertinet, longè commodissimè liceret nouos motus in Francos facere. Cæterùm dum Ioannes bellum in Ludouicum cum fœderatis parat, ecce tibi, de Gastonis aduersarij cæde nuntium accipit, quo ab omni prorsus metu & cura liberatus, & sententiam mutat, & in fide non manet, ac ut gratiã à Ludouico ineat, mittit legatos ad eum, qui significent se cum eo stare. Audiuit libenter Gallus legatos, & quia ei res maximè expediebat, protinus cum Ioanne pacem fecit. Qua re maturè confecta, Ioannes quem magnopere facti sui pudebat, iam tum cœpit secum agitare, quonam pacto sine fraude posset Ferdinandi amicitiam repudiare. Vrgebat, instabat, flagitabat interim Hispanus, ut cũ promissis copijs in castra ueniret, quò simul omnis exercitus Baionam oppugnatum pergeret. Ille uerò primùm se anni tempore excludi, deinde copias nondum coactas habere respondit, multaq; incommoda excusare cœpit, quamobrem tempus extraheret, quoad se aduersus uim muniret, sed cùm id intempestiuè ageret, facilè suo delicto in suspitionem Ferdinando uenit, qui ubi amplius opinione sua illum cunctari animaduertit, ut tandem aliquando hominis fidei periculum faceret, petiuit ab eo sibi obsides dari, in quorum numero eius filius esset. At Ioannes qui omnia dolis agere cogebatur, id se facturum negauit, tantum pollicitus iter per suum regnum, Hispanis copijs tutum fore. Tum Ferdinandus iam satis diluxisse fraudem perspiciẽs, Federico Tolletano duci Albæ qui eius exercitui præerat, mandat ut celeriter in Ioannem hominem in se animo inimico irruat. Federicus quod iussus erat, ad faciendum paratus, in Nauarros proficiscitur, castrisq; in eorum fini-

bus positis, equitū turmas quocunq; dimittit, ad intelligendum ubi loci Ioannes esset, ut facto in eum de improuiso impetu, primum omnium in potestatem redigat. Verùm Nauarrus non expectauit dum dux appropinquaret, qui ubi cognouit eum in se contendere, in ipso articulo temporis, sęua conditione astrictus, collectis fortunis quas secum deferre posset, cum uxore & liberis in Galliam aufugit, atq; ita sponte se regno spoliauit, dum ne per uim amitteret, uehementer laborabat. Hac audita regis fuga, cunctus populus deditione facta obsides dederūt. Dux qui bene multa iam loca deuastarat, post hæc sine iniuria aut maleficio totam confestim obiuit prouinciā, positis passim præsidijs, quibus facilius in officio contineretur.

Eo negotio prosperè confecto, Ferdinandus summè gauisus quòd tanto regno repentè sine ullo sui militis uulnere potitus esset, per quod tutum haberet accessum ab Hispania ad Vascones, & recessum à Vasconibus ad suos, continuò misit ad castra Anglica nuntios, qui Marchioni exponerent suam diligentiam, & ad quem finem res Nauarrica deuenisset, ac propterea oportere necessariò mutare consilium, ut quemadmodum à principio decretum fuisset, initium belli ad Baionam fieri, ita modò præstaret ducere exercitus in mediterraneos Vascones, quibus sine aliqua commeatus aut locorum difficultate, bellum inferri posset, & idcirco hortarentur, ut ad sua castra quamcelerrimè posset accederet, quò iunctis armis in hostē unà sese mouerent. Nuntij ad Marchionem profecti de uictoria docent, atq; in quanto cōmodiorem statum res peruenisset demonstrant, quòd antea aliena ope, id est, Ioannis regis auxilio, nunc autē eo fugato, fiducia uirtutis nitendum sibi foret, ad spem certam uincendi hostem: ex quo commonefaciunt, rogantes multum ut ad castra regia ueniat. Marchio consilio conuocato, de summa rei deliberare incipit. Erant sententiæ eorū, qui eundum censerent, satis conuenientes, cùm si quid grauius accidisset, incolumis in Nauarram receptus haberetur. Sed frequentes ierunt in alia omnia, qui arbitrarentur nullo casu, neq; pro loco, neq; pro tempore, neq; pro rerum euentu, committendum esse, ut contra præscriptum Henrici principis sui ueniretur, qui iussisset ut Baionā primùm oppugnare ingrederentur. Hanc sententiam nemo reliquorum omnium improbabat, perinde quasi quispiam exploratū habere posset domi, quod militiæ gerendum foret, aut non liceret in re bellica longè semper incertissima, unum uel alterū sequi, quod recēs causa poscret. Sed ubi omnis exercitus id quod agebatur percepit, uociferando, Hispanisq; haud ualde benedicendo, se ne digitum quidem discessurum à uoluntate regia, clamitando ita confirmauit excitauitq; animos, ut duces militem obedientē fore desperantes, signa abeundi se daturos minus negarint. Itaq; Marchio nuntijs respondet, se non habere mandatū à suo rege, aliò ut prius eatur, quàm Baiona expugnata sit, & propterea rogare, ut rex Ferdinandus promissi memor, suas copias primo quoq; die ad se mitteret, uti eo loci bellū instrueretur, quo ab initio placuit inchoatum iri. Contrà nuntij multa proponūt, quapropter periculosum sit, relicto Nauarræ regno, quod sub imperium redactū erat, alibi facere bellum, ubi ipsi sine ullo postea labore, & cōmeatu prohiberi, & itinere intercludi possint, si ita usu interim ueniat, ut Ioannes regnū suum recuperet: & si nihil moueat, moueat autem ipsa rerum immutatio, quòd Ioannes Nauarrus amicus erat cùm

cùm id consilij captum est, ut Baiona prima omnium locorum armis inuaderetur: at eo nunc pro hoste habito, necessariè aliam habendam esse rei gerendæ rationem: etsi ille regno pulsus erat, tamen timendum, quandoquidem satis constaret eum illud ipsum uehementius laborare, ut scilicet recipiat. Veruntamen Marchio ad istiusmodi argumentationes respondens inquit: Fac ita futurum esse, at nostra interest administrandi belli modum à nostro imperatore constitutum tenere atq; seruare. Ex quo, ad ultimum, tantum abfuit ut Marchio adduci posset, uti uellet mutare castra, ut palàm respōderit, se de re prius regem consulturum, quàm aliquid suo arbitratu decerneret. Ita nuntij dimissi ad Ferdinandum rediere, qui accepto responso statim in Angliam ad Ludouicum legatū suum scripsit, ut de eo ipso modo gerendi belli cum Henrico ageret. Scripsit etiam Marchio sic, utre ad consilium delata, tandem Ferdinandi sententia omnibus cordi esse cœperit, qui animaduertebant expedire potius inde bellum moueri, quò sine periculo recurri posset, quàm in locorum eiusmodi difficultates precipitari. Quocirca Henricus celeriter per literas Marchioni præcepit, ut se protinus cum exercitu Hispano coniungeret. Atqui interea cùm tanta in militibus Anglicis redeundi domum esset cupiditas, quanta ab initio bellandi fuit alacritas, quippe à quibus iam omne bene agendi negotij studiū cum spe discesserat, & hyems instaret, Marchio antè redire in Angliam est coactus, quàm literas regis accepisset. Succensuit Henricus mirum in modum, Marchionemq; cum cæteris ordinum ducibus male accepit, quòd iniussu suo exercitus reuertisset, & iam quæstionem habere cœpit, ut fontes puniret: sed cùm maiorem partem in simili culpa esse comperisset, consiliariorum rogatu omnibus iuxtà ignouit. Reuertitur haud multò pòst cum reliqua parte classis Edouardus Hauardus, qui aliquid uictoriæ secum reportauit: nam dum oram Aquitaniæ obiret, emissa foras ex ipsa classe repentinò in Britanniam militum manu, postquam aliquot uicos inflammarat, ingentem prædam abduxit. Post Anglorū discessum, omnis belli moles in Ferdinando resedit, qui ut ne parta amitteret, fortiter ubiq; resistebat.

Erat uel in armis Iacobus rex Scotiæ, Francorum semper amicissimus, ut ubi audisset flagrare Aquitaniam bello, non dubitaret uti temporis opportunitate: sed certior factus Anglos nihil tentasse, pedem retulit, quò de suo facto Henricum cęlaret: qui tamen id quod erat suspicatus, legauit ad eum Nicolaum Vuest sacerdotem & iurisconsultum, qui eius uoluntatem perscrutaretur, & consilia cognosceret. Rex respondit se paribus Henrici & Ludouici regum beneficijs æquam ac mutuam uoluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum iuuare, idq; facturum esse. Nicolaus postremò petiuit, ut eam uoluntatem suam uellet literis Henrico significare, uti omnis suspicio in posterum tempus ab eius mente remoueretur. At Iacobus illud abnuit, aiens, nō decere sua aperire consilia per literas, quæ possent intercipi, quandò ex sua etiam re esset, cum Franco amicitiam, consuetudinē, familiaritatemq; perpetuare: atq; ita legatum dimisit. Sed Anglo uerba dari non potuerūt, qui omnia sibi cauenda existimans, ilicò misit Thomā comitem Surręe in agrum Eboracensem, qui conscriptis militibus, coactaq; hominū multitudine, ac eadem armata, instructa, præstò esset ad resistendū, si repentina uis ulla tempestatis ad septentrionem commoueretur. Ille quod præceptum erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligenter fecit,sed post hæc,ubi cognouit circa fines Scotorum omnia quieta esse,dispositis ad loca opportuna præsidijs,Londinum redijt. Iam ineunte æstate, per exploratores significatum est, Gallum ingentẽ classem secundum Britanniæ litus paratã habere,& illam propediem in altum exituram,ad reddendum totum undiq; mare infestum, atq; uastanda loca Angliæ maritima. Qua re audita, Henricus iussit Edouardũ Hauardum suæ classis præfectum ire citò obuiam, qui oram Anglicam obeundo,auerteret Gallicam classem à cursu,si quem in insulam teneret,aut cum ea confligeret,si loco cõmodo potestas daretur dimicandi. Erant in classe duæ maximæ naues, quarum alteri præerat Carolus Brandonus eques, alteram ducebat Thomas Cheneuettus uir etiã equestris ordinis plus animi quàm usus habens in re militari: hi,quos gloriæ cupiditas in primis ad uirtutem excitabat, inter se æmulatione famæ & laudis certantes præibant, Britanniamq; cursu recto petebãt: sed Carolus uelociori progrediens gradu, prior ex alto conspexit unam Gallicam nauem arcis instar, adeò magna & ingens immanisq; erat, ante Brestanũ portum in anchoris stantem, qui ratus oblatam esse alicuius præclari facinoris faciundi occasionem,nihil cum prefecto cõmunicat,sed in eam magno se impetu concitat. Franci Anglicas naues in se uenientes conspicati,sese expediunt,atq; primam recto cursu accedentem bombardarum ictibus in fronte excipiunt. Facit idem Carolus,audacter procedens ut cominus manum conserat,sed interrim tormentorum ui fracto nauis malo,retrorsum ire compellitur,id quod ei saluti fuit: quem ubi Thomas auertisse se prospexit,uehementer gauisus,uelu ti tali facultate data pro certo haberet uocari se ad uictoriam, subitò insequitur,una tantum nauicula comitatus,ac in Francam nauẽ maiori animo quàm consilio fertur: quia res periculosa non erat temerè attentanda, cùm hostem iam constaret non imparatissimum esse se defendere. Hîc iniectis derepentè catenis,pugna atrox committitur,& summa contentione pugnatur, non solùm maritima, sed propè terrestris, cùm iam patêret à naui ad nauem transitus. Bene multi propugnatores aut in uestigio interficiebantur, aut in mare miserabiliter præcipitabantur, cùm altera Anglica nauicula extra prælium, circumeundo Gallicam nauem ita tormentorum ictibus perforauit, ut diuersis in locis aquam reciperet. Iam per hoc ab hoste non mediocri accepto detrimento,parum aberat quin Anglus superior esset, cùm media dimicatione sine hostiũ desperatione,ut ne perirent inulti,seu casu aliquo ut fit,ingens flamma continuò emicuit ex Gallica naue,irruitq; in Anglicanam. Tum pugnantes ignibus undiq; circundati, properè pro se quisq; à certamine ad incendiũ extinguendum conuertuntur: uerùm cùm naues catenis constrictæ maximè inter se hærerent, nulla humana ui flamma undiq; superans comprimi prius potuit,quàm utranq; nauem postremò unà cum hominibus absumpserit. Erat spectaculum post homines natos longè miserrimum,cùm hinc ignis deuoraret, illinc mare absorberet: in hoc tamen ut illum effugerent multò plures sese eiecerunt, quorum nonnulli suorum occursu seruati sunt. Ac ita pugna utrisq; iuxtà funesta atq; pernicioſa fuit, at uictoria nulla. Periere ex Anglis plus sexcenti,& in ijs Thomas nauis præfectus: à Francis maior iactura facta est,etenim amplius mille homines desideratos fuisse fama percrebuit. At tantum cladis utrinq; acceptũ est ex eo, quòd prælium cõmissum uorante flamma

ma ocyus propémodum exitũ habuit quàm principium, quare à neutra parte ualuerit pereuntibus subsidio quisquam currere.

Per idem temporis,in Italia studia hominũ uaria res uariæ turbabant. Florentini adhuc cũ Ludouico rege Francorũ fœdere cõiuncti erant,quòd eius amicitia illis ciuibus præcipuè conduceret, penes quos speciatim gubernatio ciuitatis existebat, qui in Gallia cum primis negotiabantur, & ob id neq; metu territi,neq; monitis edocti sententia desistebant, tametsi Iulius pontifex assiduè admonebat,hortabatur,rogabat,ut in tempore rebus suis prouiderent, néue expectarent dum per arma non liceret capere consilium: quandò eis Genuenses exemplo esse possent, qui uel in Gallia quamuis mercaturam facerent,tamen audita Mediolanensium defectione, Gallos ab se ablegarant, ut Italiæ quieti consuleretur. Id eò agebat uehementius Iulius, quò certius habebat eam pertinaciam breui Florentinis nocituram,qui iam cœperat autoritatẽ dare familiæ Medices, ut per eam cùm libêret ciuitatem à Gallo alienaret: nam ea de causa paulò antè Ioannem Cardinalem Medices ut exulem apud suos nullo habitum numero, legatum suo exercitui præbuerat,ut ei ciuium Florentinorũ beneuolentiam reconciliaret. Porrò ea familia Medices abhinc aliquot annos, fortunis omnibus exturbata, exilio mulctata est, quòd Petrus Medices Ioannis Cardinalis frater, iniussu populi in potestatẽ Caroli octaui Francorum regis, dum ille per Hetruriam iter Neapolim uersus faceret,Pisas,atq; alia quędam oppida magni omnino momenti tradidisset. Igitur cùm Florentinorum mentes nullis monitis sanari possent, mandato Iulij & Ferdinandi regis,Raymundus dux Hispani exercitus qui id temporis ad Mutinam castra habebat, in Hetruriam unà cum Ioanne Cardinale legato proficiscitur,ibiq; uastitatem tectis atq; agris primùm infert,deinde Pratum proximũ Florentiæ oppidum ad oppugnandum aggreditur, quod intra biduum capit,captumq; diripit,omni præsidio interfecto, ut fama crudelitatis ad Florentinos delata magis terreat. Interim Florentiæ cognita Prati oppidi expugnatione, populus tumultuari cœpit, uociferans passim, haud prudentiæ esse,opulentissimam ciuitatem ad extremum periculo committere,ac plus diligere amicitiam Franci regis tota iam penè Italia pulsi, quàm patriam,quàm liberos,quàm cõiuges. Augebant clamorem plebis aduersæ factionis optimates, qui familiam Medices in urbem recipiendam curabant. Dum ita populus in tumultu trepidationeq; erat, Petrus Soderinus princeps senatus,id est,Consalonerius,quod nomen est summi honoris,in curia se magistratu abdicauit,atq; sui conseruandi causa,de urbe exiuit. Tum ciues legatos ad Ioannẽ Cardinalem & Raymundum miserunt, qui dicerent, se imperata facturos, si sine iniuria mœnia intrare uellent. Ita Florentia in deditionẽ postremò uenit, & compositis ex Iulij sententia rebus, Ioannes cum Iuliano fratre (nam Petrus ætate maior frater fuso apud Caietam Gallorum exercitu, antè perierat) urbi præficitur, qui mox mutata populari ciuitatis forma, ad pristinum statum rempublicam redegit. Raymundus uerò cum uictore exercitu præda onusto, ad recuperandam Brixiam, quam adhuc Galli tenebant, & Veneti frustra aliquot dies oppugnarant, maturè contendit, eamq; ad primum impetum cepit,facta potestate Gallis abeundi. Potitus est urbis Hispa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus, posthac diu Venetis reclamantibus, quòd id contrà esset, ac per fœderis conditiones exceptum foret, nulla ei ratio pluris fuit quàm pecunia, qua Venetus senatus ad ultimum rem amissam ab ipso redemit, quemadmodum plaᵑius infrà fiet: Per eosdem dies Matthæus Gurgensis episcopus Maximiliani legatus, duxit Mediolanum Maximilianum Ludouici Sfortiæ filium, atq; in auitum principatum restituit, post annos decem & tres, quàm Ludouicus pater de illius possessione eiectus fuerat. Quo facto, Gurgensis cum Venetis de pace agere cœpit, quæ fieri minimè potuit, Venetis conditiones à Maximiliano rege oblatas repudiantibus, qui ob id à fœderatis iam in hostiũ numero haberi cœperunt. Exin Matthæus Romam proficiscitur, nouumq; fœdus cum Iulio icit, cuius summa fuit, ut Maximilianus concilium Lateranense sua autoritate comprobaret, & Pisanũ rescindendum decerneret. Vtrunq; Gurgensis Maximiliani nomine præstitit, qui prẽmij loco Cardinalis postea factus est. Hęc in Italia gesta sunt, cùm Bernardinus præses Lugduni eisdẽ armis reluctabatur, atq; Iulius pugnabat, qui sua autoritate omnia miscebat.

Dum isthæc foris à fœderatis Henrici amicis gerebantur, una domi cura Ricardum Vintonienſem episcopum, & Thomam Surræ comitem solicitos habebat, quomodo alter fortunam alterius deprimeret: sed Vintonienſis id anxius agebat, comitis potentiam iam pertimescendam ratus, quòd consanguineos & affines in dies singulos honoribus opibusq; augeret, quare hominem quæritabat quem comiti obijceret, qui eum tandem aliquãdo de gradu deijceret. Erat in familia regia Thomas Volsæus sacerdos diuinis literis non indoctus, unus ex eo numero qui quotidie coram principe rem diuinam faciebant, homo sagax, idem & audax, ac ad quidlibet agendum multò paratissimus. Hunc Vintonienſis, quanquam ei non bene satis cognitum, ut par est credere, putauit idoneum, quem ad latus principis adiungeret, & primùm apud regem ipsum ad cœlum laudibus ferre, deinde cum eo consilia inire cœpit, narrando quæ cogitasset, ac hortando monendoq;, ut se totum daret ad cogitationem reipublicæ gerendæ suscipiendam, ad quam ei iam gradum ipse fecisset, unde si anniteretur, peruenire ad summam dignitatem, cum summisq; uiris æquari ualeret. Hæc Volsæus non surdis audiuit auribus, quiin eam protinus spem uenit, ut iam tum profiteretur, se omnes certè uias persecuturum, quibus ad id quod uolebat, peruenirì posset, ad efficiendum, ut comes ab omni curatione & administratione rerum deinceps uacaret, si semel apud regem locum obtineret, ex quo uoces quas missurus esset, ad eius aures perduci ac sine interprete percipi possent. Quibus rebus constitutis, Vintonienſis paucis pòst diebus Volsæum præfectum largitionis regiæ inopibus hominibus faciendę, quem eleemosynarium dicunt, creandum, & in numerũ consiliariorũ regis adscribendum, adsciscendum, in consiliumq; cum primis adhibendum curat, eiq; multum publicè similiter ac priuatim tribuit, de hominis prudentia, uigilantia, industria summè prædicando. Non ignorabat comes, quatenus ille Vintonienſis fauor erga hominem nouum pertineret, sed usq; eò dissimulandũ ducebat, dum Thomas ut nauta imperitus iam pelagum ingressus, nauim suam ad aliquos appulisset scopulos. Atqui Volsęus ubi eam præfecturam est adeptus, & iam ad latus principis adhærescere cœpit,

pit, mirum dictu est quantum breui gratus acceptusq; fuerit ei, & iuuenum cohorti, quã ille in delitijs habebat: nam homo facetus, tam persona sacerdotali abiecta, quàm nulla grauitatis ratione habita, sæpenumero cum illis adolescẽtibus unà psallebat, saltabat, sermones lepõris plenos habebat, ridebat, iocabatur, ludebat: at extra iocũ, regi grandia de se pollicebatur, quod ut remotis arbitris commodius ageret, domi suę uoluptatum omnium sacrarium fecit, quò regem frequenter ducebat, ibi eius auribus inculcabat, instillabat, iterabatq;, rempublicã per multos rectores male se habere, cùm pro se quisq; suo commodo inseruiret, sed si sibi summa rerum administrandarum credeᵑretur, nõ dubitandum, quin longè melius cum rebus publicis ageretur, sine molestia principis, quem potius deceret in flore suę ætatis, animum literis, ac interdum honestis uoluptatibus delectare, quàm affligere curis. Hæc & eiusmodi identidem memorando, in eam spem iuuenem impulit, ut sibi persuaderet, procurationem gubernandi regni tutius uni, quàm pluribus, ac alteri quàm sibi cõmitti licere, donec adesset maturitas ætatis, & iam tum eum rebus gerendis præfecit. Volsæus per hunc modum magnam repentè nactus potestatem, cæpit per licentiam rempublicam gerere, multa suo iure atq; arbitrio agere, fretus potissimum Vintonienſis ope & auxilio, qui alumnum suum cunctis enixè anteponebat: propter quod cùm à multis bonis male audiret, etsi uir bonæ frugi erat, sensim se à publicis negotijs remouebat. Ast Volsæus rerum potitus, tum primum omnium memor ueteris prouerbij, Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit, fortunas suas admodum tenues sibi augendas statuit: nanq; nõ sunt nostræ nobis utilitates omittendæ, cùm his ipsi nos egeamus: qui breui permagnis affluens diuitijs, & autoritate simul florens, animo statim effertur, fitq; planè superbus, sic, ut adnobiles etiam uiros haud multum haberet respectum: neq; amicos præsertim ueteres magni faciebat, qui ad ipsum concurrebant, cõcurrebat autem maxima multitudo, partim congratulandi ei honorem tantum nuper adeptum, partim suorum negotiorum causa, quorum aliquos non libenter alloquebatur, aliquos uerò ne intueri quidem uolebat, quibus cum à pueritia coniunctissimus fuisset familiaritate, usu, consuetudine. Etenim prioris ætatis eius status non solùm animus, sed aures quoq; à commemoratione abhorrebant, qui parentem habuit uirum probum, at lanium, id quod reminiſci nolebat, ut rem non utiq; persona ipsius dignam: quare secum totos dies cogitabat, qualis esset, non unde esset, cùm reuera potius gaudere atq; gloriari debuisset, se ex nihilo tantum euasisse uirum. Ex quo factum est, ut nemo homo auderet deinde de pristina amicitia meminisse, quæ ipsi cum illo fuisset. Atqui idem maius æquè ut clarius signum paulò pòst dedit, quo licebat eius insolentiam facilè cognosci: primus enim ac nouissimus, quod sciam, sacerdotum omniũ, episcoporum & cardinalium, uestitum exteriorem sericum sibi induit, quo & sacerdotes aliquot qui ab eo gratiam inire cupiebant, temerè usi sunt. Quę sanè res tametsi ridicula, magnã fecit ordini sacerdotali inuidiam, id est, odiũ concitauit. Pollebat apud regem uel Carolus Brandonus autoritate, de qua tamẽ cum Volsæo minimè certabat, quòd inter se una & mente & uoce consentiebãt. Erant quoq; plures in gratia cum principe, eius ætatis æquales, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro se quisq; rebus suis diligenter inseruiebant. Atq; ita simultas quam Vintoniensis cum comite habebat, fecit ut Rex Henricus partem oneris sui Volsæo impertiuerit, qui ea tamen parte leuatus, quoniam erat bene moratus institutusq;, & ad imperium natus, non discessit omnino ab officio, at simul ut tempus tam honestè quàm utiliter traduceret, accuratè uacabat literis, uacabat animi gratia musicæ, legebat studiosè libros diui Thomæ Aquinatis, & hoc agebat hortatu Volsci, qui totus erat Thomisticus: itē uti glorię cupidus incumbebat sedulò in rem militarē, cuius decus sciebat præstare cunctis alijs.

Bellum paci interim præuertendum Iulius Romanus pontifex curare cogebatur, à quo Christophorus Cardinalis incitatus, suos Anglos literis ac nuntijs quotidie ad arma uocabat, significans Romanum pontificem omnes suas spes in Anglicis opibus sitas habere, quę ad hunc diem parum iuuissent: sed multò magis id per amicos agebat, quorum magna erat eodem tempore autoritas. Itaq; rursus ad consilij conuentum res delata est, ut postquam tanta cōtrouersia aliter tolli non poterat, tandem aliquando armis dirimeretur. Henricus qui animo magno fortiq; erat, ita cum nonnullis suis principibus uiris agebat, ut illi secum si reputarent populum Anglicum ea indole esse, uti nullo alio duce, nisi rege, soleret sæpius feliciter bellum gerere, idq; bene ex multis constare exemplis, manifestè dicerent oportere ductu regis, cuius auspicijs bellum incœptum erat, cōfici: & huc illud accedere, quòd si Gallus intelligeret contra se Anglum regem uenire, multò facilius eum ipsum adductum iri ad aliquam pacis conditionem. Eam sententiam perpauci comprobabant, existimantes grauius esse bellum, quàm ut rex, qui nondum uidisset prælium aut cruorem fundi, obiectaret se periculo, & propterea præstare affirmabant, ut ducibus id negotij daretur, qui rei bellicæ scientes haberentur, cùm eorum copia nō deesset. Hoc consilium pluribus longè magis placebat, quàm regi, qui ad gloriam excitatus per uirtutem, & iustam belli causam, auebat suam militiam inchoare. Dum in consultatione res uersabatur, ecce tibi, litere; ueniūt à Maximiliano, qui Iulij pontificis rogatu scribebat, ut Henricus qui tantum laboris hactenus pro defensione Romani pontificis suscepisset, uellet etiam nunc primo quoq; tempore in continentem cum exercitu aduersus Gallum transire, secq; ei comitem cum aliqua armatorum manu, fore pollicebatur. Quibus cognitis rebus cuncti in priorem dictam sententiam ierunt, arbitrātes, postquam iam oporteret Henricum id ætatis adolescentem usum rei militaris addiscere, nullo alio doctore felicius illud facere posse, nisi Maximiliano belli duce ueterano. Atq; ita de consilij sententia, bellum gerendum esse, decretum est. Dum ad eam expeditionem cuncta parantur, Henricus mittit Edouardum Ponyngum, Thomam Bulleyne, & Ioannem Iunghe legatos ad Maximilianum, qui eius nomine & Ferdinandi regis, cum illo fœdus percuterent, id quod maturè factum est. Interea parata classe, Edouardus Hauardus præfectus in altum mittitur, qui maris imperium penes se obtinendum curet, ut Francus traijcienti exercitui ne insidias faciat. Ita classe prę missa, Henricus copias traducere parabat, cùm Iulij pontificis mortis nuntium accepit, qui circiter nono calendas Martias morbo perierat, quod ille grauiter tulit, ueritus ne tantus belli apparatus non frustra esset, si nouus pontifex fortè pacem

cem quàm bellum mallet. At paucis pòst diebus factus est pontifex Ioannes Medices Cardinalis, dictusq; est Leo decimus. Is haud aliud atq; Iulius laborauerat, de continuando bello constituens, quam primū fœdus cum Henrico & Iulij amicis fœderatis renouauit, sed speciatim se ac incœpti belli negotium Henrico cōmendauit, quæ sanè cōmendatio tantum habuit ponderis, ut toto regno supplicationes pro felici Leonis statu decretę fuerint, & Henricus ad eum scripserit, se eius causam fortiter defensurum. Hæc officia bona ex parte eò pertinebant, ut Leo in posterum benignior esset erga Thomā Volsæum, in petendis honoribus, cuius nutu autoritateq; plurima gerebantur.

Inter hæc classis Anglica aliquot triremes Gallicas, quibus Ioannes Vasco Rhodianus miles præerat, speculata, usq; ad Britannicum litus insecuta est, sed cùm illæ secundum terrā consedissent, quò maiores hostiū naues accedere nequirent, Edouardus cogitans secum, si in eas cum paruis nauibus inuaderet, certamen in conspectu futurum, ubi aut cupiditas gloriæ, aut ignominiæ metus, suos ad uirtutem excitaret, tentandum statuit. Itaq; armatis subitò aliquot nauiculis, quibus exiguitas aquæ non officeret, magno impetu in triremes fertur, & dum alij alià s aggrediuntur, ipse prætoriam acriter oppugnat. Franci hostis audaciam mirantes non pugnæ student, sed totis uiribus connitentes catenas soluunt, atq; hostiles nauiculas summouent. Quo facto, Edouardus à multitudine circumuentus, cum paucis suorū qui in eadem naui erant, pugnando interficitur. Reliquæ nauiculę cognito ducis interitu, non ultra conatæ certamen relinquunt, ad classemq; se recipiunt, quæ amisso præfecto, rectà domum petiuit, cui rex præposuit Thomā Hauardum ipsius Edouardi fratrem, hominem animo ferocem & bellandi peritum. Veneti interim apud Italos initium rursus turbandi omnia fecerunt. Erat captiuus apud Ludouicū regem Andreas Grittus, cū Bartholomæo Aluiano copiarū duce, sicut suprà memoraui, qui cùm audiret principes fœderatos suā magis utilitatem quærere, quàm datæ fidei rationē ullā habere, ut se in libertatē assereret, suum senatū ad nouam amicitiā cum Gallo conciliandā non cessabat hortari. Senatus id cùm compluribus de causis, tum maximè q; Hispanus sibi Brixiā, & Maximilianus Veronā restituere negaret, faciendum iudicauit: quare nouo fœdere, hinc Veneti, illinc Franci bellicū in Italia canūt. Cuius rei fama ubi diuulgari cœpit, permulti mortales admiratione obstupefacti, illud iam trito sermone prouerbiū in utroq; multis paulò antè factis ac receptis utrinq; iniurijs, ab omni concordiæ spe distractos, iactabant, Amici facti sunt Pilatus & Herodes. At fœderati pro hostibus Venetos habere incipiebant. Quocirca Ferdinandus iam certū sciens nō licere per Venetos iam quiescere, ut uno tempore rebus Italicis iuxtà atq; Nauarrensib. prouideat, necessariò inducias cū Gallo in duodecim mēses ea lege pacisc itur, ut extra Italiā armis abstineatur. Eas inducias Anglus omnib. precibus detestatus est, atq; nō mediocriter socero succensuit, q; secus ac res poscer et sua, qui sub armis exercitū habebat, à socijs desereret. Cœpit & Leo pontifex quouis modo quieti studere, qui iam tum minus uehemens in Gallū erat, & Bernardino Pisani concilij præsidi eiusq; socijs ueniā palàm promittebat, si uellēt ad sanitatē redire, id quod paulò pòst fecerunt. At Ludouicus rex Venetorū societate gauisus, ut occasionē quā optarat bene rei gerendę datā teneat, nullo prętermisso tēpore, nouas co

Universidad de Deusto
Biblioteca

pias ducibus Ludouico Tramolienſis regulo, Roberto Marchia, & Iacobo Traucio homine Mediolanenſi, Sfortiano nomini longè inimiciſsimo, in Italiam mittit, ſpe propè certa ductus recuperādi Mediolani. Ii poſtq̄ eò peruenerunt, Nouariā locū munitiſsimū in finibus eius Mediolanēſis principatus proficiſcuntur, q̄ ea urbe recepta, Mediolanum ſe nullo negotio in poteſtatē redacturos cōfidebant. Ante Gallorū aduentū, Maximilianus dux cū parua Heluetiorū manu Nouariam intrauerat, eam defenſurus uſq̄ eò, dum maior Heluetiorū numerus quē conduxerat, accederet, & tanta fiducia oppugnātibus Francis obſiſtere cœpit, ut, ita Heluetijs uolentibus, portas patēre nō uetuerit. Interea Mediolani, ij qui Franco fauebant, tumultū conflāt, urbeq̄ eijciunt Andream Burgenſem loci præfectū, ſic, ut nihil propius eſſet factum, q̄ ut ſubita totius ciuitatis defectio ſequeretur, cùm Heluetiorum exercitus numero circiter octo millium aduenit, caſtraq̄ poſuit ad Olegium pagū, qui à Nouaria paulò minus octo millia paſſuum abeſt, ac nuntios ad ducem miſit, qui eum de ſuo aduentu docerēt. Verùm nuntij, obſeſsis ab hoſtibus omniū uiarum aditibus, ad ducē peruenire nequierunt, qui ad extremū ab hoſte rem omnē cognouit: quippe Franci ubi acceperūt ſubſidiū appropinquare, ſimulantes uelle ſe oppugnationē redintegrare, retrò ad millia paſſuū tria abeunt, factisq̄ loco paluſtri caſtris, ſe quammaximè poſſunt eo loci muniunt. Tum dux egreſſus urbe ſe cum nouo exercitu cōiungit, atq̄ hoſtem magno animo inuadit. Primo impetu omnis Gallicus equitatus poſt deſperatā uictoriā ſeſe in fugam confert, relicto peditatu, cuius numerus erat plus decem millibus, inter hoſtium fauces, qui omnes aut capti aut interfecti ſunt. At ubi Mediolanum fama detulit hoſtium uictorem eſſe ducem, actutum in eos fæuitia adhibetur, qui ex turbis in urbe nuper factis, deprehenſi erant Francorū eſſe amici. Altera ex parte Hiſpani qui Brixię erant, aggreſsi Venetorum copias, quę duce Aluiano Francis ſubſidio ibant, uno momento profligant.

Alibi dum iſta à ſocijs belli geruntur, Henricus rex exercitu ad triginta armatorū millia cōparato, propediem in continentē iturus erat, cùm factus eſt certior à quæſtoribus, Eboracenſes atq̄ Dunelmēſes populos recuſare ſolue re pecuniā per tributum in ſingulorū capita impoſitum nuper imperatā, q̄ id genus exactionis ſemper peius quàm quicquam odiſſent. Placuit duabus de cauſis illis parci, quarū erat altera, q̄ Iacobi Scotorū regis fides ſuſpecta erat conſilio, quod uerebatur, ut motus niſi ilicò ſedaretur, ſpē ei faceret moliendi aliquid in Henricum, dum abeſſet: altera, ne rex qui omnibus humanitatis ac clementiæ officijs ſuorū animos allicere ad beneuolentiā ſtudebat, duriuſculus diceretur. Itaq̄ populo pecunia remiſſa eſt, at ſuſpicio urbanę alicuius turbę non itē, quæ ſine acerba ſeueritate haud quaq̄ adimi potuit: erat enim in cuſtodia Edmūdus Pola, qui poſt mortē Ioānis patris, ſe ducē Suthfolchiæ appellabat, quē, uti ſuprà dictū eſt, in Henrici ſeptimi poteſtatē ueniſſe demonſtrauimus. Hunc cōſiliarij nōnulli de medio tollendū ſentiebāt, q̄ periculū eſſet, ne abſente Henrico, per populi ſeditionē in libertatē uindicaret. Sentētia à paucis dicta, à paucis facilè probat, & Edmūdus ſecuri percutit. Ita locū uacuū fieri oportuit, quē fata iam Carolo Brādono promiſiſſent. Sed ad propoſitū reuertamur. Hēricus Caletū trāſmiſit circiter Calen. Iul. anno eodē ſalutis humanę MDXIII. Hīc officia & imperia diſtribuit, leuis enim armaturę equitib. Ricardum

cardum Thomam præfecit, ſagittarijs Edouardum Ponyngum, peditatui Georgium Talbotum, & Carolum Somerſetum, hos deinde duos præmittit ad proximū oppidum Morinum, nunc Terrouana uocitatur, iubetq̄ capto loco caſtris idoneo, illud obſidere. Illi igitur cum parte bona copiarum proſecti, prope oppidum caſtra faciunt, ad ripam fluminis, quem incolę Blangium appellant, à quo duo colles pari accliuitate naſcuntur, in quorum altero, qui ad ſeptentrionem ſpectat, ipſa urbs ſita eſt, & Blangio amne alluitur. Eodem loci uallum circunducūt, munitionibus ſepiunt, muros interdiu noctuq̄ tormentis uerberant. Non offenderunt Angli locum à præſidio uacuum, nam Ludouicus rex ratus hoſtem ad Morinum armorum initium facturum, antè & cōmeatu & milite firmauerat, cui præpoſiti erant Antonius Crequius, & Franciſcus Thilynius, ambo reguli militaris gloriæ fama clari. Erat præterea haud procul Ludouicus Halleuinus Pieaunę regulus, cum magno equitatu, qui hoſtē frumētatione, populatione atq̄ cōmeatu prohiberet, repentinos q̄ pro loco & tēpore in eundē impetus faceret. Is loca frequenter caſtris hoſtiū uicina obibat, itineraq̄ intercludere nitebat, inſidijs modò in una, modò in altera parte collocatis, in quas aliquot hoſtium currus qui ex Caleto commeatum in caſtra importabant, caſu inciderūt. Interim Caleti copiæ augebantur, accerſitis amplius quinq̄ peditum Germanorū millibus cum turmis aliquot Burgundionum equitū. Item auxilia undiq̄ ferebantur: nanq̄ Maximilianus miſit oratores, qui pactionem nuper factam conficerent: & uicinarum ciuitatum legationes ad Henricum concurrebant, quæ cibaria & omnia alia exercitui neceſſaria pollicitæ ſunt, ſi modò miles à maleficio manum abſtineret. His rex gratias egit, reſponditq̄, militem ſuum nemini homini damno fore, ſed atq̄ adeò cōmodo omnibus, quandò de amicis cuncta emeret, nihil raperet, qui ſtatim pòſt ad caſtra inſtructo agmine perrexit. Galli uerò equites toto itinere nouiſsimā aciem laceſsiuerunt, haud tamē propius accedentes, quàm quò telum adijci poſſet, ne cogerentur dimicare. Cæterùm regis aduentu tanta ſpes eſt iniecta militibus, adeoq̄ animus creuit, ut pro ſe quiſque cuperet admotis repentè ſcalis, tentare ad muros oppugnationem, ita erant cuncti operam ſuam in bello nauare parati. Aduenit haud multò pòſt Maximilianus, Ardea oppido uicisq̄ hoſtium aliquot in itinere, direptis ac incenſis. Hīc de ſumma totius rei agitur: cenſebat Maximilianus optimum factu, ſi rex cum parte copiarū tranſiret flumen, ſecundumq̄ mœnia, pro oppidi portis, caſtra poneret, quò prohiberet ne cōmeatus importarentur, néue præſidium ullū intromitteretur. Hæc ſententia haud omnibus probabatur, quòd uererentur ne ita uſu ueniret ut intercluderentur, eodem momento præſidio eruptionem, & equitatu à tergo impetum faciente, ac tum obſtante flumine, quod eo loci nec pedibus nec equis trāſmitti poterat, exercitus alter alteri ſuccurrere nequiret. Verùm ad extremū ea ſententia uicit, ſic, ut rex ductū in aciem exercitum flumen traiecerit. Illo ipſo die licuit uidere, quantum in bello inopinatus ualeat caſus, qui utriq̄ parti magnæ fuit formidini: contigit enim ut Francus uno tempore atq̄ Anglus trans flumen ſe cōtulerit, ille cauſa commeatus ac præſidij in urbem inducendi, iſte uerò ut oppidum undiq̄ obſideret: unde ortus timor & ſuſpicio, hoc accidiſſe, q̄ alter alterius conſilium antea intellexiſſet, uel idcirco inter ſe inſidias tendere cōſtituiſſent, cùm reuera

Universidad de Deusto
Biblioteca

neutrum esset. Itaq; rex ubi Francum ad oppidum uenire nuntiatum est, continuò suos ad pugnam expeditos esse iubet, atq; obuiā procedit. Hostis per speculatores cognoscens Anglum aduentare, statuit sine peditatu, quo carebat, non conserendam manum, ex quo primùm constitit, ut daret spatium curribus, quos repentè retrò abire iusserat, ad castra redeundi, deinde pedem referre, ac postremò latè fugere cœpit. Equitatus Anglicus aliquot millia passuum secutus, amplius ducentos equites cum sex militaribus signis cœpit. In ijs fuit Ludouicus dux Longauillæ, & Rhenatus Claramontis regulus: est id Andegauensis agri oppidū. Ita profligatis hostibus, rex reuertitur, positisq; prope urbē castris, præsidiū ac ciues mœnibus includit, qui iam tum subsidium pariter atq; defensionē desperare cœperunt, quòd murorum, qui iam undiq; quatefacti erant, magna ruina impendēret: quare deditionem faciendam rati, cum Anglo incolumitatem paciscuntur, atq; se in eius fidem & potestatem tradunt. Rex primùm omnium præsidium missum facit, deinde urbem ingreditur, & quid faciendum sit, cum Maximiliano & suis consilijs belli ducibus consultat. Post longam disputationem collibitum est, urbem non retineri, sed muris nudatam relinqui paruo præsidio munitam usque eò dum alibi ad maiora facinora uia daretur, & id erat, ut iter ad Burgundiam aperiretur, quod Tornacum urbs imprimis firma, & Francorum clientela munita intercludebat, quapropter illud modis omnibus in potestatem maturè redigendum statuerunt. Ita Morino moris exuto, & multis in eo uicis adustis, ac omnium quæ extra mœnia fuerant, hominum pecudumq; præda abacta, Tornacum itur. Interea in Anglia frequentes habebantur supplicationes, cunctis à Deo exposcentibus, ut Henricus feliciter militaris disciplinæ rudimentum poneret: sed cùm de uictoria ad Morinum parta auditum est, tunc duplicatæ preces atq; gratiæ actæ, quò cætera tanto initio deinceps responderent. At ubi Tornacum peruentum est, rex peropportunè inita oppugnandi ratione, ac paratis rebus, mœnia passim milite circundat, ducibus imperat quod quisque curet, castra ipse tenet, pro quibus Edouardus Buchyngamiæ dux uir ueteris prosapię & bello egregius cum militū robore stat, deinde signo dato, simul urbs acerrimè inuaditur. Ea res ut malum improuisum maximè ciues terret, qui minimè omnium bellum sibi cum Anglo futurum cogitarant, tamen suis freti uiribus, metum paulò pòst excutiūt, arreptisq; armis se fortiter defendunt, nuntiosq; ad Ludouicum regem petitum auxiliū crebros mittūt: sed cùm ira resedit, uires melius metiētes animaduerterunt se intus annonā in paucos dies habere, & non esse q; sperarent aliquid importari posse, hoste omnes aditus obsidente, ac propterea uidebatur prestare, prius de pace legatos ad hostem mittere, quàm animi utrinq; uerbo & ferro irritati implacabiliores fierēt. Itaq; primos ciuitatis suæ ad Henricū legant pacem æquis conditionibus oratum. Legatio audita est, & pax ea lege data, ut ciues paterentur usq; eò præsidiū apud se esse, dum placeret regi illud in urbe habere, darentq; in eius stipendiū in annos singulos dena coronatorū millia, ac in præsentia quinquaginta millia penderēt. Quibus rebus peractis, Tornacenses demū se in fidē Henrici tradunt, qui postero die more triūphantis imperatoris urbē ingredit. Biduo pòst Maximilianus cū Carolo Castellæ principe & Margarita filia, congratulandi gratia ad Henricū adiuit. Hîc Maximilia-

nus cum rege de toto belli negotio agere cœpit, qui uidens res Gallicas iam apertè longè infirmissimas esse, plurimum hortabatur Henricum ad sequendam uictoriam. Cōtrà Henricus iuuenis quieto ingenio, qui non fugę, sed Romani pontificis iniuriæ uindicandæ causa bellū susceperat, ratus Francum satis esse doctum, ad erratū suum agnoscendum, in eo bello cessandum putabat, quæ sententia cùm iam hyems instaret, postremò retinetur. Atq; ita rex firmata urbe præsidio, ad octo circiter suorum Anglorum millia, cui Edouardum Ponyngum præfecit, ingentis belli uictor domum redijt, postquam ciuitatem ordinarat, & militi bene merenti ac alijs præmia dederat, in quibus Thomas Volsæus fuit, cui uectigalia episcopatus loci assignata sunt, ut ne episcopus homo Gallus illis deinceps potiretur. Maximilianus uerò dolens Anglum bene gerendę rei occasionem dimisisse, in suam mox Germaniam se recepit. Cæterùm id equidem magno argumēto fuit Angliam in statu rerum suarum esse perquàm moderatam, atq; suis opibus contentam: nanq; si Henricus memoria nostra, rebus Gallicis cùm ab Italis tum ab Hispanis sæpe male affectis nocere uoluisset, dubio procul potuisset, ex eisq; suas maximopere augere: sed placuit suo uti instituto, quēadmodū Christianū decet principē.

Interea Iacobus Scotiæ rex, cui iampridem constitutum erat, sicut suprà dictum est, auxilio iuuare Francū non modò usq; ad aras, ueluti loco prouerbij dicitur, uerum etiā paululum ultra, si ita poscceret necessitas, ubi audiuit Henricum iter in Gallias habere, sensim exercitum parat, quo præstò sit, ut amico opem ferat. Id Anglus per exploratores intelligens, confestim tam per suas quàm Leonis Romani pontificis literas Iacobum de iure amicitiæ ac affinitatis, item de fide iurisiurādi dati monet, atq; rogat, ut se amicū inimicúmue tandem aliquando profiteatur. Ille demum professus est se Anglo amicum, quan quā eum partim fœderis religio, partim cōmodum quod ad se suamq; gentē quotidie amplissimum à Gallis proficisci non ignorabat, summè tenebat, & idcirco nolebat sine causa, suum consilium de tanta re quod esset, patefactum iri, sperans nequaquam sibi necesse fore, aut religioni aut commodo officere. Qua re cognita, Henricus aliquanto liberius incœpto bello studere cœpit, qui tamē tantum aberat, ut Iacobi dictis fidem habendam putaret, ut quamprimum miserit Thomam comitem Surræ Eboracum, qui usq; eò eam obtineret prouinciam, defenderetq; ab iniuria, dum bellum Gallicum conficeretur. At postquā Anglus se in Gallias traiecerat, & Morinos bello premere ingressus erat, Ludouicus rex suis uiribus diffidēs, cœpit crebris nūtijs Iacobū urgere, hortari, rogare, ut facto in uicinos Anglos impetu, hostem à malefició rerum suarum auerteret, domumq; redire cogeret. Amici rogatu Iacobus motus ut prius omnia consilio tentaret, quàm iniustū bellum susciperet, protinus nuntium ad Henricū misit, qui diceret se antè offensum ab eo, & in prę sentia maiori affici iniuria, quòd Ludouici regis Francorum, quibus cum uetus hospitium suis Scotis intercedebat, regni fines uexaret, & propterea nisi euestigiò manus abstineret, ipsum primo quoq; die eius regnū pari clade affecturum. Nuntius celeriter in Anglica castra profectus mandata retulit, cui Henricus respondit, Iacobum regem nunquā ante id tempus de ullis iniurijs questum, & neq; etiam nunc posse iurè conqueri, si Romani pontificis solicitudines aliqua ex parte alleuandi gratia, bellum in Francū motum sit, & ideo

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum iussit suis uerbis regi dicere suo, ut fidem, perinde atq; Christianum prin
cipem decebat, seruaret, quandò si cõtra religionem faceret, nõ posset istiusmodi culpæ pœnam effugere. Cum his mandatis nuntius dimissus aduolauit domum, & quæ referenda erant diligenter exposuit. Atqui fatum quod Iacobo infestum erat, nulla ratio ad cauendũ ualuit, ita ille quod destinarat, non exequi non potuit: qui ubi uidit nihil se minis proficere, armis agendum putauit, quæ multò iustiora ducebat, quia antea Anglo bellũ indixisset. Itaq; instructo repentè exercitu ad sexaginta armatorũ millia, paratisq; omnibus quæ usui forent, prædabundus in fines Anglorum contendit, primoq; accessu Noramum arcem capit, captamq; magna ex parte complanat. Inde circiter sex passuum millia progressus, uerticẽ montis quem Floddonem incolæ uocant, occupat, ibiq; positis castris, regionem quaquauersum populatur. Citò ad omnia oppida & pagos totius eius regionis rumor aduentus Scotorum perfertur, qui ubi maior atq; illustrior incidit, clamore per agros excipitur, peruaditq; ad nobilium stationes, quas circa fines Thomas comes frequentes disposuerat: huic enim belli duci præstantissimo, Henricus à principio bellũ gerendum dederat: qui ipse igitur ante omnes certior factus Nouum castrũ proficiscitur, quò se Thomas classis præfectus eius filius cum mille circiter armatis in tempore applicuit, qua ille re nõ mediocriter gauisus nihil ferè moræ facit, sed statim Alneuichum pagum petit, indeq; nuntios accersitum nobiles uiros mittit. Nuntij properantes tanta diligẽtia usi sunt, ut breui eò conuenerint aliquot egregij duces, Thomas regulus Dacris, Henricus regulus Clyffordius, Ricardus Neuyllus regulus Latemerius, Henricus regulus Scroppius, Gulielmus regulus Cognersius, Gulielmus Bulmerius, Philippus Tylneius, Edouardus Stanleius, Nicolaus Appliardus, Edmundus Hauardus comitis alter filius, Thomas Buttlerius, equites fortissimi, ac complures alij, quia tota regio iam in metu erat, & quisq; pro se, pro opibus, certũ armatorum numerum duxerint. Hinc habito inter se consilio, postquam officia partiti, & de ratione belli administrandi deliberarunt, comes singulos nominatim hortatur, ut communis salutis causa arma capiant, & se sequantur: Quo facto, agmen instruit, ac in hostẽ proficiscitur, ab eiusq; castris mille passus castra ponit, parum citra flumen, quem incolæ Tyllum appellant: & quia in castris exigua erat commeatus copia, necessariò ad manus ueniendum ratus, quinto iduum Septembris prima luce ad flumen accedit, transireq; incipit. At rex ubi cognouit Anglos petere flumen, suspicatus eos properare ad occupandum præsidij s alterum montem, qui inter bina castra intererat, factis multò mane magnis ignibus, ut fumus auferret hostibus uiarum prospectũ, ac sublatis castris, quadrato agmine ire pergit ad antecapiendum eum montem, perinde quasi pro certò habeat, hostes locum castris idoneum, non item certamen quærere. Quid, quòd despecta eorum paucitate, inerat in mente opinio, illos uel in præliũ non descensuros, seu, si descenderent, in pedes se raptim daturos, id quod permultis olim imperatoribus exitio fuit, qui scilicet nõ æstimauerint, neq; formidarint suorum hostium uires. Interim Angli transmisso flumine, ad radices Floddonis peruenêre, duplex inde consecuti commodum, quòd ab hostibus non poterant deorsum uersus tormentorum ictibus peti, & ab ipsis illi descendentes sursum uersus maximè feriri. Iam uterq; exerci-

exercitus ad radices montis accesserat, cùm utrinq; signum pugnandi datur: præcedebat ad dexterum cornu Edmundus Hauardus cum tribus circiter peditum millibus, in quẽ primus à Scotis fit protinus impetus. Instabat Edmundus fortiter, cùm sui subitò territi in fugam sese dederunt, quos & ipse sequi cogitur. Hoc eiusmodi parum faustum dimicandi initium, ecquis crederet, Anglis commodo, Scotis damno fuisse: quippe ubi Iacobus uidit primos terga uertisse, ratus totum hostium exercitum iamiam in fuga esse, equum dimittit, ac suis se sequi iussis, ire persecutum fugientes parat. Tum eius duces, ne id faceret, uehementissimè rogabant, orabant, obsecrabantq;, argumentantes nullum instare periculum, quamobrem imperator deberet ab officio discedere, cuius interesset prouidere saluti omnium, castigare inertes, hortari fortes, submittere fessis integros, cani iubere receptui, & id genus obire munera belli, non autem pugnare, nisi cùm foret necessitate uictus, & eum tunc haud plus uno homine ualere, sed si dignitatis gradum teneret, pro centum millibus unum esse suo exercitui. His precibus atq; uocibus rex nihil motus, relictis ordinibus, cum nobilium caterua in primam aciem procurrit, ubi peditis officium faciens, nõ fugientes Anglos, sed acriter resistentes inuenit, ab eisq; interficitur, cum tota acie, quæ prima cum hoste manum conseruit. Reliqua pars exercitus, cui præpositus erat Alexander Hohomus regij cubiculi præfectus, tametsi suos uidebat pereuntes, à fronte & à tergo ab hoste circunclusos, tamen tantum abfuit ut iret subsidio, ut ne pedem quidem efferret è loco quo cõsistebat. Porrò uisa inconsiderantia regis, qui in mortẽ ruere uoluisset, stupor omnium animos ac uelut torpor quidam insolitus membra tenebat, intuentesq; alij alios immobiles permanebant, desperantes post amissum regem, posse se uictoriam glorioſam consequi, quæ casu inaudito, excidisset quasi è manibus. Non defuerunt tamen qui id crimini darent Alexandro solo, quòd inuadendi signum nõ dedisset. Sed desine mirari: sic Deo placitum, ut Iacobus rex aut uiolatæ nuper fidei, aut impietatis maturam haberet pœnam. Is enim admodum adolescens, in bello ciuili dux hostium, sicuti superiore libro exposui, quamuis nolens arma in parentem tulit, interfuitq; prælio, in quo ille mortem occubuit. Si eiusmodi exempla ob oculos interdum haberemus, minus omnino peccaremus, quandò serius citiúsue nemo homo nocens pœnas non persoluit. Cæterùm res Anglica longè felicissima extitit: nam si Iacobus cautè pugnasset, uel post eius cædem, si Scotos principis ulciscendę mortis furor inuasisset, prout fieri par erat, dubio procul uictoriam reportassent: quid enim pauciores & defatigati aduersus plures, & ualentes potuissent? Quocirca Angli diuini beneficij bene memores, etiam nũc uictoriam Deo illam acceptam referunt. Pugnatum est amplius tris horas, cecidere quindecim millia hominum, quorum pars tertia ex Anglis fuit. Nocte insequenti, Scotorum exercitus populabundus ea qua uenerat uia domum redijt, qui ubi intra suos fines pedem tulit, cœpit passim ab omnibus male audire, quòd ut uecors & impius neq; regis mortem uindicandam, nec suis pereuntibus opem ferendam curasset, ac sic æternas ignominiæ maculas patriæ inusisset. Sed Alexandrum multò magis uniuersi sceleris damnabant, qui non ducis, at hostis potius officium fecisset. Inter spolia hostilia, corpus Iacobi duobus acceptis uulneribus, exanime reperitur, quod etiam tum plurimũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

maieſtatis præ ſe ferebat, deinde Londinum deportatur, ad cœnobium Bethleemicum Carthuſianorum monachorum ordinis. At poſtea in plebis Scoticę mentibus inhæſit, Iacobum uiuere, ſed eluendorum delictorũ cauſa adhuc uagari, id quod Flandri de ſuo Carolo duce inaniter prædicant, quia uiri laude digni etiam poſt mortem, per famam, uiuere dicantur. Reliquit Iacobus rex filium nomine Iacobum, & Margaritam uxorem prægnantem, quæ alterum peperit, ſed breui pòſt hoc mortuo, ſolus ille ſuperſtes extitit, Iacobus eo nomine quintus, ætate admodum puer. Ab initio habito principum concilio factus eſt gubernator regni Iacobus Betonus Glaſguenſis archiepiſcopus, uir magnæ uirtutis & conſilij: tributi ſunt conſiliarij, Alexander Hohomus, cũ Gulielmo fratre, item alter Alexander Gordonus Huntelius comes, Gauinus Dumbar Aberdonenſis epiſcopus, & Ioannes Harrẽſis comes, qui rerum omnium agendarum poteſtatem haberent. Margarita autem regina haud multo pòſt nupſit Archibaldo Douglaſſati, Anguſię comiti, uiro ſummo genere nato, ſingulari bonitate & modeſtia prædito, id quod mulier ex re ſua atq; filij potiſſimum fore putauit, uerita ſi alteri externo principi nuberet, ne filij tutela non reliquenda ſibi eſſet.

Bellum ab Henrico ſuſceptum, & tam felici ſucceſſu hactenus geſtum, maximo uſui fuit rei Chriſtianę: nam Francus tum demum rebus ſuis perincomodè cadentibus & male affectis timens, iam cum Leone pontifice Romano de compoſitione pacis, concordiæ, amicitiæ agere cœpit, & primùm omniũ Bernardinum Cardinalem cum ſocijs ad eum remiſit, quos ille in priſtinum honoris gradũ reſtituit, deinde cum Maximiliano rege inducias fecit, & poſtremò ab Henrico de impetranda pace per amicos ſummè curabat, & quia per eoſdem dies amiſerat Annam uxorem, ſignificabant amici eum etiã cupere uxorem ex Anglis habere. Interea Henricus expectabat quatenus Leo de ſumma rei ſtatueret: qui eodem tempore concilium ad Vueſtmonaſterium habebat, in quo primùm de legibus actum, per quas modus præſentibus hominum moribus poneretur: deinde de pecunia, quæ more maiorum, prophanis pariter atq; ſacerdotibus imperata: poſtremò Thomas comes Surræ fit dux Northfolchiæ, quem dignitatis locum Ioannes eius pater prius obtinuerat: placuit id decus Thomæ deferri, eò, quia paulò antè in bello Scotico egregiam pro republica nauaſſet operam: item Thomas eius filius, Surræ comes loco patris: Carolus Somerſetus comes Vigornienſis, Carolus Brandonus dux Suthfolchiæ. Bene multi mirandum putarant tantum Carolo honoris haberi, ut dux crearetur, id quod eò pertinebat, ſicut poſtea diluxit, ut honeſtius ille cum rege affinitate coniungeretur, quod futurum eſſe, iam apud Henricum decretum erat: ſed aliquid in præſenti rem retardauit, quia rumor erat Gallum breui cum pace nouas nuptias quæſiturũ, quod fecit ut rex Henricus fando dein uiſus ſit alienigenam hominem domeſtico anteferre, in collocatione ſororis Mariæ in matrimonium. Hæc Ludouico regi facilè ad aures peruenerunt, qui ratus id ſibi commodum fore, cõfeſtim per literas Leonis pontificis Romani & pacem, & ſororis connubium ab Henrico petiuit, & impetrauit. Nam cùm Leo, qui caput erat belli, pacem dandam ſuis literis decerneret, non equidem fuit quicquam negandum, cùm præſertim Carolus princeps Caſtellę cui Maria pacta erat, impuber eſſet. Pax autem ea lege conſi

citur

citur, ut Ludouicus rex augeret dotẽ puellæ Mariæ, aſsignatis agris, ex quibus illa poſt mortem uiri, uectigal ad tricena bina millia coronatorum in ſingulos annos caperet, & millia centum pénderet quotannis Henrico, uſq; ad quinquenniũ completum: Maria uerò ſponſa circiter quinto idus Octobris, anno qui fuit ſalutis humanæ MDXIIII. deducta eſt in Pontiuũ, ad uirũ, ubi nuptiæ plenę concordiæ, plenę honoris, tranquillitatis & piæ pacis Abbauillæ cõiunctæ ſunt: quibus celebratis, Ludouicus homo ſenex, & qui ualetudine infirma erat, Lutetiã perrexit, quòd Mediolani recipiendi cauſa iter in Italiam habebat, cum copijs quas iam parauerat, ſed per mortẽ, quæ ſtatim pòſt accidit, ei non licuit nouum bellum gerere. Atq; ita Maria puella poſt octogeſimum diem, quàm nupſerat, uidua relinquitur, id quod portendit, quemadmodum emanauit in uulgus, mala tempeſtas tam terra quàm mari ſubitò orta in eius tranſitu, fuitq; magna amplius uiginti diebus, adeò ut omnis puellę comitatus ualde iactatus lõgè abiuerit, ac alij ad alia loca delati, tardè ad eam redierint. Ea autem affinitas comitata pace mirabilem in modum animos extulit Francis, ut ſibi temperare neſcirẽt, qui cùm haberent Franciſcum regem, qui Ludouico ſucceſsit, iuuenem ætate florentem, & copias ingentes ad bellum Italicum paratas, omnibus æquè arma intentabant, iactantes ſe etiã Anglo formidini eſſe, quòd repudiata nuper Caroli principis amicitia, noluiſſet & pacem & affinitatem ſecum coniungere: ſed eas uoces pretium pro pace datum facilè reprimebat, oſtendens dantis nõ recipientis metum. Res autem Anglicæ per hunc modum in dies proſperè procedebant, quarum proſperitate Thomas Volſæus mirificè gloriabatur ueluti autor ſolus tantæ felicitatis, ex eo, quòd iam ſumma eſſet autoritate apud regẽ, ſed & inuiſus inde magis cùm propter eam inſolentiam, ac detractam ſimul opinionem probitatis, tum propter eius nouitatẽ generis. Is ideo per id temporis factus eſt Lincolnienſis epiſcopus: quorum ſanè honorum atq; dignitatum ille perquàm cupidus monimentum aliquod uſpiam ponendi, rogauit regem, ut uellet ædes magnificas eo loci ædificare, ubi ipſe habitabat, quod maturè factum eſt. Nomen loco admodum imo ad ripam Thameſis, eſt Briduellum, in uico diuæ Brigidæ, ad meridiem ſpectans, cui ſolus auſter uentus flat. ex quo ædes ipſæ minus ſalubres, ut plurimum uacãt. Ita Volſæus uelut imperitus architectus, ad ſui memoriam perpetuandam opus tam bellè locauit.

At rex Franciſcus partim ſuis, partim exulum Mediolanenſium opibus fretus, ineunte uere Italiam petit, Mediolanenſis principatus recuperandi incenſus ſtudio. Cognito hoſtis acceſſu, Maximilianus dux Proſperũ Columnenſem cum exercitu, quem ad id temporis punctum facere potuerat, in Taurinorum agrum mittit, ut antecapiat locum caſtris idoneum, hoſtemq; arceat, aut uſq; remoraretur, dum ope, & auxilio Matthæi Sedunenſis Cardinalis, aliqua Heluetiorum manus accedat. Proſper profectus omnia opportuna itinera intercipit, ut peruadere expeditus nuntius ægrè quiſquam queat. Aduenit haud multò pòſt bene magnus Heluetiorum numerus, & ijs præpoſitus erat Albertus Lapiadenſis, uir ſummæ inter Heluetios autoritatis. Aderat uel Mattheus Cardinalis, ut ſuos conſilio & autoritate præſens iuuaret. Proſper ubi uidit hoſtẽ appropinquare, propius montes pergit, deſcenſuq; prohibere inſtituit, ſed cùm uellet ſolus rem militarem omnem obire, fortè extra

Universidad de Deusto
Biblioteca

agmen parum uagatus, ab equitibus Gallis capitur. Franciscus capto hostium duce, Albertum pecunia tentat, ut pedem referat, dimittatq; domum partem suorum auro onustam. Albertus tanta spe ilicò in pecunijs posita, incipit cum Matthæo subdolè ac uersutè agere de mutandis castris, multasq; proponit difficultates, quapropter id factu optimum iudicetur. Contrà Cardinalis omnia facilia fore docet, si modò à primo resistatur: sed disputatio nequicquam fuit. Albertus parte bona suorum domum dimissa ad colligendas fruges, quarum maturitas iam apparebat, retrò abijt: idem & Italus miles fecit. Tum Franciscus nullo inuento hoste qui prohiberet, recta Mediolanum uenit, ingrediturq; sed animaduertês ciuitatem magna ex parte pro duce stare, qui se in arcem receperat, pari atq; uenerat celeritate egreditur in agros, castraq; à millibus passuum sex minus, facit. Ciues fugientê hostem secuti usq; ad castra prorumpunt, ad pugnamq; elicere nituntur. Francus uerò se ibidem circunductis pro uallo tormentis continet, de industriaq; differt certamen, tum quia expectabat in horas Venetorum copias, tum quia sol in occasum præcipitabat, & luna noctu non lucebat. At ad extremũ, cùm uideret hostem insultare in castra, & non esse quòd tempus amplius extraheretur, ad manus uenit. Præliantur acerrimè ad uesperum, postea multa nocte cuncti utrinq; quasi cum tenebris luctantes fractis iam passim ordinibus, inter se aliquãdiu crudeliter pugnarunt, cùm tandem sua sponte quieuere. Interim longè post genus hominum natum, calamitosissimo audientiũ aures clamore ubiq; misto sauciorum ac morientium gemitu calebant. Vbi uerò cœlũ albescere cœpit, tum pro se quisq; ordinũ dux suos in unum cogere maturans, in prælium actutũ redire iubet. Gallus penè desperata salute, consilio & arte Iacobi Trauci tormenta omnia pro castris locat, seq; illis tegit, munitq;. Accedit ferox hostis, temereq; se tormentis obijcit, ubi loci circiter tria hominum millia miserabiliter dilacerantur: quæ strages finem certamini fecit, ciuibus expectandũ censentibus, dum supplementũ à duce mitteretur. Sed ecce tibi, Venetorum copiæ adfuerunt, quo uiso, Mediolanenses in urbem continuò rediere, cùm iam hostis multitudine recenti præstaret, quò sexto pòst die rex instructo agmine accessit, per deditionemq; recepit. Cæsa sunt in eo prælio plus decem & septem hominum millia, quorũ maior pars Gallorum fuit. Post hæc, Franciscus opera & ingenio Petri Nauarræ arcem oppugnare aggreditur, iamq; unam turrim complanare incipiebat, cùm dux Maximilianus deterritus se in eius fidem tradidit, Ludouici patris tandem fatum secutus. Rex per hunc modum recepto Mediolano, Bononiam proficiscitur ad Leonem pontificẽ Romanum, cum quo multo sermone de rebus in posterum tempus in Italia gerendis habito, in Galliam reuersus est, cui postea nihil prius fuit, quàm Heluetios in amicitia retinere, certum habens non posse se res Italicas sine eorum ope diu possidere. Porrò Heluetij circa Rheni fontes, magna ex parte, Alpes incolunt, habentq; in Italia agros, quorum fines ad Mediolanensem principatum pertinent, gens est ferox & longè bellicosissima, utpote quæ usq; à puericia se in militari tantummodo arte exercet, & Gallis ubicunq; terrarũ & gentium præ cæteris, ad omnia semper præstò est, eorum liberalitate allecta. Cæterùm fama de parta à Franco uictoria, & de colloquio inter Leonem & ipsum regem facto, cùm in Hispaniam peruenit, Ferdinando curam renouauit cauen-

cauendi, qui iam tum rebus suis solerter prouidendum existimãs, exercitum cõparare cœpit, qui regno suo Neapolitano, in primis præsidio foret. Atqui Henricus ubi cognouit Franciscum regem domum reuertisse, haud ulla interposita mora, misit legatos ad eum, Carolum Suthfolchiæ ducem, Ricardũ Vuynchefildum Caleti præfectum, & Nicolaum Vuest qui primum ipsius uerbis illi uictoriã cõgratularentur, deinde quærerent de eo, utrũ colliberet pactiones pacis antè cum Ludouico rege factas seruare nécne, ac postremò Mariam sororem cum dote promissa domum reducerent. Legati Lutetiam profecti mandata Henrici Francisco exponũt, qui omnia cupidissimo animo se facturum profitetur, solum non obscura significatione, puellæ discessus ei minime cordi fore uidebatur, id quod Henricus ratus iusserat Carolũ eam in matrimonium ducere, quod & factum est, sicut prius statutum fuerat, uti supra est dictum, quàm Gallo nuberet, & Francisco admodum iucundum fuit, qui uerebatur ne Carolo Castellæ principi locaretur. Ita Maria amisso priore uiro, domum nupta redijt.

Sub idem tempus Londini orta est rixa, quæ autori exitio fuit: ciuis enim quidam nomine Ricardus Hun uestium artifex amisit infantẽ filiũ, propter quod parochus sacerdos ab eo petebat, quemadmodũ moris est, linteolum sibi dari, quo infans inuolutus fuerat cùm est baptizatus. Ricardus cõtrà negabat aliquid ei deberi, cùm infans nihil ipsius domi proprium habuisset. Ita rixando ambo ad litem intendendam ardebant, & à lite ad maleficium rapiebantur, cùm sacerdos accusatur à Ricardo, quòd contrà legem illam terribilem, de præmuniri, cõmisisset, & à sacerdote Ricardus hæreseos insimulatur, qui ob id impietatis crimen, conijcitur in carcerem à Ricardo Fiziames Londinensi episcopo, ubi parum mansit, quia non longè post à custode carceris miser reperitur laqueo suspensus. Hoc ubi factum exiuit in uulgus, peruasitq; per urbem, mirũ dictu quas ille uoces miserit, quas lamentationes fecerit, clamitans impios atq; crudeles ministros episcopi strangulasse uirum innocentem, unicum pauperum patrem, is etenim solebat multùm subuenire egentibus. Res autem ea regi haud minimi momenti esse uisa est, qui protinus iussit Gulielmum Horsæum uicariũ ipsius episcopi cum custode & apparitore curiæ episcopalis, in uincula abripi, quæstionemq; de morte hominis constitui, qua habita, corpus mortuũ crematur, ac Gulielmus ad extremũ cum socijs captiuis custodia liberatus missus factus est. Satis à proposito egressi sumus.

At non multò pòst Christophorus Cardinalis Eboracensis Romæ moritur, exin fit archiepiscopus Eboracensis Volsæus Lincolniensis episcopus, idem perbreui & Cancellarius regni, quo magistratu Gulielmus Varamus Cantuariensis archiepiscopus sponte sua abiuerat. Hanc fortunæ abundantiam habere, in summa laude ponendum est, si ad uiros illa graues, modestos & tẽperatos affluat & illabatur, qui se nõ efferunt in potestate, non fiunt insolentes in pecunijs, nõ se in bonis præferunt alijs. Horum omniũ nihil extitit in Volsæo, qui tot uno fermè tẽpore adeptis dignitatibus, tantũ superbiæ animo concepit, ut sese cum regibus exæquatũ existimans, cœperit mox uti sella aurea, uti puluino aureo, uti uelo aureo ad mẽsam, habere galerũ Cardinaliũ ordinis insignẽ loco cuiusdam idoli sacri, qui cùm ille pedibus iret, sublimè à ministro præferebat, in sacelloq; regio super altare collocabat tantisper, dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

res fieret diuina. Ita Volsæus sua insolẽtia & ambitione sibi totius populi inuidiam parauit, ac quęsiuit, infestus iuxtà nobilibus ac plebi, quòd illi uanam eius gloriam multum stomacharentur, & ipse uniuersus ualde odiosus, quia munia fermè cuncta sustinere posse se autumabat. Sed illud profectò operę pretiũ erat, hominem uidere imperitũ iuris sedere pro tribunali, iusq; dicere, qui tamẽ à principio à iurisconsultis qui ei more uetusto assidebãt, adiutus, cœpit nõnullas causas nõ damnatas neq; rite actas tractare, componere, alias de quarũ iure dubium non esset, prohibere uocari in iudiciũ, modum contro uersiarum facere, litigatores falsas causas ad iudices deferẽtes acerbè punire, simulq; iudicũ negligentiã seuerè increpare, qui eas recepissent, aclites demũ non æquè æstimassent. Atq; Volsæi administratio talem ab initio iustitię umbrã in uulgus habuit, uerùm quia umbra erat, citò euanuit, ipso Volsæo omnia suo arbitrio agente, q; iam eo pluris regi esset omniũ nemo. Ex quo nempe factum est, ut aliquot principes uiri cõsiliarij cùm uidissent tantã potestatem ad unũ peruenisse, alij aliò ex curia abiuerint, & cum primis Cantuariensis & Vintonienſis, qui in suas diœceses perrexerunt, sed antea ut optimi reipub. patres, regem summè rogarunt, ut ne pateretur quenquã seruum maiorem esse domino suo: mutuati hanc sententiam à Christo, qui apud Ioannem, discipulis suis inquit, Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo. Ad ea Henricus, nõ utiq; ignorabat, in Volsæum esse dicta, respondit se illud primũ omniũ curare sedulò, uti seruus quisq; pareat, non imperet. Deinde Thomas dux Northfolchiæ in suam patriam se recepit, & postremò Carolus Suthfolchiæ dux alios etiã secutus est: Quippe is in legationẽ Gallicanã, in nuptias, in nouã familiam magnos sumptus fecerat, pecuniã mutuatus à rege, qua se donatũ iri sperabat, sed id factũ noluit Volsæus, ut Carolus ære alieno oppressus dicto magis audiens foret. Quoniã quemadmodũ ingentes opes extollũt mortaliũ animos, ita eosdẽ tenues facultates demittũt. Atq; hic annus sextus Hẽrico à gubernatione regni fuit, & ab humana salute MDXV.

Interesse non admodum multi dies cùm rex Henricus reipub. partes omnes inspiciendi, constituendi, ordinandiq; maximè studiosus de cõsilij sententia, concilium conuocauit, in quo permulta decreta sunt de regni statu, qui per ea ut meliore esset loco, ne optandũ quidem erat. Quæ eiusmodi omnia publica acta cùm in codicẽ referantur cõmunem, non est usus omnino, ut nos hîc uel aliàs de illis meminisse nostrũ officium esse putemus. Ita dimisso concilio Regi curæ fuit liberare Tornacũ omni Gallici dominatus nomine, cõmunicauitq; consilium cum Volsęo, quem iussit defigere & intendere animum in illud, quod ille non segniter neq; indiligenter fecit, unde noui demũ belli causa data est. Is enim episcopatus Tornacẽsis, uti suprà demonstratum est, uectigalia capiebat, qui postea de uoluntate regis assiduè cum Francisco Francorũ rege agebat, ac pro necessitudine, quæ ei erat cũ Henrico, petebat, ut Ludouico Guillarto episcopo eius urbis alterũ deferret episcopatum, quò sibi Tornacensis integer esset. Franciscus aũt nihil explicatè Volsæo respondebat, ut qui ducebat sibi expedire plurimũ, habere episcopum Francũ Tornaci, quod se omnino aliquando in suam clientelam aut potestatẽ recepturũ confidebat. Verumenimuero ea ars non diu clàm Volsæum fuit, qui moræ haud patiens facilè quærendo sibi uerba dari intellexit, ex quo negotium aliquod

quod Franco exhibendũ cõstituit, quo ille & diu & acriter afflictaretur: inde ei cogitanti uenit in mentẽ alienis armis bellum inimico facere, itaq; curat rumorem autore incerto perferendũ ad Maximilianũ regem iam Anglũ multis de causis alieno esse in Francũ animo, ut id rumoris tam Maximilianũ, q; Franciscũ Sfortiam Maximiliani ducis fratrẽ, ac Mediolanenses exules qui apud eum erant, in spem habendi auxilij adduceret. Haud secus atq; cogitarat Volsæus, accidit: nam simul ac Maximilianus resciuit Anglum minimè cũ Franco consentire, futurũ ratus ut breui aliquod bellũ inter eos nasceret, nulla interposita dubitatione, per literas & nuntios primùm Volsæi animum tentat, & cùm accepisset responsum forsitan Henricũ aliquid stipendij militi numeratu rum, si ipse impedimento sit Gallo, quo minus in Italia tam amplè rerũ potiatur, deinde Anchisen Vicecomitẽ hominẽ Mediolanensem in Angliã mittit, qui ipsius similiter atq; exulum omniũ uerbis opem petat. Anchises ad Henricum profectus Maximiliani mandata accuratè refert. Volsæus cognito Maximiliani cõsilio, persuadet Henrico, oportere aliquo pacto Franciscũ regem impediri, ut ne Italiã occupet, quandoquidẽ periculum esset, ne tanta auctus potentia in uicinos quoq; extremos dominari cuperet. Henrico qui æqui boniq; omnia faciebat quę à Volsęo proponebant, & res ei magni cõsilij uidebatur, placuit ut aduocarent ad curiã ueteres familiares, atq; consultò de ea re ageretur. Proinde paucis pòst diebus Gulielmo Cantuariẽsi, Ricardo Vintonienſi episcopis, Thoma Northfolchiæ duce, Thoma Louello equite, ac pleriſq; alijs accitis, de negotio gerendo sententię dicunt. Volsæus primus fat, ac permultis argumentis docet, Franciscũ regẽ ruptorẽ esse fœderis, q; Ricardũ Polã foueat, q; amicos bello uexet, q; deniq; Italiæ imperiũ sibi parare cõtendat, uti postremò aut uicinos omnes populos subigat, aut cũ eis de potẽtia in perpetuũ certet, & id breui futurũ nisi protinus occurratur, ac occurrẽdi sine Anglorũ cæde, uiã esse, ut Maximilianus rex in eum armet, qui perinde eius conatibus obsistat, atq; ille aliorũ res & cõmoda perturbare impedireq; semper est paratus. Hanc Volsæi sententiã ante alios Thomas Dunelmensis episcopus laudat, miratur, probat, in cœlum fert, ue ne uapulet multũ, si aliter faciat, quia sese iampridẽ homini addixerat, ac idcirco pendebat ab eius uoluntate totus. Contrà uiri graues, quos Volsęi odiũ in Francũ ex cõmodo priuato, nõ publico, conceptũ haud fugiebat, aiũt, nõ uidere se aliquid causę existere, aut instare periculi, quamobrẽ Henricus rex prior debeat frangere fidẽ, & se magno implicare bello nihil ei utilitatis allaturo: & ad id quod Frãcus contẽdit Italiæ principatũ obtinere, nõ esse cur respiciat, cùm Italia nõ soleat Gallis agere uires, sed semper minuere, ac propterea pręstare, nõ ingredi in bellũ, cuius Hẽricus nõ uictor, sed tantũ cõcitator dici possit, quod facere maleuoli atq; uecordis est. Has diuersas sententias media regis sententia moderata est, qui Frãciſci conatus sic infringendos censuit, ut nulla belli fieret significatio. At Volsæus ita rebus cõstitutis, nõ clandestinis consilijs, sed aperto, sicut dicitur, Marte agendũ ratus, primo quoq; tẽpore Ricardũ Pacæũ, qui regis secretior familiaris erat, cũ bene magna pecuniæ summa in Germaniã misit, qui primùm Maximiliano consiliũ susceptũ patefaceret, & Frãciſco Sfortię, cuius in primis res agebat, cũ eoq; de belli ratione ac pensionibus statueret, ut scilicet si Henrici ope & auxilio Mediolanensem principatũ reciperet, aliquod ei

Universidad de Deusto
Biblioteca

in singulos annos uectigal publicè penderet, atq; Volsæo priuatim solueret pensionẽ ad decẽ & octo coronatorũ millia, deinde ad Heluetios pergeret, cõ ductoq; magno eorum numero Maximilianũ regẽ armaret. Pacæus celeriter pfectus ad Maximilianũ adit, atq; declarat quę ad ipsum ab Hẽrico rege man data habeat: Post hęc inter se belli instrudi modũ agitãt, id q̃d facilè cõuenit. Quibus rebus cõfectis, Paceus ad Heluetios se cõtulit, cuius aduẽtus summa spe & uoluntate eam gentẽ cõpleuit, quę ex re sua fore cernebat, si nouũ bellũ rex prępotẽs gerere inciperet. Itaq; bona pars accepto stipẽdio, Maximiliano regi operã dare se cõtinuò parat. Præstò etiã adsunt exules Mediolanenses, q̃ bello inseruiht. Tali modo ingẽti ad punctũ tẽporis coacto exercitu Maximilianus in Italiã descendit, nulloq; inuẽto hoste qui prohiberet, ante Mediolani portas castra posuit. Franci inter hæc cognito hostiũ cõsilio, Anglos ut pacis uiolatores omnib. detestant precibus: sed qui Mediolano relicti præsidio erãt, cùm intelligerẽt hostes præstare multitudine, per celeres nũtios ad Francisc ũ regẽ missos auxiliũ petunt, & ne in certamẽ descendere coganť, ante Maximiliani aduentũ circa arcẽ loco idoneo castra faciunt, paratis in multos dies cibarijs. Sed dum hîc se muniebãt, cùm uiderẽt hostes instare ardentes & erectos ad cõmittendã pugnã, paulatim animis cõcidebant, & iam de sola fuga cunctos una cura occupabat, cùm ecce Maximilianus irrito incœpto, pedẽ sub ito referre cœpit, ac postea unde proximè uenerat, Tridentũ se recepit, uertus, uti aiebat, Heluetiorũ fidẽ. Cæterũ is hostiũ discessus sic Gallorũ animos confirmauit, ut statim pòst oppugnatũ ierint Brixiã id tẽporis à Venetis obsessam, qua paucis pòst diebus pacti cũ Hispanis qui eam tenebãt pecunia & incolumitate potiti sunt, reddiderũtq; ipsis Venetis socijs. Quo feliciter cõfecto negotio, ambo exercitus Veronã infestis armis petũt: sed hîc fortuna alia fuit, multa enim cũ cæde repelluntť. His duobus exercitibus fusis, rursus Maximilianũ redintegrandi belli studiũ inuasit, qui Matthæũ Sedunensem Cardinalẽ ad Hẽricũ in Angliã omni festinatione properantẽ misit rogatũ auxiliũ, excusatũq; sui militis diffidentiã. Ante Matthęi aduẽtũ, cognito Maximiliani à portis Mediolanensib. discessu fugę magis q̃ profectioni persimili, Volseus in primis mœrebat, q; bellũ potius sua & principis uolũtate iussúue susceptũ tam male cecidisset, cùm Matthæus in Angliã peruenit, qui sui negotij bene gerens auxiliũ similiter ac in annos singulos sibi munus aliquod dandũ ab rege impetrauit, cõfestimq; ad Maximilianũ redijt. Atqui & materiã & causam belli haud multò pòst ipse rex Maximilianus sustulit, qui cõtinuò bello pressus inducias, cũ aduersarijs fecit, atq; Veronã urbẽ Venetis restituit, nec sanè magno pretio, cui ducẽta tantũ nũmũm aureorũ millia data. Altera itidẽ cessandi ab armis causa fuit obitus Ferdinãdi regis, in exitu anni, qui fuit humanę salutis MDXVI multarũ rerũ gestarũ gloria principis post hominũ memoriã prestãtissimi. Ac tũ necessariò à bello intestino ad discordiã discessũ, nouo inter Hẽricũ & Maximilianũ, Carolũ Castellę, & Frãciscũ reges icto fœdere.

Eo ipso anno publica res Scotica magno principũ dissidio turbat, erat eñ regni gubernator Iacobus Betonus Glasguensis archiepisc. ac nõnulli alij, uti suprà tradidi, in regni ꝓcuratione, q inimicitias tacitas & occultas habẽtes parũ inter se cõsentiebãt: sed Iacobo Borono hoc certamẽ in primis in odio erat, quẽ ut q̃tis cupidũ magis nutu Alexãdri Hohomi, ac Gulielmi eius fratris, q̃ qui

opibus præpollentes erãt, q̃ suo omnia agere oportebat, qui tandẽ ueritus ne non eorũ audacia usq; eò euaderet, ut ad prescriptũ suũ remp. gerere uellent, statuit unũ aliquẽ sic cũ illis autoritate exæquandũ, ut ipsis per eũ minus liceret suo arbitratu quicq̃ decernere. Itaq; in mẽtẽ uenit reuocare domũ Ioannẽ Steuartũ Albaniæ ducẽ, qui patruelis erat Iacobi quarti, regis Iacobi quinti patris, natus patre Alexãdro in Gallia, uir æquè prudentia atq; modestia præditus, qui contra Alexandrũ & Gulielmum fratres staret, summaq; ui, cùm ita faciendũ expediret, omni tẽpore pugnaret: de eaq; re primò domi consilia cũ amicis inire, deinde illorũ hortatu, significare cœpit Ioanni, tandẽ aliquando ueniſſe tẽpus, cùm longo postliminio, iam tutò in patriã redire, & locũ aliquẽ honoris obtinere posset. Dux cui nihil potius in optatis erat, quàm patrios aliquando reuisere penates, ubi uiam patẽre ad suorũ receptum cognouit, ita apud Franciscũ Francorũ regẽ egit, ut ille sine mora scripserit ad Scotos principes, multisq; rationibus docuerit, è repub. esse, ut Ioannẽ ducem patria reciperent. Acceptis regijs literis, res ad consiliũ refertur, atq; post longã contentionẽ obtinetur, longè aliter omnino atq; Alexander Hohomus sentiret, cui haud quaq̃ latebat ea omnia illò pertinere, ut ipse cũ Gulielmo fratre ab reip. administratione deijceret. Tum dux ita reuocatus quamprimũ in Scotiã uenit tanq̃ Vlysses suorũ ferè cognitus, nemini, cui habito principum cõcilio, in eo demũ cœtu summa rerũ traditur, cum Iacobi regis tutela: quod nõ omnes læti accepere, optimè gnari quanta unicuiq; mortali sit innata imperandi libido, & cùm dux cõsanguineus esset Iacobi regis, cui, eo mortuo, regni ueniret hæreditas quantũ periculi foret, ne dux regnãdi cupiditate cæcus, regio puero necẽ machinaretur. Quo circa Alexander hinc causam arripiens ad calumniam, iam tum cœpit apud Margaritã reginam, & eius amicos, frequenter inculcare quanto in periculo uita regis uersaretur, quę uelut ouis lupo, cõmissa esset homini regnũ summè affectanti, idq; satis constare, q; eius solius rei causa, primò Alexãder pater, & postea ipse iam inde ab incunabulis exulasset, & idcirco opus esse regis ac eius amicorũ saluti maturè prouideri, anteq̃ uis fieret. Eiusce modi sermones cum amicis habiti facilè ad aures ducis peruenerũt, fueruntq; causa, cur postea ambo inter se mutuo odio flagrarint q̃maximè, adeò ut Alexander statuerit aliquò terrarũ sibi migrandũ, sed ut plus inuidiæ duci conflaret, reginã etiã fugę comitẽ habendã: quapropter mulierẽ adit, terret, cõmouet, docet unicã esse ad cõmune perfugium uiam, ut pro se quisq; in pedes det, omni festinatione properãs. Regina cui per ducẽ iam nõ licebat curam, quæ eam ipsam uehementer attingebat, de Iacobo filio tuendo habere, haud grauatè de fuga audiuit, quippe quę etiã Archibaldo uiro suo Douglasij Angusiæ comiti magnopere timebat. Igitť Margarita, cognita prius Henrici regis fratris uoluntate, secuta Alexandrũ & Gulielmũ fratres, cũ Archibaldo uiro, in Angliã se celeriter cõtulit. Qua re Ioãnes ualde cõmotus, ut qui in concordia ordinũ omnes esse cupiens, uerebať ne apud suos & externos turbarũ & seditionũ autor haberetť, sine mora ad Henricũ legatos misit, ut diceret, se nullã dedisse reginæ eius sorori aut socijs abeũdi occasionẽ, & propterea rogarẽt, quò sua etiã interposita fide, uellet eos domũ remittere, ac pollicerentur, se fidem datã sanctè seruandã curaturũ. Henricus cognito Ioannis animo, cœpit Alexandro & eius socijs suadere, ut placatis odijs in gratiã redirẽt

cũ duce, atq; conseruata Iacobi regis maiestate, & principũ dignitate, remp. à seditionibus cõtinerent. Idẽ faciebat dux qui in summa solicitudine erat, ac idcirco per literas & nuntios continenter significabat, eos per ciuiles discordias, debere se existimare aliud quærere nil, nisi ire perditũ patriã, quę in præsentia ob regis ætatẽ, atqueadeo otiũ, tranquillitatẽ, pacẽ posceret. Ad extremum Alexander uerbis credidit, ac cũ Gulielmo fratre & Archibaldo, domũ reuertitur, quẽ dux uenientẽ perhumaniter accepit, iniuriarumq; obliuionẽ edixit, simultate tamen nequaq̃ deposita. Regina uerò animo pariter atq; corpore ægra, quæ ne uita Iacobi filij periclitaretur, uerebatur, & grauida erat, apud Henricũ fratrem remansit non multò pòst enixa filiã, quã ex suo nomine Margaritã appellauit, & iam cõfirmata, ad uirũ in Scotiam rediit. Interea certatio erat inter Ioannem ducem & Alexandrũ, quomodo alter de statu omni deijceret alterũ, & quisq; pro se cauendo, ut ne metueret, metuendum se præbebat, ostentabatq;, adeò ut dux destinauerit quouis pacto ab eo se metu liberare, qui ex hoc, tempus & locum obseruans, breui nomen Alexandri & Gulielmi ad iudices deferendum curauit, qui simul accusati, quòd prædonũ ingentem manum fecissent, & crimine coniuncti atq; damnati capite mulctantur. Quod sanè facinus pluribus omnino admirationi fuit, quàm dolori, quia Alexander iamprídem apud uulgus perfidię maculis multò notatissimus fuerat, propterea quòd in bello Anglico, suis pro castris quibus ille præpositus extiterat, laborantibus cadentibusq; minimè subuenisset. Fuit res Scotica deinceps aliquandiu quietior, quæ in tali id temporis statu erat.

Aderat iam annus natalis Christi MDXVII, cùm turbę magnę fiunt in Londinensi ciuitate à paremptitijs, id est, seruis ciuiũ ad tempus, de quibus suprà lib. xiiij. in uita Ricardi primi memini, cùm de initio omniũ ipsius ciuitatis ordinum tradidimus. Ii sanè paremptitij simultates utplurimũ cum artificibus & mercatoribus externis gerunt, quia æmuli emendi uendendiq; artis præcipuè sunt, quamuis neutri causari queant, quin ualde peccẽt, quod cognosci licet ex Platone & Stoicis, teste Cicerone, qui lib. off. primo ita scribit: Sed quoniam, ut præclarè dictũ est à Platone, non nobis solũ nati sumus, sed ortus nostri partẽ patria, partẽ parentes uendicant, partẽ amici, atq; ut placet Stoicis, quę in terris gignuntur, ad usum hominũ omnia creari, homines aũt hominũ causa esse generatos, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possent: in hoc debemus naturã ducẽ sequi, & cõmunes utilitates in mediũ afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincere hominũ inter homines societatẽ. Hactenus Cicero. Hæc & eiusmodi fieri uetant interdũ uel illi, qui populũ debent euangeliũ legesq; Dei docere, quãdo cõcionando ex suggestis uoces seditionis plenas emittũt, deplorantes prę ser tim Londini de plebis incõmodis & iniurijs, quib. illa assiduè afficiaẽ, q; mercatores artifices q; alienigenę ex longinquis partibus illuc aduolẽt, bonãq; uictus ac lucrorũ partẽ è manib. ciuiũ rapiãt: atq; sic homines rudes tollũt rerũ cõmercium, per quod fit, ut quicquid usquã gentiũ sit, illud ipsum apud omnes gẽtes natũ uideaẽ. Verbi gratia, uinũ in Anglia nõ nascit, uino attamẽ Anglí maximè abundãt. Duo de numero istorũ doctorũ monachi alter Dominicanus alter Canonicus regularis, hoc tẽpore cupiẽtes de patria bene mereri, ita cõcionando multitudinẽ citò cõcitauerũt, concitatãq; temeritate armarũt, certatim & frequenter clamantes non esse diutius perferenda tanta detrimenta atq; damna, cum permultis alijs externorũ hominum maleficijs, ut eorum prę ceptis ac talibus monitis facilè aures paremptitiorum patuerint, qui haud multò pòst autore quodam Ioanne Lincolno, inter se cõiurarunt contra opifices externos uel mercatores, statueruntq; Calendis Maij, cùm more suo, bene mane eo ipso die solerent se effundere in agros, atq; inde redire, reportantes ramos uirides, ut ne cædis ulla suspicio oriretur, in eos impetum facere, & alios uerberare, alios uita, alios fortunis spoliare. Sed dum illi per uicos, per forũ minaciter fremebãt, iactabantq; breui futurũ ut iniurias à peregrinis acceptas, q; sibi uictum eriperẽt, manibus ulciscerentur, eorum cõsilia illustrata patefactaq; sunt, adeò ut negotiatores externi, regis opem implorarint, rogarintq; ut se ab iniuria tueretur. Rex uocato prætore cum omni urbis senatu ad se, mandat ut paremptitios in officio cõtineant, prouideant, curẽt, ne quis motus populi fiat. Senatus continuò omnibus generatim ciuibus interdicit, ne Calendis Maij proximis suos seruos ante horam diei nonã domo egredi sinant: ac sic futurus tumultus compressus uidebatur, cùm derepẽte eiusdem diei primo diluculo ingens paremptitiorũ nauicularium q;, qui cymbas fluuiatiles regunt, manus erupit in uicum diui Martini, ub asylum est, atq; multi artifices tabernas sutorias habẽt, ac passim iniuriose omnia diripere, spoliare, & resistẽtes sutores cædere cœpit. Quo audito rumore, prętor ciuitatis præstò adest, ut seditionẽ glíscentem sedet, tum simul post eum, Thomas Hauardus classis præfectus cum permagno armatorũ numero accurrit. At ubi per urbem clamor furentium peruasit, cæteri alienigenæ etsi se domi munierãt præsidio, omnia tamen sibi pertimescenda existimantes, in magno erant metu, sed aduẽtus Hauardi eos omni cura liberauit, nam paremptitij subito terrore perculsi ac dissipati, perinde uti oues lupo conspecto, alij in alias puncto temporis se latebras abdidêre, detrusêre, ac compegêre. Interim adsuere Thomas dux Northfolchiæ, Georgius Talbotus comes Salopię, Thomas Docura Rhodius eques diui Ioannis prior, & Georgius Neuyllus Borgennię regulus, qui omnibus ocyus dicto uijs obsessis, multos ubiq; ceperunt, habitaq; quæstione compererunt Ioannem Lincolnũ nefarij consilij principem esse, quẽ tunc ruri manentem ut ne consors cõiurationis uideretur, in uincula duci protinus iusserũt. Post hæc, sedata iam turba, de sontibus iudicatur, & quia nihil in eo motu cædis factum erat, collibitum est de quibusdam, quorum aut noxia maior aut sors iniquior esset, supplicium speciatim sumi, cæteris uerò ignosci. Sors aũt iniquior fuit aliquibus, qui in eam perditorum hominũ colluuionẽ casu repentinò magis quàm cõsilio ullo inciderunt, partemq; pœnæ sustinuere. Itaq; Ioannes Lincolnus cum quatuor socijs morte mulctatur, ac eorum corpora in frusta diuisa ad singulas urbis portas appenduntur, itẽ alij numero decem diuersis in locis suspendio necantur. Erat porrò spectaculum ex omnibus seculis antea inuisum, cernere fixa humi stare per urbem tot uno tempore patibula, quæ cùm ualde ciuium mentes uulnerarent, decimoquinto pòst die sublata sunt. Reliqua autem noxiorũ turba ut indemnata, eiusce modi ignominia notatur: singuli enim collum in laqueum inserũt, ac ita cum dedecore summo ad Vuestmonasterium ducuntur, ubi rex pro tribunali sedens omnibus suppliciter manus tendentibus ueniam dedit, id est, concesit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Monachis uerò uulgi turbatoribus itidem criminis supplicium cõdonatur, remittitur,& id certè quidem religionis causa,qui initio in carcerem missi,po stea in tenebris diu latuerunt,quò discerent cõcionando sapere,ac aliis exem plo essent,haud inducẽdi discordiam in ciuitatem. Postremò quicquid in eo tumultu erat ablatum,quod penes paremptitios fuerit,iis qui amisissent resti tuitur:ueruntamẽ ex illis multi timore perculsi, multi prius sponte in suã pa triam abierunt,ueriti ne rursus in paremptitiorum clauas quibus illi pro gla diis utuntur, inciderent. Per eos dies sudor letalis,de quo in Henrici septimi uita memorauimus,cœpit iterum mortales tentare,multosq; absumpsit.

Interea confectis in Italia bellis, Franciscus rex Francorum plenus irarum, quòd Anglus armasset in se Maximilianũ regem,per quẽ nihil factũ propius fuerat, quàm ut Mediolanũ amitteret, mire ardebat ad ulciscendam iniuriã, sed paulò pòst residente ira secum cogitãs plus damni quàm lucri posse se fa cere,cum ipso Anglo certando, facilè manũ abstinuit,existimauitq; dissimu landum, cùm certò penè sciret id bellum pluris Henrico quàm sibi cõstitisse. Proinde tantum abfuit ut de bello inferendo deinceps cogitarit, ut etiam sta tuerit se quoquomodo amicitię Henrici daret:in quam quidem spem eum po tissimum adducebat summa Thomæ Volsæi ambitio atq; auaritia, uehemen ter enim cõfidebat se hominis animũ ad studium sui facilè reuocaturũ: quare primo quoq; tempore & muneribus leniendo,& magnificè appellando, per legatos tentare cœpit Volsæum ipsum,quem in suam partem ita breui traxit, ut quemadmodum ille ab initio nominis Gallici uehementissimus impugna tor extiterat,sic nunc acerrimus defensor sit effectus, idq; sibi tam in lucro po neret,quàm gloriæ duceret:nam statim ad Henricum regem adiuit,expositit Franciscum regem iam cupere summè conferre se rursum ad eius amicitiã, in eaq; mansurum polliceri, simulq; ex donis à Francisco datis aliquid ei impar titus est: siquidẽ quoties quid ab Henrico impetrare uolebat, sese ita in eius sermonẽ familiariter insinuabat:etenim munusculum aliquod, utputa uascu lum fabrè elaboratum,aut gemmã,aut annulum,& id genus dona deferebat, atq; dum ille munus studiosè mirabatur, ipse quod animo destinasset,oppor tunè & appositè subijciebat.Henricus uerò ualde gauisus est,quòd sibi noua necessitudo cum Franco rege cõstituenda esset, ac maiorem in modum com mendauit solertiã Volsæi,sic,ut paucis pòst diebus,extra iocum, palàm dixe rit, Volsęum uelle & se & Franciscũ regere,innuens eum utiq; muneri obeun do parem esse,ac Francum iam illius arbitrio omnia facturum.Franciscus aũt ubi uidit Volsæum non secus atq; optarat,largitione irretitum,confestim eo adiutore,animũ ad recuperandum Tornacum intendit,sed quia in re pluscu lum erat negotij, expectandũ existimauit dum amicitia altis defixa radicibus firmior foret:at interim ut hominem uanitatis,cuius aura potissimũ pasceba tur,uberius impleret, se ei plurimũ tribuere simulãs, quotidie per literas, per nũtios,modò ipsum dominũ,modò patrẽ appellabat, modò de re aliqua gra ui consulebat, aliàs denicq; ad cœlum laudibus ferebat, perinde quasi nouum quoddam oraculũ reperisset. Franciscus igitur per hæc officia, nactus sui ne gotij procurandi occasionem,cœpit cum Volsęo agere,ut sibi liceret redime re Tornacũ,quod perdiu in suorum maiorũ clientela fuisset. Non fuit, quòd Francus multis uteretur rationibus, quia Volsæus præmijs addictus nihil non

non concessurus erat, quod in eius esset manu. Sed cùm Henricus in ea urbe arcem magnis sumptibus condidisset, ut ne in populi inuidiam ueniretur, specie alicuius affinitatis rem transigendam iudicabant, quò non precio, sed dotis nomine oppidum restitutum diceretur. Itaq; Volsæus primò Henricũ aggreditur, docet quanti urbs redimẽda sit, persuadet quod uult, deinde ad consilium rem defert,argumenta proponit,quamobrẽ è republica sit, dimit tere locum longè à finibus Anglicis positum,qui regi nullo unquam tempo re, nisi Caroli Flandriæ principis permissu, usui esse possit, adeò ut eius pos sessio precariò quasi habeatur. Postremò illud præstare affirmat, ut Maria uirgo Henrici filia despondeatur Francisco regio infanti. Hanc dictam ab Volsæo sententiam nemo non probat,& cum primis Thomas Dunelmensis episcopus, uti suum faciat officium, qui eius rei gratia, sicut suprà diximus, Volsæo acceptus erat:alij uerò Dunelmensem secuti sunt, ut ne multam ope ram consumerent frustra.Ita paucis pòst diebus,missis in Angliam à Franci sco legatis,quinto idus Octobris,eo anno qui fuit humanę salutis MDXVIII, & regni Henrici x.Londini in æde diui Pauli Maria pacta est Francisco infan ti,fœdusq; renouatum,iis conditionibus, ut Tornacum rex Franciscus dotis nomine reciperet,atq; pro arce ibi ædificata,solueret Henrico sexcenta coro natorum millia spatio duodecim annorum, hoc est, in singulos annos quin quagena millia,ac obsides daret,quò si ita usu ueniret ut Maria sponsa aliqua iusta de causa dein non nuberet Francisco sponso,tum Tornacum in Anglo rum ditionem rediret,& idem Francus Volsæo pensionem pro relicta episco patus Tornacensis possessione,quotannis solueret ad mille marchas,ac certã pecuniæ summã consiliarijs Henrici distribuendam daret, ita ut cõsueuissent facere olim eius maiores. Item Ioannem Albaniæ ducem quamprimum ex Scotia ad se in Galliam uocaret,nec deinceps eò amplius reuerti permitteret, quò Iacobi regis rebus consuleretur, atq; nihil inde hostile Anglis pertime scendum foret. Prȩterea placuit Francisco,ut Iacobus rex uelut socius eodem fœdere cum Henrico copularetur. At ubi fama sponsalium per uicinas gen tes peruasit, multis ioco extemplò fuit, quòd iam antea rumor esset, Franci scum infantem statim natum obijsse mortem, aut nondum natum esse. Quæ res causa fuit, cur Nicolaus Elyensis episcopus & Carolus Vigorniẽsis comes cubiculi regij prȩfectus in Galliã profecti sint,qui primò ictum fœdus à Fran cisco rege sanciendum curarunt, deinde iuerunt Ambasiam,ubi per eos dies regina erat,uisendi infantis gratia,quem & uiderunt,& peramanter comple xi osculatiq; sunt.Sed fabulam non pro nihilo habendam dixerim, quæ signi ficauit futurum,ut ea sponsalia breui uana euaderẽt. Ita principes nostri, me moria nostra, alij alijs fidem obligare solent, quam tamen perraro seruant, multa ad diluendam culpam postea excusantes. Cæterùm post quartum mensem, quàm res nuptialis uni cum altero conuenit, & dati atque accepti sunt obsides, Tornaci possessio regi Franco traditur, bona ciuium parte mi serabiliter dolente, quòd cogeretur parêre Gallo, cui antea commendata ut amico,salua libertate,obediuerat,non seruierat, ac amittere Anglorum com mercium, quod ciuitati lucro non mediocri erat. Læsit haud dubio procul nonnihil ea res nomen Anglicum, quia ciuitas per deditionem penè uo luntariam accepta, cum tanta libertatis iactura sub Francorum regum im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perium caderet, quæ parata erat sponte in fide Anglici regis permanere, id quod senatus per legatos obtulerat. Atqui id nõ perinde cuiuspiam animum perculit, atq; Caroli principis, qui quo magis à principio gaudebat, quòd sibi conduceret habere Anglum Tornaci possessorem amicum finitimum, hoc postremò plus angebatur, quòd in locum amici, Gallus haud semper amicus successisset. Verumenimuero si hoc negotium ita gestum alijs molestiæ erat, non item Franco, qui lætitia exultabat, quòd sibi fauste, feliciter, prospereq; euenisset. Quid, quòd hac præda allectus, Caleto etiã oppido inhiabat: nanq; in spem iam ingressus erat, ut se pretio tandem aliquando illud cõsecuturum confideret. Et hæc ille uisus est non dubitasse cum Volsæo cõmunicare, nam posthac Volsæo maximæ curæ fuit de re ipsa cõficiẽda, quippe qui inter prandia cœnásue cùm uarij, ut fit, sermones haberentur, de industria in mentionẽ de rebus transmarinis incidebat, atq; frequenter aiebat: Quid est cur nos tanti Caletum cõtinentis oppidulũ faciamus, quod nobis magis sumptui quàm cõmodo est? Quamobrem faxit Deus, ut eo loco carere possimus. Hæc & eiusmodi iactabat Volsæus, ut præsentiret quid generatim homines essent dicturi, facturiue, si id oppidũ quoq; uæniret, alienaretur q;. Sed tamẽ tam nefarium facinus auertit autoritas Caroli principis, qui putauit conducibile sibi esse omnia tentare, quapropter Volsęus deponeret Francisci amicitiam, & in suam se reciperet, id quod nullo ferè negotio paulò pòst effecit. Francus autem post receptum Tornacum, omni officio Anglum sibi prosequendum ratus, quotidie nuntios ad Henricum, ad Volsæum, ad Mariam puellam cum nouis & amplis muneribus, cõiunctionis confirmandę causa, mittebat, quòd eam sibi bono & honori maximè esse animaduertebat, quæ tamen haud diu floruit, nam statim pòst cùm Iacobus Scotorum rex deberet in legem fœderis paulò antè pacti inter Henricum & Francum iurare, & id facere recusarit, orta est Anglis suspicio eam fuisse artẽ Francisci, quò sibi liceret per Scotum nocere, quando uellet. Quapropter deinceps inter Scotum & Anglum inducíæ tantùm fuere, & eæ quidem perbreues.

Dum hæc agebantur, Leo Romanus pontifex audiens olim Turcarũ metum multis maiorum suorum quæstui fuisse, cœpit & ipse pertimescere Turcam, agitauitq; animo de bello in eum concitando: proinde Cardinales aliquot ad Christianos principes rogatũ auxilium legauit: sed illi celeriter profecti cùm ars iam nimium cognita omnibus ubiq; gentium fuisset, inanes domum rediere. Venit in Angliam Laurentius Campegius homo Bononiensis inter Iurisconsultos iurecõsultissimus, uir paratus meditatusq;, cui datus fuit collega Volsęus: is etenim partim Henrici assiduitate petendi rogandiq;, partim Francisci regis autoritate, à Leone pontifice Romano sub idem tempus legatus Angliæ creatus erat. Atqui Campegiũ ubi Caletum peruenit, siue casu, siue dedita opera Volsæus monuit oportere eo loci dies aliquot morari, ac interim multa promissa faciendo, hominem tentare cœpit, ut uellet per literas apud Leonem pontificẽ agere, quò Hadrianus Cardinalis Bathoniensis priuaretur episcopatu in quem iam ipse paratus erat inuadere. Fuit autem in promissis episcopatus Sarisberiensis, quem nõ multò pòst uacantem ipse Campegius assecutus est, eoq; uti frui tandiu licuit, quoad non multò pòst lege sancitum est, ut absentes in Anglia sacerdotia nõ possiderent. Sed ad rem, quæ

quæ facit ut altius repetendum sit, quò plana more nostro cuncta faciamus. Paucis enim antè annis Leo acceperat in clientelam suam Senenses ciuitatem nobilissimam, eamq; sic ordinarat, ut Alphonsus Cardinalis Pandulphi Petrucij uiri primarij dudum mortui filius, cum sua Petrucia domo, non modò principatu quem ibidem perdiu obtinuerat, priuatus fuerit, sed omni etiam receptu ad eam prohibitus: & id factum ipse Pontifex aiebat, ad debilitandũ infirmandumq; partium studium, ac tollendas radicitus eius ciuitatis factiones quascũq;. Ille igitur ætate & animo ferox, istuc tanto molestius tulit, quanto antè de Leone bene erat meritus, quippe quem in pontificatu petendo maximè iuuisset: & lingua similiter atq; mente effrenatè concitatus, ac Romanæ loquendi licentia eruditus, palàm de iniuria apud amicos querebatur, ingratum in se Leonis animũ importunè detestabatur, eiq; mille precabatur mortes: cui ita insano similis furendo usu uenit, ut aliquando audientibus Hadriano & Francisco Volaterrano Cardinalibus, easdem uoces iracundè, ac intemperanter iactarit, & illi hominem grauiter increpuerint, sed cùm eiusmodi furores ad ipsius Leonis aures peruenisse constaret, nihil esse putarunt q; eius nomen deferretur. Hæc cùm ita essent, Alphonsus usq; eò ira est agitatus, ut ex urbe sponte exiuerit, ac paulò pòst, data publica fide redierit: qui cùm nihilo æquiori animo esset, ut tandem magistra patientia disceret ferre rem aduersam, in custodiam traditur, ibiq; breui è uita migrauit. Interea Leo non immemor noxię, si qua fuerat, Hadrianũ & Franciscum mulctauit, at nõ contentus ea præda, eius satellitum præfectus deinde ad Hadriani ædes quæsitũ iuit, si quid intus esset, quod rapi posset. Eius iniuriæ indignitate Hadrianus ualde cõmotus Venetias se cõtulit, ubi, sicut eius moris erat, in diuinis atq; alijs bonis literis, Leone non inuito, iam acquiescebat, cùm ecce, inimicorum operatione deturbatur de sui episcopatus possessione, quẽ Volsæus repentè uorauit, cõsecutus quod in animo habebat: tum demũ curauit perquàm diligenter ut Laurentius Cardinalis post tris menses, q̃ Caletum peruenerat, tandẽ in Angliã transmitteret, à quo munus Apostolicæ legationis accepit: qua simul atq; ornatus est, nemo ferè homo adduci posset, uti crederet, quantum ei spiritus creuerit, quantũq; ille laborare cœperit, quomodo sue satisfaceret inflatæ menti, utpote q̃ nihil æquè delectabat ut leuitas, præ qua parui omnino uerã ducebat gloriã. Itaq; ubi se in altissimo dignitatis gradu locatũ uidit, nihil prius habuit, q̃ ut aliqua insigni re doceret se alios dignitate exuperare: & quia nullũ iam propémodum ceremoniarũ genus erat, quod nõ usurpasset, placuit ad extremũ per sacra, per crucẽ Christi ostentare mundo adeptũ decus, qui paulò pòst cœpit frequẽtius solito, cùm dies aliquis solennis adesset, & rex cum tota sua cohorte interesset, rem diuinã ritu pontificali facere, & adhibere administros ad inseruiendũ, tum episcopos & abbates, tum duces & comites, qui aquam manibus, qui mantilia darent: item non contentus una cruce, qua utebatur quòd archiepiscopus esset Eboracensis, alterã præ se ferri uoluit, per duos sacerdotes statura elegantes, & equis magnis insidentes, qui aperto capite, quocunq; anni tempore incederent. Mouit ea uanitas longè post homines natos uanissima, uniuersis cùm risum tum stomachum: ex quo omnis pompa sine clamore ullo, sine plausu erat. Vulgus enim stomachabatur, qui indignè ferebat Volsæum præbere se tam superbum in fortuna,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Contrà uiri egregiè cordati deridebant hominis inconstantiam, de eoq; non infacetè cauillando dicebant: Nunc planè constat Volsæum suæ sibi conscium esse culpæ, qui propterea binas in pompa habet cruces, quòd una nõ satis foret ad eius expianda commissa. Dum Volsæus ita superbia elatus lætitia exultabat, temereq; gestiebat, contigit ut Gulielmus Cantuariensis archiepiscopus ad eum literas, sicut solebat, familiariter dederit, nomenq; suum in hunc modum subscripserit: Gulielmus frater Cantuariensis. Has literas ubi ille resignauit, ac legendo inspexit illud uerbum, Frater, plenum humanitatis, officij & beneuolentiæ, offensione motus perinde uociferari cœpit, ac si Cantuariensis contra eius rem maximè ueniisset, dictitans se facturum breui, ut ille intelligeret se non esse ipsi parem nedum fratrem. At Cantuariensis homo frugi & modestus, cùm accepisset à suo nuntio Volsæum iudicasse grauissimum crimen in literis fuisse suis, atq; hæc ille concitato animo renuntiaret, respondit in hæc uerba: Retice, an nescis hominem præ nimio gaudio insanire? Ac per hunc modum Volsæus nesciens rectum iter laudis tenere, uidebatur malle se metui quàm diligi ab optimis uiris. Ad Campegium ueniamus: is ut legationis munus Volseo impertiuit, cœpit decimarum negotium à Leone sibi datum, cuius rei causa potissimũ uenerat, miro studio curare: sed inter hæc perlato rumore, alios legatos alibi nequicquam illud tentasse, ab incœpto destitit, atque amicorum promissis ualde pendens domum abijt, tractatus comiter liberaliterq; ab Henrico rege, qui eum magnificis donauit ædibus, quas Romæ in Vaticano Hadrianus Cardinalis Bathoniensis ædificarat, atq; dedicauerat nomini Henrici septimi eius parentis, ut donum esset quasi monimentũ perpetuum in Vrbe Anglicæ gentis non usquequaq; exiguum. Campegiũ secutus est Romam Ioannes Clercus uir grauis & probus Iurisconsultus legatus Henrici ad Leonem pontificem, à quo impetrauit, ut liceret legato Angliæ soluere legibus, quos uellet, ad commodum eorum, qui nexu aliquo legũ tenerentur, id quod uulgo dicitur dispensare: quæ quidem legationis pars multò fructuosissima deerat.

At ubi Volsæus ad amplitudinẽ suę dignitatis uenit, tum in publico iurisdictionis forũ aperit: quã Charybdim? quẽ gurgitẽ? quam uoraginẽ omniũ, rapinarũ? Siquidẽ eiusmodi foro nouo præfecit Ioannẽ Alanũ Iureconsultũ, hominẽ tam à iure ipso q̃ à iustitię studio ac uolũtate abhorrentẽ, utpote qui paulò antè corã eo ut Cancellario Angliæ, testimonijs plurimis, cùm manifestis criminibus, tum in primis periurio cõuictus est. Is porrò iudex constitutus, moribus præfectus, & magister ueteris disciplinæ & seueritatis, primùm totius ciuitatis iurisdictionẽ lustrat, quærit de singulorũ ciuium uita, & si qui sint uiri uel mulieres in quos cuiuspiã peccati grauioris suspicio cadat, illos uexat, iurè uel iniuria acriter mulctat. Sed mitius ex parte agebatur aliqua, quia una omnibus pœna cõstituta erat, ut scilicet se redimerẽt à iudice, redimerẽt aũt lites, redimerẽt denicq; culpã, quod emptores minus grauatè faciebãt, propterea quòd eo pacto sine ulla infamiæ nota inusta, euadebant: quæ quidem rapina alijs permagna erat illecebra peccandi. Hoc institutum deinde uicarij Alani nauiter ruri tenebant, usurpabãt, seruabantq;. Erat præterea uulgus apparitorum per pagos & uicos uagantiũ, qui odorarentur morientiũ funera, testamentorumq; executores citarẽt, ut ad curiam legati testamenta probanda maturè curarẽt, sicuti moris est apud Anglos, ut hæredes executores suę rationẽ bonorũ relictorũ reddant episcopo uel archidiacono, corãq; eis iureiurando promittãt sex executuros, quę demortui faciẽda cõstituissent: ex quibus bonis æstimatis ipsi episcopi aut archidiaconi uectigal aliquod & idẽ pergrande sæpenumero capiebãt, nõ sine maximo hæredũ detrimento. Quare Henricus rex illud ad minimã pecuniæ summã redegit: per quod profectò facinus tam pium & sanctũ q̃ iustum, ualde sui populi cõmodis consuluit. Cõsuedine hac nõ facilè aliæ, quod sciam, nationes utuntur. Sed ad apparitorũ ipsorum officia reuertamur. Itẽ perquàm diligenter referrent nomina sacerdotiorũ uacantium, quæ legatus sua autoritate conferret, daretq; cui libitũ foret. Londini uerò interim Volsæus, cui ab initio deliberatũ fuerat prouinciã quæstui habere, monachos omniũ ordinum ad se uocat, simulansq; bonitatẽ eos ad pedes iacẽtes in multis reprehendit, q; aliam longè degant uitã, atq; à principio professi fuissent, q; in literis & artibus bonis se non exerceant, sed admirabili quodam studio ad diuitias augendas cõcitentur, ac idcirco suum officiũ esse affirmat talia corrigere, quò eorũ religio ne prorsus labefiat. Et ut fidem uerbis maiorẽ habeant, ex improuiso cœnobium Vuestmonasteriũ adit, ibiq; de statu monachorũ seuerè cognoscit, intpẽeranterq; omnia agit, miscet, turbat, ut terreat cæteros, ut imperium ostentet, ut se terribiliorẽ præbeat. Ista omnia eò pertinebãt, uti monachi ad censurã uocati sua sponte pecuniã dare, quàm statum suum mutare mallent. Non fefellit opinio, monachi enim facilè intellexerunt, cur medicus tantum de aliena salute, suæ oblitus, laboraret, qui sibi tandem Volsæum muneribus placarunt, cui uelut artes istæ crimini erant, ita cuncti, ut aliquãdo fraudi essent, summè optabãt. Hæc aũt potestas, quæ tota niti deberet in pietate, charitate ac beneuolẽtia, admodũ immoderata odiosaq; fecit, ut Cantuariensis archiepiscopus de ea regẽ admonuerit, qui ita statim atq; nouerat, respondit: Certè tale hoc nescio, nec omnino mirũ, nempe si quid domi fit mali, patersamiliãs ut plurimũ ultimus omniũ audit. Verùm, quæso, tu pater Volsæũ adeas, eiq; cuncta ordine referas, ut si quid peccatũ est, illud ipse emẽdet. Cantuariensis officiũ suum similiter exacturus, ac mandatũ regis curaturus, Volseũ cõuenit, bonoq; modo atq; fraternè cũ eo expostulauit, q; per ipsius legationẽ nihil melius neq; cũ rebus diuinis, neq; cũ humanis ageret: sigillatimq; de iniurijs meminit, & primũ, quemadmodũ quotidie magis magisq; ueræ pietatis ac religiõis labes passim alta fieret, per castigationes delictorũ uenales, quę nõ ad eius, qui punit aliquẽ, aut uerbis castigat, sed ad totius populi Christiani utilitatẽ referre deberent, & id potissimè acciderẽt, si qui peccarint, merita afficerent pœna, q; exẽplo forẽt alijs, ut idem ne facerẽt. Et deinde humanæ res hinc itẽ minus damni cõtraherent, per castigatores ipsos, quia sæpe illi uitijs maioribus affines ab alijs ob crimen aliquod pœnas acriter expeterent, contra omnẽ iustitiæ æquabilitatem: quam q; illud intolerabile esset, ut quis in alterũ animaduerteret, qui ipse non abesset à culpa: ac tanta iudicij peruersitas, bonorũ morũ rectęq; uiuendi normã uiolaret. Atq; postremò eiusdẽ legationis legibus demortuorũ testamenta probarentur, quod ille ipse Romanus pontifex haud uspiã facere diceret: & sacerdotia etiã gentilia, hoc est, quæ episcoporũ uel nobiliũ propria essent, quæ à uulgo de iure patronatus uocãtur, cõferrentur, & quamuis istud pontificis ius iam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diu in Anglia obsoleuisset. Audiuit hæc omnia Volsæus paulo sedatiore animo, præcisęq; non planè respondit, tum quòd ueritas uim maximā habeat in utranq; partem, tum uerò quia fortè iam olfecerat istiusmodi facinorū auram rumoris ad regis aures flauisse. Sed ob hoc officium, factus est Cantuariensi multò inimicior. Aliud quoq; hominis sæuitiā paululum coërcuit: cùm enim mortales permulti essent qui talem iniquam censuram perhorrescerent, ecce Ioannes Alanus præfectus curiæ accusatur à Ioanne London sacerdote probo iuxtà atq; docto de hisce criminibus, ex quo nihū propius factū est, quàm ille ut publicè turpi iudicico damnaretur, qui amicorū opportuno fauore opera clandestina domini sui comparato adiutus ex periculo euasit. Per hanc aūt accusationem satis probatū est, ea esse quamueriſsima quæ Cantuariensis obiecisset Volsæo. Quare rex eum grauissimis uerbis reprehendit: quod fecit, ut Legatus dein manus aliquantulum à rapinis abstinuerit.

Suprà memorauimus Ferdinandum regē è uita discessisse, ex quo Carolus in Hispaniā transmisit, ad prouinciā ordinandā: at nō multi intercesserē mense, cùm alterum paternū auum Maximilianū amisit, à quo factus est hæres, cum Ferdinādo fratre, cui Austria, id est, superior Pannonia illius testamento euenit, qui eò sine mora à Carolo mittitur, non quò id negotiū celeritatē requireret, sed ut ne sibi in cōstituenda Hispania impedimento foret: nam adolescentē eodem loci natū Hispani in oculis ferebāt, adeò ut si per ius licuisset, sibi regē optassent. Secundum Maximiliani mortē, Electores more suo Franconiā conueniunt, agereq; incipiunt, quē potissimū renuntient Imperatorem futurū: hinc enim Carolus, illinc Franciscus Gallorū rex id decus petebat, & pro se summa quisq; ope ad illud aspirare nitebatur ac per literas nuntiosq; Henricū regem orabat, ut se apud Electores iuuaret. Henricus qui Francisco recenti necessitudine cōiunctus erat, & Carolo amicissimus, ut unius pariter atq; alterius studiosus uideretur, quamprimū misit Ricardum Pacæum Franconiam, qui ita amicorū causas tractaret, ut ab utroq; sibi gratia haberi posset. Tandem magna ui expugnatū, ut Carolus designaretur Imperator, id quod Henrico longè iucundissimū fuit, qui cum Cantuariēsi archiepiscopo egit, ut ille ob id, Deo optimo maximo gratias agendas statuēs, iusserit sacerdotes in omnibus templis diuinū canere hymnum, cuius initium est, Te Deum laudamus. Hæc mense Iunio, & eo anno qui fuit salutis humanę MDXIX. acta sunt.

Per hosce dies Franciscus Francorū rex cupidus amicitię cōseruandæ, quę ei erat cum Henrico, cœpit petere ab Volsæo, ut sibi liceret ad aliquē idoneū locū cū eo cōgredi, quo ipse & Henricū nosceret, & ab Hērico nosceret. Fama tamen est id Volsæo in desiderio fuisse, quod nō abhorret à uero, qui ex uolūtate metiēs quid deceret, glorioſum sibi fore putabat, si apud Gallos quoq; in nobiliū conuentu, in sua uersari inanitate cōspiceretur: qua de re cum Henrico cōmunicat, hortatur, docet, suadet eius gratiæ amorisq; esse, comiter uenire in collocutionē cum amico, in qua de summis magnisq; rebus agendum foret, & simul quæ res ipsę essent, ut libuit, callidè exposuit: nam Henricus nō erat eius omniū consiliorum particeps, sed tantū illorum, quæ bene caderēt. Ergo Henricus ex sua humanitate, etiā cupidus uisendi regis amici, eundum sibi Caletū, & inde ad fines Gallicos, habendi sermonis causa cum Francisco, constituit, ac protinus ad principes quaquauersum scripsit, ut ad certū diem, quamap-

quamapparatissimè rebus omnibus ornati Londinū conuenirent, & ipse interim domū ex lignea materia longè magnificentissimā ædificari iussit, quæ prope Guinas, eo loci ad tēpus poneretur, quo erat hospitē accepturus. Principes acceptis literis, in quibus cùm nulla efficax explicaret proficiscendi causa, nō potuerunt nō generatim fremere, q; tam sumptuosum & graue negotiū nō foret de cōcilij sentētia susceptū: sed cū primis Edouardus Buchyngamiæ dux, ut homo alti animi, nō item ualde liberalis, dolebat ingentes in iter apparandum facere sumptus, dictitās nescire se quid causæ esset, cur pecunia effunderetur, nisi in spectacula futura sermonū ludicrorum, aut in rerū colloquia leuiorū: quare prædicabat nimis intolerabile esse, parêre homini sordido & importuno. Tales ac eiusmodi uoces à duce inconsideratè emissas facilè Volsæus auribus hausit, qui ut crudelis, suæq; personæ quam gerebat immemor, haud pro nihilo eas habendas ratus, iam tum ducē aliquando sibi perdendū statuit, ac primùm omniū in eum apud Henricū, inuidiæ cōmouendæ gratia, erratū tale inuestigauit. Sub idem tempus Gulielmus Golmerius eques receptus fuerat in familiā à duce, in eiusq; uerba iurarat, quē Volsæus ad se uocauit, ac ob id factū, post cōtumelioſam castigationē, in custodiā tradendū curauit, q; suo neglecto principe, sese priuato homini addixisset, & quasi seruū deuouisset. In qua re ex altera parte Hēricus minaciter ducē reprehendit, iamq; tum uti superbū & arrogantē minus solito diligere cœpit. Cùm igit Volsæus destinasset duci diem necis aliquē, ei tantummodo curæ erat, quo pacto sine suspicione ullius iniuriæ, sed specie iustitiæ, illud fieret: & quia Thomas Hauardus Surræ comes classis præfectus habebat filiā ducis in matrimonio, qui manu promptus erat, eum idcirco secernendū uel relegandum potius aliquò terrarū censuit: nam graues inimicitias cū comite gerebat, ex eo, q; aliàs parū abfuerit, quin ab eo pugione percuteretur, in quē ausus fuerat cōtumelias dicere. Ad extremū, sequendi capti cōsilij causam dedit aduentus Giraldi comitis Chyldarię Hybernię præfecti: is etenim cùm esset cœlebs, cupereq; ex Anglis habere uxorē, uenit ad Henricū, & primùm omniū officij gratia salutauit Volsæū, à quo comiter accipit, dein rei uxoriæ uacare cœpit, quę res Volsæo materiā præbuit aliquid ei pestis machinandi. Porrò Volsæus audierat comitem esse bene nummatū, qui idcirco causam aliquid ab eo hauriendi pecuniæ quærens, paucis pòst diebus sermonem hominis uitat, palàm irascitur, apud Henricū non cessat de eius fama honestateq; maledicè detrahere, & accusare illud in primis, q; quandā nobilem uiduā posceret sibi uxorē, contrà atq; ipse uellet. Ne multa, Comes cùm ita culparetur uexareturq;, ac nullos interim numini Volsæano nūmos offerret, in carcerē conditur. Tum Volsæus sui negotij callidè gerēs, Thomā Hauardum Hybernię præfectū designandū curauit. Ita Thomas eam prouinciā magis odio alterius, q; amore sui, obtinuit, optimè gnarus se in exilio uerius q; in prouincia usq; eò futurū, quoad, si fieri posset, id esset in manu inimici. Erat item alter Henricus Northumbriæ comes, quē Volsæus rei impedimento fore suspicabatur, quo minus pro libidine sua in ducē animaduerteretur, quē contrà proinde tanta regi suadere constituit, ut ad illum nullus exin patêret aditus, nihilq; cū ipso in gratia esset. Itaq; cùm comes paulò antè quorundam pupillorū tutelam more patrio suscepisset, quò eorū custos esset, patrimonioq; tam diu frueretur, quamdiu pupilli alterū &

Universidad de Deusto
Biblioteca

uigesimũ compleuissent annum, Volsęus qui uoluntatẽ fermè semper pro iure habebat, eam tutelam ad regẽ pertinere simulans, repetiuit: comes iure sibi uenire contendebat, & cùm cedere nollet, in ius uocatur, ac in custodias includitur, atq; tutela nomine regis recipit. Tum Volsæus præda potitus, ita rem postea cum comite trãsegit, ut ille in lucro posuerit, q; ex eius manu euaserit. Secundũ hęc Volsæus gaudio triumphans, apud regẽ iactabat, iam diluxisse omnes uigilias, curas, cogitationes in eius salute configere, q; in præsentia nõnihil depressisset ducẽ & eius amicos, qui tanta affinitatis colligatione coniuncti essent, ut periculum iam supra caput esset, ne in regni dominationem repentè inuaderent. Ita homo perniciosus paulatim in animum principis inducebat, ut ducem sibi cauendum, ac demum tollendum existimaret.

Interea rumor futuri colloquij ad Caroli aures peruenit, qui animo cernẽs id ex re præsertim sua minimè fore, omnino impediendũ iudicauit: quare per literas, per legatos, Henricũ rogat, ut meminisse uelit principis esse, nõ animis solùm, sed oculis etiã placere ciuium, & illud haudquaq; futurũ si ad Gallum nominis Anglici haud semper amicũ, ipse iuerit, ac suos principes in aspectũ eius adduxerit, q; cogerentur & uidere domi suæ Gallos, & cũ eis uersari, comesse, bibere, quos nõ ualde multũ dilexissent, natura duce, quæ facit ut amemus amãtes, & uitemus inuidentes. Præterea monet nõ esse admodũ tutũ, facere inimicũ iterum atq; iterum reconciliatũ consiliorum participem: idcirco summè orat, ut ne pedem quidem talis cõgressus causa, qui nullo pacto ei ipsi emolumento esse possit, Angliæ finibus efferat, néue per id, uelit amicis longè fidissimis suspicionẽ adferre. Hoc Carolus laborabat, quod boni æquiq; omnes faciundũ iudicabãt, pręter Volsęũ glorioſum pastophorũ, qui uice pauonis caudã uersicolorẽ pandere, hoc est, suos ornatus extollere in terra Gallia cupiebat. Atqui ubi Carolo nuntiatũ est, nihil esse q; tentaret captũ consilium refringere mutaréue, cùm magis hoc negotiũ cæteris omnibus prætendum ratus, protinus iter quod in Flandriam habebat, facere citius maturauit, atq; non longè pòst cum paucis nauibus, ex Hispania soluit.

Heroes Angli inter hæc, cum suis cohortibus, Londinũ conueniunt, & cũ primis Buchyngamiæ dux cunctis rebus multo ornatissimus, quẽ Volsæus immane odiũ in eum antè conceptũ dissimulanter cõtinens, humaniter apertè tractauit. Is præcedit Henricũ, & ad prædia quæ in Cantio habebat, profectus aliquot dies ibidẽ moratus, ubi non fuit quisquã omnium fructuariorũ, qui nõ sit questus de Caroli Cheneuetti eius procuratoris rapinis ac iniurijs. Quibus rebus dux cõmotus, de damnis suorũ colonorum cognoscit, & cùm eos iure conqueri cõperisset, Carolũ ea curatione illico priuat, nesciens id sui confodiendi telum futurũ esse, uti appositè alibi demonstrabitur. Rex paucis post diebus, magna stipatus principum caterua, ac regina puellarũ choris instructa tandem progrediunt, insequente eos Volsęo, cũ suo purpurato comitatu, ut sole aurorã: iamq; prope Cantuariã erãt, cùm esse tibi Carolus imperator Douerũ peruenit, ad quẽ Volsæus confestim aduolauit, in oppidũq; induxit, dum Henricus accederet, qui postridie eius diei, bene mane adfuit, multaq; humanitate & gratia Carolum cõplexus uesperi Cantuariã duxit, ubi uarios inter se sermones habuere. Carolus quantũ cura, labore, consilio, autoritate, eniti potuerat, nihil prætermisit quod ad disiungendũ Anglum à Frãco perti-

pertineret, & quia iam cõperierat Volsæũ perinde beneficio, ut pisces hamo, sicut aiunt, capi, in eo inescando, irretiendo, ac deniq; expugnãdo omnes contendit neruos, pollicẽdo honores, pollicendo præmia, dando in præsenti dona. Non expectauit corruptus animus, dum extrema expugnatio, quę longè acerrima esse solet, appropinquaret, nam ita spes lucri subitò hominẽ tenuit, uti promiserit se operã daturum ut auocaret sensim Henricũ à Frãcisci cõiunctione, & propterea Carolum rogauit, ut nihil uellet improbare colloquiũ, adeò timebat Volsæus, ne occasio amitteretur, quippe qui desiderio trãseundi flagrabat, quò sua celsitas apud Gallos permagni fieret. Ita cõpositis rebus, Carolus à re seria ad iocos ipse quoq; cõuertitur, non usquequaq; tamẽ in eos incubuit, quin summa in eo id ætatis adolescẽte grauitas esset, nanq; nullo pacto adduci potuit, ut in chorum saltantiũ psallentiumq; aliorũ principum descenderet, qui tantũ spectator esse uoluit. Fortasse Mariæ puellæ aspectus Carolo nõ omnino lætitię fuit, quã à principio amare cœperat, & per fatũ, in matrimonio habere nõ licuit. Verùm Carolus Volsæi promissis ualde gauisus, post tertiũ diem quàm uenerat, in Flandriam profectus est. Henricus aũt biduo post Caroli discessum, Caletũ traiecit, atq; Volsæum Ardeã ad Franciscũ allegauit, ad diem cõgressionis statuendũ, qui interim Guinas uenit, ad quod oppidum domus ad tẽpus regali splendida luxu strata erat. Franciscus rex Volsęo ueniẽti obuiã processit, omniq; beneuolentię officio accepto gratias egit, q; per eum amicitiã quã diu appetiuerat, cum Henrico iunxisset, eiusq; id gratissima opera cõsecutus foret. Ita inter se multa locuti, diem collocutionis dicunt, qui fuit septimo Idus Iunij, Corporis Christi, festus & solẽnis, quo reges inter Guinas & Ardeã congrederentur. At cùm dies uenit, collocata utrinq; multitudine comitatus maximo plausu suos principes celebrante, reges in tabernaculum medio spatio positũ cum paucis suorũ intrant, ubi primùm inter se uelut ualde beneuoli ex animo salutant, deinde multa facta gratulatione, unà amanter ad uesperã colloquuntur. Ac ita iacto amicitiæ fundamento, postero die Franciscus uenit salutatũ Anglam reginã, & Henricus uicissim Francam, & uterq; postquã pransus est, domũ redeũdo, in itinere alteri obuiã fuit. Post hęc reges sępius simul fuere, modò Ardeę, modò Guinis, multò familiarissimè, id quod uitæ & moribus principũ Christianorũ maximè conuenit, cùm Christus aiat: Mandatũ nouum do uobis, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos. In qua una equidem re ille regũ congressus plurimũ meruit laudis, sed in cæteris nõ item, quandò ibi solùm luxu multarũ similiter rerũ deliciarumq;, ac delicatorũ conuiuiorum lautitia certatũ est, & Anglicanę fœminę à nõnullis lasciuioribus, quę in comitatu Francarũ matronarum erant, uestimentum nouũ mutuatæ sunt, nõ multò hercle pudicas decens, quo etiã nunc sunt quę utantẽ, deposito ex magna parte uestitu patrio longè honestissimo, de quo in principio meminimus. Cæterùm Volsæus qui multus erat in magnificẽtia sacrorũ, rem diuinã põtificali more semel atq; iterũ fecit, cùm reges inter sacra, fœdus iureiurando cõfirmarint. Multos igit dies omnia personare lætantiũ uocibus, sed nõ omnes Anglos lætis intueri animis in Frãcos animaduertere licuit. Quid, q; fuere uiri aliqui licentiores, qui ne uerbis quidem tẽperare potuerint? Quocirca Frãcisçus rex facilè perspexit se ac suos male audire, qui nactus idoneũ expostulandi tẽpus, ita Henricũ & Volsæũ affatus fertur: Ago tibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hẽrice rex, immortales gratias, ꝙ certa opinione percipio, ac ex frõte, ut aiũt, uideo te mihi in amore rectè respõdere: etiã tibi optime pontifex me plurimũ debere fateor, quia & me unicè amas, & tua opera Hẽricũ mihi amicũ, & perne cessariũ fecisti: nam cæteri Angli, prout animo pariter atq; oculis cerno, tantũ abest ut nos diligant, ut etiã non libenter inspiciãt: sed naturę uitijs parcendũ ducimus: nanq; hęc referre collibitum est, nõ quò uelim, ut uos uestros ob id minus gratos charosq; habeatis, cæterùm ne suspicemini me uestrũ beneficiũ nõ agnoscere. Henricus rem per iocum cõmodè purgauit, cùm remoto ioco id fieri nequiret. Atq; breui pòst à colloquio discessum, Francisco Lutetiã & Henrico Caletum redeunte. Quod simul ac Carolo nuntiatum est, statim Caletum ad Henricum aduolauit, multisq; precibus apud eum egit, ut suã Flandriam uiseret, cui pro humanitate rex se deinctũ aiens, respondit aliàs id per tẽpus facturum. Atqui maius Carolo negotiũ cum Volsæo erat, utpote quẽ in amicitia retinere cupiebat, ac propterea ad amplissimorũ præmiorum spẽ rapuit. Quo expedito negotio, ille in Flandriã, Hẽricus uerò in Angliã redijt. Is fuit annus Hẽrico à gubernatiõe regni XII, ac ab salute humana MDXXI.

Verùm ubi Carolus in Flandria fuit, suis in senatũ coactis cõsiliarijs, cõsultat de insignibus Imperij suscipiẽdis, de profectione eius rei causa in Italiã, de stipendio militũ parãdo. Placet omnibus, ut ille principũ Germaniæ conciliũ Vormacię habendũ constituat, ac interim Aquisgranũ petat, ibiq; prout moris est, primã coronam accipiat, nam triplici corona Imperator decorari solet. Hæc postq; cõstituerat cõciliũ indicit, exercitũ cõflat, ac primo quoq; tẽpore Aquisgranũ proficiscit, ubi ad tertiũdecimũ cal. Nouemb. ferrea corona redimit, ac exin Vormaciã pergit, aduenientibusq; cunctis Germanię principibꝰ. cõuentũ celebrare incipit. Primũ omniũ in eo consessu de rebus Imperij ordinandis agit, dein de instauranda maiestate, quæ per Imperatorũ tum incuriã, tum propter rei domesticę infirmitatẽ, maximè labefactata esset, postremò de armãdo Carolo ad bellũ gerendũ, quatenus ita res posceret. Porrò Imperatorẽ res Imperij gerentẽ reliqui Germaniæ proceres debẽt pecunia, peditatu, equitatuq; instruere, & pręsertim cùm it susceptũ coronas. Dum ista in Germania agitant, ingẽs in Hispania oritur tumultus, inter prefectos regios & plebẽ quorundã nobiliũ potentia fultã, ac male omnino in Carolum animatã, eò ꝙ sibi alienos honore præferri doleret. Siquidẽ Carolus cõsilio Gulielmi Ceuerensis uiri solertis & magnæ apud eum autoritatis ductus, omnes ferè totius Hispaniæ præfecturas suis Flandris paulò antè detulerat, & illi, ut qui neq; leges, neq; cõsuetudines, neq; deniq; hominũ mores norãt, alijs uẽdiderãt, quoniã emerant, necesse habebant iudicia, quæstiones, iura demũ omnia uenundare. Quibus ex rebus sequebat, ut duplex imprimeretur reip. dedecus: unũ, ꝙ minime ad faciendũ officiũ iudices idonei positi essent: alterũ, ꝙ passim homines impunè læderent. Ergo cùm Carolus paulò antè discessum suũ quandã pecuniæ summã imperasset, populus eam péndere recusauit, & id factũ specie honesti defendẽs cœpit uociferari, nequaq; è repub. esse, dare pecuniã pro bello alibi gerendo, atq; ita patriã opibus spoliare: qui ita soluere negando, cùm cogeret, ad arma uentũ est, multumq; utrinq; stragis editũ, donec interuẽtu principũ pugna sedatur, at ira plebis magis resedit q̃ ab animis discessit. Hęc ubi ad Carolũ delata sunt, consilia subitò mutant, in concilio enim tantùm

tantùm dein agitur utrũ Carolus debeat in præsentia pergere In Italiã, an Hispaniã petere, ad cõponendos recẽtes motus. Ad ultimũ illi alios perduxerũt ad suam sententiã, qui Hispaniã pacatã ante omnia reddendã censebãt, ex eo argumentũ accipientes, ꝙ Carolus nõ posset magnas sine Hispano milite res in posterũ tẽpus gerere, quas iampridẽ animo destinasset. Ita mora allata est dissensioni, non causa sublata, ueruntamẽ unicuiq; de cõsilij sentẽtia, imperat certus militũ numerus, qui postea Carolo ad reliquarũ coronarũ decus recipiendũ proficiscenti præstò essent. Dum ista gerunt, Gulielmus Ceuerensis moritur, cuius obitus haudquaq̃ malo fuisse Carolo fert, tum ꝙ ipsi pars bona eius hæreditatis testamẽto uenerit, tum uerò ꝙ eo mortuo frequentius solito cœperit remp. capessere, quia antè Gulielmo cuncta credẽs cõmittensq;, illud rarò faciebat, adeò ut periculũ esset, ne, si ille diutius uixisset, aut ipse gubernacula Imperij prehendisset, ueluti curæ insolens, aut bene regere nõ facilè sciisset. Carolus dimisso cõuentu in Flandriã reuertit, prouisurus ne sibi ab inimicis noceret. Inter hæc Frãcisc̃us rex secũ cogitans quantũ rebus suis Italicis periculum à Carolo impendẽret, immineret, si Italiã peteret, iam statuerat Mediolanũ cõtendere, cùm uerò audiuit de ipsius Caroli reditu, tãto labore supersedendũ ratus, dein alia curare cœpit, quę ad præsentẽ rerum statũ pertinere uisa sunt. Leo aũt pontifex, cuius animũ obitus Laurẽtij nepotis, qui reliquus ex familia erat, tantũ paulò antè depresserat, quantũ eiusdem uita ad res nouas erexerat, iam demũ quietis cupiẽs, gauisus est Carolũ mutasse consiliũ de Italia nõ adeunda, ac ut omnẽ causam id faciendi adimeret, paratũ se dixit esse mittere legatos, qui eum domi corona redimîrent. Atqui Carolus illud abnuit, rescribẽs, uelle se ad honores ascẽdere suo & loco & tẽpore, qui suspicatus est, Leonẽ magis Frãcisci regis rogatu, q̃ sua sponte id humanitatis officium esse pollicitũ. At simul ac Carolus ad Flandros reuertit, Henricus misit Cuthbertũ Tonstallũ oratorẽ suũ, ut suo nomine apud eum de cõpositione pacis cũ Francisco rege cõciliandæ ageret, quippe ea res summę Volsæo curę erat: nam cùm cœpisset ab utroq; muneribus donari, ut suprà dictũ est, expedire sibi nõ mediocriter ducebat, si ambos sibi amicos cõseruaret, id quod fieri posse minimè cõfidebat, nisi inter eos aliqua pactio maturè cõueniret. Verumenimuero Carolus cõcordiã omnẽ prorsus desperabat, qui cùm repetisset oppida sua quę Frãcus in Belgica retinebat, & nedũ nõ reddita, sed responsa semper parum æqua data essent, aliter sibi progrediendũ existimauit: nam postq̃ Volsæũ lenire præmijs cœperat, id pro eo habebat, atq; si iam Henricũ regẽ à Frãcisco alienasset, adeò, ut sibi tantũ restare putaret, quomodo Leonẽ Romanũ quoq; põtificẽ ab eodẽ distraheret, sibiq; copularet: quare in eã rem sedulò incumbendũ constituẽs, per legatos, per nuntios, per literas Leonẽ rogat, ut honori, ut patriæ, ut deniq; religioni cõsulat, proponitq; quasi ob oculos, duas tabellas, alterã malorũ, alterã rationũ plenas. In prima erãt talia: Italiam multos iam annos suo cũ summo malo tulisse dominationẽ Gallorũ nõ modò acerbã & etiam superbã, uerùm cõtumeliosam. In altera erat: Romani pontificis, qui se cõmunem omnium patrẽ appellat, esse, nõ facere cũ homine qui alterũ lædat, sed eum ipsum cedere uirga ferrea, ut dicit, ad conseruandã religionẽ, ac tutandam patriã: & ea omnia ab eo nauiter factũ iri, si sua autoritate, studio, opibus iuuerit Romanũ Imperatorẽ, qui armis Italię hostes proculexigere, eamq; in pristinũ statum restituere, exules principes in patriã reducere, tam in animo haberet, q̃ speraret nõ magno negotio sine mora effice-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,cùm apud ipsum esset Frãciscus Sfortia optimus adolescẽs, & ei Mediolanensem principatũ iure deberi nemo nõ sciret:atq; hanc bonã mentẽ crederet sibi Deũ iniecisse,qui & deinde potestatẽ ac facultatẽ opprimẽdi inimicos daret. Hæc cũ Leone agitabant,cùm legati multò uehemẽtius urgerẽt Iuliũ Cardinalẽ Medicẽ summæ apud Leonẽ autoritatis, q suo fermè nutu rem omnẽ gerebat,curando de alienatione pontificis à rege Franco. Sed ne longũ faciã, Leo qui à principio Laurẽtiũ nepotẽ Hetruriæ principẽ opera Frãcisci regis facere animo statuerat, & post eius mortẽ iam eã abiecerat uoluntatẽ parãdi suis regna,cœpit ppensior esse ad cõmunẽ Italiæ libertatẽ, cùm præsertim uideret Carolũ idẽ laborare,ut Gallo Italia pulso Frãciscus Sfortia in auitũ principatũ restitueret,quo Maximilianus maior natu frater iampridẽ à Frãco impulsus,elusus,inductus, se miser abdicarat. Itaq; inita quamprimum belli gerendi ratione,cum Carolo se staturũ promisit patriam à Francorũ seruitute liberandi causa: sed consilium suum haud prius patefaciendum putauit,quàm occasio oblata esset se ab amici cõiunctione honestè auocandi.

Eadẽ tẽpestate erupit in omnes Christiani orbis partes Lutherana doctrina, de cuius initio nos lib.viij. de Rerũ inuẽtorib. tradidimus, cœpitq; mirandũ in modũ irrepere in mẽtes hominũ: Etenim nouitas opinionũ quę mẽte facilè cõprehendunt, imbecillitatẽ animorũ quocũq; uult flectit & torquet, quibus mens ipsa incitata propè furere uidet. Quocirca Hẽricus rex, qui habebat regnũ suũ maximè omniũ religiosum,ueritus ne uspiã labes aliqua religionis fieret,primũ libros Lutheranos, quorũ magnus iam numerus peruenerat in manus suorũ Anglorũ,cõburendos curauit,deinde libellũ cõtra eã doctrinã luculenter cõposuit,misitq; ad Leonẽ pontificẽ. Delectauit multũ opus Leonis animũ,partim quia plenũ erat ipsius defensionis causę,partim uerò q talẽ patronũ consecutus foret,qui librũ sua autoritate probauit, legendumq; decreuit,ac ut memoria tam grati beneficij aliquo nomine perpetuaretur, tum Henricum regem defensorẽ fidei appellauit, quo ille deinceps titulo usus est.

Post hæc rex ad utilitatẽ reip.oculos adiecit,abhinc enim quinquaginta & eo amplius annos,nobiles pecuarij modũ excogitarãt,quãobrẽ sua augerent annua agrorũ uectigalia,ex quo agricolæ nõ utiq; mediocre damnũ faciebãt: illi siquidẽ more Numidarũ,magis pabulo pecoris quã aruo studentes,cœperunt colonos agrorũ perquàm raros ubiq; habere, domicilia rustica cõplanare, uastas solitudines facere, & terrã uacare perpeti,eamq; armẽtis,gregib.ac ferarũ multitudiue opplere:itẽ omnia pascua septis includere, pro suisq; tenere,monopolia lanæ,ouiũ boumq; suo iure instituẽtes. Vnde triplex in rempublicã permanauit:unũ, q agrestiũ numerus diminutus est,quib. princeps ad bellũ gerẽdũ cũ primis utit:alterũ,q bene multi uici atq; oppida habitatorib. uacua cõplura ruerunt:tertiũ, q lana ac pannus qui ex ea conficit,atq; omnis generis animaliũ caro qua homines uescunt, pluris cœpit uendi q̃ solebat,sic ut minoris ne nunc quidẽ fermè ueneat. Hæc olim mala nascentia cũ minimè oppressa essent,postea inueterata multò robustiora facta sunt,quę postremò nõ facilè tolli potuerũt. Rex hinc igit edicto tota Anglia diuulgato, imperat locorũ prefectis ut renuntiẽt,quę eiusmodi maleficia his quinquaginta annis admissa forẽt. Prefecti officio functi diligẽter omnia referũt. Tũ publicè iussũ est domos dirutas rursus ędificari,colonos reduci,septa refringi,cõstituiturq; grauis pœna illis q imperata nõ fecisẽt. Ea tam sancta decreta paulò pòst magna ex parte pretiũ rescidit:nã cùm nobiles,q uoluptatis pariter atq; utilitatis gratia, septa ferarũ in campis etiã cõmunibus fecerant, & grauatissimè ea ad

pristinũ usum reuerti patiebant, cœpissent ab Volsæo uexationẽ redimere pecunia,cõfestim nõ nullis licuit retinere quod cupisẽt. Atq; magna multorũ expectatio frustra fuit, pauxillũ tamen cõmodi agricolarũ turba ex ea re ipsa sibi attulit,quę cùm facta esset potestas irruẽdi in septa,prius ea diuellit,q̃ regina sese pecunia opponeret,ac ita cõmunib.locis uti pro cõmunib.tãdẽ cœpit.

Agrariũ negotiũ expeditũ,aliud mox Volsæo impulsore,funestũ admodũ sequitur:nam quanq̃ ille unus erat ordinis episcopalis,qui episcopi apud nos Apostolorũ locũ tenent, uelut libro de Rerũ inuentoribus planius fit, quos Christus perfectos esse maximè uoluit, cùm apud Matthæum ita iussit:Bene precemini deuouentib.uos,benefacite ijs qui oderũt uos. Et cõcludit: Eritis igiũ perfecti,sicut pater uester,qui in cœlis est. Huius certè perfectionis uidet ne scintilla quidẽ in Volsæo ipso unq̃ illuxisse,qui nõ modò nõ benefecit inimico etiam nõ uoluntario,nec sibi nocenti, sed ardens odio, idq; saturãdi humano sanguine cupidus, cœpit struere exitiũ,quod antè animo statuerat,uti suprà dictũ est,Edouardo Buchyngamię duci:cuius facinoris conficiendi instrumẽtũ sibi usurpandũ iudicauit Carolũ Cheneuettũ, quẽ antea dux ut hominem iniquũ ab se ablegarat. Is ab Volsæo interrogatus,omnẽ ei ducis uitã patefacit,atq; primũ indicat,eũ sermocinãdo solere dicere,se datutũ operã,ut regnũ occupet, si usu ueniat ut Hẽricus sine liberis è uita exeat, deq; ea re ipsa aliquãdo habuisse sermonẽ cũ Georgio Borgẽniæ regulo,cui in matrimoniũ filiã collocauerat:itẽ minaciter denũtiare, se pœnas multorũ scelerũ aliquãdo petiturũ ab Volsęo uiro improbissimo,suo sine causa inimicissimo. Hinc Volsæus materiẽ perdẽdi ducis aucupatus Carolũ tã uerbis q̃ promissis cõcitat, stimulat,inflãmat,ut uelit hæc omnia suo tẽpore præsenti animo obijcere duci,cùm usus fuerit,& indicare plura,si sciat. Tum ille partim ulciscẽdi se cupiditate incẽsus,partim præmio ductus,manifestè refert, duci aliquãdo cõstitutũ fuisse Hẽrico regi mortẽ machinari,eò q in spẽ quasi certã adductus esset potiundi regni à quodã uate monacho Carthusiano,q eius cõfessionẽ delictorũ secretiorẽ audire solitus esset. Quib.rebus cõpertis, Volsæus adit ad regẽ,docet eius uitã à periculo nõ abesse,criminat ducẽ de proditione,dicitq; indicia sceleris iam reperta: quare hortat, ut primo quoq; die uelit se atq; suos à tãto discrimine,phibere. Ad ea Hẽricus respõdit: Si dux dignus est pœna, ad pœnã uocet. Dux itaq; cõtinuò Londinũ accitus,in curia corã iudicibus accusat à Carolo maiestatis,ille uerò homo sua patria lingua eloquẽtissimus,causam suã grauiter dicit,acriter defendit,ueruntamẽ propter appetiti regni culpã,capite damnatus morte mulctatur. Georgius uerò regulus indemnatus,uelut suspicionis tantum affinis, in custodiam traditur, qui post aliquot menses, cùm de eius bonis fuerit aliquãtulum diminutũ, è carcere emittitur. At uates Carthusianus suæ dementissimæ temeritatis, postquam eum satis pœnituerat, mœrore animi confectus migrasse in cœlum dicitur.

Quærebat interea Leo Rom.pont. causam alienandi sese à Frãco,uelut suprà patet,cùm ipse Frãcus idoneã dedit:quippe aliquot Mediolanẽses exules id tẽporis se Rhegiũ receperant,quos Thomas Fusius,q Mediolani uicarius erat Odethi Lautrechi fratris præfecti regij paulò antè in Galliã profecti, repetebat: cõtrà Frãciscus Guiciardinus,qui loco prerat,uir summa grauitate prudentiaq;,ex fœdere posse se & eos recipere & conseruare,respondebat. Ita ex ea re orta contentione, Fusius statuit per speciem eiusmodi exulum repetendorum,Rhegium occupare,nihil pensi habens,id sine fœderis uiolatione fieri nõ licere,& quamprimũ Alexandrum Triuultiũ cũ expedita equitũ tur

ma illuc ire iubet, qui q̃d ipse cogitarat, efficere maturet. Is cõtinuò profectus non procul ab oppido constitit. Fusius interim nuntiũ ad Franciscũ mittit, ut suis uerbis dicat, se uelle cũ eo de re graui colloqui, si modò in oppidũ introire liceat. Frãciscus respondet, se eum libẽter mœnib. recepturũ, si paruo cõtentus comitatu accedat: quod cùm ille facere noluisset, extra portã obuiam uenienti factus est. Tum Fusius Triuultio clàm mãdat, ut dũ ipse in colloquio sit, alia uia ad proximã portã cõtendat, deturbatoq; præsidio, oppidũ capere conet. Dolo per hũc modũ adhibito, Fusius citò ad Franciscũ pergit, petit, urget, instat, ut exules sibi reddat, tẽpus de industria extrahendo, dũ milites q̃d iusserat, faciãt: qui prius q̃ ad portã sint, uisi ab illis q in muris excubabãt, subito rumore retardant, ac præsidio portis emisso territi, pedẽ statim referũt omni successu desperato. Atq; sic nihil profectũ est. Ibi Triuultius pila plũbea tormento sclopo emissa percussus, biduo pòst interijt. Frãciscus cognita fraude, Fusiũ ipsum cõprehendit, aliquot qui cũ eo erant in uestigio interfectis, atq; Leonẽ pontificẽ de reb. gestis quãcelerrimè potest, certiorẽ facit. Leo gauisus oblatã esse sibi occasionẽ quã cõcupiuerat, Franciscũ collaudauit, iussitq; missum facere Fusiũ, ut ne per collocutionẽ captũ fuisse diceret, q̃ ita dimissus ad fratrẽ, qui ex Gallia iam Mediolanũ reuersus erat, incolumis peruenit, sui se iriti incœpti grauiter tam pœnitens, q̃ dolens uicẽ amici sui Triuultij, uiri militari gloria & nomine illustris. Igit̃ Leo qui iam Frãcorũ amicitiã animo repudiarat, stomachatusq; etiã erat, q; æquè uerbis rogaret, atq; propè minis coget retur à Frãcisco rege, dare Apostolicũ legatũ Frãcię, ac restituere Bentiuolos in patriã, palàm à societate discesit, atq; ad Carolũ adhærescens bellũ cõparare cœpit. Qua re cognita, Franciscus nullã morã interponendã parandi quæ tumultui de integro renascẽti usui essent, pusauit, qui protinus supplementũ militũ Mediolanũ misit, præsidia locis opportunis disposuit, classẽ instruxit, ut ne imparatus offenderet: His auditis Carolus quoq; celeritate opus esse uidens, Prosperũ Colũnensem cũ his copijs quas Neapoli habebat, Galliã Cisalpinã uersus mittit, ubi belli initiũ faciundũ erat. Paucis dieb. Leo exercitũ maximũ & fortissimũ cõscripsit, cui Federicũ Mantuæ Marchionẽ adolescentẽ ætate similiter atq; animi indole florentẽ præposuit, & ei Vitellotiũ Vitelliũ pari etiã uirtute ac militari arte clarũ sociũ attribuit: sed placuit primũ omniũ incitatũ iri Genuã, per Adornorũ exulũ partes, ad defectionẽ. Quocirca classis quę Neapoli parata erat, adiũcta ad pontificis triremes, Genuã proficiscẽtes, si quid celeritate cursus, atq; opportunitate tẽporis, ꝓficere posset: quę postq̃ in conspectũ uenit, & iam sese ad oppugnandũ expedire simulauit, animaduertẽs ciuitatẽ ad resistẽdũ paratã esse, unde uenerat se recepit: atq; ita inaniter laboratũ. Interea arx Mediolanensis de cœlo tacta est, incredibili hominũ strage, id quod dubio procul futuræ Gallorũ deiectionis prodigiũ fuit. Iam copiæ terrestri itinere Parmã peruenerant, quã Prosper antè circuuallauerat, muros passim tormentorũ ui ualde uerberando, ubi loci scienter in duas partes se distribuũt, & alij ad obsidionẽ continuandã manẽt, alij duce Vitellotio cõtendunt ad retardandũ Alphonsum Ferrariẽsem ducẽ, quò ne Gallis subsidio eat. Alphonsus Vitellotio ueniẽti obuiã fit & cõmisso temerè prælio, nõ sine magna suorũ clade ad punctũ tẽporis profligatur. Ita initio belli grauissimi facto, fama facilè peruasit ad Anglos, totã Italiã nouo tumultu ardere, quę Henricum regẽ non mediocriter solicitũ habuit: nam cùm se otij, pacis, cõcordię autorẽ inter Carolum & Franciscũ prębuisset, in eam erat spem ingressus, ut iam

ut iam amicitiæ, nõ discordiæ accessio fieret. Sed multò magis Volsæo rationes omnes cõturbauit, quippe cui istorũ duorũ principũ sine bello cõtentio & simultas quæstui erat, dum uterq; eius fauorẽ certatim largitionib. quærita bat: at nũc captis utrinq; armis, dolebat excruciabaturq; mercenarius amicus. Ad Henricũ redeo. Is regum mentes turbatas, tam iure cõmunis necessitudinis, q̃ suapte benigna uoluntate placandas curare maximè cupiebat, propterea q; si in officio ambos retinere non posset, sibi in alterius partes eundũ cernebat, quod tamen priusquã accideret, omnia tentanda cõstituit. Itaq; euestigiò Volsęum Caletũ mittit, qui illinc ultro citroq; missis ad utrunq; regẽ nuntijs, cum literis datis, eius autoritate suoq; studio & cura experiatur, an longè periculosissimũ bellum ad pacem & concordiã conuerti, uel ad tẽpus restingui queat, modò uni modò alteri fidem ipsius pro altero obligãdo, multa simul promittendo, recipiendo, spondendo. Volsęus quamdiligentissimè functus officio, ad extremũ cùm in bello nihil pacis nomen ualere uideret, subitò refrixit, & id magis ratione suæ quæstuosæ legationis, quã obibat, ut ne etiã faceret cõtra Leonẽ pontificem, ac nullum amplius ad Franciscũ regem respectum habuit. Idem fecit, mirũ dictu, Henricus, sed cum causa, quare iusserit Volsæũ declarare, ecquid illud esset, & cõfirmare amicitiã Caroli. Ille recepto mandato, cœpit apud Gallũ callidè appositeq; expostulare, q; Scoti eius perpetui amici nollent efficere promissum, quod ipse aliàs, ut suprà docuimus, fecerat: nam Frãciscus uoluit Scotos fœdere cõiunctos esse cũ Henrico, qui postea id sancire cõtempserunt, ex quo cùm Scotus ne latũ quidem digitũ à uoluntate Frãci discedere soleat, suspicio nõ iniuria orta est illud Franci arte factũ, ut ne Anglus ab omni parte hostili metu uacuus foret. Ita Volsæus fœdus Henrici nomine cũ Carolo renouauit, ad quẽ eius rei causa, Brugas perrexit. Carolus cùm iam omnes Volsæi sensus cognitos haberet, q; ei nihil esset publica aura gratius, uenienti obuiã processit, hospitaliterq; tam eum q̃ eius omnẽ comitatũ accepit. Erat per eos ipsos dies apud Carolũ Christiernus rex Dacorũ, q; eius sororẽ in matrimonio habebat, & uti officiosior, eò paulò antè uenerat: is nimirũ ingenio eodem atq; Volsęus erat, superbo præditus, nõ modò noluit ire obuiã pontificio legato, sed increpauit Carolum, q; immemor dignitatis fuisset, humanitatis studio. At Volsæo postquã fœderis compositio cum Carolo conuenit, summę in primis, iussu Henrici, curæ fuit, ut ille eius negotij recẽtè conficiendi causa, dum Hispaniam peteret, per Angliam iter faceret, id q; maiorem in modum petijt, quod Carolus se facturum promisit. Per hunc modum Volsęus societatẽ Henrici cum Carolo optimè coiuit, ac diremit à Franciscо rege atq; magnis donatus muneribus Caletum reuersus est.

Hæc ut acta sunt, ubi Frãciscus rex resciuit, Volsæũ perfidię accusat, culpat, criminatur, execratur, q; per eum stetisset, cur sibi nõ licuisset diutius Henrici necessitudine uti frui, qui ex eo statuit hominẽ sibi perpetuò persequendũ, nec cuiquã Anglorũ omniũ deinceps aliquid donorũ dandum, adeò datorũ iam pœnitebat: nam Franciscus more maiorũ aliàs nõnullis Henrici consiliarijs in singulos annos munera mittebat, quò sibi iustè fauerẽt, & quia Volsęo plus largitus erat, plus ei meritò succensebat, uti iniuriæ capiti. Quanq̃ quis dicere potest, Franciscі odiũ minimè iustũ minimeq; Volsæo debitũ: etenim si hominis naturã cognouisset, cognouisset aũt si nõ dissimulasset, facilè com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

periſſet nihil illi confidendũ, utpote qui in ſua non eſſet interdum poteſtate, nec pro ſuo ageret iure, plerunq; eò tractus, quò rapiebat auiditas lucri, quò furor, quò libido, quò denicq; leuitas. Nec uſcq; eò tamen iracundia agitauit Franciſcũ, ut aliqua in Henricũ maledicta palàm contulerit, quin haud multò pòſt per literas, etſi fortaſſe diſſimulãter, oſtendit ſe in eius amicitia manere, quò ne cũ duobus potentiſsimis hoſtibus uno momento ſibi certandũ eſſet. Cæterùm tunc bellum longè teterrimũ cùm terra tum mari, inter ipſum Francum & Carolum ex diſcordia natũ eſt: quare Carolus Hugonẽ Moncada, hominem Hiſpanũ, uirum fortẽ æquè ut prudentẽ, cum parte copiarũ Tornacũ mittit, ut urbẽ circumſedeat: qui ut imperatũ eſt, feſtinanter confecto itinere, multos in agris nec opinãtes deprehendit, ciues mœnibus includit, alterã uerò partẽ exercitus cũ equitibus leuis armaturæ extemplò quoquouerſus ire iubet, ad omniũ uiarũ aditus antecapiendos, ut ne Tornacenſibus ſubueniat. Franciſcus rex cõtrà miſsis omni feſtinatione properantibus aliquot cohortibus, primùm Flandrorũ fines uaſtat, nõnullis ex fuga diſperſis exceptis, cũ bene magno pecoris numero, dein exercitũ ualidum cũ curribus cõmeatuũ plenis ſubſequi iubet, qui ſuis ciuib. ſuccurrat. Exercitus bis tẽrue ſumma ui nequicq; niſus, cũ non modico detrimento repellitur, non ſine tamen hoſtiũ uulnere ac cæde, qui aliquot duces amiſerũt. Quibus rebus cognitis, Tornacenſes pariter armis ac fame domiti, ſpe ſimul abiecta ſubſidij, ſe Carolo dedunt. Sed multò grauius bellũ interea mari gerebatur, hinc Francis, illinc Hiſpanis cũ Flandris, omnia litora latrocinijs infeſta facientibus: ueruntamẽ plus lucri Franco erat, qui ſæpe hoſtiũ naues pretioſis rebus onuſtas capiebat, & ipſe ſi quas amittebat, amittebat aũt identidem, parũ omnino damni faciebat, q; uiliores ut plurimũ circumfert merces. Itẽ & pro Tornaco amiſſo, cœpit de Carolo Fontirabeũ oppidum Cantabriæ maritimũ, quod cùm audiuiſſet paruo teneri præſidio, illuc aduolauit, acriterq; obſedit. Oppidani repentino hoſtiũ aduentu terrore territi, ac ob cõmeatus defenſorumq; inopiam, ſalutẽ deſperantes, deditionẽ fecerũt. Gallus oppido potitus, illud ut ne eodẽ modo amitteret atq; acquiſiuiſſet, rebus omnibus cõmuniuit. Interim in Italia ad Parmã, ubi ſumma rei Francorũ erat, aliquandiu nec ceſſatũ in armis, nec grauiter pugnatum, in laceſſendo quietos, & cedendo reſiſtẽtibus, adeò ut Leonis ac Caroli fœderatorũ exercitus, fractis muris, in urbem ſe iniecerit: ſed ueritus inſidias, q; bona hoſtiũ pars mœnibus egreſſa ad pugnã ſe expedire ferebat, nõ mediocri & præda & cæde facta, in caſtra ſpontè redijt. Ita dies abſumebant, cùm Heluetiorũ manus ingẽs à fœderatis cõducta deſcendit in Mediolanenſem agrũ, quam cum præſidiũ Gallicum locis idoneis ad reſiſtendũ diſpoſitũ morari non potuiſſet, tum Galli recta Mediolanũ quadrato agmine pedẽ referre cœperunt, quos hoſtes ſecuti & in itinere conſecuti ad pugnã bellicũ canentes prouocarũt, quã illi tormentis cõmiſſam puncto tẽporis ſedantes, incœptũ iter ire perrexerũt. Duces fœderatorũ poſthac ut ne rem prælio temerè cõmitterent, expectandum rati dum Heluetij aduenirẽt, longo interuallo hoſtium ueſtigia ſecuti ſunt. Interim copiæ uttrinq; augentur, Venetis exercitum duce Theodoro Triuultio, Gallis auxilium mittentibus, & Heluetijs ad fœderatorũ duces ſe adiungentibus: Mediolanenſium uerò optimates uictorem ſequi conſtituũt, & qui Franciſco Sfortiæ fauebant, arbitrantes tẽpus

ueniſſe cùm iniurias à Gallis acceptas tutò ulciſci poſſent, priuſquã ad manus ueniatur, per fidũ admodum nuntiũ ſignificarũt Hieronymo Morono homini eorũ ciuitatis electiſsimo, & iuris perinde ut ueritatis amiciſsimo, cui multum ob eas uirtutes tribuebant, ſe quamparatiſsimos eſſe, in Gallos, quibus maximè infenſi erãt, arma ſumere, urbeq; expellere, ſi modò uelit cum copijs propius accedere, ac manũ cum hoſte protinus cõſerere. Moronus oblatam rei bene gerendæ occaſionem nequaquã negligendam ducens, rem cum Iulio Medices pontificio legato ac Cæſarianis ducib. Proſpero & Ferdinando Daualo Piſchariæ marchione, excellẽti animo ac uirtute uiro cõmunicat. Duces inter ſe conſiliũ ad ſequendũ capiunt, atq; ipſe Daualus præcedit ad locũ proximũ nomine Vincentinũ, quod Theodorus Veneti exercitus ductor præſidio tenebat, ubi cõmiſſo prælio, Theodorus capitur, effuſis in fugã eius militibus. Proſper uerò cũ exercitus robore Mediolanũ properat, & circũuallat, quẽ ubi appropinquare Lautrechus per nuntios cognouit, ex urbe cũ præſidij parte in arcẽ ſe recipit, ac ſtatim pòſt Comũ uerſus iter facit. Interea ciues expulſo præſidio Gallico, Iulium legatũ & duces Cæſarianos in urbem, in domos introducũt, quibus introductis, magni fuit repentè laboris militẽ continere, ne locum diriperet, quod ille factũ iri antè putauerat. Poſt hæc Daualus Comũ petit, atq; capit, præſidio inde bonis cõditionibus dimiſſo. At Lautrechus ita rebus malè cadentibus, Cremonã ſe contulit, ut ibi hyemaret, cùm hoſtes quoq; hyberna quærerent, ineunte iam hyeme. Atq; ſic Cæſariani duces Mediolano potiti ſunt, Carolicq; nomine in poſſeſsionẽ urbis uenerunt. Exin Proſper cũ parte uictoris exercitus, Genuã oppugnatũ pergit, quę Fregoſianæ factionis, cuius caput erat Octauianus Fregoſius, uir ob ſingularẽ modeſtiã, perinde omnib. ac optimo cuiq; chariſsimus, armis munita in Gallorũ fide manebat, qui ubi in conſpectũ urbis uenit, poſitis loco idoneo caſtris, cœpit de matura deditione cũ ciuibus agere, quã ne faciãt, Petrus Nauarra eodẽ momento cũ bene magno Vaſconũ numero, tam ſuo malo q; urbis fato, illuc ſecundo uento uectus impedimento eſt: is ciuitatẽ pauore perterritã mirificè cõfirmat, ac ad reſiſtendũ excitans, ante omnes ad portã ubi certamen futurũ erat, ſe locat, ſuoſq; locis opportunis diſponit. Mirũ dictu eſt quantã ad ſpem retinendæ libertatis omnes reuiuiſcere cœperunt, ob Petri interuentũ, cuius tanta erat opinio uirtutis, ut nihil nõ feliciter tali duce ſucceſſurũ putarent. Igitur populus uniuerſus omni cõcordiæ aut deditionis mentione ſublata, ferociter reſpõdet ijs qui ultro citroq; mandata deferebant, ſeſe urbẽ ſuam omnibus modis defenſurũ, atq; ad arcendum hoſtem armis & munitionibus eſſe perquàm paratum. Proſper cognito ciuium conſilio, propius adhæreſcit militemq; hortatur, ut urbem totius Italię longè opulentiſsimã, tanquam ad omnium laborum finem & præmium enitẽs, uelit fortiter aggredi, edicitq;, ut ſi expugnet, prædę habeat. Milites tanta expectatione prædæ incitati, cõfeſtim teſtudine facta in urbẽ perrumpunt, deturbatisq; Vaſconibus qui circa portam erãt, muros magna ui, ſed maiori detrimento accepto, amplius enim tria millia in ipſo ueſtigio cecidere, occupare incipiunt, ac Adornorũ factione intus adiuuante, hoſtem ſuperant, captis ducibus Octauiano Fregoſio ciuitatis principe, & Petro Nauarra, deinde ad ſpoliandas nobilium domos conuerſi, in loca interiora urbis penetrant, atq; hoſtiliter diripiunt. Plus prædæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo ipso die ibidem factum est, quàm toto anno per Mediolanensem principatum ex uictis hostibus partum: id tamen malum Genuenses quammaximè potuerunt dissimulauere, ut quia omnium ferè facultates in mercibus consistunt, ne minus fidei suis mercatoribus, qui apud omnes gẽtes negotiantur, aliquando haberetur. Dum Genua oppugnatur, ecce subitò nuntius mortis Leonis pontificis adfertur, id quod si paulò antè accidisset, nõ est dubiũ quin aut uictoriã è manibus ducum eripuisset, aut in aliud tempus distulisset. Cæterùm Carolus omisso belli socio, solus rerum potitus, Mediolanensem principatũ in suam potestatẽ redegit, cuius haud multò pòst, animi benigni, consilij boni magnitudine, cùm sua spõte, tum Mediolanensiũ rogatu, possessionem Francisco Sfortiæ optimo adolescenti dedit, qui ita maluit Italiã in pristinum restituere statum, q̃ sibi consulendo, nouo turbare dominatu. Post hæc Galli aliquot mensibus confligendo cum hoste, demũ profligati, rursus terra Italia suo sanguine passim madefacta cedere, ac tumultuosè in patriã concedere coacti sunt. Cognita aũt morte Leonis facilè hominũ studia immutantur, Iulius enim Medices & Matthæus Sedunensis Cardinales, qui Mediolani erant, omissa omni belli cura, Romã ad noui Pontificis lectionẽ aduolant. Carolus & Franciscus reges pro se quisq; amicũ Pontificẽ renunciandum curãt. Veneti à bello consultò absunt, ad res suas cõseruandas duntaxat intenti. Alphonsus dux Ferrarię metu in quo erat, liberatus, cum Cardinaliũ collegio agit, ut sibi Mutina & Rhegiũ restituatur. Sed Franciscus Maria simul atq; audiuit de Leonis interitu, omniũ opinione celerius Vrbinũ contendit, suoq; Marte principatũ recepit, quippe qui sciebat, ut ait Cic. ius semper fuisse, ut quę tyrãni eripuissent, ea tyrãnis sublatis, hi quibus erepta essent, recuperarẽt.

Vt aũt rumor ad Anglos attulit Leonem animã efflasse, & Cardinales parum inter se consentientes nemini uni planè suffragari, ac ea de causa nondũ quempiã esse designatũ pontificẽ, Volsæus cœpit aut potius simulauit spem habere cõsequendi pontificatus, qui sedulò cum Henrico egit, ut eius rei tandę gratia, mitteret Romã Ricardum Pacæum, qui eius uerbis singulos rogaret Cardinales, ut in pontificatus petitione Volsæo fauerẽt. Pacęus à rege de rebus agendis edoctus, sine ulla mora discessit, ac mutatis toto itinere ad celeritatẽ equis, uolabat ad urbẽ, cùm in Flandria audiuit Hadrianũ eo nomine sextũ, esse Romanum pontificẽ factum. Tum ille, tametsi non ignorabat, nihil amplius esse quod properaret, tamẽ quia ita mandatũ erat, nihilo secius Romã perrexit, ubi aliquot menses otiosus usq; eò mansit, dum ire Venetias iussus est procuratũ negotium pacis conciliandæ inter Carolum & Venetos ipsos: sed quò illa inanis legationis missio pertineret, iam planum faciamus. Pacæus enim uir bonæ frugi, in senatu regio rectè consulebat, itẽ optimè moratus, literatus, musicus & facetus incredibiliter regis animum delectabat, à quo in rebus etiam grauioribus lubenter audiebatur. Atqui quanto principi charior fiebat, tanto ei inimicior erat Volsæus, qui apud regẽ primas omnino ferre uolebat, atq; idcirco hominẽ specie eiusmodi obeundarũ legationũ, longissimè ab Hẽrico, à domo, à patria abfuturũ enixè curabat. Iam instabat initiũ anni humanę salutis MDXXII, & regni Henrici XIIII, cùm Henricus animaduertẽs pacẽ quã cum Francisco rege habebat, in dies magis infirmari, languescere, debilitari, iam tum cœpit auxilia quærere, prouidere, prospicere, & primùm

primùm Gulielmum Knyhgt Iureconsultum ac sacerdotẽ modestum ad Heluetios, qui id temporis inter se cõuentum habebant, misit, ut aliquam eorum partem in sua retineret amicitia, ne omnes Franco inseruirent: dein Robertum Vyngfildum ad Carolum legauit, quem res omnes gerendas moneret. Gulielmus pari propémodum celeritate ad Heluetios profectus, atq; reuersus est, qui nuntiauit se nihil profeciss̃e, quòd Heluetij pecunia antecapti cum Gallo starent. Inter hæc Volsæus fruebatur utebaturq; auidè sua legatione fructuosissima, quare multum quotidie malè audire, sic, ut ei in mentem ueneri t, ipsius fructus partem aliquam impertire, ad salutem animarum multitudini, ut tali munere eam leniret, notamq; nominis ab sese deprecaretur. Proinde cùm appropinquaret quadragesima, pronuntiandum per concionatores, ad crucem diui Pauli curauit, ut per eos quadragesimæ dies, cunctis generatim liceret uesci lacte, caseo, ouis: & ut id nemo homo perhorresceret, sua autoritate delictorum remissionem uescentibus pollicitus est, utpote qui quasi pro certò habebat populum religionis haudquaquam negligentem non sacilè adduci posse, ut uetus ieiunij institutum pollueret, uiolaret, repudiaretq;. Non fefellit Volsæum suspitio, quia tantum abfuit ut id Volsæanum beneficium pro beneficio, ut etiam pro maleficio acceptum fuerit, quando paucos admodum, hoc est, nullos bonos impulit ad dissoluendam pristinam degendæ uitæ legem.

Apud Anglum & Francum interea omnia erant plena offensarum, plena discordiarũ, plena simultatum, ex quibus bellum breui futurum uidebatur, ueruntamen neuter pacem nolebat, sed pacis nomine bellum inuolutum formidabat. Quare aliquandiu dissimulatum est, cùm tandem causam gerendi belli dedit Ioannes dux Albaniæ, qui aduersum fœderis leges, in Scotiam reuertit, habitoq; militum delectu, paucis diebus ad octoginta armatorum millia exercitum collegit. Quo cognito. Henricus subitę rei periculo pariter atq; iusta ira commotus, quòd imparatus esset, & Franciscus rex contra sponsionem feciss̃et, tam aculeatis literis quàm acerbis uerbis Francisci fidem accusat, expostulat, docet latronum esse, non regum, non stare pacto. Ad ea Francus respondet, ducem se nesciente in Scotiam abijsse, & propterea id ei omnino aliquando fraudi fore. Anglus rescribit, ea uerba esse, sic Francum solere, aliud clàm moliendo, aliud specie simulationis palàm ostentando, pacẽ semper irritam facere, nec se morari, postquam ita uelit, bellum suscipere, tametsi hæc ludibria religionis pudebat in medium proferri. Atq; ita pro pace, infensissimum renatum est bellum: nam Franciscus ea Henrici stomachosa expostulatione offensus, statim pòst Anglos toto regno cõprehendi, ac comprehensos ad redimendum sese cogi iussit: sed ante alios indignè actum est cum mercatoribus, qui Burdegalam ad emendum uinum sub idem tempus iuerant, ij enim postquam uinum mercati erant, portoriumq; soluerant, uno omnes momento capiuntur, fortunisq; spoliantur, ac ad ultimum acerbè multantur, perinde quasi aliquid graue cõmisissent, quamobrem tam male acceptì esse debuissent, licet illi non belli, quod nondum erat, sed pacis tempore negotiarentur. Inter hæc unus ex captiuis Anglis domum dimissus ut pretium mulctæ alijs irrogatæ parandum curaret, aperuit regi, quanta sæuitia in suos Anglos undiq; in Gallia erupisset, qui rei atrocitate commotus statuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut omnes Galli qui Londini erant, caperentur similiter, ac mulctarentur: sed cum ijs mitius actum est, quàm cum Anglis apud Francos: nanq; post decimum diem, cùm in uincula coniecti fuerant, datis uadibus ut ad certum diem adessent ad curiam prætoris, uel in senatu regio, & mulctam quæ eis dicta esset, soluerent, liberati sunt: quam rex mulctam permultis qui tenuiores erant, piè grateq; remisit. Atq; præ nomine Scotico, parum omnino Gallicum in odio fuisse diceres, quandò non solum in terra Scotia nati, sed etiam quamplurimi Angli honesti uiri per inuidiã Scoti appellati, in uincula abrepti ac mulctati sunt, sed nõnulli ex his cùm per conquisitionẽ duram inuenti essent Angli, eam pœnam mulctæ demum effugerunt. Secundum hæc, delectus militum ubiq; diligenter habetur, qui ira odioq; ardente, omnium propè uoluntariorum fuit: item classis paratur, ac primo quoq; die Gulielmus Fizgulielmus eques fortis ac strenuus, qui Thomæ præfecti uicarius erat, cum aliquot nauibus instructis in altum exiuit, qui oram regni primam tutam conseruaret. Ita terra mariq; belli initium factum: sed ocyus tumultus maritimus extitit, piratis circuncursantibus, ac in omnium fortunas imminentibus. Vnde Anglici mercatores qui cùm audaciores erant, tum pretiosiores merces aliò importabant, damna immensa fecerunt.

Dum ista geruntur, Carolus qui in Hispaniam iter habebat, postquam in Flandria rebus suis maturè prouiderat, earumq; curam principibus uiris, adhibita ad cõsilium Margarita amita, demandarat, ad quartum Nonas Iunias uenit in Angliam, hospitalitate summa ab Henrico rege acceptus, adeò ut ob eius aduentum, publicum gaudium Londini præsertim cuncti gauisi sint, atq; militares ludi celebrati, quò tãto principi plus honoris fieret, qui aliquot dies apud Henricũ expectauit, dum classis in Suthantonensem portum accederet. At interim ad pactionem noui fœderis uenitur, & primò perappositè modiceq; exponitur, quemadmodum Henricus & eius consiliarij iacturam nonnullam fecissent, ob depositam Francisci regis amicitiam, quòd ille certam pecuniæ summam pro data Tornaci possessione, pro munere promisso regio consilio, quotannis pependisset, ac idcirco ratio posceret, ut Carolus illud onus cum commodo susciperet, cum eius causa, Franci necessitudo repudiata foret. Carolus pro tempore, atq; rerum suarum statu, nihil non concedendum ratus, promittit dare in singulos annos quatuor & uiginti aureorũ millia, quorum una pars Henrico, altera eius consiliarijs impertiretur ad arbitrium Volsæi, qui id cum primis cupiuit, ut sibi Francorum inimicitiæ damno non essent. Secundo autem loco conuenit, ut pro se quisq; quindecim peditum millia, ac equitum tria parata haberet, cùm aduersus cõmunes hostes eundum esset. His demum conditionibus ictum fœdus est, & Carolus non admodum pecunia tunc abundans in sumptum, ab Henrico mutuatus in Hispaniam transmisit, ubi quamprimum habita quæstione, quos comperit autores tumultus, de quo suprà memini, merita affecit pœna, regnumq; reddidit pacatum. Comitatus est Carolum usq; ad Cantabricum litus Thomas Hauardus præfectus classis, qui paucis antè diebus ex Hybernia, quàm prouinciã aliquot menses obtinuerat, reuersus est: is redeundo nactus idoneam tempestatem, in Britanniam citeriorem cursum flectit, emissaq; in terram bona militum parte, Morleum maritimum oppidum opulentissimum per uim capit,

capit, ac diripit: sed non omnis præda ex hostium fortunis facta est, nam plerique mercatores Angli data publica fide, ibidem merces habebant quas per Britanniam in contrahendo uendere solebant, quæ per hunc modum Anglis prædæ fuerunt. Ita Thomas Hauardus classem partim hostium, partim suorum spolijs refertam, domum reduxit, quam postea deponi placuit, relictis tantum instructis paucis admodum nauibus, quę præfecto Gulielmo Fizgulielmo, ad oram maritimam tuendam præstò essent.

At exercitus interim Caletum conuenerat, cui Thomas Hauardus ipse præficitur. Adfuit & non multò pòst in Odomarensium agro magna Burgundionum manus missa ex fœdere à Margarita principe, secq; cum Anglis in itinere coniunxit, qui simul Viromanduorum fines ingressi, rectà Hysdinum oppidum petunt atq; capiunt, captumq; diripiunt, ubi aliquot dies morati arcem tormentis undiq; uerberant, sed uidentes eam tutius natura uallatam quàm ut citò potiri queant, hinc discedunt, ac breuiori itinere ad Sommam fluuium ueniunt. Hîc de rebus gerendis consultò in utranq; partem agunt: Thomæ Hauardo placebat copias flumen traducere, cuius sententiam quantum alij duces collaudabant, quòd plena animi, plena roboris esset, tantum alij minus probabant, quòd intempestiua, ac maior uiribus uideretur, nam iam hyems instabat, & omnes copiæ uix militum numero amplius erant duodeuiginti millia. Hac ratione ultra non proceditur, sed dimissis Burgundionibus, domum remeatur, deformata incendijs atque ruinis omni eius regionis parte, qua hostilis exercitus profectus erat. Eam celerem reuersionem Franci uisi sunt iam animo prospexisse, qui munitis præsidio locis magis opportunis, quò agrestes ante Anglorum aduentum bona sua importauerant, noluerunt se hosti opponere, ut ne rem prælio temerè committere cogerentur. Nec alio euentu res bellica quæ inter Anglum & Scotum intercedebat, peracta est: Scotus enim etsi multitudine militum nuper conscripta præstabat, tamen totam æstatem cunctando, minimè se mouit in Anglum, id quod illi tam admirationi quàm utilitati fuit, quippe qui ab initio denuntiati belli, cùm rebus omnibus longè imparatissimus esset, nulla dubitatio relinquitur, quin paruo hostium conatu, potuerit magno affici incõmodo. Quocirca toto eo tempore Thomas Dacris, cui curæ erat eam partem regni tueri, militem suum in armis habuit, ut hostem si accederet, finibus eatenus arceret, quoad maior suorum manus cogeretur, quæ iam passim ad bellum delecta erat. Moram autem inuadendi hostis Albaniæ duci attulit diffidentia suorum, qui ob id egerat cum Francisco rege, ut sibi auxilio esset, mitteretq; sex Germanorum millia, quos frustra expectando, tempus contriuit, dum æstas in exitu iam esset, qui tum demum inducias in aliquot menses ab Henrico petiuit, & impetrauit. Porrò dux, quemadmodum suprà memorauimus, extinxerat Alexandrum Hohomum cum fratre, at eius factionem & multorum in se odium non item, id quod paulò pòst apertè diluxit, nanq; ipse cùm nonnullis de causis in Galliam, ubi uxorem & liberos habebat, reuocaretur, uicarium suum cum primis reliquit hominem Francum, quem paucis pòst diebus Hohomorum partes interfecere. Reuersus postea dux & suorum iniurias ultus, bellum, ut diximus, in Anglum nequicquam parauit, qui cùm sibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Gallias redeundum putaret, nihil prius habuit, quàm ut Archibaldum Anguſiæ comitem Margaritæ reginæ uirum, ac aduerſæ factionis fautorem bono modo aliquò terrarum relegaret. Itaque multa commiſſa comiti aſsignat, quare debeat bonis omnibus mulctari, atque interea cum Iacobo Betono archiepiſcopo Glaſguenſi agit, ut eum admoneat, horteturq; uti malit ſua ſponte patria ad tempus cedere, quàm manendo periculum amittendi patrimonij adire. Archibaldus his minis territus, in loco ad extremum beneficij numerans ſaluis fortunis ſibi licere ire quò uelit, in Galliam cum altero fratre proficiſcitur. Id non inuita regina factum ferunt, nempe quæ adduci non poterat, ut Archibaldum uirum, perinde ac uirum diligeret, etſi homo erat ornatus atque honeſtus. Dux quoque breui pòſt compoſitis rebus in Scotia, quæ ad ſuum quocunque tempore nutum paratæ eſſent, in Galliam ſe recepit. Sub idem tempus Henricus legauit ad Carolum in Hiſpaniam Thomam Bulleyne, & Ricardum Sampſonem ſacerdotem Iuriſperitum, ut apud eum ſua negotia gerenda procurarent. Dum noſtri Chriſtiani principes per hunc modum bello, ut ita dicam ciuili diſtinentur, Turcæ qui ne punctum quidem temporis ſuis indormiunt rebus, Rhodum infeſtis armis petunt, atq; obſident, ac breui nullis (proh bone Deus) opem ferentibus, per deditionem capiunt. Sic tandem toto fere Oriente à barbaris turpiter excluſi ſumus. Atque hæc maiori ex parte initio eius anni geſta ſunt, qui annus fuit Henrico à gubernatione regni x v. & à ſalute humana

MDXXIIII.

Poſteaquam foris ab armis propémodum diſceſſum eſt, tum rex cenſum habuit, partim ut conſtaret de populi ſui ſtatu, partim uerò quò ex cenſu cognoſci liceret, quantum quiſque tributum conferre deberet, ad communem reipublicæ utilitatem: qua æſtimatione habita, ille facilè nouit populum non egentem eſſe, & gauiſus eſt, quoniam quæ populi ſunt, ſunt etiam principis, quando opus eſt bonis eius uti, pro commodo totius regni. Quare cùm proſpiceret Scotos Gallosq; non diu quieturos, uoluit periculum beneuolentię & uoluntatis populi erga ſe facere, qui ab eo & præſertim à locupletibus petijt, atq; accepit pecunias per mutuationem, pro quibus ſyngraphas fecit, ut ſuo tempore redderet omnibus quicquid mutuatus eſſet, imitatus Henricũ patrem, qui cùm bellis propè continuis ab aduerſa principum factione uexatus egeret, creditas ſibi pecunias accepit à ſuis, quas ad certum diem & diſſoluit. Atqui Volſæus in aliam partem cenſum illum accipiendum iudicare, qui ex eo primùm grande tributi onus imponendum populo ſtatuebat, deinde pecunias ueluti dono datas nunquam reſtituendas eſſe putabat, Quapropter cùm non longo pòſt tempore reddendum foret quaſi depoſitum apud regem, quod ex mutuatione acceptum fuiſſet, Gulielmus Cantuarienſis ueritus improbitatem Volſæi, interrogauit regem, num uellet ſatisfactum iri ſuis creditoribus. Tum ille: Quid ni? ego enim ea de cauſa dedi ſingulis meas ſyngraphas, ut illi repeterent ſuum, ac ipſe ſoluerem quod ab eis mutuatus fuerim. Cantuarienſis perſpiciens eſſe in principe ſummam bonitatem & iuſtitiæ rationem, inquit: Scio eſſe, qui à te ex alieno inire gratiam optime maximè rex ſtudeant, nullum certè ad ius, fas, decusq; tuum in hac parte reſpectum

ſpectum habentes. Ego igitur, ſicuti debeo, non dubitaui agere cauſam tui populi, & ut tibi in primis conſtaret hoc eſſe quamueriſsimum, ecce ſcriptum tuum de mutuatione pecuniæ à me datæ, quod uehementer quæſo oróque accipias, & quod ego facio, non dubito quin quamplures, mihi crede, facturi ſint. Henricus plurimum collaudauit Cantuarienſis humanitatem, gratóque animo donum cepit, dixitq; breui futurum, uti unuſquiſque ſuum haberet: quod tamen ut ne fieret, Volſæus impediebat, prædicans neminem hominem repetiturum eſſe id, quod gratuitò principi ſuo æquè de omnibus bene merito antè dediſſet, qui ut imprudens nihil cogitabat, neque de creditorum futura offenſione animorum, neque de macula, quæ nomini regio aſpergi poſſet. Ita pecuniæ creditæ ad ſuos creditores minimè poſtea rediere. Anno eodem Thomas Dunelmenſis epiſcopus homo ualde diues moritur, cui nihil licuit dare, legare ex tantis opibus, in quarum pariter atque epiſcopatus poſſeſsionem ſubitò Volſæus irruit, pedémque in ea poſuit, relicto Bathonienſi & Vuellenſi epiſcopatu, qui ad nutum regis mox mandatur Ioanni Clerco, qui orator ipſius Henrici, ac Volſæi cum primis Romæ aliquandiu procurator fuerat. Item occupauit Volſæus cœnobium diui Albani, loco Abbatis, quem uocant, uetuſtiſsimum tam religionis quàm omnis ſanctimoniæ domicilium, quas quidem duas deas Volſæus illicò foras eiecit. Sub idem tempus concilium ſimul cum ſacerdotum conuentu, quemadmodum moris eſt, conuocatur. Ac paulò antè Ferdinandus archidux Auſtriæ, frater Caroli Imperatoris, factus eſt eques Garterij ordinis, qui ſibi magno honori duxit, in id nobile equitum collegium aggregari, uir ipſe multò nobiliſsimus clariſsimusq;.

Dum hæc alibi fiunt, Hadrianus ſextus Romanus pontifex, qui à Carolo, cuius præceptor fuerat, in Hiſpaniam miſſus, Cantabriam obtinebat, & ad id dignitatis uocatus erat, Romam peruenit, cœpitq; magna omnium expectatione pontificatum gerere, quòd in multis magnisque rebus ſpectata eius integritas eſſet. Hunc Volſæus, in Hiſpaniam miſſo ad eum nomine regis, Thoma Annibale ſacerdote ac Iureconſulto, orat, rogat, petit per literas, per Carolum, & poſtquam Romam uenit, per amicos Cardinales, ut ſibi legationem proroget. Pontifex tot precibus fatigatus & quaſi territus ab amicis mole incommodorum, quæ ſi negaret, ſibi dari poſſent, paruit neceſsitati, morem geſsit amicis, conceſsit Volſæo quod tantopere efflagitabat, non tamen ſine ſuæ famæ labecula: nam iam tum apud Anglos rumor increbruit, aut pontificem non ea eſſe bonitate ſapientiáue præditum, quam præ ſe ferebat, uel ei Volſæi cupiditatẽ omnino incognitam eſſe, quòd iuriſdictionem dediſſet, quam hactenus ille uenalem habuiſſet. Eodem quoque tempore Ricardus Londinenſis epiſcopus deceſsit, in cuius locum ſufficitur Cuthbertus Tonſtallus, magno ciuium gaudio & congratulatione, quòd eſſet in ciuitatis deſiderio, ob celebre uirtutis nomen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conuenerant interea Londinum omnium ordinum principes, & alij, hoc est, procuratores ciuitatum, qui in cœnobio monachorum, prædicatorum, & sacerdotes quatriduo pòst, in æde diui Pauli conuentum celebrare cœperunt. Acciuerat & illuc Volsæus sacerdotes prouinciæ suæ Eboracensis, & quia eorum paucitas non uidebatur posse eius pontificalem dignitatem decorare, rogauit Gulielmum Cantuariensem archiepiscopum permittere, ut omnis sacerdotum cœtus eius iussu conuocatus ad suum conuentum, quem in cœnobio ad Vuestmonasterium facere instituerat, accederet, ibiq; de summa rerum consultaretur. Cantuariensis qui sapientissimus erat ad coniecturam futurarum rerum, facilè assensus est, quò ille inuidiam cum honore secum ferret. Proinde patres ac reliqui sacerdotes per aliquot dies in senatu Volsæano adfuerunt, ubi Volsæus ipse in aurea sedens sella, multa primo polliceri, quæ ad religionem pertinerent, deinde re pecuniaria, cuius causa eò conuentum erat, agere cœpit: sed homo omnibus consilijs præceps ac deuius, cùm paulò pòst cognouisset perleges, non licere in prouincia Cantuariensi, nisi Cantuariensis autoritate, id negotij confici, remisit patres ad ædem diui Pauli, ipse uerò ad suum consessum resedit.

Ita sacerdotum ac principum concilium uno tempore habebatur, ac unum tantùm agebatur, ut pecunia imperaretur. Quæ res audita in disceptationem non modicam uenit: principes enim constanter negabant populum posse aliquod tributum ferre, cùm præsertim de eius bonis tantum diminutum esset, propter mutuationem pecuniarum, quæ in ærarium antè relatæ fuissent, nec reddendæ uiderentur, ac nihil appareret, quamobrem ille tali onere in præsentia premeretur. Post hæc Volsæus se contulit in concilium, corámque causam perorauit, ostendens Scotos & Gallos perpetuos Anglorum inimicos, iam in armis esse, idq; uicinis Anglis, qui ad fines eorum sunt, satis esse cognitum, quòd sibi iuxtà rebúsque suis maximè timerent ab utrisque. Sed ipse renuntiauit recentes motus belli iam fieri, atque docuit ea de causa Carolum Imperatorem fœdus nuper renouasse cum Henrico, quò ambo unà hostium impetum propellerent, & illud sine auxilio populi sequi minimè posse, quare flagitauit, uehementérque rogauit concilium, ut non deesset patriæ, non negaret regi, quod ad regni præsidium, quod ad salutem, quod denique ad gloriam pertineret: & id officioſè factum fore, si tandem sine ulla dubitatione moráue, imperauerint ex singulis libris quaternos solidos quotannis soluendos in quatuor annos. Hanc postulationem Thomas Morus eques singulari uirtute uir declarauit procuratoribus ciuitatum, inter quos prolocutor, quem dicunt, erat, quæ sanè cunctis uisa est tam inhonesta quàm acerba, qui idcirco aliquot ex suis, uiros graues, ad Volsæum protinus allegarunt, qui cum maximoperè orarent, ut apud regem agere uellet, ut summa illa pecuniæ petita minueretur. Ast ille homo agrestis ingenij repentè ira percitus respondit: Mallem equidem mihi linguam euulsum iri, quàm

quàm loqui cum rege de alicuius partis deductione summæ, contrà ac in concilio iam à principibus deliberatum, decretum, concessúmque sit. Istuc mox falsum esse manifestò compertum, in quo perspicuum mendacium erat: atqui nihil mirum, nanque Volsæo haud quícquam antiquius iam inde à pueritia fuerat, quàm mentiri, quod improbi hominis est. In magnis & impudentibus mendacijs istiusmodi rex acriter Volsæum castigauit, dixítque se breui sine uicario ullo rem suam curaturum. Mirum profectò dictu est, quantum sese Volsæus ea castigatione coërcuerit, quantúmque summissè gesserit: ex quo scire licet, seueritatem domini multum ualere ad malam serui naturam cohibendam. Verùm Volsæus post aliquot dies, placato sibi Henrico, nihilo melior euasit. Sed repedemus eódem.

Erat in sacerdotum conuentu non minor decertatio, Volsæo multò acerbius cum eis agente, cui se opponebant: opponebant autem multi, & in primis Ricardus Vintonienſis, & Ioannes Roffensis, episcopi, sed ante omnes, Rolandus Philippus uicarius Croydonensis, atque diui Pauli canonicus, concionatorum princeps. Hunc ex medio certamine Volsæus ad se uocauit, adeóque deterruit, ut postea in conuentu non amplius apparuerit, qui ob id permagnam certè quidem suæ fecit innocentiæ iacturam. Ita duce ab infinita contentione desistente, cæteri manus dantes, dimidium omnium sacerdotiorum uectigalium unius anni, ad usum belli imminentis, tributi nomine concedendum statuerunt, & id in quinque annos futuros, quò sumptus minus grauior foret. Principes uerò in suo concilio deliberando, sæpe animis in contrarias partes distractis, ad extremum pecunias populo imperant in annos quatuor, ad casum belli incertum euentúmque conferendas, ad hunc quippe modum, ut qui ex uectigalibus possessionum suarum libras quinquaginta quotannis caperent, ij ternos solidos ex singulis libris pénderent: qui minus quinquaginta, binos solidos: qui uerò minus uiginti, singulos solidos: ac postremò per singulorum capita pauperum hominum quaternorum denariorum summa decernitur colligenda. Quod tributum nouum & graue quantum tristitiæ populo, tantum lætitiæ Volsæo attulit, qui triumphabat, suoq; isto facinore gaudebat, & gloriabatur se omnes uias pecuniæ nosse, ut qui omnia pecuniæ causa facere paratus esset. His rebus actis, postea leges aliquot consentaneæ rationi bene uiuendi datæ sunt, quæ reipublicæ partibus morbo aliquo laborantibus mederentur: atq; concilium dimissum.

Iam uenerat tempus, cùm Giraldus Chyldariæ comes rediuit in gratiam cum Volsæo, quem suprà diximus ab eo in custodiam traditum, qui ducta in matrimonium Elizabeth Graia sorore Thomæ Dorcestriæ Marchionis, in Hyberniam reuersus est, suámque prouinciam obtinuit. Erat tunc insulæ cancellarius, quem uocant, Hugo Hynk Dublinensis archiepiscopus, homo Anglus, uirq; probus, qui cum comite multis

officijs atq; familiaritate coniunctus, rempublicam collocauit in bono statu, quantum per Hybernorum sylueſtrium maleficia licuit. Item per idem temporis Chriſtiernus Dacorum rex exul cum Elizabeth uxore, Caroli Imperatoris ſorore, ad ſalutandum Henricum in Angliam uenit, à quo liberaliter accipitur, cui publicum hoſpitium datum: ſed paucis pòſt diebus in ſpem recuperandi regni ab amicis adductus, munificè donatus in Flandriam abijt, unde uenerat.

Dum hæc domi geruntur, Henricus mittit ad bellum Scoticum, ſi bellum eſſet, Thomam Hauardum comitem Surræ ac claſsis præfectum, cum poteſtate in Eboracenſi atque Dunelmenſi agro, eius belli gerendi cauſa, quibus ei placeat, arma, equos, currus, naues, nautas, & cætera quæ ad bellum adminiſtrandum pertineant, imperandi, adiungítque ſocios ei cum primis Thomam Marchionem Dorceſtriæ, & Gulielmum Contonum. Hunc unum Volſæus laborabat eijcere, excludere, exterminare ex domo regia, quòd Henrico acceptiſsimus eſſet, & ſibi amicum, ob morum diſsimilitudinem, facere non poſſet: nam Gulielmus non probabat Volſæi ingenium importunum, qui ut alijs potentia præſtaret, regiæ autoritati ſemper aliquid detrahebat, quod ad ſuam adiungeret. Igitur opera Volſæi ad id bellum Gulielmus mittitur, quò paulatim eum apud Henricum in inuidiam adduceret: ſed nihil profecit, paucis enim pòſt diebus Gulielmus in regiam ab Henrico auocatur.

Thomas uerò Hauardus celeriter profectus, ac equitatu pedeſtribúſque copijs quàm diligenter in unum coactis, in fines hoſtium contendit, circum quos breues excurſiones facit, quò illi intelligant eum contra ſe paratum habere exercitum. Scotorum autem principes omnibus quoque rebus paratiſsimi ad omnem euentum erant, ſed ſeſe intra munitiones tenebant, expectantes dum Ioannes Albaniæ dux à Gallia ueniret, qui prædiem ſe adfuturum ſcribebat, qui ita totam æſtatem opperiendo, mirabantur quid ſibi uellet illa procraſtinatio.

Tum altera factio Margarita regina hortante, cœpit cogitare de dando integro imperio Iacobo regi, déque à duce omni adminiſtratione auferenda. Hæc ubi Henrico fratri regina ſoror ſignificauit, confeſtim ille per literas & nuntios ſuadere cœpit principibus Scotis amicis, ne paterentur diutius ſuum regem in tutela eſſe, néue gubernatione regni fraudari, cùm ipſe id eſſet iam ætatis, qui per ſe agere, deliberare, decernere poſſet, ac operam ſuam pollicitus eſt, ſi collibitum eis fuerit, dimiſſa Francorum amicitia, ſecum fœdere perpetuo ſtare, quò ſibi tandem liceret perinde ut cuperet, Iacobum nepotem charitate complecti, ac conſilio, opibus, monitísque iuuare. Principes negotio ad conſilium delato, aliquot dies inter ſe conſultarunt, quid factu optimum eſſet: & quia utrinque animi in ſpem ingreſsi erant affinitatis iungendæ, per quam ex duobus regnis, poſſet unum longè potentiſsimum fieri, ſi Maria unica

unica filia & hæres Henrici, Iacobo adoleſcenti in matrimonium collocaretur, non fuit à principio quiſquam omnium, quin iudicaret id fœdus ex republica futurum. Poſtea altera factio, quæ duci fauebat, & idcirco à meliore forſitan regni ſtatu abhorrebat, cœpit multa prudenter dicere quapropter nihil temerè decerneretur: primùm enim expoſuit Gallorum merita generatim in rempublicam, ac ſpeciatim in principes, uetus hoſpitium perpetuoq; inuiolatum iam inde ab initio interceſsiſſe Scoto cum Franco, contrà cum Anglo odium penitus inſitum eſſe: item ponderandum uulnus populi Anglici non ignotum, quòd Henricus ſæpe plus quàm par eſſet, tribueret Volſæo homini ſingulari inconſtantia, & propterea minus fidei pollicitationibus habendum, minusq; ſpei in eius præſidio ponendum: & quia turpe eſt, falli, decipi, errare, ideo non relinquendam uiam, quam maiores hactenus tenuiſſent. His auditis, bona pars principum in eam ſententiam uno momento iuit, ut à Gallo non diſcederetur. Porrò haud multum aberat, ut res omnino quoquomodo componeretur, cùm ecce tibi, nuntius aduentus ducis, qui ſe demum uenturum ſcripſerat, cuncta turbauit. Quamobrem Scoti in præſentia minus ad Anglos ſe adiungere uoluerunt, atque ita renouatis in paucos dies inducijs, pro ſe quiſque ad arma uocare, ac undiq; cõclamare. Hoc interim ſpatio Franciſco Gallorum regi parato domi ingenti equitatu, ac ex Heluetijs bene magno peditum numero conducto, iamiam Mediolanum uerſus inſtabat iter, ut Venetos in amicitia retineret. Hos Carolus in primis à Franciſco auertere enixè ſtudebat, idem etiam Hadrianus Romanus pontifex, Italiam pacatam reddendi, eiusq; uires ſimul coagmentandi cauſa curabat, iuuante Henrico rege, qui nuper Ioannem Bathonienſem epiſcopum alterum oratorem Romam miſerat, qui Venetijs Pacæum habebat, qui domi urgebat Antonium Surrianum equitem ipſius ſenatus Veneti legatum, uirum nempe uirtute, doctrina, nobilitate ſummum. Quid, quòd cùm res amplius opinione extraheretur, retinuit tris Venetas triremes, quæ in Suthantonienſi portu erant, ut Veneti intelligerent, eius amicitiam ſibi poſſe multis in locis uſui eſſe, ſi in ſocietatem uenirent? Ita Veneti undique ſolicitati, ſe ad extremum à Franciſco abalienant, atque nouum fœdus cum Carolo & Henrico paciſcuntur, cuius conditiones fuere, ut Carolus cum Franciſco Sforcia Mediolanenſi duce, conferret quoties opus fuerit, ſex peditum millia, equitum leuis armaturæ quingentos, grauis uerò octingentos: Veneti autem totidem, ac ad tuendam Apuliæ oram triremes inſtructas quatuordecim, necnon perſoluerent Carolo aureorum millia ducenta, pro nonnullis oppidis in Dalmatia receptis, quæ Maximilianus poſſederat. Item Carolus Burbonij dux eodem tempore iratus regi Franciſco, ob iniuriam ab eo, uti putabat, factam, quòd orta controuerſia, de parte hæreditatis paternæ ſibi lis indiceretur, ſimulauit ſe Molini domi ſuæ ægrotare, ut ne cogeretur ire in Italiam cum eo: quem Franciſcus Lugdunum petens inuiſit, ſaluúmque eſſe iuſsit, qui paulò pòſt per literas ab ipſo Franciſco uocatus, tum lectica non paruo comitatu præmiſſa in qua ipſe iacere diceretur, in Burgundionum comitatum Cæſaris ditionis clàm ſe contulit, ubi tam à Cæſare quàm ab Henrico re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ge in fidem recipitur. Sed antè dux ab Henrico ductus est ad id, ut libenter
sese uellet fidei ac potestati eius & Caroli committere: nam ut Henricus odo-
ratus est duci esse simultatem cum rege Francisco, statim misit ad illum dum
domi erat, Ioannem Russellum equitem pariter strenuum atq; prudentem,
qui bono modo negotium expediuit. Is memoria nostra custos est priuati
regij sigilli, quod sanè munus nulli nisi fide, constantia solertiaq; prædito de-
fertur. Ac sic reges magis ambo parati erant in Gallum ad arma sumenda.
Quæ ubi Frãciscus rex accepit, sibimetipsi patriam defendendam ratus Lug-
duni constitit, atque mutato proficiscendi consilio, copijs omnibus præfe-
cit Gulielmum Gonfierium maris præfectum, qui maturè in Italiam descen-
dit, bellareq; fortiter cœpit. At ubi Henricus rex cognouit ex literis multo-
rum & nuntijs Francos iter in Italiam habere, sine ulla mora exercitum cui
præfectus erat Carolus dux Suthfolchiæ, in continentem mittit ad refrenan-
dum à progressu ipsum Francum. Dux sub æstatis exitum Caletum profe-
ctus, de inuadendo hoste dum consilium capit, Gulielmus Fizgulielmus
cum aliquot nauibus ad Normanicum litus delatus in terram descendit,
ac de improuiso oppidum eius oræ maritimum, quod Triportum appel-
lant, adoritur, commissaq; pugna ad munitiones, quas oppidani metuentes
repentinos hostium incursus antè fecerant, cum præsidio acriter prælia tur,
fractisq; munitionibus, intra mœnia illud repellit, sed cum oppidum con-
fluente ad clamorem agrestium turba iam firmius esset, quàm ut sine sudo-
re capi posset, illato igne suburbanis ædificijs, ac præda quæ repentè capi po-
terat abacta, ad naues pari celeritate atq; uenerat se cum suis recipit, non sine
suorum uulnere atq; detrimento, id quod contingit, cùm quis imparatum
non offendit eum, quem inconsultè aggreditur. Atqui dux interea Diuum
Odomarum uersus, se de Caleto mouet, quò Caroli Imperatoris copiæ uen-
turæ erant, ac proximam hostium arcem, quod Bellum castrum uocabant,
oppugnat uehementissimè, primumq; tormentis quassatis muris, deinde cir-
cumducto exercitu, impetum facere parat, cùm præsidium omni pœnitus
subsidio desperato, deditionem fecit. Tum dux castello complanato, & hye-
me iam obrepente, quamuis bella omnia iure gentium hyeme conquiescant,
progreditur in Picardiam, patriam olim Veromanduorum. At ubi rumor
uenit de Anglorum accessu, mirum utiq; dictu est, quantum uicini populi re-
pentino metu perculsi sint, qui passim cum bonis suis se quaquauersum pro-
ripiebant: sed uis belli & furor in primis in oppidum Braium, quod ad Som-
mam flumẽ est, peruadit, quod dux primùm obsidet & occupat incensum pri
us ob oppidanis, hostis ut prædæ ne aliquid ibi faceret. Deinde copias traij-
cit Sommã, ac pagum nomine Cappe ab incolis relictum cum castello capit.
Ad id loci Burgundiones Cæsariani milites cum Anglis se coniungunt, dein
de oppido Roy per deditionem potitur. Post hæc, uentum est ad oppidum
Montidedũ, ubi aliquantulum pugnatur, sed tandem in ditionẽ & potestatẽ
Anglorũ redactũ est. Hic quia summa iam hyems erat, tẽpestas frigida ac ma-
ximus imber, dux consiliũ capit redeundi trans fluuiũ, quo facto, Boghan ad
confiniũ imperij Cæsaris situ in ditionẽ recipit, in quo tam ad cõmodum ip-
sius Cæsaris quàm Hẽrici, Cæsarianos milites in præsidijs collocauit, atq; tor
mentis

mentis æneis ad Valentianas oppidum relictis, domum reuertitur, cum
exercitu ualde affecto infirmoq;, propter anni tempus pergraue. Non multò
post reditum ducis à Picardia, ubi bellum per aliquot menses uersatũ est, in
quod magnum ille sumptum & laborem impenderat, Volsæus qui ab initio
promiserat, sicut fama est, redditurum se Henricum regem ditissimum, si per
eum aliquando licitum fuerit uti ratione faciendæ pecuniæ, tributo alióue
quouis honesto modo: hinc occasionem nactus, creauit nouos quæstores æ-
rarij, qui à populo tributi nomine exigerent sextam bonorum partem, quæ
possideret. Hæc uniuersis uisa est rapina, & eadem quidem importuna, non
item tributum, quapropter cuncti planè negarunt se quicquam soluturos.
Cæterùm quæstores instabant, quò factum est, ut nonnulli alibi tumultuari
cœperint. Tum res ad consilium refertur, ubi turbæ autores ita argumentan-
tur: lampridem ab antiquis regibus concessum obseruatumq; esse, ut pecu-
nia nunquam populo imperaretur, nisi autoritate concilij, & propterea Vol
sæum tam legem quàm consuetudinem uiolasse. Eiuscemodi querelam iu-
stam æquè ut honestam cùm rex audiuisset, primùm populo si quid peccatũ
rat remisit, condonauit, ignouit: deinde ualde Volsæo succensuit, quòd te-
merè perperamq; suos populos expilandos curarit. Ille uerò uafer & men-
dax, aiebat se prius de re ipsa iudices consuluisse, ac respondisse illud ius esse.
Istuc nõ secus erat omnino, apud ipsum solum, qui æquum eodem loco quo
iniquum haberet. Volsæus exin quòd regi emolumentum facere studuisset,
nihil de rebus suis secundis deturbatus, ad immensa & uasta mentem uer-
sans, statuit duo condere discipulorum collegia, alterum uidelicet Oxonij,
alterum ad Ipuuiche locum humilem, ubi ipse natus erat, & id magis ad ina-
nem gloriam, quàm ad religionis doctrinæ ue utilitatem: & quia pietate ue-
ra ac liberalitate non mouebatur, uoluit ex spolijs unius altaris, quemadmo-
dum uulgato prouerbio dicitur, alterum uestire. Itaq; primò ab Henrico im-
petrauit, ut aliqua minuta monachorum cœnobia sibi diruere, complanare,
& diripere liceret, deinde id factum Romani pontificis assensione atq; autori
tate firmandum comprobandumq;, ac bona eorum cœnobiorum suis colle-
gijs assignanda curauit, exemplo in omni seculorum memoria inaudito.
Quod equidem singulare nefas effecit, ut Romanus pontifex gratis in An-
glia male audiuerit, sed Volsæus multò peius, quem non puduerit sacrorum
templorum deorumq; ruinas impiè nefarieq; edendi apud suos, authorem
existere.

At locus appositus opportunitatem facit persequendi Scotorum res, quæ
acciderunt. Ioannes dux Albaniæ ex Gallia domum redit, conuocatoq; con
cilio, coràm exponit quàm grato sit animo rex Franciscus aduersus omnes
Scotos, quòd ille regnum Galliæ & Scotiæ non putat aliud esse, nisi unum
corpus, ac alterum alterius membrum, & id probari posse exemplo amici-
tiæ utriusq; populi, cùm tota Europa non alia diuturnior sanctiorq; reperia-
tur: post hæc ostendit literas ipsius regis, quas ipse detulit & recitauit, summa
cum omnium principum attentione: item dicit se ualidam Francorum mili-
tum manũ secum adduxisse, quæ cõtra hostes constantius starent: atq; demum
hortatur patres ad uoluntatẽ & beneuolentiam tanti regis pariter suscipien-
dam atq; conseruandam. Fuit in concilio unus uel alter, uti quidam scribunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui suadebat, ut Henrici regis amicitia in primis retineretur, qui auunculus esset Iacobi regis, & uicinus, qui idcirco patriæ molestissimis etiam temporibus benevolè præstò esse posset. In hoc non multum steterunt, sed protinus ad rem militarem curandam se conferunt, dimisso; conuentu, paucis diebus exercitum faciunt, perguntq; ad obsidendam arcem, quam Vuerk uocant ad Tuedam fluuium positam. Erat intus firmum præsidium, cui præerat Gulielmus Lylle eques strenuus, qui certior factus de hostium aduentu, magno studio arcem nouo uallo & fossa circundat, in locisq; ad defensionem aptis milites locat, alijs præcipit, ut noctu uigilias agant, cùm ecce Scoti appropinquarunt, impetumq; facere undiq; cœperunt, tam multis ex illis, quàm paucis ex inclusis, tormentorum ictibus percussis cadentibus. Dum ita ad arcem dimicatur, Hauardus nuntium accipit hostes uexare fines regni, quare ex agro Dunelmensi festinanter cum exercitu uenit suis subsidio, paratus ad ulciscendam iniuriam, sed rumore de eius aduentu sparso, Scoti breui ad se suos receperunt, ut discessus hic nihil fugæ simile haberet. Hauardus uerò eos non est persecutus, quoniam mandatum ab Henrico rege suo habebat, ut neq; Scotos pateretur irrumpere in Angliam, neq; ipse in Scotiam inuadere tentaret: & hoc factum est, quòd Henricus totus cum Cæsare in bellum Gallicum incumberet. Sed rursum oratio reuertatur eôdem. Fuit hic annus salutis humanæ MDXXV. & cùm regnare cœpit Henricus, XVI.

Galli duce Gulielmo Gonfierio, sicut suprà dictum est, in Italiam iterũ erumperunt, ubiq; contra Cæsarianos acriter cõfligentes: diŋ boni quas inter se pugnas, quas strages ediderunt? Quo tempore Carolus Burbonius dux ex Burgundia in Italiam perrexit, qui ut suum in Cæsarem studium perquàm multũ declararet, omnibus officijs cum alijs ducibus certando, nunquam eius rebus defuit. At post aliquot menses, Galli in aliena terra hostium multitudine oppressi profligatiq;, domum pedem referre coacti sunt. Tum duces Cæsariani uictores consilio longè in posterum prouidere cupientes, concilium inter se habent, in quo sanè concilio pars exercitus Burbonio tribuitur, & alijs præfectis altera, cùm per idem temporis allatæ literæ sunt similiter à Carolo Cæsare, atq; ab Henrico rege, coramq; recitatæ, qui scribebant se nouum in Gallum comparare bellum. Item pecuniæ summa grandis ex Hispania ad duces missa, & illuc simul peruenit Ricardus Pacæus Venetijs profectus Henrici legatus, qui magnam pecuniam in illud bellum nomine sui regis dedit, & maiorem pollicitus est. Hoc nuntio accepto, putarunt omnes expedire, ut Gallus alibi etiam armis uexaretur, quare ex consilij sententia decretum est, uti Burbonius ad oppugnandam Massiliam urbem in Narbonensi prouincia bello ualde opportunam proficisceretur, qui ubi eò aduenit, castra prim̃ quam proximè muros posuit, uallo q; ac aggere latissimo cinxit, deinde mœnia ipsa tormentis continenter percutiebat. Massilienses autem cùm audierint aduentare hostem, urbem suam commeatu & præsidijs ualentioribus à Francisco rege missis munierant, quò illa capi non facilè posset obsidione: Ita utrinque pro se quisq; armatus quotidie pugnabat. Duravit uehemens & laboriosa obsessio ad menses quatuor, cùm Burbonius animaduertens se partim ob præsidij Gallici uirtutem, partim ob loci naturam parum proficere, ab ea oppugnatione discessit. At Franciscus postquam intellexit

lexit Burbonium à Massilia abijsse, & Cæsarem in Hispania multis negotijs distineri, ac Anglum bello Scotico implicari, non dubitauit in Italiam post tot etsi acceptas ibidem clades, redire, fretus magno equitatu suo, atque Italorum Germanorumq; peditatu, quos conduxerat, nec alium quenquam exercitui præfici uoluit, nisi seipsum, quòd paucis annis res in terra Italia sæpe male gesta fuisset à suis ducibus. Quocirca ineunte uere, paratis rebus omnibus quæ ad iter, quæ ad bellum faciendum opus essent, Alpes transijt tanta celeritate, ut Vercellas propémodum prius attigerit, quàm aduenisse nuntiaretur, unde rectà Mediolanum petit & capit. Casus amissæ urbis ita Sfortiam ducem solicitum habuit, ut Cremonam ad locum tutum continuò se contulerit. Cæsariani uerò Papiam urbem ad Ticinum flumen ueluti arcem totius belli ad se defendendum studio muniunt, bellica tormenta eò deferunt, præsidium collocant, duce Antonio Leua uiro multò fortissimo, reiq; militaris longè peritissimo: & hoc illud accuratius faciũt, quòd animis prospiciebant regem primo quoque tempore ad oppugnandam Papiam uenturum. Nihil equidem fefellit opinio, rex etenim statim pòst accessit, ibiq; commisso prælio capitur, ducitur que captiuus in Hispaniam ad Cæsarem.

Posthac non erat quisquam omniũ Christianorum principum, quin teneretur magno desiderio audiendi Franciscum regem missum esse factum à Cæsare, & id in primis erat in optatis Henrico regi, qui pij, benigni, ac liberalis animi esse putabat, diligere etiam hominem qui cum tibi simultas esset, quemadmodum Christus factum uult: quare misit Cuthbertum episcopum Londinensem, & Ricardum Vuyngfildum equitem oratores suos in Hispaniam ad Cæsarem, qui negotio Francisci adessent, incumberentq; animo & omni studio in unam præsertim rem, ut in pacis atq; concordiæ conciliatione, ipsius ratio maximè haberetur, cùm paulo antè belli gerẽdi simul socij, uelut suprà dictum est, fuerint. Atqui Franciscus uidens non posse se eripere à manu inimici, in libertatemq; uindicare, nisi posthabitis permultis suarum fortunarum cõmodis, ad eiusmodi pacis conditiones descendit, quæ erant, ut ille de suo quocunq; iure decederet in Italia, Burgundia, Flandria sic, ut nulli Flandrorum prouocarent deinceps ad Parisienses iudices, neq; prouocatio ulla amplius cuiquã daretur à magistratibus, & iuuaret certo armatorum numero Cæsarem, cùm Italiam peteret, ut Romæ corona redimiretur, ac suo tempore redderet Henrico pro Cæsare, ducenta millia coronatorum, quas antea pecunias ipse Cæsar ab Henrico in Anglia mutuatus fuisset, & filios duos maiores natu obsides daret, qui eatenus apud Cæsarem essent, quoad fœdus ritè sancitum, & promissa firma, rata, exoluta forent. Atq; his actis rebus, rex Gallus iter ad suam Galliam direxit, ad quẽ redeuntem Henricus misit Thomam Cheyney uirum nobilem, ut ei suo nomine de salute gratularetur, ex quo Franciscus agnouit singularem erga se Henrici humanitatem, gratiasq; egit. Fuit is annus XVII. cùm regnare cœpit Henricus, & salutis humanæ M D XXVI. ac mensis XIII. cùm Gallus rex captus fuerat. Verùm simulac rex domum peruenit, nihil ei prius fuit, quàm Henrici regis inueteratam sine ulla offensione, uelut ipse prædicabat, amicitiam seruare & retinere, qui Ioannem Ioachim hominem Genuensem perspica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem sagacemq; misit in Angliam rogatū Henricū regē, uti fœdus inter se renouaretur, quod Anglus, qui bene omnibus cupiebat, nō aspernatus est. Ita beneuolentia reconciliata. Dein rex Franciscus intellexit Franciscum Sfortiam Mediolani ducem Cæsari in suspicionem nullo suo delicto, sed ducum Cæsarianorum inuidia, uenisse, indeq; terram Insubriam bello ingenti exardescere, quòd Veneti & Clemens, qui in Hadriani demortui locum paulò antè successerat, pontifex Romanus, ducis fortunæ euentum miserati, eius causam defendendam suscepissent, ueriti ne Cæsar Italiæ dominatum non quæreret, occuparetq;. Quocirca Gallus ipse rex statim animum ad bellum intēdere cœpit, penitus omne promissum iureiurando factum oblitus, ac so lùm agitabat animo, quomodo culpam acutis rationibus ab se dimoueret. Quid, quòd fœdus cum Pontifice & Venetis icit, atq; Vasconum quatuor millia, cum equitibus grauis armaturæ quingentis, duce Michaële Antonio Salutiorum Marchione, ad sociorum exercitum in Italiam mittit. Cùm interea Burbonius in Pontificem cum electa militum manu repentinò profectus Vrbem cepit, Clementē in arce Sancti Angeli inclusit, at ipse sclopo sauciis ibi occubuit, Cæsarianus uerò miles fœdè hostiliterq; urbem diripuit, Pontificem in potestatē suam uenire impulit. Postea Galli duce Lautrecho Neapolim profecti, aliquot mensibus obsederūt, qui cùm deditionem præstolarentur, ecce media æstate, subitò propter cœli grauitatem morbis affecti, intra paucos dies omnes fermè cum suo duce perierunt, id quod cuncti propè mortales nutu Dei Optimi Maximi factum affirmabant, qui ita uoluisset Francisci regis conatum manu sua diuina ulcisci. Quare dein rex à Cæsare pacem petijt, & impetrauit, cùm interim Henricus rex meritò iratus Cæsari, quia nondum reddidisset sibi debitam pecuniam, quam Frāciscus tametsi pro eo soluere promiserat, uti antè dictum est, miserit ad eum in Hispaniam legatum suum Francisco Poynes equitem cum hisce mandatis, ut primùm repeteret pecuniam, item partem prædæ ad Papiam captæ, cùm ipse fuerit socius belli, & in id pro rata parte sumptum fecerit, deinde alterum obsidē ex duobus, quos Franciscus dedisset, & si negaretur, quod iure quāoptimo reposcebatur, tum bellum denuntiaretur. Cæsar his auditis rebus, paulò pòst uocauit ad se Franciscū & Edouardum Lee, qui apud eum Henrici quoq; legatus erat, ac respondit: Quod rex Henricus amicus meus petit à me, permagnum habet pondus in utranq; partem, uel ad concedendum, uel negandum, quare dubitanti mihi quid facere par sit, opus est consilio, ut & beneuolentia erga ipsum mea cōseruetur, & Francisco regi par pari, ut dicitur, referatur, qui propè fidem prius fregit, quàm obligauit. Igitur statui quamprimum sententiam meam per literas Henrico declarare, uos uerò interim utriusque nostrum expectabitis respōsum. Cæsar autem de industria cunctabatur, quò ne istiusmodi longè molestissimis querimonijs respōderet, quòd quasi diuinabat breui futurum esse, ut rex Gallus pacis factæ conditionibus sponte staret, quas ipse ultrò obtulisset à principio, quemadmodum haud multò pòst accidit. Ast interea talis Cæsaris humanitas non potuit Volsæi animum seditiosum sedare, quippe cui quanquam ille in singulos annos grande munus largiebatur, uti hominem in officio retineret, quia tamen archiepiscopatum Toletanum totius Hispaniæ locupletissimum uacantem,

uacantem, ad quem uehementer aspirabat, consequi nequiuit, bellum Cæsari Henrici nomine publicè indicendum curauit. Sed ambo reges inter se amabant, idcirco bellum nascens illicò pace mutatum est, & Volsæi cupiditatis sitim expleuit satiauitq; episcopatus Vintonienſis, quem mortuo Ricardo Fox, ille adeptus est, dimisso Dunelmensi episcopatu, quem consecutus est Cuthbertus Tonstallus Londinensis episcopus, cui successit Ioānes Stokesley. Sed egressi à proposito foras, domum redeamus.

Impendebat iam fatum, quod Volsæo uenturum erat, cùm ille tanquam ferox equus nesciret stare loco. Porrò ei in mētem uenit mutare dominam, & unam alteram quærere, quam æquè uita ut moribus sibi similem esse uolebat: quanquam Catherina regina hominem non offendebat, non lædebat, sed eius tantum malos oderat mores, quos ut continentia emendaret, identidem benignè monebat. Is proinde quod cogitarat, cum spe magna id exequi cupiens, cum Ioanne Longland Lincolnienſi episcopo de quæstione futura amicè communicat, quòd is esset, qui regis confessionem audiret. Episcopus qui ex sua opinione nihil se perperàm, sed rectè facere affirmabat, iampridem cōiugium regium ueluti infirmum labefactatum iri censebat, idq; clàm suis sæpe intimis amicis insusurrabat, oppidò quàm libenter audiuit Volsæum, sic, ut ambo mox inter se disceptare cœperint, utrum ius matrimonij Henrici & Catherinæ legitimum foret nec ne. Hi plus sibi sumentes quàm par erat, ueluti peritiores theologi, sed magis arrogantiores, qui quærerent nodum in scirpo, ut dicitur, facile iudicarūt non esse neq; firmum neq; ratum, eò quòd Catherina olim nupsisset Arthuro Henrici fratri, in eaq; sententia consentientes inter se deliberant eum periculosum connubij statum esse quamprimum regi patefaciundum, perinde quasi à principio ex ipsa affinitate scrupulus omnis ortus, nondum animis hominum fuisset euulsus. Quo capto consilio, placuit Volsæo prouinciam suscipere, qui suo tempore ad regem adiuit, ac eum specie charitatis & iustitię, de eiusmodi iure matrimonij admonet, asseritq; id parum uirium uel roboris habere, propter nuptias Catherinæ cum eius fratre coniunctas, uehementerq; orat, ne se patiatur diutius in tanto uersari discrimine, cùm hîc de salute animæ, de posteritate uera regum, de honestate uitæ quammaximè agatur. His auditis, rex primùm paulisper stetit tacitus, ut qui plurimum mirabatur coniugium suum damnari, quod initio ueluti iustum æquumq; à pontifice Romano, ab optimis ac doctissimis quibusq; episcopis probatum, de eorumq; sententia sancitū fuisset, dein inquit: Bone pater uide bene, quale saxum suo loco iacens mouere coneris, sicut in prouerbio est, habeo equidem uxorem fœminam multò nobilissimam, longè electissimam sanctissimamq;, cui nihil obijci potest diuortio dignum. Quod uerò mulierem nuptam fuisse fratri meo ais, id minimè obstat, quoniam ipsa aliàs sæpe iureiurādo testata est, illum propter imbecillitatem tum ætatis tum naturæ, nunquam secum corpus commiscuisse. Ita eo die sermo de re ipsa haud longius processit. At triduo pòst Volsæus incredibili armatus audacia Lincolnienſem conuenit, eumq; ducit ad regem, quem ille sic affatur: Sumus coram te, optime maxime princeps, ut officium faciamus, & ego in primis, cùm iam te non fugiat connubium tuum in dubium in incertumq; uenire apud populum, nos de

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo quæsiuimus: & cùm satis liqueat claudicare, idcirco ipse cui de salute animæ tuæ curæ est, hortor, rogo, persuadeo, ut tibi denique libeat causam uocare ad iudicium, quò quid firmamenti in eo insit, inter omnes constet, atq; ita iustitiam, quemadmodum semper soles, colere dicaris. Ratio ista æqua, honesta, bona Henrico uisa est, quæ demum cœpit eius animum flectere ad probationem rei huiuscemodi. Tum Volsæus negotium omne pro confecto habens, regem ut ad diuortium primo quoq; die faciendum magis incitaret, Est, inquit, mulier præter cæteras digna tuo matrimonio soror Francisci regis Gallorum uidua, quæ uxor fuit ducis Alansonij, ætate & uirtute quamflorentissima. Isthæc, postremò Henricus ait, maioris cõsilij sunt, ideo in aliud reijcienda tempus duco. Verùm ubi rumor iudicij futuri ad aures Catherinæ peruenit, in luctu tota & squalore fuit, dolens, conquerens, quòd hactenus reseruata foret tam insigni ærumnosæq; miseriæ. Sed eam rex consolabatur, affirmans cognitionem causæ esse omnino facturam ueritatis cognitionem.

Sub eosdem dies nuntius affertur Clementem Romanum pontificem in potestatem Cæsarianorum militum ueniisse, quo certè nuntio Volsæus ante omnes ualde perculsus, qui suæ iam legationi timebat, cœpit orare regem Henricum, ut suis opibus & auxilio uellet iuuare communem Christianorum omnium patrem: & cùm animaduerteret regem non admodum magni rem facere, de ea sic argumentatur: Optime princeps, cùm sis fidei defensor, tua maximè interest gubernatorem, custodem, & caput fidei, hoc est, religionis, tueri. Ad ea Henricus respondit: Si Romanus pontifex pugnasset pro religione, non item pro imperio, illud ipsum mihi faciundum putarem: sed ut manifestum ac notum sit omnibus mihi curæ esse de salute summi Pontificis, tu nulla interposita mora, adibis Franciscum regem Francorum, hortabereq; nostris uerbis, uti exercitũ quem habet paratum, uelit mittere in Italiam, Cęsarianos compellendi causa ad missum faciendum pontificem, ac nomine meo in partem sumptuũ pecuniam curabis, dabis. Quibus rebus constitutis, quarum mysteria tacita ipsi duo tenebant, Volsæus sese ad iter tam optabiliter quàm celeriter ineũdum expediebat: cùm percrebuit, in ore atq; sermone omnium cœpit esse, eum iturum in Galliam, ad importandam pecuniam, pro bello gerendo contra Cæsarem, & ducturum secum sororem regis, quæ nuberet Henrico. Hæc eius arte & studio in uulgus emanasse ferebant, quò fama esset connubium inter regem ipsum & Catherinam, iam apertè infirmari. Volsæus itaq; postquam ad res cum Francisco agendas in legatione duos collegas habuit, episcopum Londinẽsem, qui nuper ex Hispania redierat, & Gulielmum Sandes regij cubiculi præfectum, magno apparatu Ambianum transmisit, ubi dij boni, quemadmodum à Francisco rege hospitio accipitur, gratia honoreq; tractatur, non secus ac si esset rex: item à Ludouica eius matre liberaliter eodem fermè habetur loco. Postea ad negotium uenitur, ac primùm omnium de bello consilium initur, quo Cæsariani pressi cogerentur Clementem Romanum põtificem dimittere, ad idq; pecunia numeratur non utiq; parua: deinde de fœdere sanciundo, de rebus secretioribus per aliquot dies actum est: in quod sanè consilium duo Volsæi collegæ minimè adhibiti sunt, adeò ut illi postea domi palàm dixerint, haud

haud nosse se quid Volsæus cum Gallo transegisset, unde suspicio orta est de nouo connubio sororis Francisci esse consultatum, & illud negotium confectum conclusumq;, uelut ipse Volsæus prædicabat: quamuis re uera princeps illa mulier optima, noluerit quicquam audire de nuptijs, quæ nuptiæ non possent coniungi sine miserabili Catherinæ casu atqueadeò interitu. Volsæus uerò expeditis fortunatè, ita aiebat, rebus, in Angliam redijt, legationemq; suam regi, prout libuit, diligenter renuntiauit, cui pergratum fuit cognouisse, & quod gestum fuisset, & quod agendum foret, tam ad suum quàm ad amicorum commodum. Item ut regum amicitia quadam arctiori colligatione deuinciretur, eodem tempore Franciscus rex cooptatur in collegium equitum Garterij, & Henricus in ordinem diui Michaëlis, quod est apud Gallos æquè religiosissimum atque decus honorificentissimum. Fuit is annus Henrico à gubernatione regni sui XIX. & ab humana salute M D XXVII. cùm Clemens pontifex sese in libertatem uindicauit sine ope ulla & auxilio Francisci regis, qui quod ob id argentum ab Volsæo paulò antè accepit, in suis lucris cupidè posuit. Henricus rex ualde gauisus est, quòd Clemens pontifex Romanus ab hostibus missus factus esset, eiq; per literas congratulatus, qui ita cùm bellorum furorem paululum foris consedisse uideret, res suas domi graues & odiosas pertractandas, sicut infrà demonstrabitur, demum curauit, tum etiam elegit sibi Stephanum Gardinerum Iurisconsultum, uirum præclaro ingenio præditum familiarem secretiorem, eius'que opera maximè est deinde usus, cuius locum apud eum tenebat Ricardus Pacæus, sed is legationibus frequentioribus & ijs quidem nonnunquam minus necessarijs ab Volsæo datis, ut diutius à latere regis abesset, oppressus, penè est exilio affectus procul à patria, ex quo tantum molestiæ animo cepit, ut paulò pòst interdum deliraret.

Initio huiusce anni sequentis, rex & regina quanquam ambo inuiti in causam descendunt forensem, qua in iudicium uocata, ac lite contestata, dantur utrique parti aduocati uiri iuris & theologiæ peritissimi, atque simul procuratores, causidiciq; experientes. Interim rex qui omnia bona fide agebat, quò ueritas causæ in lucem proferretur, & ita posteritati regum legitimæ consuleretur, per literas rogauit Romanũ pontificem, uti uellet mittere legatũ in Angliam, ad causam cognoscendã: item suos procuratores ad omnes Galliæ & Italiæ academias misit, qui agerent cum illis academicis Iuris doctissimis, ut de coniugio suo sententiam dicerent, idq; per scripta singulorum constaret. Non multò pòst aduenit legatus pontificis Laurentius Campegius Cardinalis, qui collegam haberet Volsæum. Hi unà statuto die Londini in cœnobio monachorum Dominicanorum considunt, comparetq; primus coràm Henricus rex, ac de re uerba facit: Optimi patres, breuiter dicam: Habeo in matrimonio Catherinam uxorem mihi charissimam, ob eius pariter animi singulares uirtutes, atque generis nobilitatem, sed cùm sim magni regni rex, me oportet prouidere, ut liceat mihi cum ea ritè, legitimè, iustè, sanctèq; uiuere, & ex eadem gignere filios, quibus

hæreditas ipsa regni iure quamoptimo ueniat. Vtrumque consequetur, si uos nostrum connubium legitimum dijudicaueritis: quod si quid quæstionis habet, illud uestra autoritate declaretis, tollatis'ue rogo, ut in ea ipsa re & conscientia mea, & animus populi nostri acquiescat in perpetuum. Deinde regina adest, quæ coràm grauissimè accusat Volsæum perfidiæ, fallaciæ, iniquitatis & improbitatis, qui dissensionem fecisset, inter ipsam & uirum suum, ac propterea palàm inquit: Ego talem iudicem tam meum quàm iuris & iustitiæ inimicum infensissimum refuto, abhorreo, fugio, atque ad Romanum pontificem solum prouoco, eidem'que causam meam iudicandam committo. Hæc illa flebiliter dicente, uidisses Volsæum infestis ferè omnium oculis conspici. Ac sic desitum est de quæstione agi. Legati tamen iudices sæpe deinceps sederunt ea tum tractando, quæ ad inquisitionem causæ pertinerent, tum quærendo si quo pacto regina uellet prouocationem reuocare, id quod illa facere constanter abnuit. Sed cùm legati tempus tererent, quoniam nihil decernebant, inde regi nata est suspitio illud fieri de industria, quo sic operam apud sese perderent. Dum ista eiusmodi geruntur, Volsæus homo sagax animaduertit Henricum adjicere oculum cuidam puellæ nomine Annæ filiæ Thomæ Bulleyne uicecomitis Rochefordiæ, quæ reginæ inseruiebat, tum ille permagna solicitudine affectus est, ut qui prospiceret futurum, uti eam rex in matrimonium duceret, si diuortium fieret: quare subitò summo studio, omni cura, diligentiáque agere, prouidere, consulere cœpit, ne id omnino accideret, quod propter puellæ insolentiam, morte magis fugiendum putabat. Cùm res sic se haberent, & causa Catherinæ Romæ tractanda iudicandáque foret, appellatione adhuc stante, quæ interceßisset, Volsæus occultè literis & nuntijs secretioribus cum Clemente pontifice agebat, ut diuortij iudicium extraheretur, donec ipse confirmaret Henrici animum ad suam uoluntatem: uerùm nihil suis machinis moliebatur, quod regi latêre ualeret, qui idcirco hominem tot beneficiorum immemorem in ordinem infimum redigere statuit: itaque primum Campegium Cardinalem honestissimè ab se dimisit, deinde haud multo post iussit Thomam Northfolchiæ ducem ire ad Volsæum, eum'que omni dignitate & fortunis spoliare, ac ducere ad uillam episcopatus Vintonienßis nomine Asher, ubi fuit aliquot mensibus, ad extremum in diœcesim suam Eboracensem relegatur, ut ibidem disceret melius temperatiusq; uiuere: quod tantum abfuit, ut faceret, ut libidinem corrupti animi nullo modo continere potuerit, quia delictorum pœna eum iam circunstabat, cui in mentem uenit proficisci Eboracum, atque eo loci in sede pontificali ueluti consuetudo est, triumphantis more, primo residere, qui dies & multi deinceps cerimonijs, conuiuijs, ludis celebrantur, scilicet ut ita in se cui iam misericordia opitulari incipiebat, inuidiam quæreret: & quoniam carebat sacris uestimentis pretiosis, quibus indutus magis conspiciendus foret, ideo non dubitauit scribere ad Henricum, ut sibi commodaret mitram & pallium, quibus aliàs solebat rem diuinam faciendo uti. Rex uisis literis non potuit magno

magno non mirari opere audaciam & insolentiam Volsæi, qui inquit: Superbia adhuc est in homine, qui planè iacet? Sed cùm rerum & hominum qui tantæ celebritati interessent, apparatus ubique in ea prouincia forent, rex non amplius ferendum ratus mandauit Henrico Northumbriæ comiti, ut Volsæum in custodiam includeret, quo sic superbior fieri ac insanire desineret, qui paulò pòst dum Londinum duceretur, ad oppidum Lecestriam ualde exanimatus mortem obijt, eodem'que loco humatur. O conditionem humanam tam nascendi incertam, quàm uiuendi infirmam. Volsæus florebat dignitate & opibus, cùm negotium nuptiale suscepit, quod sibi fore gaudium putauit, id extitit exitium. Qui annus fuit humanæ salutis M D XXX. & cùm regnare cœpit Henricus XXII. cùm Stephanus Gardinerus est factus Vintonienßis episcopus, qui eo magis se deinde ad diuinas literas discendas dedit, in quibus tantum breui profecit, ut optimus concionator euaserit, qui statim pòst longam legationem apud Franciscum Gallorum regem obiuit.

Post hæc, secutum est diuortium inter Henricum & Catherinam, per hunc sanè modum: Dum enim Catherinæ appellationis causa de qua suprà memini, apud pontificem Romanum agebatur, Archiepiscopus Cantuarienßis cum sua episcoporum cohorte, ac aduocatorum cœtu, in messem alienam falcem immissurus, ut uulgò dicitur, accesßit ad pagum Dunstablum, propè uillam regiam nomine Ampthill, ad sex millia passuum, ubi Catherina id temporis manebat. Hic illa in dies singulos citata, cùm post decimum quintum diem, neque adfuisset, neque respondisset iudici utpote extraordinario, ecce subitum diuortium: discessit à Catherina Henricus, atque in matrimonium duxit Annam Bulleyne, quam paulò antè amare cœperat, ex qua suscepit filiam nomine Elizabet. Interea habetur concilium Londini, in quo ecclesia Anglicana formam potestatis nullis antè temporibus uisam induit: Henricus enim rex caput ipsius ecclesiæ constituitur, eique ob id munus primi fructus omnium sacerdotiorum uacantium ac eorundem decimæ quotannis perpetuæ assignantur.

Item causarum modus ponitur, ut reus primo prouocare deberet ad episcopum, deinde ad archiepiscopum, & postremò ad ipsum regem, quo sic in ulla administratione rerum, quæ ad ecclesiam pertinerent, Romani pontificis autoritate minime opus foret. Istuc autem decretum non omnino ab omnibus initio probatur, & cum primis à Ioanne Fysherio episcopo Roffensi uiro magna doctrina, summa integritate & innocentia, item à Thoma Moro equite literis, ac bonis moribus ornatissimo, qui demum ambo maluerunt de uita, quàm de ea sententia decedere, ut ocyus in cœlo, quemadmodum ipsi sperabant, fruerentur æuo: aliquot'que alij idem sponte fecerunt. In eodem præterea concilio, maxima cum cura atque diligentia, prouisum est, ut illa tanta potestas quæ loco insignis tituli iam usurpabatur, in posterum tempus retineretur, conseruaretúrq; per quam rex Henricus destinabat nouos religionis ritus, regulas uel longè alias colendi Dei in suam inducere Angliam, simul & monachorum fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

milias diminuere, cæterorum que sacerdotum opes extenuare, uti ne luxuries inde erumperet magis. Quapropter posteaquam ad ea omnia corroboranda ac confirmanda uisum est satis prouisum esse, leges latæ sunt, pœnæq; multo grauissimæ constitutæ illis, qui fecissent contrà atque leges ipsæ sanxissent, aut uerbo dictóue aliter ac liceret, acta edictáque conciij improbassent. Cæterùm ad Catherinam redeamus. Ea post diuortium à uiro factum, se contulit in comitatum Bedfordiensem, ad uillam regiam, quam appellant Kymbalton, locum minus salubrem, ubi uera patientia mirificè armata, uitam degebat sanctam. Pòst uerò animi mœrore confecta, cùm cœpit ægrotare, Henricus statim atque audiuit, cum Eustachio Cappucio oratore Cæsaris egit, ut eam uiseret, suisq; uerbis saluere iuberet. Eustachius diligenter æquè ut celeriter officium fecit. At Catherina sexto pòst die grauiori morbo affecta, cùm animo præsentiret mortem aduentare, ancillam non indoctam iussit binas scribere literas eodem exemplo, unas ad regem, alteras ad Eustachium, quas ipsa dictauit, in hæc uerba:

Domine mi rex marite semper charissime, salue. Iam aduenit hora mortis meæ, in quo temporis puncto, amor facit ut te paucis admoneam de salute animæ tuæ, quam debes cunctis mortalibus rebus anteponere, neglecta præ ea omni corporis cura, propter quam & me in multas miserias, & te ipsum in solicitudines plures coniecisti: sed hoc tibi ignosco, ac Deus tibi ignoscat, tam uelim, quàm precibus pijs oro. Quod supereſt, commendo tibi filiam communem nostram, in quam, quæso, officium illud paterne totum conferas, quod ego à te aliàs desideraui. Præterea precor summè, uti ancillas meas respicias, eas'que suo tempore bene locare nuptijs placeat, quod multum non est, cùm non sint nisi tres, & dare meis ministris stipendium debitum, atque in unum etiam annum ex tua gratia, benignitate, liberalitate futurum, ne deserti uel inopes esse uideantur. Postremò unum illud testor: Oculi mei te solum desiderant. Vale.

In literis uerò ad Eustachium addidit, ut si non fieret quod ad extremum rogauerat, ille curaret ut Cæsar redderet Henricum memorem officij. Illa autem eodem die, ad VIII idus Ianuarij à uita excesit, anno salutis MDXXXV. & cùm regnare cœpit Henricus XXVII. At rex ubi literas legit, amanter lachrymauit: ecquis enim tam durus & ferreus fuisset, qui non ea pura & syncera erga se beneuolentia cõmoueretur? Corpus optimæ principis ad Burgum Petri delatum, in cœnobio monachorum diui Benedicti sepulchro honorificè conditur. Atqui res uxorias prosequamur licet. Anna regina, mortua Catherina coniugij regij consorte, lætata est, quòd nulla amplius quæstio de eo matrimonio futura esset: rex itidem in bonam spem uenit procreandi deinceps liberos, præsertim mares, quos maximopere cupiebat, cùm esset ei uxor plena fœtus. At uide, quàm citò rerum secundarum reflectatur cursus: Anna etenim paulò pòst in adulterio deprehensa, cum suis mœchis capite repentè plectitur.

Deinde

Deinde Henricus duxit uxorem Ioannam, filiam Ioannis Seymer equitis probatissimam, formaq; æquè ut moribus ornatissimam fœminam, ex qua genuit filium Edouardum sextum, qui nunc regnat, adolescens equidem certè natus ad imperium, ad uirtutem & prudentiam, qui summa ingenij indole præditus, mirificam cunctis populis sui expectationem facit: mater uerò in puerperio mortua est, biduo post partum: nam III. Idus Octobris peperit, qui fuit annus cùm Henricus regnare cœperat, XXX. & humanæ salutis M. D. XXXVIII.

FINIS.

POLYDORVS VERGILIVS LECTORI S.

MONITVM te, optime Lector, uolo, permulta uerba minus Latina, longo usu, non item ratione, iampridem in consuetudinẽ quotidiani sermonis ueniſſe, sic, ut uelimus nolimus, ea interdum usurpare cogamur: cuiusmodi sunt Dux & Comes, olim officij tantùm, at summæ nunc dignitatis uocabula. Item comitatus, pro regione: cancellarius, pro scribarum, abbas, prior, pro monachorum præfecto. Ista paucula (nam cætera facilè declinauimus) cùm legendo in ea incideris, non mihi uitio des, sed atqueadeò nostris temporibus, quæ ita quondam barbara facta sunt, ut nondum eiusmodi næuis purgari ad unguem potuerint. Vale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX HIC TIBI LECTOR, ANGLIÆ PRIMVM TOPOGRAPHIAM, GALLIÆ DEINDE CONFINIVMQVE locorum situs, tum rerum gestarum omniũ circunstantias, & exempla innumera quædam, communi mortalium uitæ apprimè conducibilia, uelut digito monstrat: quare uarijs quidem studiorum institutis, maximè uerò publicæ administrationi utilis esse poterit. Prior quisq; numerus paginarum, posterior uersuum est.

A

ABBATISVILLA oppidum 311.6
Aberdonia urbs. 6.46 ab Anglo capitur. 364.39
Aberkenuena. 326.43
Abies in Anglia nulla. 12.27
Abyndonia pagus. 101.8
Abyndonense cœnobium. 115.12
¶ACHEA quando floruerit. 97.22
¶ADELA Gulielmi regis filia, Stephani Blesensiũ comitis uxor, 162. 35.& 188.43
Adela Ricardi nupta, à parente compressa. 239.23. à marito repudiatur. 242.25.& 247.3.& 251.2
Adela Ludouici regis Galliæ filia Ricardi comitis Aquitaniæ uxor. 233. 1.& 236.17
Adelicia ex Lotharingiæ ducũ prosapia Henrici regis uxor. 191.24
Aderstona uicus. 561.5
Adulationi regis aures non uacare debere, pulcherrimum exemplum. 135.4
Adulphi regis Germaniæ cum Anglo fœdus. 331.44
¶AEGIDIVS Dabeneiregulus. 566. 45. cubiculi præfectus. 594.12. Caleti præfectus ab Anglo auxilio mittitur Maximiliano. 583.30. exercitus in Scotos missi dux. 599.11. eius obitus. 615.27
Æmonia insula. 6.4
Æs Britannicum Cæsaris imagine quando signatum. 32.45
Ætas legitima. 402.16
Aëtius dux Burgundionibus bellum facit. 44.10
Aëtius Britãnis auxilia mittit. 51.23.
¶AFRICVM bellum. 419.14
¶AGATHA Edouardi coniunx Edgari mater. 151.15
Agathyrsi populi. 38.6
Agnerus & Hubo fratres Dacorum duces creantur. 69.48.& 98.44
Agnerus Dacus orientalem Angliam occupat. 70.2.& seq.& 85.38
¶AIDANVS episcopus in Anglia accersitur 81.40.& 105.15
¶ALBAMMALLAE obsidio. 258.2. eius arx solo æquatur. ibid.14
Albanus martyr. 45.8. eius sepulchrũ ac cœnobium. 74.33. 313.39
Albatorum conspiratio. 405.1
Albericus diaconus. 163.23
Albericus Northũbriæ comes. 158.23
Albertus Lapiadensis Heluetius. 643.43
Albigensium hæresis. 297.4
Albigenses à Simone Montifortensi comite uicti. 304.14
Albion olim Britannia dicebatur. 16.12.& 18.20
Albinus seu Alchuinus eruditione nobilis. 26.37.& 106.20
Aldelmus episcopus. 119.39
Aldermanorũ magistratus apud Londinenses. 244.7
Alectum oppidum. 6.23
Alenconium in Angli potestatem uenit. 452.20
Aleonora Henrici tertij uxor. 302. 33.& 382.4
Aleonora à marito in carcerem conijcitur. 231.3. liberatur. 242.14. eius petulantia. 225.2. filios aduersus maritum instigat. Ibid.20.& 231.4
Aleonoram à Lud. rege Francorum repudiatam Henricus secundus ducit. 209.15
Aleonora Castellæ regina, Edouardi tertij coniunx. 311.2.40
Aleonora Simonis Mõtifortensis filia. 321.32. ab Edouardo capitur. Ibid. 35
Aleonora Ioãnis filia comitissa Glocestriæ. 282.27.& 288.7
Aleonora Gastonis Flussatium comitis uxor 627.2
Alexander dux Albaniæ. 538.16.25
Alexander insularum regulus Scotis Sylueſtribus se iungit. 457.19
Alexander rex in Scotiam ex Anglia reuersus. 291.34
Alexãder Setonus. 363.37. Scoticiregni administrator. 364.5
Alfreda uirgo castitatem uouet. 69. 23.& 75.5
Alfredæ Horgerij filiæ elegãtia. 118. 21.& seq.
Alfreda nouercali odio Edouardo priuigno necem struit. 121.13. eius pœnitentia. 121.33
Alfredi Etheldredi filij interitus. 139.36
Alla siue Ella primus Northumbriæ rex Deiram occupat. 76.32
Alliæ fluuij origo. 24.4
Allienſis pugna. 24.6
Allobroges quõdam Delphinatium partes tenuerunt. 377.45
Almericus Caleti præfectus. 377.24
Almericus Montisortis comes. 192. 11. Franciam absente rege tuetur. 190.40
Almericus Britannorum dux capitur. 272.6
Alneuici opp. obsidio. 229.6
Alneuichum opp. Northumbriæ Scoti depopulantur. 172.6
Aloſæ pisces. 14.31
Alphegius martyrio coronatur. 135.
Alphõsi Castellæ, & Garsiæ (25. Nauarræ regũ de finib. contentio. 235.46. cum Henrico III. affinitas. 310.39. Rom. rex eligitur. 312.3
Alphõsus octauus Castellæ rex. 265.8
Aphonsus Neapol. rex regno & uita priuatus. 588.25
Alphonſ. Calabriæ dux in Garteriũ ordinem cooptatus 587.2
Alphonſus dux Ferrariæ põt. Rom. beneficiarius. 622.21. à Vitellotio proſligatur. 666.30
Alſuinus episcopus monasteriũ condidit. 70.20
Altisiodorẽses in Franci potestatem ueniunt. 473.11.28
Aluarij Perresæi fuga. 415.30
Aluchesreda Pedæ regi Christianismi conditionibus locata. 73.5.& 84.28
Aluredus rex quantum in studio literarum præstiterit. 105.40
Aluſtum oppidum à Gulielmo Flandriæ comite obsidetur. 193.29
¶AMBASIA uilla. 519.31
Ambiani ab Anglis affligũtur. 490. 22.& seq.
Ambitionis repulsæ laudabile exemplum. 168.19
Ambroſius Delorus Eani Susannæ præfectus. 464.3. eius res gestæ. 476.18. et 478.45. capitur. 479.19
Ambroſij Bochanigri uictoria. 394.35
Ambroſij de republica bene meriti magnificum sepulchrum. 58.16
Amisberia pagus. 58.21
Amisberiæ cœnobium. 121.36
Amlethus Dacorum rex Britannos subigit. 71.3
Amphibolus martyr D. Albani præceptor. 256.12
Amore nihil esse nobilius. 379.20
¶ANALAPHVS Adelstanum tantum non noctu interfecit. 115.38
Analaphus & Gotfredus Sitrici filij nouas res molientes fuga tandem elapsi sunt. 113.26.& seq.
Ancalites se Cæsari dedunt. 32.9. & 37.20
Andegauenses pop. 183.24
Andegauẽses in Arthuri potestatẽ ultrò ueniũt. 262.31. recipiũtur. 264. 12. in Philippi fidẽ ueniũt. 266.24
Andegauensium ciuitas à Ioanne capitur, ciues plectuntur. 263.8
Andegaui mœnia à Ioanne rege solo æquãtur. 271.46. restaurãtur. 272.15
Andegauum instauratur. 280.31
Andes populi. 183.24
Andouera pagus. 129.36
D. Andreæ episcopus in Scotia. 156.
Andreas Pannoniæ rex in Asiã (23 proficiscitur. 292.23
Andreas Morauius. 365.38. capitur. Ibid. 41
Andreæ Carliolensis comitis proditio. 355.19. proditiõis pœna. Ibid. 33
Andreæ Trolopij facinus. 507.30. interitus. 511.5
Angeum opp. 556.14
Anglus sagittipotens. 375.45
Angliæ nomen. 34.27.& 91.14. & 108.14. generalis descriptio. 33. 21. et seq. à quatuor plagis confinia. 4.40. comitatus XXXIX. 3.14. diuisio. 3.31. diœceses XVIII. 4.5. urbes magnificæ. 15.14
Angliæ aura saluberrima. 12.21
nubilum cœlum & imbriferum habet. Ibid. 23. fœcunditas. Ibid. 26. nulla uina producit. Ibid. 29. quæ animãtia habeat, quibuscq; careat. 33.31. quas aues habeat. 14.6. pecora quam homines benignius alit. 5.17. quare sit opulentissima. 13.25
Angli quando in Britanniam uenerint. 149.9
Anzli Gallico uestitu utuntur. 15.13
Anglibodie literis clarent. Ibid. 11. bello præstantissimi. Ibid. 6. in morte etiã nõ cõcidunt animo. 496.45
Anglorũ cõtra Gallos uictoria. 278.
Anglorũ pronunciatio. 9.13. (39
Anglorum studiosorum Romæ collegium. 97.3
Anglorum diadema regium Constantini munus. 49.18
Angliæ cõstans tranquillitas. 140. 30.& seq.
Anglici regni infantia, 108.19. adolescẽtia. Ibid. 21. uirilis ætas. Ibid. 26
Anglici reges indigenæ quãdo imperare cœperint. 240.11.& 242.40
Angliæ regnum Deo curæ. 142.33
Angliæ reges regni Hierosolymitani titulum aliquãdiu usurparũt. 250.5
Angli Britanniã potiti, 8.37
Anglorum contra Scotos uictoria. 201.10.& seq.& 376.44
Anglorum contra Flandros naualis uictoria. 395.44
Angliæ oligarchia ad monarchiam redacta. 62.28
Angliæ regnum in Normanorum potestatẽ uenit. 149.22.& 150.10
Anglia Dacis uectigalis facta. 122.44 uectigal redimitur. 124.16
Anglia in Dacorum potestatẽ uenit. 125.18
Angliæ regnum ad Frãcos peruenit. 196.40
Anglorũ quadraginta millia aduersus Turcã proficiscũtur. 298.19.
Angli populares sponte in Ludouici Philippi filij potestatem ueniunt. 286.15
Anglici regni inuestitura pontifici Rom. cedit. 277.8
Angliæ regnum Rom. sedi feudatarium esse. 219.31
Anglia pontifici Romano uectigalis facta. 89.40.& 96.41
Angli excommunicationis Romanæ molestiam excutiunt. 417.34
Angli Gulielmi tyrannide pertæsi solitudines petunt. 156.38
Angli ad libertatẽ spirant. 340.19
Anglorũ maxima clades à Dacis accepta. 94.18.& 98.21.& 131.10
Anglorum in Scotia clades. 336.1. & 339.21.& 342.37.& 347.46. & 364.23.& 433.6. fuga. 352.30. In Gallijs. 331.12. et 392.21.& 466. 39.& 471.39.& 479.17.& 486. 27. In Rothomagensi agro. 448.2. In Hispania. 395.1. In Aquitania. 497.3.& 502.10
Anglorum robur cum imperio cecidit. 148.38
Anglorum dolus malus. 416.41
Anglici sudoris origo. 567.38 eiusq; remediũ optimum. 568.13
Anglorum orientalium regni descriptio. 67.45.
Angli oriẽtales à Dacis superati. 67. 45. In uarias per uices ueniũt potestates. 69.33. Christiũ induũt. 80.1. de Mercijs se uleiscũtur. 91.25. In Edouardi potestatẽ ueniũt. 110.25
Angli per inuidiam Scoti dicti. 672.8
Angli in Gallia cõprehensi, pecunia se redimere coguntur. 671.41
Angli nullo alio duce, nisi rege, feliciter bellum gerunt. 634.18
Anglosaxones quomodo in Britanniam uenerint. 55.11.& seq.
Anglosaxones Britãnia tota potiuntur. 61.30. Vide infrà Saxones.
Anglisea insula. 12.4. à Rufo grauiter afflicta. 176.8
Anguſta fluuius. 6.26
Animal apud Anglos uenenosum aut nocuum nullum. 13.35
Anisia filia comitis Glocestriæ Ioannis regis uxor. 242.11
Annam Britanni ducis filiam Carolus octauus ducit uxorem. 583.6
Annæ Ricardi uxoris obitus. 420.4. & 557.42
Anna filia Roberti Mortimerij familiæ regnũ hæreditate attulit. 391.27
Annalium autoritas. 245.20
Annandia uallis. 5.42
Annibalem quo pacto Romani à ceruicibus excusserint. 374.14
Annuli quotannis ab Anglicis regibus aduersus comitialem morbum consecrantur. 143.29
Anseres iuniores in lautitijs apud Anglos habentur. 14.7
Anshelmi episcopi exilium. 177.13. & 179.4. reuocatur. 179.5
Anshelmi Cãtuariensis episcopi uita & monimenta. 185.35.& seq.
Ansleiana cõtra regem conspiratio.
Antona flu 8.24.& 33.28. (407.25
Antonum opp. 10.45
Antonensis portus. 166.27
Antonimus Caracalla Dacos domuit. 95.20
Antonius Riuerius Edouardi principis tutor. 540.13. capitur. Ibid. 32. & 541.31. interimitur. 544.14. & 546.22
Anze Theutonica. 314.27. & 323.22.& 367.29.& 531.37
¶APPELBIA arx capitur. 229.5
Apes etiam in Hybernia. 221.32
Apulia Normani potiuntur. 174.21
Aquila oppidum. 240.16
Aquitania Galliæ pars. 209.17
Aquitaniæ situs. 315.5
Aquitaniæ seditiones per Henricum tertium sedantur. 310.17
Aquitaniam Philippus Pulcher Anglo restituit. 341.13
Aquitania bello ardet. 373.33
Aquitani uectigalis onere pressi, defectionem faciunt. 389.21.& 392.31
Aquitani Lancastrij imperium renuunt. 418.19
Aquitania ad Anglos redit. 501.39
Aquitani ab Anglo deficiunt. 493. 17.& 496.34
¶ARAGONVM regis cõtra Mauros bellum. 299.38
Aragonum cum Siculis bella. 325.24.
Arcadius uita functus. 50.45
Archæ pons. 374.26
Archibaldus Douglassatium comes. 432.1.& 458.3
Archibaldus Douglas Margaritam Scotiæ reginam ducit. 642.14
Archibaldus Stuartus ab Anglo uincitur. 363.44

Universidad de Deusto
Biblioteca

Archigallus regno deijcitur. 22.9. restituitur. Ibid.13
Arcium ædificandarum hodie nulla cura. 15.9
Ardearum aucupatu Angliæ nobiles delectantur. 14.12
Areflorum oppidum. 233.29
Argatelia regio Scotiæ. 6,26
Argentonio Anglus potitur. 452.19
Aricuriæ principatus in comitatum redigitur. 333.10
Armachum Hultoniæ emporiũ.222.2
Armeniacus & Petragoricus Aquitaniæ defectionis autores. 389.23
Armoricæ Britãniæ ciuitates. 50.16
Arnoldus Flandriæ comitatum sibi armis uendicare nititur. 193.20
Arnulphi Flandrensis principis dolus. 112.27.& seq. & 116.2
Arras ciuitas eadem quæ Atrebatiũ. 259.16
Arrio exilium indictum. 47.42
Arthuri cognomentũ unde. 17.14
Arthuri regis res gestæ, et sepulchrũ magnificum. 60,21
Arthurus filius Gaufredi. 238.22
Arthurus regni hæres à Ricardo scribitur.245.2.& 268.24. apud Gallorũ regem educatur.263.2.in uerba Ioannis iurat.265.43. Andegauensiũ comes dicitur.266.22. capitur.Ibid.43. in Normaniã mittitur. 488.36
Arthurus Henrici septimi filius nascitur 569.25. eius & Catharinæ Ferdinandi Hispanorum regis filiæ sponsalia facta.604.10. nuptiæ. 610.26.34. eius familia aulica. Ibid.37. moritur. 612.17
Arualium fratrum origo. 379.14
Arundellum castellum. 181.23
oppidum. 202.38
¶ ARSACIDAE Saracenis sicarij. 319.16
Arx Mediolanensis de cœlo tacta. 666.38
Ascalon mœnibus nudatum. 248.28. & 250.25
Asellus piscis. 14.24.27
Assauensis episcopatus. 9.8
¶ ATHELNEA insula. 105.34
Athesis flumen. 59.46
Atholia. 6.21.26
Atrebatium ciuitas à Flandris bello petitur. 259.16
Atrebatium comitum series. 265.36
Atrebates ab Edouardo tertio uicti. 383.30
¶ AVARITIA sacerdotum. 120.2
Auaritia quantum principi officiat. 97.15
Audiatur altera pars, exẽplũ.284.11
Aues quas Anglia habeat. 14.6
Aues innumeræ aperto cœlo dimicantes in terrã decidunt. 194.43
Auenionem urbem Volcasiorum oppidum quondam fuisse. 297.9
Augusta ad radices alpium ciuitas. 185.22
Augusti temporibus pax ubiq; terrarum. 32,21
Augustinus monachus Christum in Britãnia prædicat.63.27.& 64.5. & 77.1.archiepiscopus Cantuaricẽsis creatur.64.6. obitus. 64.44
Aula regia bonorum studiorum Cantabrigiæ collegium. 399.35
Aulerei Rothomagum ciuitatem tenuerunt. 102.22
Au.Plautius Cl. Cæsaris in Britãnia legatus. 33.24
Aurelianum ciuitas. 468.14.
olim Genebum dictum. 195.9
Aurelianensium contra Burgundiones factio. 437.1
Aurelianum Sarisberiensis obsidet. 468.29.obsidio soluitur. 470.33
Aurelianenses Philippi Burgũdionis fidei se committunt. Ibid.12
Aurelius Ambrosius Britannorũ dux cõtra Saxones pugnat. 56.43. & 57.37. & seq. eius interitus. 58.14. sepulchrum. Ibid.17
Austria quondam Pannonia superior. 253.8
Austri prodigiosus impetus. 385.26
Aui peccatum ad nepotes redundasse. 531.21
Auxolmea insula. 3.14
Auxolmeæ fœcunditas. Ibid.17

B

BACVLVS domesticæ regiæ præfecturæ insigne. 427.4
Badudus rex Icarium uolatum uolans interijt. 20.11
Badonicus mons. 59.44
Baiona quõdam Tarbellorũ ciuitas. 331.42
Baionense prælium. 336.15
Baiocensium urbe Gallus potitur. 496.12
Baiocẽses ijdẽ qui Bellocasi. 452.4
Balduinus quartus Hierosolymitanus rex elephantico morbo laborans cœlebs niuit. 237.20
Balduinus Reduersus in exilium missus. 198.30
Balduinus Flandriæ comes. 123.31. Anglicanarũ partiũ caput. 264.22
Balduinus Ricardo regi se iũgit. 258. 46.& seq. eius cum Ioãne rege fœdus.264.26. & 265.23. cũ Frãco amicitia. 265.25. Asiatico bello se parat. Ibid. & 266.16. interitus. 189.16.44. & 190.18
Balistæ qui. 375.25
Ballini, id est consules, magistratus Londinensis. 243.13
Bamburgum arx. 83.28. & 173.41 516.46
Bambericus pagus.
Bangoriensis episcopatus. 9.7
Bangorienses monachi. 76.44
Baptismi, eucharistiæ & coniugij insectores hæreseos conuicti pœnas luunt. 212.10
Barbasani strenuitas. 456.8. in carcerem mittitur. Ibid.12
Barchyngij cœnobium. 64.43
Barkeleij arx. 358.32
Barnardus Syluanectis comes pro Ricardo Normano principe puero Ludouico regi resistit. 116.25 526.26
Barnetus pagus.
Barnetensis pugna. 527.10
clades. Ibid.26
Baro, id est, præfectus statarius.244
Baronum officium. 154.31 (10
Bartholomæus quidã Cantaber literas primus in Anglia docet. 107.28
Bartholomæus Aluianus Venetus capitur. 621.42
Baßianus Anton. Caracalla quibus rationibus Britãnos in officio retinuerit.44.16. fratrem Getam interficit.Ibid.18.eius interitus.Ibid.
Basilica Vuestmonasterij.154.22. (33
Basyngstochus pagus. 109.42
Bathoniam oppidũ quis ædificarit. 20.3
Bathonia episcopatus. 158.18
Bathonienses & Vuellenses Angliæ diœceses. 4.11
Bathonia igne ferroq; uastata.165.16
Bathonia thermis nobilis. 20.5
Bathonense cœnobium. 7437
¶ BEBBA urbs. 83.25
Bedæ elogiũ,& quo tempore is floruerit. 16.6. & 86.38. eius discipuli.106.35.Ceoloulpho ecclesiasticam historiam inscripsit.86.38.eius monumenta publicata. 86.42
Bedfordia oppidum. 199.15
Bedfordiẽsis Angliæ comitatus.3.25.
Bedfordia à rege cum aree capta Falcasio donatur. 285.3
Bedfordiensis arx coniuratis principibus deditur. 283.1
Bela Pannoniæ rex. 237.3
Belli incommoda. 518.5
Bellicis rebus monarchia optima. 290.8 161.27
De Bello, cœnobium.
Belgæ Britanniã occuparũt. 15.45 605.41
Belliloci asylum. 438.10
Belliloci direptio. 528.21
Belliloci uici cœnobium.
Bellinus primus regum Britanniæ crematus est. 25.24
Bellini regis laus amplissima. 25.12
Bellocasiorum ciuitas ab Anglis capitur. 452.4
Bellouacos Francus recipit. 475.24 Bellouacensis pugna. 478.19
Bellũ Frãcis ab Anglo indictũ.625.7
Belsia Celticæ pars. 458.12
D.Benedicti cœnobium. 134.21
Beneficentiæ in ingratos exemplum. 407.13.& 552.44
Beneficiarius quis. 224.29
Benettibrigium opp. 222.13
Berchãstedus pagus.312.33.& 313.7
Bercheria Angliæ comitatus. 3.17
Berchyngij cœnobium. 90.12
Berengarius diaconus corpus Christi eucharistiæ συμβολικῶς tãtum inesse asserit. 163.19
Berengaria filia Garsiæ regis Nauarræ,spõsa Ricardi ducis Normaniæ. 241.27.& 247.2.11.& 253.3
Berinus episcopus. 88.6
Bernardinus Card. concilium Pisas uocat. 623.18
D.Bernardus claret. 210.26.& 241. 28
Bernardus Baiocẽsis episco. 244.41
Bernardus Nouimercatensis. 165.20
Berniciorum regnum. 76.21
Bernicia Northumbriæ pars. 76.32
Berthæ reginæ Cantij laus. 63.21
Bertrandi Gesquini res gestæ. 386. 40.capitur. 388.3.& 392.19
Beuerlacus pagus. 86.24
Beuerlacum oppidum. 86,28
Beruicum oppidum. 5.40.& 233.12. & 244.19. Anglus Scoto donat. 511.25. à Scotis capitur. 37.23.& 349.20.ab Anglis capitur. 336.7. & 341.2.& 363.44.& 538.35
Berfordiensis arx ab Henrico tertio diripitur. 296.1
Bethleem Carthusianorum cœnobium. 440.10.& 608.27
¶ BIBROCI se Cæsari dedunt. 30. 10.& 27.20
Bithynia regio. 139.19
Bithynia à Gothis uastata. 95.29
Bituriges Delphini bello occupati. 458.4.& seq.
¶ BLACHEMORA mons. 59.45
Blakethus mons. 402.42
Blackmura Scotiæ locus. 352.40
Blancha Ioannis Aragoniæ regis uxor. 626.44
Blangium oppidum. 445.1
Blangius amnis. 657.5
Blãcha regina Castellæ Ludouici Frãcorum regis uxor.265.8.& 297.15. pro puero regnũ gubernat. 297.22
Blancha Lancastri filia Ioannis Gandauensis coniunx. 385.13
¶ BOANDVS fluuius. 222.1
Bodotria flumen. 6.18.& 39.41
Boëmi religionis tuendæ causa arma mouent. 474.9
Bombardarũ usus quando in Gallijs nouus. 463.41
Bononia Galliæ. 10.15
Bononiensis oppugnatio.586.16. & 587.6
Bonrys sylua. 573.25
Borburgum Anglis deditur. 406.16
Bosuuorthus pagus. 562.29
Bosuuorthensis pugna. 563.22
Boues in Anglia æquè ut capita censentur. 159.36
Boues candidi instar leonum iubati. 6.35
Boum Anglicorum natura. 13.44
¶ BRAIVM oppidum ob oppidanis incensum. 680.36
Brechenotum opp. 171.46
Brennus stipendia facturus in Galliam traijcit. 23.20
Brenni, sine ut Liuius habet, Brennonis Gallogræcorum ducis in Asiam expeditio. 25.4
Brenno quo tempore urbem ceperit. 21.12.& seq.
Brenni & Bellini de imperio contentio. 23.9
Bremmæ pisces. 14.30
Brestum à Britanno capitur. 372.10
Bresti oppidi fides. 194.24
Bria regio Cãpaniæ cõfinis. 461.31
Briduellum ædes ad Thamesim.634. 30
Brigantum situs. 33.42
Brisoni arx ab Anglis capitur,ac diruitur. 257.41
Bristolliũ ab Isabella obsidetur. 356. 23.deditur. Ibid.26
Bristollij oppidi situs. 100.36
Britanniæ nomẽ & origo. 16.9.eius diuisio. 3.8. forma triquetra. 10.5 uentis expositа.5.6.uini & olei expers. 32.41
Britanniæ religio. 15.18
Britannia ab orbe ferè condito habitata fuit.18.25.qui mortales eam ab initio coluerint. 15.35
Britanniæ populi lingua & moribus differunt. 3.11
Britanniæ insulæ. 7.20
Britanniæ urbes cur minus celebres. 5.8
Britannicæ urbes suo iure usæ. 26.12
Britanniæ principes olim reges an tyranni fuerint incertum. 16.25
Britãnia quo anno à Cæsare deuicta. 30.40. Romanis uectigalis facta. 30.19.quando amissa, quandiu sub Ro.imperio fuerit.52.20.à Romanis recuperatur. 45.3.& 50.43
Britannia mores cultos Romanis debet. 52.15
Britannica monarchia in pentarchiam redacta. 21.5
Britanniæ Respub.ad monarchiam redit. 21,34
Britanniæ Reipub.forma qualis sub regibus fuerit ante Cæsaris aduentum. 291. per totam præfationem.
Britannia tota in Anglorum Saxonum potestatem uenit. 61.36
Britannia qualis nostra tempestate sit. 12,12
Britannia quando nomen amiserit. 94.14
Britãnia lanitio hodie celebris.15.4
Britannus Ambrosio duci magnificum sepulchrum posuit. 58.16
Britanni imbelles. 32.39
Britanni bonos mores quando imbiberint. 39.23
Britanni per Romanos multò cultio res effecti. 26.29
Britannos ciuilis discordia libertate priuauit.59.40.& 61.10 & seq.
Britanni libertatẽ cum imperio amittũt.50.13.cum regno nomen amiserunt.8.41.ad Cæsarem de pace legatos mittunt.28.27.& 29.3.à Claudio Cæsare sine prælio superati.33.36. eos Rom.legati in officio retinent. 33.19.defectionem cogitant. 35.37
Britannorum triginta millia à Romanis cæsa. 36.41
Britannorũ rebellio.42.22.38.& 45 14
Britãni græcas literas discebãt. 27.8
Britanni Romanorum iugum excutiunt.44.42.à Scotis Pictisq; affligũtur.51.14.& 51.38.à Romanis inuitis deficiũt.52.13.à Saxonibus Britannia pulsi alibi sedes quærunt.8. 29.& 55.29
Britannorum contra Pictos uictoria.59.36.contra Scotos. 54.4
Britannorum clades. 88.34
Britannorũ diuitiæ.27.2.ædificia. 7
Britannis uarios corporum habitus fuisse. 26.30
Britannicus Claudij Cæsaris filius. 33.13
Britanniam transmarinam Gallus inuadit. 271.14
Britannia citerior ab Anglis uexatur. 466.46
Britanniæ seditio. 394.4
Britanni citeriores in Francipotestatem ueniunt. 584.4
Britanniæ citerioris principum series & hæredes. 496.25
Britannicæ familiæ series.371.35.& sequentib.
Britannicum bellum. 371.34
Britones Britonantes. 9.33
Brixia bis intra 20 dies capta.625.30
Brundusium Venetis oppigneratum. 622.6
Brutus quidam Ascanij nepos, secundum quosdam Britannici generis autor. 17.26
¶ BVBVLAM carnẽ Angli in de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

licijs habent. 14.2
Bucanus capitur. 462.20. interimitur. 465.31
Buchyngamienſis Angliæ comitatus. 3.25
Burdegalẽſes de proditione cogitãt. 325.12
Burdegala ad defectionem inclinans à Fraco capitur. 330.26.clades.334.20.eam Francus recipit. 497.10.ad Anglum ſe inclinat.500.45.in eius poteſtatem uenit.501.37.Francus recipit. 502.28
Burenſe caſtellum à Rufo capitur. 172.44
Burgũdiones ijdem qui Sequani.102.39
Burgundiones Galliam infeſtant. 51.33
Burgũdionum aduerſus Aurelianos factio. 417.2
Burgum Petri, cœnobiũ.128.24.ſpoliatur. 287.12
Burgthum arx capitur. 229.4
Buria pagus. 70.40
Burienſe cœnobium diripitur.125.27
Burtonus uicus. 351.6
Butauentum à Britannis occupatur. 264.12

C

CADOMI oppidi ſitus.450.16.ob ſidio.ibid.18.deditio. 451.3
Cadomum ab Edouardo quinto capitur. 373.40.à Franco recipitur. 496.9
Cadomi cœnobium. 161.29
Cadouallonis defectio. 18.14. & ſeq.
Cadouallonis mteritus & proſopographia. 81.32
¶CAERLEONVM oppidum. 25.13
Cæſarea mœnibus nudata. 248.28
Cæſarum declaratio non tã imperij dignitas, quàm ad imperia gradus. 46.37
Cæſar quando Britannis bellum fecerit.26.4.quare. 27.18
Cæſaris in Britanniam expeditio prima.18.9.ſecunda. 29.10
Cæſar Britanniam poſteris non tradidit,ſed oſtendit. 30.27
Cæſaris dictum. 149.35
C. Voluſenus Cæſaris ad Britannos legatus. 25.26.& 28.8
Calacum oppidum obſidetur. 237.19. capitur. ibid.28
Calamitatem aliquoties ad laudem prodeſſe,exemplum. 22.18
Caleti ſitus. 376.24
Caletum Anglica colonia.386.10.ab Anglo obſeſſum.376.1.deditur.ibidem 15. colonia Anglica eò deducta.ibid.27.à Burgundione obſidetur. 487.5
Calgaco utro magni conſilij ſumma imperij à Britannis committitur. 49.30
Calgacus infeliciter contra Rom.pugnat. 40.38. & ſeq.
Calidonia. 6.34.& 345.13
Calidonia ſylua boues producit cãdidos, inſtar leonũ iubatos. 6.35
Camber Bruti ſeu Britonis filius. 19.24
Cameraci obſidio. 368.19
Camillus ab exilio reuocatur. 24.27
Camilli contra Gallos victoria. 24.39.& ſeq.
Campi cœleſtis templum miraculis claret. 82.28
Camudola hodie Colceſtria. 37.15
Camulodunum colonia. 343.7. & 36.1
Cancellarij munus. 154.35.& 188.31
Cancellarius magni regni. 213.11
Candaliæ ſitus. 33.43.& 229.9
Caudebecum arx. 442.12
Candidacaſa oppidum. 6.11
Cangorum ſitus. 33.38
Cãgi rebelles ab Oſtorio Scapula domiti. 33.32
Cantabrigiæ origo & nomen. 107.29
Cantabrigienſis Angliæ comitatus. 3.24.& 68.2
Cantabrigienſem agrum Rogerius Montigomericenſis iniuria afficit. 165.18
Cantabrigiæ gymnaſium. 107.15
Cantabrigia literis claret. 68.20.collegia ſcholaſtica. 320.41.& 354.9.& 532.38.collegiũ Reginæ.572.1.binæ ſcholæ inſtitutæ. 617.41
Cantium à Ludouico Philippi filio ſubigitur. 286.2
Cantium Angliæ comitatus. 3.16
Cantianæ gallinæ maximæ. 14.7
Cantiani ſeditionibus delectantur. 498.16
Cantianorum quatuor reguli infeliciter pro Britannis aduerſus Cæſarem pugnant. 30.15
Cantiani Humfredum inuadunt,profligantq;. 498.30
Cantiani iniuriarum impatientes. 498.16. Londinum contendunt. 498.22.ciuium domos ſpoliant.ibidem 34. Ioannẽ Sayum principem Angliæ quæſtorem cum pleriſque nobilibus ſecuri percutiũt. ibidem. 41.domibus ſuper põtem cõſtructis ignem injiciunt.499.11. Ioan.Caddus Cantianorum dux capite mulctatur. 499.22
Cantium in Britannia Angloſaxonũ prima ſedes.55.28.contra regem ſeditio. 402.31.& ſeq.
Cantianorum fides erga Henricum ſeptimum. 595.42. & 601.14
Cantij regni deſcriptio. 65.1. & ſeq. & 149.5
Cantianorum imperium in Occidentalium poteſtatem uenit. 67.24.40
Cantianos Chriſtiana fide imbuit Auguſtinus. 67.23
Cantuaria à quo cõdita. 19.44.à Dacis capta. 128.29
Cantuarienſis Angliæ diœceſis.47.22.& 64.9
Cantuaria archipræſulis ſedes. 64.9
Cantuarienſis archiepiſcopatus Licheſeldiam translatus. 74.17
Cantuarienſis epiſcopi eſt reges inungere. 215.36
Cantuarienſes epiſcopi omnes legati pontificij. 215.6
Canutus Suenonis filius Dacorum rex, humanitate Anglos in officio continet. 125.18
Canuti in Northumbriam expeditio. 127.44. totius Angliæ imperium obtinet. 126.3. & 132.32. & 133.11
Canuti aliquot cum Anglis pugnæ 129.27. ab Anglis profligatur.130.5
Canuti regis admirabilis [illegible] 135.4
Canutus tertius Dacorũ rex.135.45. Norwegiam recuperat. 133.43. eius obitus. 134.40
Canutus 1111 Dacorum rex, Normanis Anglia potitus bellũ facit.152.17.eius victoria. 153.6
Capitium. 404.45
Capitolium à Gallis obſeſſum anſerum beneficio liberatur. 24.26
Capo piſcis. 14.28
Carantus fluuius. 315.6
Carataci Ordolucarum reguli res geſtæ. 34.37.& ſeq.& 35.36
Caratacus capitur. 35.2
Carauſius Britãniam dolo occupat. 44.20.34.43
Cardiffum oppidum. 184.30
Carlioli oppidi conditor & ſitus.19.39
Carliolenſis epiſcopalis in Angliæ ſedes. 4.25.& 33.42. & 195.29
Carliolum oppidum reſtauratum & colonia eò ducta. 170.1.à Scotis capitur. 198.4
Carlioli obſidio.229.1.à Scotis incenditur. 335.39
Carnutes obſeſſi à Rollone. 102.38. à Delphino. 458.2
Carræ Meſopotamiæ urbs. 44.27
Carolus Canuti Dacorũ regis filius. 190.19
Carolus Delphinus. 455.19
Carolus Magnus duo gymnaſia condidit.74.28.& 106.28

Carolus 1111.imp. pacis inter Anglũ Gallũq; interpres. 401.34.& ſeq.
Caroli Magni cum Scotis fœdus. 91.38.& 371.27
Caroli v.imp.genus. 614.28. Imperator deſignatur. 658.29. in Angliã uenit.662.25. corona ferrea re dimittur.664.Mediolanum in ſuam poteſtatem redigit.672. in Angliam iterum uenit.660. ab Henrico pecunias mutuatur. ibidem
Carolus Simplex Gallorũ rex Eduinam uxorem duxit.111.11.39. indias à Rollone petit.102.34. filiam Rolloni locat.103.21.per dolũ capitur.112.3.moritur. Ibid.10
Caroli Pulchri regis Francorũ cum Edouardo 1111.pax. 353.11
Carolus Ioannis regis Franciæ filius primus Delphinus. 377.42
Carolus Delphinus conditiones Angliæ detrectat.383.11. uita excedit. 360.23.44
Carolus v.rex Francorum. 386.20
Carolus quintus Edouardo principi diem dicit. 388.33.& 390.13
Edouardo quinto patri bellum indicit.390.15. cum Anglo induciæ. 398.2.moritur. 401.42
Carolus v1.rex Franciæ.401.42.Angliam inuadit.409.2. cum Ricardo 11.pax.417.26. affinitas. 420.8. eius cum Hẽrico 1111.induciæ.432.15.& ſeq et 434.24.res gerere neſcit.451.31.Ricardi 11.mortem ulciſci parat. 429.39. eius inſania. ibid.43.à rebus gerendis abſtinet. 436.43.à uita excedit. 460.29
Carolus Delphinus Caroli ſexti filius perpetuus patriæ hoſtis iudicatur. 453.4
Caroli Delphini fuga. 381.4. pacem petit.384.11.ſe regem dicit. 473.7 inungitur. ibid.24
Carolus ſeptimus Burgundionis amicitiam curat.475.28.& ſeq.Bedfordienſi induciasin ſexennium ſubitò frangit.480.6. Normaniam recipere conatur.488.33.periculum ex filij conſpiratione.489.11. cũ Anglo induciæ.491.5.fractæ. 494.30. Normaniam affectat.494.34.pugnando reſtituit rem.497.34. Talboto obuiam it.501.45.eius obitus. 504.16
Carolus v111.rex Franciæ. 553.32
Caroli oſtaui regis Franciæ cum Maximiliano & Franciſco Britanno bellum.576.5.contra Britannos uictoria.579.46.Britannia potitur. 584.2. Annam Maximiliani ſponſam intercipit ducitq;.584.2. Anglis uectigalis.586.41. cum Ferdinãdo Hiſpaniæ rege fœdus,587.25. ad Henricum v11. de concordia legatio. 600.40.& 603.44
Carolus rex Nauarræ capitur.380.23 & 393.4
Carolus Nauarræ rex Anglo auxilia offert. 393.2
Carolus Andegauenſis comes Siciliæ rex factus. 312.17
Carol.rex Siciliæ. 319.26.& 325.22. obitus. 326.1
Carolus Caroli regis Siciliæ filius in prælio ab Aragone capitur.325.44
Carolus Alenconij comes. 367.44 eius interitus. 375.39
Carolus Aurelianus dux ſuoſam eũ Burgundione gratiam iniuit. 437.12.eorum bellum. Ibid.
Carolus Aurelianus captus in Angliam ducitur.447.30. dimittitur. 490.6
Carolus Burgundio patri Philippo in regno ſuccedit. 514.42.Edouardum quartum cõtra fratrem iuuat. 521.4
Caroli Burgundionis cum Franco diſcordia. 533.38
Carolus Flandriæ comes per proditionem in templo occiſus. 192.26
Carolus Valeſij comes Philippi Pulchri regis frater. 330.6
Caroli Bleſenſis comitis de Britannico imperio contentio. 371.42.& ſeq.cum Montifortenſi de principatu contentio.382.32.cum duobus filijs capitur.377.16. dimittitur. Ibid.19.eius interitus. 386.21
Carolus Brandonus eques fit dux Suthfolchiæ.642.36. In continentem exercitum ducit. 679.20
Carolus Burbonij dux Franciſco regi tradit.679.1 Maſſiliã oppugnat. 681.31.Romam capit.683.12. eius interitus. ibidem
Carthaginis origo. 159.46
Carthumandua regina Brigantum. 35.1.27
Cathalanenſes Franco ſe dedunt. 473.19.
Casletum à Philippo Franciæ rege capitur. 278.5
Caſſellum ciuitas. 222.43
Caſſi in Cæſaris fidem ueniũt. 30.10. & 37.20
Caſſiuellauno Britanni totam contra Cæſarem belli fortunam cõmittunt. 27.43
Caſſiuellauni Britannici regis obitus. 30.41
Caſtellum Puellarum. 244.19
Caſtellana pugna. 387.44.& ſeq.
Caſtellanorum cum Luſitanis bellũ. 410.32.clades 411.11
Caſtellæ regum genealogia. 310.41
Caſtellæ regnum dotis nomine Flandriæ ducì cedit. 613.24
Caſtellionenſe prælium. 502.4
Caſtellio à Francis obſidetur. 502.3. per deditionem capitur. ibid.20
Caſtitatis prodigioſum exemplum. 85.4.& 90.6
Caſtrinoui obſidio. 401.31
Caſus inopinatus in bello multum uaſtat. 637.41
Cathaneſia Scotiæ locus.7.12.Britãniæ portiuncula. 38.24
Catti Deciani fuga. 36.27
Catina Siciliæ urbs à Roberto Atrebate occupatur. 326.10
Catharina Caroli v1 filia. Henr.v uxor,regina coronatur.456.40.eius forma.453.39.
Catharinæ Henr. v1 matris obitus. 487.40. cõiugia & liberi.ibid.42
Catharina regina Hiſpaniæ Arthuri principis Vualliæ uxor. 610.46 Henrico octauo Arthuri fratri nupſit.619 32.Corona redimitur 621.8.ab Henrico repudiata 688.20.moritur.689.25
¶CECILIA monacha, Gulielmi regis filia. 162.54
Celtæ. 101.17
Celtica pars Galliæ. 468.16
Cenimagni ſe Cæſari dedunt. 30.9. & 37.19
Cenomani Gallo ſe dedunt. 239.36. Sariuberienſi ſe dedunt.463.44.defectionem cogitant.467.13.Gallos contra fidẽ in urbẽ recipiũt. 467.27.Anglos recipiunt.ibid.45.
Cenoualchius occidẽtalis rex Vecte inſula mulctatus. 73.18
Cẽſuræ apud Romanos origo.379.16
Cephali piſces. 14.29
Ceruiſia Anglis in uſu. 12.36
Ceruiſia ex hordeo conficitur. 12.37
Ceſtria oppidum. 8.27. & 25.17
Ceſtrenſis Angliæ comitatus. 4.2
Ceſtriæ diœceſis. 105.7.& 158.19. & 178.42
¶CHARRIS oppidum. 221.43
Charygium oppidum. 221.42
Chelmisfordia uilla. 421.44
Chereburgi arcis conſtantia. 496.19.deditio.496.20
Chergrantium oppidum. 107.26
Cherrium oppidum. 221.45
Cherteſſeius uicus. 532.10
Cherteſſeium monaſterium. 65.42
Cheuiota mons. 5.45
Childaria oppidum. 222.12
Childennium oppidum. 222.12
Chinon oppidum.211.44.expugnatur.271.27
Chipenhamus pagus. 100.34.
Chriæ mixtæ elegantiſſimum exemplum. 135.4

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christiani conditiones à Sultano accipiunt. 294.37
Christiernus Dacorum rex sororem Caroli in matrimoniũ habuit. 667.29. in Angliam uenit. 678.4
Christophorus Vrsuychus regius legatus inter Francum & Britannos pacem nequicquam facere conatur 576.46. & 577.17
Christophorus Benbricus Eboracensis archiep. Romam legatus mittitur. 621.32
Chyneſuida regina Merciorum septem filiorum mater. 72.43
Ciceſtrẽſis Angliæ diœceſis. 4.9. & 67.42. & 158.19
Cimbrorum quondam ſedes. 96.3
Cineardi fratris Sigiberti regis Saxonum exilium & interitus. 90.40
Clarentia pagus. 391.36
Clarentiæ duces unde nominati. 391.29
Clarentius fluuius. 391.37
Claromontanum concilium. 195.8
Claromons urbs. 174.34
Claromontẽ Anglicapiunt. 476.26
Claudius Cæſar qua uia in Britanniã traijcere conſueuerit. 10.20
Claud. Cæſar quare Britannis bellum intulerit. 32.27. de Britannis triumphat. ibid. eius filiæ quibus maritis nupſerint. 32.7. templum. 34.13. & 36.3. ſimulacrum. 34.11.
Claudij Cæſaris tempore aurũ & argentum effigie Cæſaris cœptum ſignari. 27.6
Claudius Ptolemæus Ægyptius taxatus. 37.14
Claudius ſecundus Gothos tantum non deleuit. 95.12
Claudia Ludouici comitis Flandriæ ſoror. 372.16
Clauo S. Crucis Conſtantinus pro cono galeæ uſus. 47.25
Clemens monachus in Gallijs ſapientiam uenalem exponit. 106.31
Clœliæ uirtus. 477.11
Clomellum oppidum. 221.43
Clupeæ piſces. 14.31
Cluſæ oppidum. 369.22
Cluſini à Senonibus obſidẽtur. 23.27
¶ COCHBETA inſula. 83.39
Cœleſtinus pontifex Rom. 250.24
Cœlũ ardere uiſum. 176.32. & 269.15
Colceſtria oppidum. 564.11
Coldingha cœnobium. 85.28
Coleti ſchola. 618.26
Colnamum aſylum. 569.18
D. Columbæ inſula. 6.4
Columella quo tempore floruerit. 13.19
Cometes apparuit. 148.39. & 184.22. & 294.43. & 305.30. & 311.33
Commodus imp. 42.45
Compendium oppidum à Delphino captum. 462.24. ab Anglo recuperatum. ibid. 25. à Franco recipitur. 476.24
Conanus Britanniæ citerioris dux. 214.39
Concilium Vintonienſe. 316.6
Concordiæ domeſticæ uinculum timor externus. 340.29
Conenſium ſitus & obſidio. 458.26
Confalonerius quid. 631.35
Coniugalis amoris pulcherrimum exemplum. 46.13
Coniugalis odij cauſa. 293.24
Cõiuratio Buchyngamiana. 548.41. & ſeq. Eboracenſis epiſcopi aduerſus Henricum quartum 435.16. Hybernica. 570.7. & ſeq. ſupprimitur. 574.35
Conſpiratio contra Henricũ quartũ. 430.30. cõtra Henricum quintum. 442.5. Ludoui. in patrẽ Caroliũ VII. 489.11. Margaritana. 550.9. Scotorum in regem ſuum Iacobum quartũ. 580.12. Principum Anglorum & Petri. 590.20. In Venetos. 621.36.
Connacia Hyberniæ pars. 221.36.40 & 222.14.
Connubia ſacerdotum quãdo in Anglia abrogata. 119.27
Connubia apud Scotos olim promiſcua. 170.29
Conradus Montiferrat. à ſicarijs interfectus. 249.11.46
Conſcientiæ erectæ pulcherrimũ paradigma. 140.23
Conſciẽtiæ uis. 542.25. & 543.18. & 562.38.
Conſilijs celeritas officit. 15.1
Cõſiliariorum principum moleſtia. 599.33
Conſtantienſe concilium. 441.6
Conſtantia Normaniæ olim Auguſta dicta. 176.33. eiusque obſidio. ibid. 34. ab Andegauẽſi comite capitur. 186.21. in Angli poteſtatem uenit. 452.21
Conſtantia Gallus potitur. 495.21
Cõſtantia Ludouici regis Galliæ gnata, Euſtachio Stephani regis filio in matrimoniũ datur. 202.30. mortuo marito ad fratrem Ludouicum reuertitur. 208.4
Conſtantia Gulielmi regis filia Alani Britannorum principis uxor. 162.34
Conſtantia Arthuri mater. 262.40. & 267.6
Conſtantini plena hiſtoria. 45.42
Conſtantinus Galliam & Occidentem tenet. 46.18. totius orbis imperium affectat. ibid. 20. à matre Helena religione imbutus. 47.43. baptizatur. 48.19. Chriſtianam religionem maximè omniũ auxit. 45.10. & 47.2. eius laus ampliſſima. 48.18. Arrianus factus. ibid. 32
Conſtantini obitus. 48.24. tres filios in imperio ſucceſſores reliquit. 49.21.
Conſtantinus Conſtantij filius militum fauore Imp. ſalutatus. 45.39
Conſtantino filio Gallia, Hiſpania, Britannia, & Orchades ſorte obueniunt. 49.22. à fratre Conſtantino interficitur. ibid. 24.
Conſtantinus Ducas Conſtantinopol. Imperator. 139.2
Conſtantinus Londinenſis ciuis ſeditionis pœnam luit. 294.22
Conſtans ex monacho Cæſar factus. 50.37. à ſuo comite occiſus. ibid. 42
Conſtantius Claudij nepos Cæſar declaratus. 45.16. & ibid. 23.
Conſtantius Imp. occidentem ſortitus. 45.26. uita functus inter diuos relatus eſt. ibidem 29. eius frugalitas. ibid. 32
Conſtãtius interfecto fratre Britannia potitur. 49.25
Conſtantius Conſtantinum tyrannum interficit. 50.36
Conſtantius Britanniam recuperat Romanis. 50.42
Conſtantinopolis prius Byzantium. 48.22. Romæ æmula. ibid. 26
Conuentrenſes. 37.22
Conuentrenſis Angliæ diœceſis. 4.14.
Copſius Northũbriæ comes. 159.22
Corbolium à Franco capitur. 478.11. & 484.2.
Corcagia oppidum. 221.44
Corcella arx diruitur. 259.18
Cordillæ memorabile pietatis erga parẽtes exemplum. 20.30. mortem ſibi conſciuit. ibid. 39
Cor leonis Ricardi regis cognomentum. 261.46
Cornelius Fuſcus aduerſus Getas miſſus. 95.18
Cornelius Vitellius bonarum literarum profeſſor. 618.34
Cornelij Taciti locus. 26.30
Cornicũ maxima apud Anglos multitudo. 14.14
Cornices auium genus maleficum. ibid. 15. & ſeq. quare in Anglia cõſeruentur. ibid. 16
Cornubiæ deſcriptio. 9.16. eius ſterilitas. ibid. 25. lingua. ibid. 32
Cornubia infœcunda. 599.15
Cornubia Angliæ comitatus. 3.18
Cornubienſes quartã Britanniæ partem incolunt. 3.18
Cornubienſiũ ob imperatam pecuniam ſeditio. 599.15. clades. 602.1. denuò

denuò arma capiunt. 604.31
Cornugallia eadẽ quæ Cornubia. 9.35
Corſis arx. 121.19
¶ CRAVANTENSIS cædes. 462.16
Creſciacum opp. 375.13
Criſpini & Criſpiniani dies cur Anglis ſacer. 447.45
Criſpus Salluſtius excuſatus ob conuitium in Romanos. 17.22
Crolandienſe cœnobiũ à Ioanne ſpoliatur. 287.23
Croteium oppidum Delphinus capit. 462.24
Crudelitas plusquam crudelis. 176.8
S. Crucis inuentio. 47.17
Crux Ricardo regi cum pendente hominis imagine apparuit. 244.34
Cumbria Angliæ comitatus. 4.3
Cuprum oppidum. 6.6
Cuprum ab Anglo capitur. 364.40
Curtracenſis pugna. 365.38
Cuthbertus Tonſtallus Londinenſis epiſcopus. 675.44
Cymbelinus rex Romanis tributum pendere detrectat. 32.27
Cygnorum in Anglia copia. 14.12
Cymbia uel Sanctia comitis Prouinciæ filia, Ricardi comitis Cornubiæ coniunx. 307.38
Cyprium regnum quomodo in Luſitanorum manus uenerit. 250.7

D

DACIA Germaniæ pars. 95.42. & 96.3
Dacorum origo. 95.3. & ſeq.
Daci Britanniam occupant. 91.17.23. Angliam inuadũt. 122.24. & 152.32. in Anglia prædã agũt. 94.20. & 96.31. & 98.39. & 99.32. quando in Angliã uenerint. 70.6.44. & ſeq. Merciorũ regnũ inuadunt. 76.4.11
Dacorum cõtra Anglos victoria. 99.16. Anglia potiuntur. 125.19. fœdus uiolant. 100.16. & 104.5
Daci piratæ Angliam inuadentes fuſi fugatiq; ſunt. 94.38. & 96.37. & 97.29.44. & 140.28
Dacorum imperium diminutum. 135.46. quando in Anglia regnare deſierint. 137.38
Dacia à Noruegis uaſtatur. 133.36
Daci ab occiduis conditiones accipiunt. 100.16, 101.41. à Normanis fuſi fugatiq;. 153.22
Dacorum cum Anglis tam cruentæ quam dubiæ pugnæ. 101.16. & 130.33. Quibus ordine cladibus afflicti. 95.16. & ſeq. Quãdo Chriſtianum dogma acceperint. 125.46
Dæmonum præſtigiæ fallacia eſſe, exemplum. 537.16
Dagincurtum uicus. 445.2
Dagincurtenſis nobilis pugna. 445.5. & ſeq. & 447.12
Dalla locus. 560.2
Damiata quondam Heliopolis. 292.25. à Chriſtianis obſeſſa. ibid. capta. 293.30. redditur. 294.39
Damiata à Ludouico rege Franciæ oppugnatur. 309.17
Dammi oppidi oppugnatio. 406.10
Damallæ obſidio. 258.2
Dancaſtrum. 34.6. & 58.2
Danfrontem Philippus capit. 268.13
Dani quondam, nunc Daci uocantur. 95.3
Dani à Dacis quid differant. 96.12
Dani Valachorum factio. 96.8
Darbienſis comitatus Angliæ umbilicus. 4.2
Dauid Hallus. 495.35. & 509.43
Dauid Scotiæ rex Angliam cum exercitu ingreditur. 198.2. eius in Angliam expeditio. 199.22. & 200.14. Northumbriam Mathildis permiſſu poſſidet. 204.5
Dauidis Leolini filij erga fratrem impietas. 304.5. & 305.39. eius ab Edouardo tranſitus. 323.23. ingratitudinis pœnas ſoluit. 324.30
Dauid proſligatur. 305.46. & rurſum à Vuallis princeps cõſtituitur. 308.15.40. In Scotiam fugit. ibid. 45
Dauid Vuallorum princeps moritur. 213.24
Dauidis Scotorum regis cum Anglis tumultuaria aliquot prælia. 371.10. inducias uiolat. 376.35. & ſequenti. capitur. 377.4
Dauidis filij regis Scotiæ res geſtæ & obitus. 432.46. & 436.11. & 438.40
Dauidis Gulielmi Scotorũ regis fratris genealogia. 328.32. & ſeq.
Dauid Menenſis epiſcopus claret. 61.41
Dauid Cumini Athol. comitis interitus. 364.35
Dammus portus. 278.3.18
Danorum ſedes. 95.12
¶ DEA fluuius. 5.34. & 6.46. & 25.18
Deum non auro, ſed precibus placari. 219.46
Decimæ à Romano pontifice ſacerdotibus Anglicis remiſſæ. 405.40
Decimæ Angliæ in bellũ contra Saracenos impenduntur. 297.2. & 203.10
Deidonum oppidum. 6.25
Deira Northumbriæ pars. 76.22
Deierantes uoti compotes fieri, exemplum. 141.35
Delatorum mores. 423.41
Debba urbs. 83.23
Delphici tripodes à Conſtantino euerſi. 47.45
Delphini, Gallici regni hæredes futuri uocabantur. 377.44
Delphinatium princeps Galliæ regẽ hæredem ſcripſit. 377.42
Derbienſes. 37.21
Dermouth portus. 519.22. & 521.8
Deruallum expugnatum. 394.25
Deruenta. 145.44
Deuonia Angliæ comitatus. 3.17
¶ DICTATORIA poteſtas. 24.38
Dieppam Francus capit. 483.29
Dieppenſis pugna. 490.31
Dieppæ obſidio. 490.18.31
Dies quare æſtate in Anglia longiores. 12.17
Dignitates eccleſiaſticæ regibus quo tempore uenales eſſe cœperint. 168.34. & ſeq.
Dinanum ab Anglo capitur. 372.44
Dionotus D. Vrſulæ parens Cornubiæ regulus. 50.24
Diocletianus Imperator. 44.40. Chriſtianos affligit. 45.4. & 41.32. abdicato imperio ſua ſponte priuatam agit uitam. 45.32
Diſpenſare uulgò quid. 656.28
Diſputatio de fide. 78.40
Diſſidium inter Ricardum Vintoniẽſem epiſcopum & Thomam Surræ comitem. 632.16
Diuitias inteſtinæ diſcordiæ materiã eſſe, exemplum. 613.3. & ſeq.
¶ DOLENSIS in Britannia arx capitur. 227.17
Domitianus uirtutis minimè amicus. 41.8
D. Dominicus Albigenſium hæreſim domat. 297.3
Donaldus Marriæ com. regni Scotici adminiſtrator. 363.21. interficitur. ibid. 27
Dona fluuius. 6.46
Dongcaſtrum oppidum. 99.8
Dorceſtria oppidum. 178.22
Dorceſtria Angliæ comitatus. 3.17
Dorceſtriæ epiſcopatus. 88.9
Dorouernia eadem quæ Cantuaria. 19.45. & 64.8
Dotium quærendarum ratio & origo. 187.21
Douerum à Lud. Franc. rege obſidetur. 286.33. & 288.34.
Douerum diripitur. 333.14
Douerus portus. 10.13
Doufreium. 6.10
Doufermilis oppidum Scotiæ archiepiſcopatus. 6.6
Doufermilis ab Anglo capitur. 364.41
Douglaſſum. 6.9
Doumbar oppidum. 5.46
Doumbar arx ab Anglis capitur. 336.8
Doumbritonum caſtellum. 6.18

Universidad de Deusto
Biblioteca

Donnheldinum oppidū.6.38.& 345.14.
¶ DRAGVLAE Valachorum factio. 96.8
Druda oppidum. 222.1
Drepanam Constantinus Helenopolim nominauit. 48.23
Druides quas disciplinas in Britannia inuentas tradiderint. 27.11
Druschenus Pictorum rex à Scotis captus supplicio afficitur. 92.5
¶ DVBLINVM Hyberniæ ciuitas. 222.11
Duncani tyrannis. 219.7
Duncanus patruum regno pellit.172.15.pulsus & ipse.ibid.17.eius interitus.ibid.23
Dunelmi situs. 105.16.44
Dunelmēsis Angliæ comitatus. 4.4
Dunelmensis Angliæ diœcesis. 4.25
Dunelmenses cōtra Henri.IIII coniurant.435.7. tributa pendere detrectant. 579.27
Dunelmensis ager à Scotis uastatur. 352.13
Duno fluuius. 5.11.& 58.2
Dunstanus Abbas exulat.117.31.reuocatur. 118.12.& 120.25
Dunuallo Molmicius quādo & quomodo regnauerit. 21.9.& 22.32.& seq.

E

EBBA uirgo fratres in Scotiam secuta. 77.41
Ebba promontorium. 77.41
Eboracum urbem quis condiderit,eiusq; situs. 19.33
Eboracensis Angliæ comitatus. 4.3
Eboracensis Angliæ diœcesis. 4.24.& 33.42.& 80.39
Eboracēsis episcopus, Scotorum, Saxonum & Orchadum primas.234.18.eius priuilegium. 156.26
Eboracum archiepiscopalis sedes facta.41.28.& 80.3
Eboracensium ducum stirps.412.14
Eboracensis & Lancastria familia in unam coëunt. 567.20
Eboraci præstantia. 33.45.diripitur. 99.37
Eboracenses contra Henricum IIII coniurant. 435.7
Eboracensiū duces regni hæreditatē sibi arrogārūt perpetuam. 412.12
Eboracensium rusticorum tumultus. 515.44.victoria.516.32.& 517.5
Eboracenses tributum persoluere detrectant. 579.27
Eboracēse prælium.509.35.alterum. 510.5
Ebrietatem principibus pestima quæque consulere,exemplum memorabile. 56.10
Eburouicum ciuitas à Gallis capitur. 256.37
¶ ECCLESIAE facultates quomodo Gregorij iussu in Cantio distributæ sint. 64.17
Ecclesiæ facultates in usum belli conuersæ. 257.10
¶ EDENA fluuius. 229.4
Edgari regis Anglorum flagitia. 118.19.& seq.uirtutes. 119.9
Edgarus cognomento Ethelyngius. 144.5
Edgarus Edouardi filius cum matre & sororib.in Pannoniam migrat. 151.15.magnam in Anglia stragem facit.152.7 Dacis aduersus Normanos proficiscentibus se iungit. 152.36.in gratiam regis uenit. 157.42
Edgina Edouardi filia, Caroli Simplicis coniunx. 111.11.40.capto marito ad fratrem Adelstanum confugit. 112.6
Edictum de repetundis. 620.15
Edimburgi arx. 19.37
Edimburgum Scotiæ regia sedes. 6.1. Anglo deditur.336.43.ab Anglo diripitur. 410.9
Editham Goduini filiam Edouardus ducit.140.38.repudiat. 141.14
Editha monacha in diuūm numerum relata. 119.7
Editha abbatissa. 121.31
Edmundus Hardel. 274.37
Edmundus rex.69.34. eius interitus. Ibid.36
Edmundus rex Angliam recuperat. 129.15. aliquot cū Canuto pugnæ. 129.34.& seq.cum Canuto singulare certamen.132.6.moritur.132.21
Edmundus filius à Canuto proscriptus in exilio moritur. 133.13
Edmundus Edouardi frater infeliciter cum Vuallis pugnat.332.32. In Aquitaniam contra Francos proficiscitur.333.44.eius obitus.334.30
Edmundus Edouardi tertij filius, regis parentis iussu Ioannem Britannum iuuat. 397.30
Edmundus Henrici III filius Lancastri comes. 311.27
Edmundi Etheldredi regis filij uirtus bellica. 127.22
Edmundus comes Cantabrigiæ. 385.43.in Aquitaniam mittitur.392.37. eius in Hispania victoria.411.18.Eboracensiū dux creatur. 399.15.& 411.24.regnū administrat. 399.34
Edmundus primus Eboracensiū dux. 412.14.eius soboles.Ibid.prudētia. 425.2.obitus.432.1.progenies.Ibid.
Edmundus Cantij comes regis iussu in Aquitaniam proficiscitur. 352.27.& 353.4
Edmundus Cantianus comes Edouardi III tutor.358.26.proditionis damnatur. 361.19
Edmundi comitis Cornubiæ obitus. 343.30
Edmūdus Holandius Cantianus contra piratas proficiscitur.436.23.nulnere interijt. 436.33
Edmundus Richemōdiæ comes.465.11.& 488.2
Edmundus comes Rutlādiæ. 412.19
Edmundi Somerseti ducis res gestæ. 464.7
Edmundus Somerseti dux Normaniæ præficitur. 457.31
Edmundus Somerseti dux Galliæ regens.486.18. Eboracensis conatibus uehementer resistit. 499.35.& seq.interitus.503.45.soboles. 504.5.fuga.527.34. capitur. 530.16
Edmundi Mortimerij contra Vuallos victoria. 324.16
Edmundus Mortimerius comes Merchiæ.391.26.regis hæres declaratur.411.38.eius genus.412.2.interitus. 419.40
Edmundi Polæ audacia & parricidium. 611.2
Edmundus Pola profugus seditiones aduersus maiestatem molitur.611.9.& se.incertis errat sedibus.612.45.in Philippi Flandri potestatem se permittit. 612.4
Edmundus Dudleius fiscalis iudex. 613.13.securi percutitur. 621.4
Edmundus Hauardus cum suis in fugam se dat. 641.5
Edouardus Ricardi III filius.547.43. princeps Vualliæ factus. 548.2
Edouardi regis miser interitus. 121.24
Edouardi regis uirtus aduersus strumas.143.11.obitus. Ibid.23
Edouardus Ferreū latus cognomento. 144.6
Edouardus rex Malcolmum Scotiæ regno restituit. 151.25
Edouardus princeps captus, Gilberti comitis Glocestriæ opera è uinculis euadit.317.13. contra principes pugnās erepto patre uictor euadit.317.27.in bellum Asiaticum proficiscitur.319.7.eius q; Ptolemaide periculum. Ibid.32
Edouardi tertij nuptiæ. 311.40
Edouardus tertius Vualliæ, Aquitaniæ & Hyberniæ præponitur. 511.25
Edouardi primi contra Philippum odium.321.19. eius cū Franco bellum.319.32.& seq.in Scotiam expeditio. 335.31. contra Scotos victoria.336.7.& seq.altera in Scotiam expeditio. 341.19. Tertia. 342.17. Guidoni Eldro auxilium fert. 338.15.46. moritur. 345.35.eius posteri. 345.41
Edouardus Edouardi tertij filius nascitur. 324.44
Edouardus Edouardi tertij filius Vualliæ princeps.343.25.à patre contra Scotos mittitur.344.36.eius uictoria. 345.24
Edouardi quarti fuga.352.30. capitur.357.11.sese regno abdicat. 358.11.interitus. 350.12
Edouardus Edouardi IIII filius Vualliæ & Aquitaniæ princeps creatur. 351.43.& 353.14
Edouardus Henrici tertij, creatur Vualliæ princeps, Aquitaniæq; ac Hyberniæ præfectus. 311.25
Edouardi tertij in Scotiam expeditio.360.6.fœdus cum Scotis flectit. 363.32. Galliæ regnum hæreditatis iure affectat.361.4.bellū Gallo parat.366.41.& 368.12. naualis uictoria.369.42.cōtra Carolum Blesensem proficiscitur. 372.42. cum Philippo Valesio pugna.375.27.uictoria.375.46.cum Gallo inducias. 377.20. quibus conditionibus pacem cum Ioanne fecerit.381.29.& 384.12.ei ū Carolo Franco alterum indicitur bellum. 389.40. obitus. 398.44.soboles. 399.11
Edouardus quintus filius nascitur. 362.23
Edouardi tertij filius princeps Vualliæ & Cornubiæ, dux creatur.365.24.& 375.16.à patre Edouardo tertio contra Gallos in Aquitaniā mittitur.379.45 cum Ioanne rege Francorum prælium. 381.7.dux Aquitaniæ.385.24.eius soboles.Ibid.20. Petrum Castellæ regem regno restituere conatur.387.22. uictoria.388.7. dies ei dicitur. 389.33
Edouardi Ioannis Balioli filius patrium regnum recuperare conatur. 361.33
Edouardi sexti popularitas. 513.20. coniugium. 513.43
Edouardus IIII rex cum Henrico VI pugnam init. 510.41. eius uictoria. 511.9.capitur.517.11.elabitur. Ibid.31.patriæ hostis iudicatur. 521.15. eius perfidia. 524.9. insignis uictoria.527.38.iterum summa rerū potitus. 530.31. Burgundionem contra Francum iuuat.533.41.& seq.parricidium.537.8.& 547.38. perfidia. 547.35
Edouardus Edouardi sexti filius nascitur.521.23.Vualliæ princeps.539.13.46.à patruo cū fratre morti traditur. 546.35
Edouardus Henrici III filius nascitur.303.43.capitur. 315.34
Edouardus Henrici VI filius nascitur.501.9. & 515.6. eius nuptiæ. 520.22.capitur.530.16.trucidatur. Ibid.23.& 543.37
Edouardus Hauardus aliquot pagos in Britannia inflammat. 629.28
Edouardus Ponyngus auxilio mittitur Carolo Castellæ principi.622.41
Edouardus Edmundi filius in Pannonia exul moritur.133.14.eius prosapia. Ibid.
Edouardus Edmundi Eboracensium ducis filius Abermaliæ dux creatur. 423.14.& 425.18
Edouardus Eboracensis dux à rege legatus in Galliam mittitur. 432.7
Edouardus Edmundi filius Eboracēsium dux. 437.36.& 438.3
Edouardus Buchyngamius suis facultatibus restituitur. 566.27. capite plectitur. 665.36
Edouardus Merchiæ comes à suis rex salutatur. 510.17
Edouardus comes Rutlādiæ. 411.28.& 412.14
Edouardus Varuicus Georgij Clarētiæ ducis filius per Henricū VII in custodiā cōijcitur.565.28.eius casus. 608.13.35.& seq.interitus. 609.35
Edouardus Vdeuylla Vectis præfectus contra regis iussum se Britanno iūgit.578.6.& seq.interit.579.4
Edouardus Brusius Hyberniam uastat.348.34.interit. 348.46
Edouardus VI. nascitur. 691.2
Edrici callida malitia. 131.26.132.25
Edricus Stratonius perfidus consultor.127.27.suæ malitiæ dignas pœnas luit. 132.32
Eduardi Eboracensis gloriosus interitus. 447.17
Eduardus Malcolmi regis Scotorum filius cum patre interijt. 172.9
Eduardus occidentalium Anglorum rex. 172.29
Eduinus rex difficulter, sed feliciter ad Christum ducitur.82.21.& seq. baptizatur.79.40.eius fortis interitus. 80.25
Edulphus Northūbriæ comes. 155.30
Eduinus Merciæ comes. 145.37.& 148.35.& 150.29.& 151.14.& 156.46
Eduinus rex consanguineam suā struprat. 117.29
Educatio quantum momenti ad imperij munus afferat. 94.45.& 97.11.& 241.17
Educationis exemplum. 68.31
¶ EGBERTVS male cum Dacis piratis pugnat. 94.24
Egelwinus Dunelmensis episcopus 156.40.& 157.13
¶ ELECTRIDES insulæ. 134.8
Elephas in Anglia usus. 311.29
Elfreda reginæ ob partus dolorē Veneri renūtiat.107.43.moritur. 109.17.& 118.18
Elfricus Angloru contra Dacos imperator ad hostes deficit.122.29.trās fuga oculis mulctatur. 125.2
Elgis oppidum. 7.2
Elgouia Scottiæ regio. 6.15
Eliodorus Pius à fratribus in carcerem conijcitur.22.21. tertio ad regnum uocatur. 22.10
Elisabeth Edouardi IIII filia Carolo Franco Ludouici nato pacta.535.13
Elisabeth Edouardi IIII uidua dolum suspicata utolentiam in asylouitat. 540.38.iniuriarum oblita,Ricardo tertio reconciliatur. 557.19.possessionibus mulctatur. 571.29
Elisabeth Edouardi IIII filia Hērici VII coniunx. 567.18
Elisabeth reginæ Hispaniarum præconium.603.23.moritur. 613.22
Elisabeth regina Henrici VII uxor moritur. 612.23
Elisabeth Leonelli uxor Clarentiæ domina. 391.33
Elisabeth Henrici octaui filia nascitur. 689.26
Elys pagus. 86.6
Elys insula.4.20.& 86.30.45.& 156.
Elys insula à Ioanne sacrilego rege spoliatur. 285.4
Elyensis Angliæ episcopatus.4.21.& 68.1.& 86.6.& 156.6
Elyense collegium. 73.23
¶ EMMA Ricardi filia Etheldredi uxor. 117.23.& 125.10
Emma Etheldredi uidua Canuto nupsit.133.17.à priuigno proscripta. 136.23.reuocatur.Ibi.38.quibus nominibus Alfredo filio regi infensa. 140.10.læsæ pudicitiæ falso accusatur.140.16.& 143.34
¶ ENFREDVS Berniciæ rex. 81.3
Enfredus Ethelfredi filius in Scotiā fugit. 77.37
Engolismum à Lancastrio capitur. 373.30.recipitur. Ibid.32
¶ EPISCOPVS Cestriensis Dunelmensi comitatu auctus. 105.8
Episcopi olim non plus opum, sed plus doctrinæ quàm uulgus habebant. 118.16
Episcoporum grauitas quàm sit etiā infestis uenerabilis, exemplum luculentissimum. 270.23
Episcopi domus hospitalis esto.64.17
Episcopo non licebat duas prouinciæ obtinere. 312.8
Episcopales sedes ex pagis in ciuitates celebres translatæ. 158.15
Episcoporū creandorū ius quādo penes principes esse cœperit. 181.26
Episcoporum confirmandorum fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultæ penes regem non penes pontificem. 396.19
Episcopi quomodo suos cõuentus celebrent. 188.32
Episcoporum intestina odia. 217.32
Episcoporum de honoribus contentio. 188.16
Episcopis ratio bonorum demortui redditur. 657.2
Equitatus arcendi ratio noua. 445.8
Equorum Anglicorũ gressus. 13.42
D.Ebrulphi cœnobium. 240.15
¶ERICVS Dacus Anglos orientales tyrannide premit. 71.13
Erna fluuius. 365.24
Errare cuiusuis hominis. 368.35
¶ESCHA fluuius. 42.35
Essexia Angliæ comitatus. 3.22. & 402.32
Essedæ uehiculi genus apud Britannos. 28.43
¶ETHANFREDA Eduini regis filia nascitur. 78.24
Ethelbertus Cantij rex fidem accipit. 63.30
Ethelbertus nihil contra ius belli fecisse uisus. 36.16
Ethelberti regis pia uita. 68.37. eiusque miserabilis interitus. 69.21
Ethelburga regina monacha fit. 90.10
Ethelreda duodecim annos casta cũ coniuge uixit. 85.7
Ethelredus excremẽta in baptismatis fontẽ misit. 119.3. eius tyrannis. 123.3. ad fororium Ricardum secũdum confugit. 125.16. amissam Angliam recuperat. 126.15. eius obitus & soboles. 128.10
Ethelgera, aliàs Elgina, Aluredi regis filia. 105.27
Ethelingea insula. 105.33
Ethelredus Merciorum regis filius. 72.44
Ethelwoldus monachus claret sanctimonia. 115.10
Ethelwoldus episcopus. 85.42
Ethelwoldi uenereum stratagema 118.22. eius interitus. Ibid.36
¶EVANGELII in Britannis prima seminaria. 37.36
Eueshamense prælium. 317.21. 319.39
Euidentiæ, id est, syngrapha. 322.34
Eustachius abbas doctiss. quando floruerit. 288.13
Eustachius comes Bononiensis. 197.5. contra ius hospitale in Anglia acceptus. 141.1. & seq.
Eustachius Stephani regis filius dux Normaniæ. 199.10. matris hortatu bellum aduersus Augustam mouet. 204.17. eius obitus. 207.46
¶EXEMPLIS quæstuosis facilè inhæremus. 171.45
Exhamus pagus, & pugna ibidem facta. 512.41
Exilij indicendi ratio. 184.38
Exoniensium situs. 33.35
Exonia à Petro Varbecho obsidetur. 596.18
Exonia à Dacis per uim capitur. 100.28
Exoniæ urbis situs. 100.28
Exoniẽsis Angliæ diœcesis. 4.11. & 158.19

F

FABII ius gentium uiolant. 23.39
Fallesia à Gallo capitur. 268.12. & 496.12. in Angli potestatem uenit. 452.21
Fames grassatur. 162.44. & 310.26. & 314.24. & 325.2. & 332.40. & 348.28. & 364.46. & 377.25
Familia Medices exilio mulctata. 631.18
Fanum Albani pagus. 37.7. & 45.9. diripitur. 290.16
Fani Albani prælij. 503.36. & 510.6. & 578.45
Fanum Amati dirutum direptumq; 370.33. & seq.
Fanum Andreæ ab Anglo capitur. 374.40
Fanum Brioci diripitur. 436.34
Fanum Dauid. 9.6
Fanum Dionysij uno anno bis captũ. 484.1. & 486.23. à Carolo septimo per proditionẽ occupatur. 476.10. Angli recuperant. Ibid.21
Fanum Germani. 9.19
Fanum Iamæ oppidum reparatur. 465.37
Fanum Ioannis oppidum. 6.22
Fanum Ioannis ab Anglo capitur. 336.45. & 363.20. & 364.18
Fanum Landi in Angli potestatẽ uenit. 452.21
Fanum Macharij oppidum. 296.22. diripitur. Ibid.24
Fani Michaëlis promontorij. 10.33
Fanũ Odomari opp. ab Arnoldo capitur. 193.20. à Balduino Flandriæ comite capitur. 259.37
Fani Selerini arx ab Harundellio capitur. 482.28
Fanum Seueræ per deditionem hosti traditur. 331.38. recipitur. 332.1
Fanum Susannæ opp. 464.2. Sarisberiensi deditur. 464.16
Fanum Valerij ubi situm. 481.33. capitur à Francis. Ibid. recipitur. 482.4. à Rufo capitur. 169.9
Farnis insula. 82.15. & 83.34
Faustæ Constantini uxoris coniugalis fides. 46.14
¶FELIX episcopus magnus literarum patronus. 68.17
Ferdinandi Hispaniæ regis cũ Franco fœdus. 387.25. Neapolitano regno potitur. Ibid.30. de Venetis victoria. Ibid.32. ad Anglos Scotosq; legatio. 603.20. eius cum Anglo affinitas. 610.26
Ferdinandi Aragoniæ regis cũ Iacobo Siciliæ rege bellum. 326.6
Ferdinandus Flandriæ comes à Philippo Galliæ rege bello affligitur. 278.2. capitur. 281.13. Ioãni regi auxilia mittit cõtra cõiuratos. 284.26
Ferrex à fratre dominandi cupidine interfectus. 20.43
Festi locus. 224.32
Feuersami uici cœnobium. 209.38
¶FIDEI defensores pro religione pugnãtes prælio occũbere, manifestissimũ exemplum. 68.33. & 80.22
Fisa regio Scotiæ. 6.5.25
Filij pietas in parentem hostem, exemplum memorabile. 159.5
Fiscalium iudicum origo. 613.12. pestis. 615.5
¶FLAMINES Britanniæ sacerdotes. 41.25
Flandri oceani exundatione pulsi, in Angliam migrãt. 185.3. defectionem à Gulielmo comite cogitant. 193.7
Flandriæ comitatu Alsaticus comes potitur. 193.36
Flandris debitũ remissum. 370.44
Flandrorum naualis clades. 395.44
Flandrorum intestina seditio. 304.39. & seq.
Flandricum bellum. 406.10
Flãdri à Maximiliano domiti. 581.28
Floddo mons. 640.11
Florentini cum Ludouico rege francorum coniunẽti. 631.4
Florentia in deditionem Iulij Pont. uenit. 631.38
Flyntum arx. 426.24
¶FOEMINAE Anglicæ quales. 15.13
Fons sanguine manat. 176.30
Fontanetum opp. cõplanatum. 299.18
Fontirabeum à Francisco rege capitur. 668.34
Fordunum oppidum. 6.45
Forneum oppidum. 222.17
Foresta noua, saltus. 121.16
Forthea fluuius. 6.2. & 39.37
Fortho Dacorum rex Britannos subigit. 71.2
Fortuna quãtũ in bello ualeat. 531.7
Fossa fluuius. 19.34
¶FRANCIO Rothomagensis episcopus. 103.14.42
Frãciæ regnum per legem fœmineo sexui non deberi. 361.12
Franci ad ultionẽ præcipites. 578.12
Franci prædam in Cantio faciunt. 505.15

Franci plus in largitionibus quàm in armis ponunt. 582.30
Francorum imperium propter exactiones graue. 430.19
Francorũ de Anglis uictoria. 331.40
Franci intestinis seditionibus laborant. 434.44
Francis Anglia interdicitur 383.21
Franciam inferiorem Gulielmus igne ferroq; uastat. 162.5
Francorum regnũ cur Angli sibi uendicent. 360.23. & 361.2. & 440.26
Francorũ insignia ad Vernoliũ clades. 462.44. ad Crauantũ. 462.16
Francorũ exercitus in Italia ob negocium Papisticum deletus. 405.33
Frãcorum turpis fuga ad Dagincurtum 447.14. in Normania. 487.28. 31. in Ambianis fuga, & clades. 490.25. in Anglia. 190.16. & 375.38. reliqua require infrà in Galliæ nomenclatura.
Francus Hallus. 380.3
Franciſca lana. 13.19
Franciſci primi ducis Britanniæ obitus. 496.16
Franciſcus secundus dux Britanniæ. 496.30
Frãciſcus Britanniæ dux hospitij ius per imprudentiam uiolat. 535.44. Richemondiũ hospitem contra Ricardum III iuuat. 556.4. male cõtra Gallos pugnat. 578.45. moritur. 579.18
Franciſci Louelli contra Henricum septimum motus. 568.33. interitus. 574.37
Franciſcus Galliarum rex Mediolanum recipit. 644.31. Apud Papiã capitur. 682.22. Liberatur. ibid. In collegium equitum Garterij cooptatur. 686.40
Franciſcus Maria Vrbini dux. 623.3 Vrbini principatũ recipit. 670.23
Franciſcani monachi duo igne cremati. 382.38
Fraternæ pietatis memorabile exemplum. 22.9. & 191.22
Fremyngamia arx. 230.41
Fridesuidæ uirginis castitas. 90.16
Friderici secundi Imp. cum Ludouico Gallorum rege amicitia. 294.25. pontificia autoritate de imperiali fastigio deturbatur. Ibid.27. Italiam petit. 303.18. eius contra pontificem bellum. 304.21
Frigus insolitum. 160.25. & 388.20. & 436.36
¶FVGATIVS & Damianus Christianam Rempub. apud Britannos instituunt. 41.23
Fulcasius agros uastat. 290.14. eiusq; pœnitentia. Ibid.17. prædatorum dux. 291.42. nouis rebus studet. 295.42. eius exilium. 296.3
Fulcasius Brentæus. 284.27
Fulconis Andegauiæ comitis res gestæ. 189.3
Fulco Andegauensis comes Constantiam Normaniæ capit. 186.21. recuperatur. Ibid.23
Fulco comes pacem inter Henricum & Crassum firmat. 190.42
Fulgeras oppidũ Frãciscus Aragonẽsis contra inducias capit. 494.9
Fulmina ac tonitrua Anglis prodigij loco. 12.25. & 162.44
Furcæ cruciatus genus. 354.17
Furnense prælium. 335.5
Furti ansa ampla & licẽtiosa Anglis unde. 609.20
Furum stigma. Ibid.15

G

GAGATES lapis. 14.42
Galerius Maximianus Cæsar declaratus. 43.16.22
Galerius orientem fortitus. 45.26
Galiardũ castrum ædificatur. 167.21. capitur. Ibid.33. & 495.23
Galuia ciuitas. 222.17
Gallia lanitio celebris. 11.12
Gallus totius Italiæ imperium affectat. 622.8
Galli quãdo Romã ceperint. 21.12
Galli non in auro, sed ditionum possessione gloriantur. 496.15
Galli primo cõgressu ferè inuicti. 228.
Gallorum perpetua cum Scotis amicitia. (17 371.25
Gallorum in Anglos natiuum odium. 483.5. & 497.30
Gallica bella. 23.24. et 188.40. et. 189.19. et 209.15. et 265.33. et 258.32. et seq.
Galli ab Anglis uicti fugà faciũt. 228.21. à Siculis cæduntur. 325.32
Gallorum cum Atrebate pugna. 370.11. naualis clades. 369.42. in Turonibus clades. 381.10. in Laudunensi agro clades. 482.15
Galli suis cladibus Italiam nobilitarunt. 626.18
Galli Neapolim obsident 683.23
Galli omnes Londini capiũtur. 671.7
Galli Anglicũ imperiũ prorsus abijciunt. 486.15.43. Reliqua uide suprà in Franciæ nomenclatura.
Gallouidia Scotiæ regio. 6.10
Gandaui situs. 278.8. & seq.
Gandauensium res gestæ. 404.46. & 406.6
Garterius ordo instituitur. 378.27 eius insigne. Ibid.31. leges. Ibid.42
Garumna fluuius. 102.25. & 38.08
Gaspar Penbruchi comes. 488.5. & 522.6. & 531.13. & 566.24. & 569.1 & 584.42
Gaspar Pous põtificius legat⁹. 610.4
Gasto Flussatiũ comes Venetos profligat. 625.19. eius crudelitas. ibid.35. Interitus 626.45
Gathelus Scotiæ gẽtis autor. 52.43
Gaudio nimio quosdam expirasse. 611.16
Gaufredus Andegauensis comes in Normania omnia turbat. 198.44. profligatur. 199.7
Gaufredus Mathildis uxoris uictoria fretus, Normaniam occupat. 204.2. eius obitus. 207.4
Gaufredi comitis Andegauensis sobles & testamentum. 211.40.42
Gaufredus Plantageneta Henrici secundi regis parens. 192.43
Gaufredus Britanniæ regis filius moritur. 238.21
Gaufredus Gaufredi filius ditiõe sua spoliatus moritur. 212.10
Gaufredi Charni præfecti casus. 378.4
Gaufredi Mariscẽsis interit⁹. 302.14
Gaufredi scriptoris uanitas. 17.13
Gauini Douglas Doucheldẽsis episcopi de reb. Scoticis commentarius. 52.37
Gaza mœnibus discincta. 248.28
¶GVNNEVM oppidum nunc Aurelianum. 195.9. & 463.14
Gennisa falso Claudij Cæsaris filia traditur. 31.3
Gensolinum oppidũ à Britannis occupatur. 264.12
D.Georgij ordo equestris. 378.37
Georgius Clarentiæ dux. 391.45. & 512.14
Georgij Clarentiæ malus erga fratrem regẽ animus. 512.23. ad fratrẽ rursus deficit. 525.16.27. à fratre rege necari iussus. 537.9. & 547.38
Georgius Doumbar Merchiæ comes. 432.45. & 436.10
Georgius Neuyllus Borgenniæ regulus. 614.39. In carcerẽ conijcitur. 665.36. liberatur. Ibid.48
Georgij Bruni interitus. 554.18
Geraldus comes Chyldariæ capitur. 595.5
Gerberoia arx restauratur. 483.32
Gergeum Franci recipiunt. 472.18
Gergobia urbs. 174.35
Germanus episcopus Britannorum contra Pictos dux. 59.26
Germanus Altisiodorẽsis episcopus contra Pelagianos in Britanniam missus. 58.39
Germania quondam à literis prorsus aliena, nunc literatissima. 617.32
Germanicus Claudij Cæsaris filius. 33.13
Gerunda Aragoniæ ciuitas à Franco capitur. 326.4
Gessoriacus pagus. 10.19
Gethæ populi. 95.9.14

Universidad de Deusto
Biblioteca

Geta Imperator à fratre Caracalla interficitur. 44.18
¶GILBERTVS Gloceſtriæ comes Edouardi tertij gener. 329.30. contra principes Anglos victoria. 317.35. moritur. 334.2. & 348.20
Gilbertus Clarentiæ dominus. 315.21
Gilbertus Mareſcallus Henrico tertio reconciliatur. 302.22
Gilberti Mideltonij audacia. 349.37. capitur. Ibid.40
Gildas ſcriptor fide dignus. 16.15. & 17.6
Gildas Conſtantinum regem ſummo ſtudio à uitijs dehortatur. 60.32
Gildæ teſtimonium. 27.7
Gilla Aldanus Cãdidæ Caſæ epiſcopus. 186.43
Gintolinus rex Britannicã rempub. ſuo ſplendori reſtituit. 21.34
Giraldus Chyldariæ comes in carcerem conijcitur. 659.33
Girardus Auxitanus archiepiſcopus. 244.40
Giſortiũ oppidũ & arx. 189.29.46
Giſortium Normaniæ opp. à Franco capitur. 251.9. & 495.23. à Ricardo obſidetur. 259.17
¶GLASGVENSIS ciuitas & academia. 6.42
Glaſconia cœnobium Benedictinum. 27.42. & 60.29. & 89.32
Glaſtũ herbæ uſus. 26.34
Glaſſariæ inſulæ. 114.8
Gloceſtria oppidum. 172.3
Gloceſtrenſis Angliæ comitatus. 4.1
Gloceſtriæ cœnobium monachorum 241.38
Gloceſtrẽſe nomen principib. ad perniciem fatale. 495.17
Gloceſtrenſis conuentus decreta. 324.39
Gloceſtria à Stephano ad Mathildẽ deficit 203.4. diripitur. 315.37
Glota fluuius. 6.19.38. & 39.41
Glotæuallis, uallis. 6.41
¶GODWINVS Cantij comes. 136.39. & 139.36. & 141.16
Gordianus Dacos cõpeſcuit. 95.22
Gorgias Leõtinus legatus ob eruditionẽ ab Atheniẽſib. detentus. 106.23
Gormo Dacorum rex Chriſtianiſmo initiatur. 104.40
Gornardus piſcis. 14.28
Gorneana pugna. 478.23
Gothia inſula. 95.46
Gothi populi. 94.19. & 95.8
Gothi Aſiam inuadunt. 95.29
Gotthofredus Normanorũ rex 103.33
Gotthofredus Bolionis dux contra Saracenos. 174.41. rex Hieroſolymitanus creatur. 180.23
Gotthofredus Sithrici filius Dunelmum circumſedit. 113.27
¶GRAMPIVS mons. 5.27.32. & 38.26
Grapeliti promontorij arx à Gallis expugnatur. 271.32
Gratianus Impe. 49.28. eius interitus. 49.38
Grauelinga oppidum. 230.34. & 406.9
Greneuychi Franciſcanum cœnobium 617.11
Griffini Leolini filij captiuitas & interitus. 304.6. & 305.38. & 313.24
Groſſi Anglici. 309.28. & 513.29
¶GVALTERI Ferryſi reguli interitus. 564.6
Gualterus Tylerus ſeditionis inteſtinæ dux. 401.38
Gualterus Tyrellus miles Gulielmũ Ruſum inter uenandum ſagitta traijcit. 177.40
Gualterus Sebius capitur. 349.45
Gualterus Scotiæ regnum affectat. 488.17
Gualterus innocens ſupplicio afficitur. 158.10
Gualteri Dunelmenſis epiſcopi interitus. 159.17
Gualterus Hungerſordius à Ricardo tertio ad Henricum tranſit. 561.41
Gualterus Stapyltonus Exonienſis epiſcopus. 354.44. & 355.26. & 356.1. & 362.12
Guido uicecomes Toarſenſis Britanniam adipiſcitur. 267.2. & 271.34
Guidonis Caſtrẽſis audacia. 454.10
Guido Dennenſis comes capitur. 388.4
Guido comes Flandriæ. 334.39. & 336.13. & ſeq. moritur. 366.15. eius ſoboles. Ibid.
Guido Luſinianus rex Hieroſolymorum creatur. 237.32. rex Cypriorũ. 250.7. ab Ægyptio bello premitur. 236.27
Guido Vrbini dux in Garterium ordinem cooptatus. 615.30
Guinæ oppidum. 378.9. & 508.21
Guindelona maritum regem interficit. 9.26
Guiſcardus Normanorum dux Apulia potitur. 174.21
Gulielmus Edouarde. 531.2
Gulielmus Morus. 420.39
Gulielmus Pluntonus eques. 435.4
Gulielmus Roma. rex à Friſonibus interfectus. 312.1
Gulielmus rex Siciliæ. 240.29. moritur. 245.41
Gulielmus patri ſucceſſit. 239.21
Gulielmus à filio fauciatur. 159.10
Gulielmi regis tyrannis & auaritia. 153.40. & 155.41. & 159.29. progenies. 162.28. eius exitus. 162.40
Gulielmi cum Haraldo rege pugna, uictoria. Ibid.27
Gulielmus Albanactus. 284.19. eius obitus. 295.1
Gulielmus Aquitaniæ dux. 212.18
Gulielmus Barleius ad fictitium regẽ deficit. 590.29. reſipiſcit. 591.13
Gulielmi Brandoni interitus. 564.18
Gulielmus Bellicampus. 283.2
Gulielmus Bonnus Northãtoni comes. 365.26
Gulielmus Calabriæ dux patri cõtra Papam auxilia fert. 194.35
Gulielmus Corteneius maieſtatis læſæ notatus. 611.33. miſſus factus. Ibi. 38. pleureſi interijt. 611.41
Gulielmus Clyntonius Huntyngtonæ comes. 365.27
Gulielmus Dabeneius proditionis dãnatur. 592.29
Gulielmus Ferryſus capitur. 315.45
Gulielmus Flandriæ comes. 192.31. interit. 193.33
Gulielmus Fortis. 305.29
Gulielmus Harbertus. 516.27
interijt. 517.6. & 522.9
Gulielmus Haſtyngius. 543.7.24. & 544.3
Gulielmus Helmus repetundarũ reus abſoluitur. 413.4
Gulielmus Heluinus Normanus. 192.12
Gulielmus Longaſpatha. 278.16. in Aſiam proficiſcitur. 309.19
Gulielmus Lilius Londinenſis pãdodidaſcalus. 618.29
Gulielmus Marcellus capitur. 205.38
Gulielmus Magniuillæ comes. 206.22
Gulielmi Mariſcenſis ſupplicium. 307.37
Guido Simonis Montiſortenſis filius Henricum Ricardi Cæſaris filium interficit. 319.36. excommunicatur. 321.27
Gulielmi Mãduillenſis ſecta. 480.16. Ibid. interitus.
Gulielmus Mortonus regius cancellarius. 321.8. & 325.5
Gulielmus comes Moritonius in Normanico bello capitur. 184.18
Gulielmus comes Mõtiſerrati. 217.22
Gulielmus Mareſchallus. 281.27. & ſeq. & 289.5
Gulielmus Marchianus quæſtor regius. 312.3
Gulielmi Marini interitus. 461.33
Gulielmus Henrici regis filius Normaniæ præficitur. 287.28
Gulielmi Henrici regis filij interitus 191.5. & 196.10
Gulielmus Henrici regis ex filia nepos. 195.43

Gulielmus Roberti Normaniæ ducis filius 184.45. dux Normaniæ dicitur. 189.38. Flandriæ comes cõſtituitur. 192.32
Gulielmus Normaniæ rex. 133.17
Gulielmus Normaniæ dux naſcitur. 138.26
Gulielmi Normani genealogia. 144.15. regnum affectat. Ibid. 10.26. in Angliã expeditio. 146.37. Angliæ regnum obtinuit. 204.2. de integro conſtituit. 150.22
Gulielmus Normanus monachus 123.29
Gulielmus Neuburgus hiſtoricus quo tempore claruerit. 17.3
Gulielmus Stephani regis filius Northfolchiæ comes creatur. 208.31
Gulielmus Pola læſæ maieſtatis notatus. 611.35
Gulielmus Rollonis filius, eius que laus & res geſtæ. 111,37
Gulielmus Ruſus Gulielmi Normanni filius Normaniæ princeps. 159.10. & 162.30. res geſtæ. 166.31. & 168.2. & 169.7. & 171.13. & 175.6. & ſeq. eius uirtutes. 178.10. ſtatura & cognomen. Ibid. 17. interitus. 177.38
Gulielmus Rupeus. 264.44
Gulielmus rex Scotorũ capitur. 230.12. liberatur. 233.18
Gulielmus Sarisberiẽſis comes à Philippo captus. 288.36. eius res geſtæ. 290.27. capitur. 281.14. moritur. 292.3
Gulielmus Mõtacutus Sarisberiæ comes. 365.26. capitur. 369.9. & 371.30
Gulielmi Scrupi obitus. 435.15
Gulielmus Senonenſis epiſcopus. 232.4
Gulielmus Stanleius regius cubicularius. 593.9. capite mulctatur. 595.25
Gulielmus Suthfolchius ex Marchione dux factus. 494.1. & 495.11. & 497.38. Cenomanis præficitur. 464.1. reus peculatus. 497.42. carcer. Ibid. 44. exilium. 498.4. interitus. Ibid.8
Gulielmus Valla Scotis defectionis dux. 338.32. eius pertinacia. 343.10. interitus. 345.6
Gulielmi Valuorthi Londinẽſis prætoris fortitudo. 404.4. equeſtri ordine donatus. Ibid.28
Gulielmus Conton primus regij cubiculi miniſter. 621.30
Gulielmus Knyhgt ab Henrico ad Heluetios mittitur. 671.1
Gulielmus Golmerius in cuſtodiam traditur. 659.17
Guthlaci monachi ſepulchrũ. 69.28
Guthormus Dacorũ dux Anglorum orientalium rex appellatur. 71.10

H

HADINTONA oppidum. 5.46
Hadrianus Imp. 42.28
Hadrianus Caſtellenſis põtificius legatus. 580.41. & quæſtor in Anglia. 581.11. modos loquendi ſingulares colligit. Ibi.17.
Hæreditatis ius apud Anglos. 292.38
Halani populi. 49.35
Hammum arx. 533.4 & 558.12
Haraldus Dacorum rex v à filio regno pulſus. 116.34. & 117.5
Haraldi regis cadauer exhumatur 136.32
Haraldus Noruegiæ rex. 138.11. cum leone luctatur. 138.14. Toſti ſuaſu Angliæ bellũ facit. 145.20. & ſeq. à Gulielmo victus perit. 136.25. & 148.25
Haraldorum officium. 378.45
Harfleum oppidũ 443.7. Anglo deditur. 443.29. Franci recipere ſtatuunt. 448.20. Francus capit. 495.44
Haſtyngus uicus. 146.42
Hauenſanctus fluuius. 323.45
Hauerfordium oppidum. 560.4
Haylenſe cœnobium. 313.21
Hayreæ fluuij pons frãgitur. 210.15
Hebraicæ literæ quantũ iuuent rem Chriſtianam. 327.30
Hebrides inſulæ. 7.22
¶HELENA Coylli filia Conſtantij Cæſaris uxor. 45.17
Helena S. Crucis repertrix. 47.12
Helenopolis prius Drepana. 48.23
Heliæ Frãcorum ducis ignauia. 176.43
Heluetij Italiam ingreſſi Gallos uſq; ad Alpes perſequuntur. 626.15
Heluetij in Italia agros habẽt. 644.41
Heluetij bellicoſi. 644.42
Heluetij ſemper Gallis præſtò adſunt. 644.4
Henricus Aluini filius. 274.43
Henricus Percius Northumbriæ comes. 411.30
Henricus v Imp. 174.24. Hẽrici regis Angliæ filiã uxorem petit. 185.15. eius in Francos ira. 190.24. Sicilia potitur. 254.22. Ricardum regem captũ grãdi pecunia mulctat. 254.40. & 255.7. & ſeq. obit. 259.43
Henricus Ricardi Cæſaris filius interficitur. 319.37
Henricus Frãcorum rex Conſtantiã matrem infeſtam habet. 118.24. eius in Gulielmum odium. 160.43. à Gulielmo profligatur. 161.12
Hẽricus rex eccleſiaſtica negotia ſibi arrogat. 181.26. & c. cõtra fratrem pugnans victoria potitur. 184.24. & ſeq. eiuſdem auaritia. 186.26. de Vuallis triũphus. 187.19. glorioſæ contra Francos victoria. 190.20. Francia ingreditur. 190.39. repulſus inuadit iterũ. 193.23. filijs orbatus. 191.22. eius pœnitẽtia. 194.25. in mari periclitatur. 195.21. eius obitus. 196.4. mores. 196.16
Henrici II progenies. 211.40. eius cũ filijs inimicitiæ. 223.19. reconciliatio. 232.39. & ſeq. contra Lud. regẽ Galliæ victoria. 228.38. inter Alphõſum & Garſiam reges arbiter. 235.35. auxilium aduerſus Turcam detrectat. 258.4. & 241.19. moritur. 240.5. theſauri relicti. 242.33
Henricus filius Henrici ſecundi moritur. 236.38
Henrici tertij cauillum in patrẽ ſuperbiſſimum. 216.3. liuor contra parentem. 223.36
Henricus filius parenti nefaria facit bella. 225.9. & ſeq.
Henricus III in Britãnos mouet. 297.35. in Gallos. 298.46. & 306.34. Hiſpanos cõtra Mauros iuuat. 299.36. patrias poſſeſſiones à Philippo poſſeſſas repetit. 294.8. inſidiæ fiũt à milite. 303.26. quinquennales cũ Frãco inducias. 307.17. populo promiſſa negat. 314.33. cum Franco pacificatio. 314.42. cum fratre ac filio ab optimatibus capitur. 316.44. in pugna à ſuis ſeruatur. Ibid. 27.42. domeſticum bellum. 315.15. obitus. 320.9
Henricus Herefordiæ dux. 423.14.31. falſo delatus. Ibid.41. exilium. 424.15. dux Lancaſtri appellatur. 435.40. ad regnum inuitatur. 426.42. & ſeq. Ricardum II. capit. 427.6. regnũ adipiſcitur. 428.11. & ſeq. Rex creatur nomine Henricus IIII. 429.7. dicterijs publicè petitus. 432.28. uno prælio XXXVI. homines interfecit. 434.12. Burgundionem cõtra Aurelianũ iuuat. 437.19. Aurelianũ contra Burgundionem iuuat. 437.45. filij. 437.34. & 438.32. obitus. Ibi. 29. regnũ ab eo quondam per uim quæſitum. 551.20. eius genus quando defecerit. 549.12
Henricus Henrici IIII filius Vualliæ princeps, Cornubiæ dux, Ceſtriæ comes. 429.15. & 437.35. & 418.33. Vuallos domat. 443.44. cõtra Scotos mittitur. 435.25
Hẽricus princeps patri in regno ſuccedit, huius nominis quintus. 439.14. & c. regnum Franciæ per legatos repetit. 440.26. Vuytcliffianos perſequitur. 441.30. in Normaniã nauigat. 443.5. altera in Normaniã expeditio. 449.43. glorioſa in Anglia uictoria. 447.21. cum Carolo ſexto pacificatio et affinitas. 445.2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Franciæ regnũ suscipit. 445.11. cõtra Delphinum expeditio. 456.4. eius laus. 452.7. obitus. 458.46. Henricus eius filius nascitur. 457.40. bene educatur. 460.16
Henricus sextus regno inauguratur. 461.6. coronatur. 469.19. in Galliã proficiscitur. 477.31. rex Galliæ coronatur. 478.6. ingenium. 492.10. bellum Gallicũ instaurat. 501.18. & seq. in aduersariorum potestatẽ uenit. 509.9. eius prodigium. 509.25. liberatur. 510.7. eius fuga. 511.3. Rursum in aduersariorũ potestatem uenit. 513.12. liberatur rursus. 521.27. in regnum restituitur. 514.28. capitur rursus. 525.45. in carcere necatus. 532.1. inter diuos referẽdus. 532.30
Henrici Richemondiæ comitis ortus. 488.7. is diuinitus ad regnum uenit. 522.19. custodia liberatur. 549.40. profectionem in Angliã parans, uentis prohibetur. 553.14. cum Margaritanis fœdus icit. 554.4. proditionis periculum euadit. 555.22. & seq. in Angliã nauigat. 559.46. & seq. nobili victoria Ricardũ tertium superat. 564.34. rex creatur nomine Henrici septimi. 566.7. eius consiliarij. 566.37. & seq. eius cum Scoto fœdus. 575.42. & seq. Franciscum Britannum cõtra Francos iuuat. 578.29. Maximilianũ iuuat contra Francum. 583.41. cũ Carolo octauo pacẽ facit. 586.37. eius consiliarijs munera Francus constituit ex ærario suo quotannis. 586.43. Scotorũ iniuriam armis ulciscitur. 600.33. & seq. Margaritã filiam Iacobo quarto Scoto locat. 608.10. cũ Scoto & Hispano regibus affinitas 610.25.26. obitus. 616.9.44
Henricus VIII. Catharinam Arthuri mortui fratris uxorem ducit. 619.32. Defert principibus regni administrationem 620.8. Corona redimitur. 621.8. Tornacũ expugnat. 638.28. fidei defensor. 664.20. à Cæsare pecunias reposcit. 683.12. Caput Ecclesiæ constituitur. 687.15. Catharinam repudiat. ibid. 6. ducit Annam Bulleyne. ibid. 7. Ducit Ioannã Seymer. 691.1
Henrici octaui prosapia. 412.24
Henrici octaui in Oxonium ingressus. 90.24
Henricus nothus Castellæ regnũ affectat. 386.29. occupat. 387.6. eius fuga. 388.2. Castellæ regno potitur denuò. ibid. 19. Carolum quintum contra Anglum iuuat. 394.33
Henricus Baldulphus Anglicæ classis dux in bello Hierosolymitano. 244.42
Hẽricus Bolyngbrochus paterna hæreditate fraudatus. 424.41
Henricus Barri dux Edouardi III gener. 329.28. & 334.39
Henricus Bellimontensis comes Atholiæ. 362.42
Henricus Buchyngamiæ dux falsam Ricardi Gloecestriæ causam agit. 545.40. & seq. eius contra Ricardum tertiũ conspiratio. 548.41. & seq. eius ortus. 548.45. eius fuga. 552.9. eius coniurati ad Henricũ in Britanniam se cõferũt. ibid. 17. proditur ab hospite. 552.44. securi percutitur. 553.3
Henricus Campaniæ comes. 250.27
Henricus Campanus rex Nauarræ. 314.32
Henricus Burscherius Essexiæ comes. 512.16. eius soboles. ibid. 23
Hẽricus Cornhyllus Balliuus. 243.14
Henrici D. Eusebij cardinalis cõtra Boëmos expeditio. 474.14. obitus. 493.31
Henricus Deneus monachus regius cancellarius. 594.16
Hẽricus comes Herefordiæ moritur. 393.37
Hẽricus Huntyngtonius historicus. 18.7
Henricus Lancastrius comes Edouardum quartum persequitur. 356.40. & 357.7. capit. 357.11. Edouardi quinti tutor. 358.25. Aquitaniæ præfectus fit. 365.31. in Aquitãnia regio iussu bellum mouet. 373.14.27. ex comite dux factus. 378.24. regius ad pontificẽ legatus. 379.34. eius ædes hospitale 10. Baptistæ. 382.1. regio iussu Montfortensem comitem contra Blesensem iuuat. 382.31. peste absumitur. 383.11
Henricus Lancastrij filius, Derbij comes. 365.25
Henrici Lincolniensis comitis fuga. 336.20
Henricus comes Niuernensis. 292.23
Henricus Percius Northumbriæ comes. 412.6. & 425.21. infeliciter cõtra Scotos pugnat. 418.7. & seq. capitur. 418.18. eius in Galliam legatio. 432.8. possessionibus priuatur. 433.6. eius in Scotia victoria. ibid. 10. ad Georgium Merchiæ comitem confugit. 434.7. ultionem hostium parat. 436.5. capitur. ibid. 19
Henrichus Pichardus. 381.39
Henrici tertij Northumbriæ comitis interitus. 511.4
Henricus Northumbriæ comes capitur. 564.15. per seditionem interficitur. 579.36
Henricus D. Pauli comes aduersus Saracenos proficiscitur. 266.16
Henricus Somersetensis Caleti præfectus. 508.12. prouincia prohibetur. 508.18. ab Henrico ad Edouardum deficit. 512.33. deficit rursus ad Edouardum. ibid. 37. capitur. ibid. 45. plectitur. ibid. 46
Hẽricus Somerseti dux patri in principatu succedit. 504.37
Henricus Dauidis Scotorum regis filius. 209.30. & 211.28
Henricus ex Stantonia rarus literarum patronus. 354.6
Hẽricus Staffordiæ comes securi percutitur. 434.6
Henricus Scruppus coniurat contra Henricum quintum. 442.7. interit. ibid. 22
Hengistus Anglosaxonũ dux. 55.16. 32. & 56.3. eius interitus. 58.3. Cantium tenuit, seq; regem dixit. 63.4 63.38
Heppia insula. 189.30. & 236.46
Hepta fluuius. 189.30. & 236.46
Herefordensis Angliæ comitatus. 4.1.13
Herefordensis cathedralis in Anglia sedes. 4.1.15. & 9.3
Hereuardi audacia. 156.40
Hestritha regis Angliæ soror, Ricardi Normani uxor. 133.21. & 137.9. à Ricardo repudiata. 134.32
Hetonæ pagi schola. 531.55
¶DE HIDA collegium. 219.37
Hidruntum Venetis oppigneratum. 622.6
Hieronymus Bõuisius Iulij legatus à Gallo deprauatus. 624.34
Hieronymus Pragensis. 441.19
Hierosolyma quando à Saladino capta. 238.23. à Saracenis premitur. 174.29. à Christianis recuperata. 180.12
Hilmimolinus Saracenorum in Hispania dux. 375.2
Hipponensis episcopatus uastatur. 325.31
Hircius Dacus Northumbriæ comes. 133.23. & 135.30
Hispania à Saracenis affligitur. 275.1
Hispani Neapolitano regno potiuntur. 587.41
Hispaniæ præfecturas Flandri obtinent. 662.35
Hispani imperatam pecuniã dare recusant. 662
Historia quid. 17.25. & 113.9
Historiæ nulla lex imposita. 138.28 56.24
Historiæ leges.
Historici non est de re quam scribit iudicium facere. 113.15
¶HOMINES brutorum instar canes dati ubi nascantur. 218.18
Hominum formæ uariæ in cœlo uisæ. 302.39
Homicidarum apud Anglos stigmata. 609.13
Homicidiorum aperta fenestra apud Anglos unde. 609.21. & seq.
Honorius Imp. 51.1
Honorij pontificis ad Eduinum literæ. 78.42
Horgerius Cornubiæ dux. 118.20
Hornecastellum arx solo æquatur. 166.20
Horso Angloſaxonum dux. 55.6. & 56.1. interitus. 57.42
¶HVBERTI Cantuariensis episcopus. 263.16
Hubertus Sarisberiensis episcopus. 255.43
Hubertus Burgensis Cantij comes factus. 298.6. eius; gloria & ignominia. in seq.
Huberti Cantij comitis cum episcopo Cantuariensi discordia. 299.42. repetundarum acriter multatur. 300.42. regi conciliatur. 302.23
Hubertus comes Moritonij. 224.4
Huberti comitis Burgensis cum Scotiæ rege affinitas. 294.18
Huberti Douerensis naualis contra Gallos victoria. 291.23
Hugo Angeri frater prælio perit. 101.2
Hugo Dunelmensis episcopus, Northumbriæ comes fit. 243.7. & 411.32
Hugo Magnus Parisiorum comes, Ricardum puerum Ludouico regi armata manu eripit. 116.17. dux aduersus Saracenos. 174.43
Hugo Andlatus Gloecestriæ comes. 365.27
Hugo Bigotus 241.42
Hugonis Bigoti res gestæ. 225.42. & 228.1. & 230.18.42
Hugo Carthusianus quando floruerit. 237.4. & 270.10
Hugo Chresyngamius Scotiæ oligarcha. 257.14. eius interitus. 339.33
Hugo Campaniæ comes Aquitaniam Gallico nomine tuetur. 296.26
Hugo Castilionensis capitur. 390.37
Hugonis Cartoni contra regem conspiratio. 407.28. eius interitus. ibid. 43
Hugo comes Cestrensis. 225.15. & 227.15. & 233.9 eius crudelitas 176.8
Hugo episcop. Cestrensis. 247.24
Hugo Guarnatus. 267.27
Hugo Marchio Henricum tertium priuignum suum contra Ludouicũ Galliæ regem iuuat. 297.27
Hugo Marchianus rebus nouis studet. 298.27. cum Ludouico redit in gratiam. 299.30. eius turpis deditio. 306.42
Hugo Marchianus comes, eiusq; progenies. 313.45
Hugo episcopus Podiensis. 174.46
Hugo Quieretus. 369.20
Hugonis Salopiæ comitis crudelitas & interitus. 176.8.16. & 181.22
Hugo Verius Oxonij comes contra Gallos mittitur. 332.1
Hugones Spenserij sceleſtissimi homines in aulã Edouardi quarti cooptantur. 347.23. & 350.42
Hugonum exilium. 350.22. exitus. 357.17 & 431.28. & 493.19
Hugo pater capitur. 356.28. crudeliter necatur. ibid. 29
Hugo Hynk Angliæ cancellarius. 677.43
Hullum oppidum. 5.15
Hultonia Hyberniæ pars. 221.35
Humanitatis officium quod Anglis sit. 15.1. & 39.23
Humbrus fluuius. 4.46. eius ortus. 5.9. quare non imbribus augeatur. 12.40
Humfredus Banaster hospitale ius uiolat. 552.45
Humfredus Glocestriæ dux. 437.15. & 438.34 regni Gallici præfectus. 456.26. testamento regni administrator esse iubetur. 459.21. & 460.10. illicitum coniugium. 461.42. & 464.33. uxoris dotem bello affectat. ibid. 40. ob seueritatem in inuidiam uocatur. 492.27. interitus. 493.8. indigna cædes. 528.14
Humfredus Herefordensis comes regis iussum detrectat 338.10. populi ad libertatem spirantis dux. 340.24. res gestæ. 350.31. eius nuptiæ. 345.46. in redemptione pro Isabella Roberti Brusij commutatur. 348.24. eius interitus. 351.14
Humfredus magister equitum 241.44
Humfredi Staffordij seditio. 568.39. decollatio. 569.19
Humfredus Staffordiæ, Buchyngamiæ dux. 491.25. Cantianæ seditioni resistit. 498.29. profligatur. ibid. 30
Hunni Gothos uincunt. 95.36
Huntyngtona Angliæ comitatus. 3.25
Huntyngtona comitatus Scotiæ regis filio donatur. 198.18. & 199.16. Scoto auferetur. 335.28. redditur. 312.44
¶HYBERNIA. 6.30
Hyberniæ situs & mores. 221.6. nomen. ibid. 12
Hybernorum duo hominum genera. 594.32
Hyberni Syluestres latrocinantur. 425.14
Hyberni iaculis plurimum ualent. 419.39. nullis armis corpora contegunt. 574.29. & 596.28
Hybernia Henrico II sine sanguine deditur. 220.16.20. & seq.
Hyberniam Scoti à se Scotiam dixerunt. 221.19.24
Hybernos defectionem cogitantes Ioannes bello terret. 274.22
Hybernorum in Vuallia prædatio. 302.11
Hyberniam Scoti uastant. 348.31. imperium in parte Insulæ continent. ibid. 40. & seq.
Hyberni Anglis bellum faciũt. 419.25. Ricardi regis fidei se committunt. ibid. 43
Hybernorum motus contra Henricum septimum. 570.23. supprimitur. 574.31
Hybernia factiosa pacatur. 594.21
Hybernicus Oceanus margaritas habet. 221.33
Hyda mensuræ genus. 159.40
Hyems apud Anglos minimè sæua. 14.10
Hyems præter naturam frigida. 153.10. & 266.8
Hyermuthus pagus. 11.4. & 134.27
Hypræ Philippus capit. 278.5
Hyueram arcem Bedfordiensis capit. 462.35

I

IACOBVS Arteuilla nouus homo à Britannis dux constituitur. 366.22. interficitur. 373.10
Iacobus Borbonensis comes regio iussu exercitum cum Vuallis contra Anglum iungit. 434.23. accepta clade in Britanniam redit. ibid. 33
Iacobus Chennethus D. Andreæ archiepiscopus, Iacobi III Scotorum regis præceptor. 505.36. & 511.16
Iacobi Douglassatium comitis interitus. 418.11
Iacobus Galeotus bello Britannico occisus. 579.4
Iacobus Steuartus filius regis Scotiæ capitur. 438.39
Iacobus Scotus missus factus. 456.46. bonarum artium patronus. ibid. 9.
Iacobus Scotorum rex contra fœdus Gallum iuuat. 464.27
Iacobus Scotorum rex fœdi fragus. 488.13. interitus. ibid. 16
Iacobus Scotus rex Petrum fictitiũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

regem fouet. 597.15
Iacobus tertius Scotorum rex à suis interficitur. 580.38
Iacobi quarti Scotorũ regis ad Henricum septimum legatio ad Margaritæ connubium petendum. 607.46. cum Anglo affinitas. 610.25. Anglorum fines armis inuadit. 641.9 eius interitus. 641.18. sepultura. 642.2
Iacobus eo nomine quintus. 642.7
Iacobi Siculi regis cum Aragone bellum. 326.6
Iacobi Terelli sanguinolẽtia. 547.6
Iacobus Terellus perduellionis reus. 611.36. supplicio mactatur. 611.45
Iacobi Tuychetti ad Cornubienses defectio. 600.6
Iacobi Tuchetti Audleij reguli interitus. 507.12
Iacobina illegitimo matrimonio Glocestrensi se copulat. 461.42. Brabantino redditur. 465.4
¶ IBERVS fluuius. 221.14
Iberos Angliam occupasse. 16.5
¶ ICENORVM situs. 33.25
Iceni populi ijdem qui Igeni. 36.45
Iceni populi ab Ostorio Scapula uicti. 33.24
Icius portus. 10.17
¶ IGNIS per terræ rimas spirat. 195.36
¶ ILA insula. 7.33
¶ IMANVENTIVS à Cassiuellauno interfectus. 30.4
Imperatoris officium. 641.11
Imperij Rom. inclinatio quando cœperit. 50.46
Impijs nec uitam tranquillam, nec mortem felicem esse posse, exemplum. 281.32. & seq.
¶ INDOCILES à literarum studijs alienandi. 107.14
Indulgentiæ pro stipendio erogatæ. 405.40
Infelices misericordia, potentes inuidia sequitur. 358.39
Ingratitudinis appositum paradigma. 322.21. & 514.6
Insignia regum Angliæ. 162.16
Insularum regnum. 457.20
Insulæ opp. obsidio. 369.1
Intestina bella Christiano nomini damnosa 622.39
Inundationes fluminum insolitæ. 266.10
Inundatio Oceani magna. 185.2
Inundatio tam maris quàm fluminũ. 172.28. & 311.33
Intestinæ apud Anglos seditiones. 281.41. & 402.21. & 497.36. & 498.14. & 502.32. & 515.45. apud Flandros. 404.40. apud Francos. 405.10. & 436.39
Inuidia, potentũ ferè semper comes. 170.10
¶ IOACHIMVS abbas sanctitatis fama præclarus. 251.37
Ioanna Seymer Henrici VIII uxor in puerperio periit. 691.6
Ioannes Alanus Iurisconsultus. 656.32
Ioan. Ionys uir doctus. 618.37
Ioannes Optatus Oreadum episcopus. 202.21
Ioannis regis uxores. 242.11
Ioannes Ricardi fratris regnum inuadit. 254.5. & seq.
Ioannes à fratre Ricardo honoribus priuatus, patriæ hostis iudicatus est. 255.42. & seq.
Ioannes fratri Ricardo supplicat. 258.13
Ioannes Normaniæ principatum occupat. 262.30
Ioannes rex parricidij accusatur. 267.7
Ioannis aduersus Philippum expeditio. 271.38
Ioannes rex excommunicatur. 273. 18. regia administratione pontificali autoritate abdicatur. 275.32. pontificio legato pœnitentiæ sponsionem facit. 277.6. excommunicatione liberatur. 279.44. eum pœnitentiæ pœnitet. 280.10. eius immanis crudelitas. 286.46. luit pœnas. 287.30. obitus. 287.37
Ioannis nomen regibus infelix. 419.11
Ioannis regis Franciæ, cum Edoardo inducie in biennium. 378.20
Ioannes Francorum rex cum Philippo filio capitur. 381.10. conditiones ab Anglo accipit. 383.11. & 384.17. dimissus. 385.1. obitus. 386.17
Ioannes Francorum rex inauspicato cum Anglis conflixit. 429.12
Ioannis primi regis Castellæ & Legionis cum Ioanne Lusitaniæ rege bellum. 410.32
Ioannes Scotiæ rex ab Anglo victus, sese illi tradit. 337.10
Ioanni Scotorum regi uiolati iurisiurandi dies dicitur. 335.12
Ioannis Annonis cum Anglo affinitas. 360.15
Ioannes Armeniacus cum Franco in gratiam redit. 447.41
Ioannes Aquitaniæ præfectus. 321. 15. captus. 460.43. Normaniam recuperatum mittitur. 488. 36. contra Carolum regem coniurat. 489.13
Ioannis Alenconij ducis facta. 462. 43. capitur. 463.27
Ioannes Albamarlensis comes in Syriam militatũ proficiscitur. 305.28
Ioannes Albaniæ dux. 538.42
Ioannes Boëmiæ rex. 367.41 interitus. 375.39
Ioannes Bolyngbrochus comes Derbij. 411.27
Ioannes Bedfordiæ dux. 437.35. & 438.34. & 457.34
Ioan. Bedfordiensis dux à fratre rege cõtra Armeniacũ mittitur. 448. 38. eius naualis victoria. 449.2
Ioannes Bedfordiensis dux regni administrator. 449.41. Franciæ gubernator. 459.23. & 460.25. eius connubium & nuptiæ. 462. 4. in Normanos expeditio. 462. 31. insigne contra Alenconium prælium. 463.28. victoria. Ibid.32. moritur. 486.10
Ioannes Bernyngamius Hybernorũ contra Scotos dux. 348.38
Ioannes Biturigum dux pro patre rege obses. 384.36
Ioan. Biturigũ dux capitur. 395.4
Ioannes Brabantiæ dux Edouardi tertij gener. 329.29
Ioannes Brenno Hierosolymitanus rex. 292.25
Ioannes Britannus contra Francos dux. 331.4. victoria male utitur. Ibid.10
Ioannes Britannus dux. 367.42
Ioannes Britanniæ dux in Angli fidem uenit. 453.21. cum Anglo affinitas. 371.37. in uerba Galli iurat. 416.30. eius obitus. 431.43. Ibid. progenies.
Ioannis Britanniæ ducis ad Carolũ Delphinum defectio. 465.26
Ioannes Borgth. 391.40
Ioannes Philippo patri in ducatu Burgundiæ succedit. 436.38
Ioannes Burgundiæ dux Carolo sexto reconciliatur. 447.38. pacem inter Henricum sextum & Carolum sextum facere studet. 447.41
Ioannes Burscherius. 372.12
Ioannes Candius. 380.2
Ioannes Candius Pictonum præfectus. 388.28. interitus. 391.20
Ioannes Cardinalis dißidium inter regem Angliæ & Franciæ componit. 238.39. in bello Ægyptiaco consilium malum dat. 294.33
Ioan. Chẽletti pia cõmiseratio. 536.7
Ioan. Coleti laus amplißima. 618.9
Ioannes Coplandus Anglorum contra Scotos dux. 377.2
Ioannes Cornubiæ comes moritur. 365.28
Ioannes Landellus. 380.3
Ioannes Dynham thesaurarius Henrici

rici septimi. 566.44
Ioannes Fysherius Roffensis episcopus 688.35
Ioan. Huntyngtonæ comes Exoniensis dux factus. 491.30
Ioan. Hunyades Matthiæ regis Pannoniorum pater Danos à Turcis eripit. 96.10
Ioan. Holandij equitis duo filij duces facti. 385.23
Ioan. Holandius Iunior, comes Huntyngtonæ creatur. 411.28. ab Henrico quarto in gratiam recipitur. 429.14. eidem insidiatur. 430.30. interficitur. 431.22
Ioan. Hierosolymitanus rex in Angliam uenit. 295.4
Ioan. Henrici secundi filius Hyberniæ regulus. 236.2
Ioan. Helthamius Edouardi quinti frater Cornubiæ comes fit. 362.1
Ioan. Hauardus dux Northfolchiæ factus. 548.1
Ioannes Gandæuẽsis Edouardi quinti filius nascitur. 370.3. nuptiæ 385.12. Castellæ regnum sibi uendicat. 394.1
Ioannis Fastoli facta. 469.12
Ioan. Egremonti turba. 579.39. & 580.1
Ioan. Columnensis Card. pontificis in Asia legatus. 292.20
Ioannes Lincolniensis nouos motus concitat. 572.10. occiditur. 574. 37.
Ioan. Lilius pontificis Ro. in Anglia quæstor. 577.30
Ioan. Leo Flandrorum seditionis inteſtimæ dux. 404.44
Ioan. dux Lancastrius Aquitaniæ principatu donatus. 418.26. cum Lusitano fœdus facit. 415.14. cum Ioanne Castellæ pax & affinitas 416.2. regem Lusitanum iuuat. 410.44. in Hispaniã Castellæ regnum recuperatum proficiscitur. 415.11. Carolo quinto obuiam mittitur. 390.28. & 392.37. obitus. 424.33
Ioannes Lincolnus contra opifices externos coniurat. 651.31. supplicio mactatur. Ibid.38
Ioannes Medices Cardinalis capitur. 626.3. In libertatem ab agrestibus uindicatur. 626.23.
Ioannis Nauarræ regis incõstantia 626.41. Sponte se regno spoliat. 628.6
Ioannes Stokton eques. 525.34
Ioannes Vuyndham perduellionis reus. 611.36. supplicio mactatur. 611.45
Ioannes Montacuti marchio ab Henrico sexto prælio superatur. 512.42. in Edouardi regis fidem uenit. 520.11
Ioannis comitis Montisfortensis de Britannia contentio. 371.42. eius cum Blesensi de principatu contentio. 382.31
Ioan. Monumetensis rem infeliciter contra Vuallos gerit. 301.31
Ioannes Morganus iureconsultus. 559.37
Ioannes Normaniæ dux patri Philippo suppetias fert. 376.6. in regno succedit. 377.40. suis suppetias fert. 373.31. in Britanniam ad Carolum auxilio uenit. 372.11
Ioannes Orneby Scotiæ oligarcha. 337.14
Ioannis Oxoniensis comitis fuga. 527.35. captiuitas. 533.4. uinculis liberatus Henrico VII auxilio uenit. 556.20. & 563.11.25. 31.45
Ioannes Palæologus græcus Imp. 325.23
Ioan. Parochita Siculus magnã stragem in Gallos facit. 325.28
Ioannes Penbruchius redimitur. 398.30
Ioan. Philippotus eques. 404.29
Ioannes Rateclyffius proditionis reus in perpetuam custodiam conijcitur. 592.32 capite mulctatur. 592.34
Ioannes Rufi filius dux Britanniæ. 371.35
Ioan. Sauagij interitus. 587.7
Ioan. Scotus in Anglia doctrina claret. 106.37
Ioannis Segrauensis imprudentia. 342.17
Ioannes Strauus seditionis inteſtimæ dux. 402.38. & 404.14
Ioannes Stuartus Burchaniæ comes. 458.3
Ioan. Stuarti Scoti interitus. 463.25
Ioan. comes Somerseti marchio Dorcestriæ. 465.13
Ioan. Talboti res gestæ. 466.21. & 467.37. & seq.
Ioannes Talbotus Salopiæ comes factus. 461.31. capitur. 472.41. in Gallias exercitum ducit. 482. 20. eius in Aquitaniã expeditio. 501.22. interitus. 509.6
Ioannes Varanius Scotiæ oligarcha. 337.14. & 338.28. obitus. 343.29.
Ioannes Varuici comes, Montacuti marchio. 512.15
Ioan. Venlochij interitus. 530.14
Ioan. Viennensis in Scotiam nauigatio. 409.21. Northumbris bellum facit. Ibid.32. à Scoto spoliatus, domum redit. 410.24
Ioannes Hus combustus. 441.19
Ioan. Vuytheliffus quãdo floruerit. 399.44. & seq.
Ioan. Vuytheliffi dogmata damnantur. 441.18
Ioan. Oldecastellius Vuytheliffianus captus elabitur. 441.34
Ioanna Apuliæ regina. 405.32
Ioanna Edmundi Cantij comitis filia Edouardi principis uxor. 384.15
Ioannæ Claudæ de Britannia contentio. 371.42
Ioanna filia Henrici Nauarræ regis Philippi Pulchri coniunx. 334.33
Ioanna Henrici II filia regina Siciliæ. 235.1. & 246.30
Ioanna regis Siciliæ uidua Tolosatiũ comiti nubit. 259.9
Ioanna Edouardi quinti soror, Dauidis Scotorum regis coniunx. 361.33
Ioanna Ioannis filia regina Scotorũ. 294.18
Ioannæ Scotiæ reginæ obitus. 303.20
Ioanna puella fatidica. 470.38
Iocos non semper bene cadere, exemplum. 141.28
Iocus Flandrorum in Valesium. 361.16.24. Gulielmi Varami. 591.33. Eboracensis antistitis. 216.1. Ricardi regis. 243.6
Iona fluuius. 454.3
Iona insula monumentis Scotiæ regum clara. 7.25
Ioppæ Christianorum colonia. 248.29
Ioscellinus Bathonienſis episcopus. 289.11
Ioseph de Arimathæa Euangelium in Britannia prædicauit. 37.33. & 41.29. & 89.36
Isabella Friderici II Imp. uxor. 302.31. moritur. 306.2
Isabella Philippi Pulchri filia, inter maritũ & fratrem negotium componit. 353.7. à marito hostis patriæ cum filio iudicata. 354.33. Hugones ulciscitur. Ibid.38
Isabellæ Edouardi quinti matris obitus. 382.40
Isabella Ioannis regis coniunx. 265.45. & 266.20
Isabella Ioannis uidua Hugoni comiti Marchiæ nupsit. 292.10
Isabella Ricardi secundi uxor Caroli sexti filia. 410.27
Isabella Philippi Pulchri filia, Edouardi quarti uxor. 346.28
Isabella Roberti Brusij capta. 345.30
Islandia. 7.14
Issodunum oppidum. 257.37

Universidad de Deusto
Biblioteca

Italia quondam sibijpsi ruinæ causa fuit. 588.3
Italiæ calamitas Martia. 587.44. & seq.
Iuarus Dacorum rex Angliam bello uexat. 98.2. prælio cecidit. 18. 40
Iubileus annus. 610.6
Iubilei celebrandi ratio. 385.29
Iudæa uicus. 392.13
Iudæi cœmeteria cadaueribus in Anglia ubinis locorum impetrant. 236.9
Iudæi graui pecunia cẽsentur. 310.34
Iudæorum in Anglia afflictio. 248.2. & 274.16
Iudæi captum Christianum puerum cruci affigere uolentes, plectuntur. 302.26
Iudæi ex Anglia pelluntur. 327.25
Indicandi Normanos modus apud Anglos qui sit. 155.7
Iudices sine prouocatione cõstituuntur. 154.19
Iudices fiscales à plebe ad pœnam uocantur. 620.32
Iuditha Balduini comitis Flandriæ filia. 141.17
Iugerum ære. 139.41
Iulianus Cæsarinus cardinalis contra Boëmos profectus. 475.22
Iulij Agricolæ in Britannia res gestæ 39.1. & seq.
Iulij Cæsaris locus. 26.46. & 27.16. & 224.31
Iulius Agricola qui sub Domitiano Britanniam obtinuit. 16.1. legatus Monam insulam domuit. 11.25. ex Britannis reuocatur. 41.9
Iulio pont. cuncta autoritate abrogatur. 623.20. cum Ferdinando arma in Gallum cõuertit. 622.15. moritur. 634.44
Ius non nisi imperij gratia uiolandum. 149.36
Iuris fundamentum, dilectio proximi. 142.8
Iuris dicendi forma apud Anglos. 154.21. & seq.
Iurisiurandi negligentia Rom. pont. permissu conceditur. 212.7
Iustiniani Cæsaris locus. 243.37
Iustitiarij pacis magistratus. 154.26. & 155.25. & 295.44. & 323.2
Iustitiarij maiores. 155.27

K

KENDALA oppidum. 229.9
Keneluorthis arx. 317.16. à rege oppugnatur. 318.29
Kyngestonum oppidum. 5.14. & 212.42

L

LAGINIA Hyberniæ pars. 221. 36.39
Lambertus quidam regnum per simulationem inuadit. 573.8. capitur. 674.42
Lamebithus uicus. 137.4
Lanam mollem læta pabula non ferunt. 13.34
Lancastri situs. 33.43
Lancastrensis Angliæ comitatus. 4.3
Lancastrensis familiæ infortunium. 531.18
Landauensis episcopatus. 9.7
Lanfranci Cantuariensis episcopi libellus de erroribus Berengarij. 163. 26. & 167.19
Langleium cœnobium. 431.38
Lanitio quæ regiones nobiles. 13.4. & seq.
Lapides nigri ignis formentũ. 7.40
Larchæ opp. situs. 432.30. Angli deditur. 452.43
Larcha per proditionem à Gallo capta. 494.20
Lateranense concilium probatur. 632.13
Lateranensis ædes à Constantino cõstructa. 47.6
Latiniaci situs. 476.18.22. Carolo septimo traditur. Ibid.42
Laudallum per Talbotum capitur. 472.22
Laudonia quondã Pictlandia. 5.44
Laudunensem agrum Angli recipiunt. 462.21
Laurentius Campegius Iurisconsultus. 654.35. fit Sarisberi. nsis episcopus. Ibid.45
D. Laurentij templum. 47.31
¶ LEA fluuius. 148.46
Lecestrenses. 37.21
Lecestrensis Angliæ comitatus. 3.27
Lecestriæ oppidi origo. 20.16
Lecestriæ oppugnatio. 227.24
Lecestriæ capitur. 315.43
Leges iniquas rescindere nephas nõ est. 154.39
Leges Angliæ non sine iniquitate Normanicè scriptæ. 154.42
Leges correctæ ab Edouardo secundo. 321.14
Leges populares populo datæ per Edouardum regem. 327.19

LEGES ANGLICAE.

Aluredi. 155.24. Agraria. 154. 5. Aurum in continentem non effertor. 365.17. Communes. 142.15. Exilij indicendi. 184.38. Frumenti pretium certum in populi gratiã constitutum. 491.17. Fures literati stigmate notantor. 609.15. & 612. 37. Gulielmi. 154.5. & seq. Iudicia Anglica non peregrina lingua celebrantor. 360.45. Magnæ chartæ. 319.5. & 327.37. & 343.22. & 385.46. Manus mortua. 327.41. & 332.24. & 346.10. Martianæ leges. 21.43. Merces in regnum importatæ alienis nõ uenduntor. 488. 29. Monachis nullum prædium dato. 327.39. Molmicinæ leges. 22. 37. Parricidæ literati stigmate notantor. 609.14. & 602.37. De præmoneri, uel de præmuniri. 392. 11. Prouisionis. 392.11. Pecuniã alió terrarũ ne exportato. 13.26. Pudicitia nuptæ aureo nũmo redimatur, lex Scotica. 170.36. Regno ne exeas. 171.44. Rex citra concilij consensum tributum non iniungito. 340.35. Sacerdos furti reus episcopo repræsentator. 323.18. Sacerdos possessiones non emito. 327. 39. Sacerdos Gallicus sacerdotiũ in Anglia non occupato. 440.44. Sacerdotij uiolator anathematisator. 206.14
Leges in Anglia labefactatæ. 620.30
Legionum oppidum. 25.15
Legionum urbis archiepiscopatus. 41.27
Lemouicum diruitur. 392.40
Leo rex Armeniæ bello Turcico pressus auxilia petit. 408.27. & sequentib.
Leo rubeus Britannorum insigne. 52.31
Leones tres iubati regum Angliæ insigne. 162.17
Leolinus Griffini filius à Vuallis dux constituitur. 313.24. princeps nouas seditiones in Anglia facit. 321.29. &c. Anglis bellum facit. 323.25. in Anglia sæuit. 293.42. eius scelera punita. 298.42. Angliã uastat. 300.12. à rege domatur. 300. 22. eius obitus. 304.3. dux pugnax cecidit. 324.15
Leonellus Edouardi quinti filius nascitur. 367.34. nuptiæ. 391. 21. obitus. 391.24. dux Clarentiæ factus. 385.43. & 391.21.43. & 411.44
Leonellus Concordiensis episcopus Pontificius legatus. 582.9
Leopoldus dux Austriæ Ricardum regem Angliæ capit. 253.27. & seq. peste interijt. 258.22
Letha oppidum. 5.46
Lethardus Cantij apostolus. 63.22
Leudunum oppidum. 211.44
Leuinus fluuius. 6.16
Leuisum oppidum. 316.17
Lex apud Gallos fœminis regni hæreditatem abrogat. 627.20
Lexouiorum oppidum ab Anglis capitur. 452.5
Lexouium ab Anglo deficit. 494.38. recipitur. Ibid.
Leyrus à generis regno exutus, à Cordilla filia dignitati pristinæ restituitur. 20.30
¶ LIBERTATIS pretium. 39.13
Libræ Anglicæ æstimatio. 171.30
Licinius Illyricum tenet. 46.20
Cæsar appellatus. 46.17. Constantini iussu interfectus. 44.30
Lichefeldensis pugna. 507.9
Ligeris fluuius. 102.25
Ligures sagittarij stipendiũ in Normania faciunt. 374.11. & 375.27
Limiricum ciuitas Hyberniæ. 221.4. & 222.8
Lincolniensis episcopatus. 4.18. & 78.42. & 88.8. & 158.18. & 171.13. & 178.23. & 215.3. & 235.17
Lincolniensis arx à Franco obsessa. 290.29. & seq.
Lincolniæ diripitur. 291.6
Lincolnia à Stephano rege obsidetur. 203.28
Lincolniæ urbis situs. 126.29
Lindisfarnis insulæ topographia. 82. 12. & 83.29
Lindisfarnis insulæ nomenclatura. 83.35
Lindisfarnis diœcesis Dunelmũ trãsfertur. 129.12. Cestriam. 101.3
Lincolniensis Angliæ comitatus. 3.28
Lindisfarnis insula à barbaris uastata. 105.11
Lindus amnis. 85.36
Literæ quantũ momenti rebus mortalium afferant. 320.38. & 325.5. & 617.35
Literæ bonæ quando se in Germaniam, Angliam, Galliamq; perfũderint. 617.30
¶ LOCHIAS Angli capiũt. 256.40
Lochiarum urbs à Gallo capitur. 271.16
Logstylus lacus. 222.6
Logus fluuius. 8.21
Lomandus lacus. 5.35. & 6.16
Londini situs. 4.31. & 12.20. & 37.1
Londinensis ciuitatis forma. 247.11. & 274.34. mutatio, & eius causa. 274.35
Londinum olim minus celebre. 25. 34. hodie Britanniæ regia sedes. 25.39
Londinensis Angliæ diœcesis. 4.8. & 41.27. & 71.25
Londinum urbium in Anglia pontificalium princeps. 4.29. Regni Saxonum orientalium caput. 71.23. trans Thamesim põs mirabilis. 4. 38. & 25.41. pontis ædificia igne absumpta. 276.11. à Ludouico rege instauratum. 24.29. in eo schola à Ioanne Coleto instituta. 618.28
Londinensium magistratus & comitia. 243.11
Londinum à Dacis obsidetur. 122.37. & 123.45. & seq. 130.13
Londinenses sese Gulielmo dedunt. 150.32. deditionem coniuratis contra Ioannem offerunt. 283.3
Londinenses contra regis mandatum principibus portas aperiunt. 422.27.
Londinum Cantiana seditione obsessum. 498.17. intestina seditione uastatur. 403.31
Londinensium constantia & fides. 129.31. eorundem inconstantia. 503.33
Lotharius Gallorum rex. 103.33 pro patre Lud. obses. 116.46. contra Ricardum Normanum inimicitiæ. 117.13
Lotharius Germanorum rex Innocentio Papæ auxilio uenit. 195.18
Lothebrici Daci nobilis aucupis historia. 69.37. & seq.
Lothus Pictorum rex ab Ida Humbrorum rege uictus. 76.36
Louerium Burgundiæ oppidum captum ab Anglis. 482.45
¶ LVCERNA classici signum oceanum accolentibus. 558.36
Lucius piscis. 14.32
Lucius rex. 37.43. & 76.45
Lud porta. 25.34
Ludorum apud Anglos magnificentia. 215.18
Ludlollij principis Vualliæ oppidi expugnatio. 201.39
Ludouallus Vuallorum regulus. 118.3
Ludouicus Bauarus Imperator. 367.30
Ludouicus Caroli Simplicis filius rex Franciæ. 111.41. rex salutatur. 112.11. eiusdem cum Rollone fœdus. 111.42. Normaniæ principatum affectat. 115.24. à Normanis capitur. 116.46
Ludouicus Crassus patrem Philippum in regno sequitur. 185.10. contra Henricum secundum bellũ facit. 188.41. infeliciter contra Anglum pugnat. 190.10. & seq. eius in Carnutes impetus. Ibid. 25. Germanico bello implicatur. 190. 38. Flandrum contra Alsatiæ com. iuuat. 193.20
Ludouici VII. cum Stephano Anglo societas & affinitas. 199.9. 202.29. Henrico secundo bellum facit. 209.20. & seq. moritur. 236.34
Ludouicus Philippi septimi filius rex Franciæ. 281.4. Pictones in potestatem redigit. Ibid.7 à coniuratis contra Ioannem regem principibus rex Angliæ optatur. 285.16 auxiliatur. Ibid.37. rex declaratur. 286.3. amicitiam cum Federico secundo facit. 294.25. moritur. 297.13
Ludouicus Ludouico patri in regno succedit. 297.14. contra Henricum tertium uictoria. 299.22. Hispanos contra Mauros iuuat. Ibid. 41. Damiatam oppugnat. 309. 25. conditiones à barbaro accipit. Ibid. 31. in Africa interijt. 319.20
Ludouicus Hutinus Galliæ & Nauarræ rex. 347.43
Ludouici Caroli septimi filij ingenium immane. 489.11. & 534.2. aduersus patrem conspiratio. 489. 12. eius cum Anglis pugna. 490. 36. patri in regno succedit. 504. 10. Varuicensem contra Edouardum regem iuuat. 520.30. Anglo uectigal pendit. 525.8. negat. 537.46
Ludouicus Caroli octaui filius Italos bello inuadit. 587.33. Mediolanensem principatum amittit. Ibid.35. Venetos una pugna uincit. 621.41. Recipit Brixiam, Cremonam, & Bergomum. 622.3
Ludouicus Andegauensium dux pro patre rege obses. 384.36. obsidis transfugium. 388.29. & 390.10
Ludouici Aurelianensis ducis uitia. 436.44. interficitur. 437.7
Lud. Aurelianensium dux caput belli inter Francum & Britannum. 576.9. capitur. 578.46
Ludouicus Borbonienfis dux pro Delphino obses. 384.37. eius fuga. 469.15
Lud. Borbonienfis captiuus in Angliam ducitur. 447.10
Ludouicus Flandriæ comes duos parietes ex eadem fidelia dealbat. 388.23. filiam Edmundo Cantabrigiæ comiti locat. Ibid. 27. & 390.8. locatam alij tradit. Ibid. populum tributo iniquo aggrauat. 404.40. ad Philippum Valesium confugit. 366. 21. Flandriæ restituitur. 371.1. interitus. 375.40. & 383. 26
Ludouicus comes Flandriæ ad Francum confugit. 406.19. eius obitus. Ibid.33
Ludouici ducis Lotharingiæ interitus. 375.40
Lud. Lucemburgensis captus plectitur. 535.27
Lud. Nauarræ rex. 367.41
Ludouicus Sabaudiæ comes aduersus Saracenos proficiscitur. 266.16
Ludouici Sfortiæ ducis Mediolani cum Ferdinando Neapolita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

no discordia. 585.37. belli Italici causa. 588.21. proditione captus, in Gallia uitam miserè finiuit. 588.27
Ludouicus Longauilla dux capitur. 618.8
Ludouicus Carrocius Ferdinandi legatus. 624.12
Lud. Vuallo medicus. 550.12
Lugdunense concilium. 337.34
Lumbricis quare Anglia abundet. 14.16
Lundoniæ turres. 25.33
Lunæ templum. 44.27
Lunæ duæ uisæ. 18.4.23
Lunæ quinq; simul uisæ. 266.3
Lupara Lutetiæ arx. 372.14
Lupus Tracasenus episcopus contra Pelagianos in Britanniam missus. 58.40
Lupis Anglia referta. 118.7
Lupos tricenos Vualli Anglorum regi quotannis uectigalis nomine pendunt. 118.7
Lusitania nunc Portugallia 245.30
Lusinianorum familia Cypriorũ regnum adepta. 250.7
Lutetia regni Francorum caput. 401.20
Lutetianæ academiæ origo. 91.45. & 106.26
Lutetia oppugnatur ab Edouardo quinto. 382.17. quandiu in Anglorum potestate fuerit. 486.43
Lutherana doctrina. 664.16
Lutherani libri in Anglia combusti. Ibid.23.
¶ LYNVS portus. 157.7
Lynum oppidum. Ibid.9

M

MACABAEVS Scotiæ tyrannus imperio & uita priuatus. 115.7. & 151.24
Macharelli pisces. 14.30
Magnanimitatis insigne exemplum. 170.20
Maiestatis læsæ crimen publicè omnibus ab Henrico septimo condonatur. 616.6
Maiorum peccata in posteritatem redundare. 547.32
Macolmus sœdus uiolat. 159.12
Malcolmi regis Scotiæ magnanimũ facinus. 170.20. coniugij abusus sustulit. 170.33
Malcolmi Scotici regis interitus. 172.7
Mali autor malo sæpe peior. 263.46.
Malus nemo omnibus horis. 168.21.
Malmisburia pagus. 207.18
Mandubratius Britannus Cæsaris fidem sequitur. 30.3
Manlius à fratre Mempricio imperij contentione occiditur. 19.30
Manlij Valentis legio in Britannia profligata. 35.26
Mantensium ab Anglo defectio. 494.40
M. Antonius Imp. 42.43
Marchum uicum Valeranus diripit. 434.40
Mare Scoticum. 6.3
D.Marcelli obsidio. 384.7
Marchæ Anglicæ æstimatio. 166.38
Marci Tullij Cic. locus. 403.14
Margaritæ in Anglia reperiuntur. 14.42
Margaritæ in Hybernico oceano. 221.33
Margarita Henrici tertij uxor. 236.5
Margarita Henrici uidua Belæ Pannoniorum regi nubit. 237.2
Margarita Lud. regis filia, Henrico Henrici secundi filio nuptui datur. 212.45
Margarita Henrici tertij filia Alexandri tertij Scotorum regis uxor. 310.1
Margarita regina Siciliæ Henrici sexti coniunx. 491.6. & 492.17. & 495.17
Margarita Edgardi soror Malcolmi regis Scotorum coniunx. 133.16. & 15.116
Margarita Henrici octaui mater literata, binas scholas instituit. 617.39
Margarita Maximiliani filia. 570.33
Margaritæ Edouardi sororis res gestæ. 586.32. & 588.35
Margaritæ Henrici sexti uxoris res fortiter gestæ. 504.45. & 506.44. & 509.40. & 510.6. & seq.
Margaritæ matris Henrici septimi res gestæ. 550.14. & 554.26.
Maria Edouardi quinti filia, Ioan. Britanniæ ducis uxor. 372.29
Maria Caroli Burgundionis filia, Maximiliani Imperatoris uxor. 570.32
Maria Henrici octaui soror Lodouico Francorum regi in matrimoniũ traditur. 643.4
Maria Henrici octaui filia Francisco infanti pacta 653.16
Marlebrigius pagus. 207.17. & 319.3. & 529.36
Mars belli omnis communis Deus. 306.31
Martinus Suardus Germanus Hybernicum motum iuuat. 573.5. occiditur. 574.38
Martinus Turonensis episcopus. 50.9
Maßilia Narbonensis ciuitas. 245.14
Matthæus Gogthus Cantianis restitit. 498.46. & 499.5. eius interitus. Ibid.16
Matthæus Sedunensis Cardinalis. 623.11
Mathildis Edgari regis Scotorum soror, Henrici regis Angliæ coniunx prolem diris execratur. 180.5. & 191.17
Mathildis Hẽrici regis Angliæ filia Henrici quinti Imper. nupta. 185 16. & 187.21. & 190.34. & 192 20. & 192.18
Mathildis Augusta dicta. 192.20. Gaufredo Plantagenetæ post Henricum Imp. nupsit. 192.22. 45. repudiatur. 194.26. à patre rege hæres scribitur. 192.37. regnum sibi testamento decretũ aufertur. 197.10. regnum repetitum Angliam ingreditur. 202.37. eiusdem strategema. 205.31. eam ex Stephano enixam esse ortum. 208.35. eius contra Stephanum regem uictoria. 203.44. moritur. 209.32
Matrimonia ante pubertatem quando moleuerint. 293.9
Matrimonialis odij causa. 295.24
Matrona fluuius. 451.32
Mauri Hispanos uexant. 299.38
Mauritius Barcleiensis ob regis cædem supplicio afficitur. 362.28
Maxentius Augustus salutatus. 47. 40. Italiam, Africam, & Ægyptũ tenet. 46.18. in Tyberim præcipitatur. 46.25
Maximianus Herculeus Diocletiani in imperio consors. 45.45. priuatam colit uitam. 46.45. imperium rursus affectat. Ibid. eius interitus. Ibid.14
Maximianus iunior à Galerio Cæsar creatus Orientem tenet. 46.19. obit. 46.30
Maximilianus Imp. in Flandris captus. 583.28. ulciscitur. Ibid.31. eius cum Carolo octauo inimicitiæ. 583.32. numorum caritate pressus Gallicam iniuriam negligit. 585.2. proles. 570.33. Ardeam urbem diripit. 637.32. recipit Veronam, Vicentiam & Patauium. 622.1
Maximilianus Ludouici Sforciæ filius in auitum principatum à Matthæo Gurgensi episcopo restituitur. 612.6
Maximus Imp. militari fauore creatus. 49.29
Maximi

Maximi interitus. 50.3
¶ MEDIOVARA fluuius. 130.19
Mediolanum capitur. 669.22
Mediolanensis principatus Francisco Sforciæ datur. 670.11
Medueia fluuius. 130.19. & 218.14
Meldem per deditionem Anglus capit. 456.14.
Meledunum Henrico quinto deditur. 456.8. à Franco recipitur. 478.11
Melrosæ cœnobium. 607.34.
Meltoniæ cœnobium. 114.18
Mempricij regis miserabilis interitus. 19.31
Mena area Sarisberiensis potitur. 464.18
Mendepius mons. 89.30
Meneuensis Vualliæ episcopatus. 9.5
Mercatores Angli Burdegalæ spoliantur. 671.39
Mercatura quantum commoditatum rebus mortalium afferat. 616.42
Merchia regio. 5.37
Merciorum regnum describitur. 72.4. & seq.
Mercij Christum amplectuntur. 73.8. & 88.4.24. à Dacis uincuntur. 123.43
Merciorum regnum Papæ tributarium factum. 74.38. eorum clades. 88.14. eorum regnum in Occiduorum potestatem uenit. 945. & 105.1
Mercios ac Mediterraneos cis Trentam & ad occasum, unã fuisse gentem. 71.22
Mercia omnis in Edouardi potestatem uenit. 110.27
Mercij ab Osuuio deficiunt. 84.31
Merlini diuinationes uanæ. 17.16
Mernia regio Scotiæ. 6.43
Mertonus pagus Surræ. 302.43
Merualdus Pendæ regis filius. 72.44
Messana Siciliæ ciuitas 245.37. Ricardus rex Angliæ potitur. 246.20
Messanensium contra Anglos tumultus. 246.6
Metalla quæ in Anglia reperiantur. 14.40
Meuaniæ insulæ. 7.21. & 77.45
Meulanum oppidum Delphinus capit. 461.20. recuperatur. Ibid. 27. Francus iterum in potestatem redigit. 484.2
¶ MICHAEL Glasguensis episcopus Scotiæ. 156.20
Michaël Ioseph Cornubiensis seditionis dux. 599.22. supplicio afficitur. 602.3
Michaël Pola com. Suthfolchiæ. 411.29. Angliæ cancellarius. Ibid.34. in exilio interijt. 414.6
Michaël Antonius Salutiorum marchio. 663.9
Michilneij cœnobium. 114.19
Mildesexia Angliæ comitatus. 3.23
Middelamia arx. 517.15
Midia urbs. 222.1.12
Milburga uirgo sancta. 72.45
Mildreda. Ibid.
Miletus Asiæ ciuitas. 12.37
Milesia lanitio apud scriptores celebris. 13.9
Miletus monachus Christum in Britannia prædicat. 63.27. episcopus Londinensis factus. 64.20. & 71.30. à Siberto rege pulsus. 71.36. & 75.25
Millionem oppidum Angli complanant. 258.8
Miluida uirgo sancta. 72.45
Minimi quiq; aliquando iniurias potentum ulciscuntur, exemplum. 303.39
Mirabellum oppidum. 211.44. ab Arthuro capitur. 266.26. recipitur. Ibid.41. moritur. Ibid. 46. & seq.
Miracula ab Edouardo rege edita. 142.22
¶ D. MODEVENA quando floruerit. 97.21
Mœror lætitiæ comes. 621.11
Molmicinæ leges. 22.38. & seq.
Molonis interitus. 67.5. & 88.41
Momonia Hyberniæ pars. 221. 35.39
Mona, aliàs Mana, insula celeberrima. 11.10
Mona insula à Romanis domita. 11.25. & 35.35
Mona quæ defecerat, recipitur. 37.3
Monachirupis arx, eiusq; obsidio. 280.46
Monachorum cum Nordouicensibus discordia. 320.3
Monachi Cantuarienses in exilium acti. 272.32. postliminio redeũt. 280.2
Monachorum ambitio. 168.22
Monachi desertæ solitudine celebritatem colere & auaritiæ studere quando incœperint. 119.40. & seq.
Monachi sæculares presbyteros suis sedibus pellunt. 159.24
Monachi octo læsæ maiestatis rei plectuntur. 432.31
Monachi in carcerem coniecti. 652.2
Monarchia cum politia epidictica comparatione confertur. 344.12
Monarchia militiæ optima. 290.8
Moneta Anglica. 309.38
Monferandum oppidum dolo ab Anglis capitur, diripiturq;. 417.5. & seq.
Moneuuithlaop, 243.35
Monsteriolum oppidum. 454.2
Monsteriolum ab Henrico quinto capitur. 456.7
Montargeum Angli obsident. 466.31
Montem Annoniæ oppidum Glocestrensis dotis nomine capit. 464.34
Montidedum oppidum ab Anglis captum. 679.42
Monteigomerienſe castrũ Vualli demoliuntur. 173.28
Morganus Vuallorum dux capitur. 332.29
Morcatus Merciæ comes. 145.37. & 148.35. & 150.27. & 151.15. & 157.11
Morcatus Northumbriæ comes. 144.2
Moretum ab Henrico quinto capitur. 456.7
Morini legatos ad Cæsarem mittunt. 27.37
Morinum oppidum. 390.31. obsidetur. 637.4. expugnatur. 638.13. & seq.
Morleum Britanniæ citerioris oppidum capitur. 672.46
Moronia Scotiæ regio. 7.1
Mortimeriorum familia regnum hæreditate assequitur. 390.27
Moruidius rex temeritatis pœnam luit. 21.46
¶ MVGILES apud Anglos. 14.29
Muletti pisces. Ibid.
Mulierum diuersa ingenia difficulter coniungi possunt. 262.4
Municipale ius apud Anglos quibus cerimonijs constet. 183.37
Mylsordius portus. 560.1

N

NADDERVS fluuius. 120.33
Nanetum urbs. 299.13
Nanetes Ioannes Britannus capit. 372.9 recipitur. Ibid.13. Carolus octauus obsidet. 577.19
Nasamonum moriendi ratio. 143.45
Natalem iubileum Anglici reges celebrant. 386.1
Naues duæ cum hominibus flãma cõsumptæ. 630.39
Naufragium miserabile. 191.5
¶ NEAPOLITANO regno Carolus octauus potitur. 587.30. Hispani potiuntur. Ibid.43

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neglectæ religionis insigne exemplum. 547.34
Neolus Athenienſium rex. 52.43
Neoti monachi eruditio & probitas. 106.12
Neſſa fluuius. 7.1
Neuuarchi Franciſcanorum cœnobium. 617.11
Neuſtria Celticæ pars. 103.21
Neuſtria nunc Normania. 189.26. à Francis recepta. 269.9
Neuuarci oppidi arx. 202.7
Neuuportus pagus. 560.43
¶ NICASIANVM oppidum à Craſſo capitur. 190.7. recipitur. Ibid.17
Nicol. Brembræus eques. 404.30 profugus uita multatur. 414.21
Nicolaus Bochettus. 369.20
Nicolaus Borthus Britannos bello uexat. 466.46
Nicolaus S. Crucis Card. pontificius legatus. 479.41. & 484.35
Nicolaus Tuſculanus epiſc. pontificius legatus. 280.14
Nicolaus Tuuiffordius eques. 404.30
Nidiſdalia regio Scotiæ. 6,8
Nili inundatio. 294.35
D. Niniani templum. 6.11
Niortum à Sauaro capitur. 296.16
¶ NOACH tempora. 248.31
Nobiles pecuarij. 664.31
Nobilitas unde hodie æſtimetur. 18.37
Nobilitas non ex ſanguine, ſed uirtute æſtimanda eſt. 149.41
Nomina patrum filijs maioribus indere Anglis ſolenne. 362.26
Noramia arx à Scoto obſidetur. 602.23. capitur. 640.10
Nordouicum urbs. 178.32. eius epiſcopalis ſedes. Ibid. & 68.1. ſitus. 134.24
Nordouicum diruitur. 230.20
Nordouicenſis arx à Ludouico Franco in poteſtatẽ redigitur. 286.26
Normani Cornubiam in comitatibus eſſe uoluere. 10.2
Normani regnum de integro conſtituerunt. Ibid.
Normanorum origo. 101.36. & 104.1. & 146.37. & 150.20. noui motus. 192.7
Normania quondã Neuſtria. 189.26
Normanorum ducum ſeries. 115.23
Normania abſente principe ad defectionem aſpirat. 157.36. à Philippo premitur. 255.35
Normanis proprium præuaricari, et malis artibus agere quæq. 155.4
Normaniæ nobilitatis contra Guilielmum coniuratio. 161.1. & ſeq.
Normanorum nomen apud Italos celebre. 174.21
Normanicũ nomẽ obliteratũ. 150.16
Normania ab Henrico rege uexatur. 183.7. Angliæ regno adiuncta. 182.2
Normaniæ ducatus filijs regum natu maioribus conferebatur. 187.29
Normania regi Franciæ tributaria. 189.27
Normani quandiu in Anglia regnarint. 196.38. & 240.9. & 496. 23. periurijs fœdati. 198.28. Edouardi quinti armis uexantur. 373.34. ſeſe dedunt. 374.1
Normania à Gaufredo occupatur. 204.2. à Franco uaſtatur. 251.6. in Francorũ poteſtatẽ reuertitur. 269.8. iniustè ab Henrico tertio bonis ſpoliatur. 308.12. quomodo olim in poteſtatem Anglorũ uenerit. 608.9
Normanorum aduerſus Anglos ingratitudo. 483.6
Normaniæ ad Gallum defectio. 495. 20. & 496.17
Normanorum magna clades. 153.5
Norhamum arx à Scotis capitur. 352.32
North, idem quod ſeptentrio. 76.30. & 103.25
Northantonum ciuitas. 37.16. & 230.21. & 315.42
Northantonenſis Angliæ comitatus. 3.27
Northantonũ à coniuratis principibus obſidetur. 282.44
Northantonenſe prælium. 516.29
Northberuicum oppidum. 5.46
Northfolchia Angliæ comitatus. 3. 23. & 68.2
Northumbria unde dicta. 5.38. & 36.46. & 76.28
Northumbria Angliæ comitatus. 4.4. Scotis erepta uocat. 243.8. & 411.31
Northumbrorũ regnũ. 76.22. & ſeq.
Northumbrici regni finis. 86.46
Northumbrorum regnum diuidditur. 81.2. & 83.40
Northumbrorum de fide diſputatio. 78.38
Northũbrorum regnum pietate & pace floret. 80.10
Northumbrorum ditio occiduo regno iungitur. 87.16. & 93.42. & 113.15
Northumbri apud Eboracum uicti. 70.44. à Dacis uicti. 99.36
Northumbriam Henricus ſecundus recuperat. 211.21
Northũbri ſe Dacis dedunt. 123.41
Northumbriam in poteſtatem redigere Scotus fruſtra nititur. 229.17. ea à Scotis uaſtatur. 340.4
Northũbri cũ Eboracẽſibus contra Henricũ quartũ cõſpirãt. 435.10
Norueguæ deſcriptio. 134.4
Norueguenſes Dacorum iugum excutiunt. 126.44. eorum in Daciam impetus. 133.29
Noruegia à Canuto recuperatur. 133.46. & ſeq.
Noruegienſium defectio & rebellio. 135.44
Noruegia in Dacorum ditionem cecidit. 146.20
Nothyngamienſis Angliæ comitatus. 3.28
Nothyngamiæ ſitus & obſidio. 207.
Nothyngamia capitur & incenditur. (29 230.27
Noti prodigioſus impetus. 385.26
Nouacortis oppidi obſidio. 257.42. deditio. Ibid.46
Nouaforeſta ſaltus. 160.21. & 177.39
Nouimercati oppidi obſidio. 209.22
Nouumcaſtrum oppidum. 145.24. & 159.17
Nouumcaſtrum à Scotis incenditur. 340.9
Nouicaſtri prælium. 418.9
Noui homines ſæpe uirtute conſpicuos ſuperant. 149.41
Nouum monaſterium. 105.25
Numidarum mos. 664.32
¶ NVMMI aurei regales & nobiles. 513.28
¶ NYNA fluuius. 37.18. & 287.13

O

OBRVNCARVM oppidi ſitus. 438.38. obſidio. Ibid.
¶ OCCIDENTALIVM regnum quando cœperit. 149.8. incrementum. 93.22. & ſeq.
Oceanus Anglicus quãto ſpatio æſtu concitetur. 184.14
Oceani magna inundatio. 127. & 235.10
Oceani inuſitatũ decrementũ. 187.32
Oceanus cruẽto aſpectu fluit. 36.7
Octauianus Fregoſius capitur. 669.24
¶ ODIHAM uicus. 385.8
Odomarus Valentianus Scotiæ præfectus. 343.13. & 344.32
Odo Burgũdiæ dux. 360.42. eius in Hieroſolymitano bello res geſtæ. 249.4. & 250.9.15.27
Odo Baiocenſis epiſcopus. 151.2 & 159.17. & 164.32
Odonis epiſcopi cõiuratio cõtra Rufum ex fratre nepotem. 164.34. deditionem facit. 166.45. Normaniæ adminiſtratio ei traditur. 167.2
Odo in Normaniã ablegatur. 159.27
¶ OFFA in Scotiam fugit. 77.37
Offæ Merciorum regis nefandum ſacinus. 69.12
Offredus Eduini filius fortiter occubuit. 80.27

¶ OLA

¶ OLAVVS Norueguenſium rex creatur. 126.45. Daciam uaſtat. 133.30. alienas res turbat, ſuarum iacturam facit. 134.2
Olani & Vluonis contra Canutũ cõiuratio. Ibid.10
Oluea Sabrinæ inſula. 132.2
¶ OPPIDVM Britannis ſylua. 30.13
Oppius Sabinus aduerſus Gethas miſſus. 93.17
¶ OMEN Guilielmi Normani. 14.6. 43. Henrici ſeptimi. 522.18. & 566.13
¶ ORACVLVM monaſtica impoſtura confictum. 121.2
Oraculum Eduini regis. 79.17
Orchades inſulæ XXX. 7.26. à Claudio Cæſare domitæ. 33.10
Ordolucarum oppidum. 5.41
Ordouicum rebellio ſedata. 39.7
Ordouicum & Nordouicum eadem ciuitas. 37.22
Oruellum uicus. 355.18
¶ OSBVRGA Ethelwolphi Anglorum regis uxor. 95.2. & 97.11
Oſca et Otha Saxonum duces interfecti. 60.10
S. Oſitha quando floruerit. 97.22
Oſmundus Ricardi Normani pueri præceptor. 116.13
Oſricus in Scotiam fugit. 77.37
Oſtrea in Anglia delicatiſſima. 14.39
Oſtorius Scapula in Britannia legatus. 33.24. eiusq; res geſtæ in ſequẽtibus. eius contra Caratacum victoria. 34.46
Oſricus Deiræ rex. 81.3
Oſualdi Northumbrorum regis contra Britannos victoria. 61.3
Oſualdus & Oſuuius extincto patre in Scotiam fugiunt. 77.37
Oſualdus rex Aidani epiſcopi in re euangelica pro concione interpretem agit. 82.18
Oſuuius Merciorum ſceptra armis adipiſcitur. 73.3
Oſuuij uxor Enfreda. 84.43
Oſuinus Oſrici filius Deiræ rex. 83. 41. eius interitus. 84.3
¶ OTHO Saxoniæ dux Imp. eligitur. 260.20. eius rem Flandricam tuuantis fuga. 281.10. cum rege Ioanne de bello aduerſus Philippum conſultat. 272.18
Othonis Germaniæ regis cum Lud. rege Franciæ amicitia. 112.14
Otho Cardinalis Diui Nicolai in Carcere Tulliano pontificius in Anglia legatus. 303.3.23. & 304.25. & 305.30
Othobonus pontificius in Anglia legatus. 318.9.21.40
¶ OVRS Anglicæ nõ potãdæ. 13.24
Ouinus ſeditioſus. 434.19
Ouinus Tyderius Vuallo. 487.44 eius interitus. 488.6. progenies. Ibid.
Oxonienſis Angliæ comitatus. 3.26
Oxonium cur formidarint reges ingredi. 90.22. à Gulielmo rege deficit. 151.40. eius deditio. 151.45. à Stephano obſidetur. 205.20. deditur. Ibid.34
Oxonienſe concilium. 514.10
Oxonij gymnaſium inſtituitur. 106.13.38
Oxonienſis gymnaſij collegia: Baliolenſe. 329.10. D. Bernardi. 492.3 Braſyn Noſe. 618.5. Ceruina aula. 362.18. Corporis Chriſti. 618.8 Exonienſe. 362.17. Mariæ Magdalenæ. 492.42. Martonum. 325.9. Mariæ, ſiue nouũ collegium. 389.3. Omnium animarum. 482.2. Orial. 359.26. Reginæ. 391.13. & ſeq.

P

PACEM multotiens utrinq; petitam inueniri non potuiſſe, exemplum. 418.46
Pacem uel iniquiſſimam in Republica iuſtiſſimo etiam bello præferendam eſſe. 318.14
Paganellorum Fulconis & Gulielmi fratrum geſta. 299.8
Pagri ſeu phagri piſces. 14.11
D. Palladius Scotorum apoſtolus. 6.44. & 59.3
Pallium, archiepiſcopalis inſignia. 80.3
Palorum ſepta equitatus impetũ arcent, inuentum nouum. 445.8
Pamonia Orchadum caput. 7.28
Pandulphus & Durantus pontificis ad Ioan. regem legati. 275.5.6. & 276.14. & 277.9. & 292.5
Pannoniam ſuperiorem hodie Auſtriam uocant. 253.9
Papæ poteſtatis ſcilicet eſſe iuriſiurãdi uiolationem æquitati donare. 212.6
Papiæ gymnaſium. 106.28
Paracolum oppidum ab Anglis capitur. 367.46
Parci, id eſt, uiuaria. 196.32
Paremptitij qui. 243.40 eorum Londini tumultus. 650.23
Parentum indulgentia pueri corrũpuntur. 241.17
Parricidij immaniſſimum exẽplum. 547.7
Pariſianæ academiæ origo. 91.45. & 106.26
Pariſiorũ fides erga Anglũ. 461.33
Pariſiorum contra Anglum factiones. 462.7
Pariſij per rebellionem Anglorum iugum excutiunt. 486.27
Parliamenti Anglici inſtitutio. 188. 19. & ſeq.
Parmæ ciuitatis obſidio. 666.41
Paruis ex rebus ſæpe magna incrementa uenerunt. 379.10
Parua ſunt arma foris, ubi non eſt ſapientia domi. 567.28
Paſcendi ratio apud Anglos. 13.22
Patauium in ditionem Venetorum redit. 612.3
Patritius Northumbriæ comes. 159.22
S. Pauli oppidi ſitus. 398.32
Paulinus Eboracenſium epiſcopus. 66.14. & 78.7
Paulinus fit Roceſtrenſis epiſcopus. 80.34
Paulinus Suetonius legatus Monam inſulam domuit. 11.26
Paulinum collegium ſacerdotũ quæ priuilegia ab Henrico tertio acceperit. 310.14
Pataienſe prælium. 472.35
Paternæ clementiæ exemplum ferè per totum XIII. librum.
Patritij Auguſtiniani monachi commentum & caſus. 608.38
Patritius Doumbar Scotici regni adminiſtrator. 363.21
¶ PECVARIA res in Anglia frequens. 5.17
Pecunias ex Anglia alio terrarum referri lege uetitum. 13.26
Pecuniæ ſacræ in uſum pub. conuertuntur. 332.8. & ſeq.
Pelagiana hæreſis Britanniam peruaſit. 58.29
Pelagius homo Britannus. Ibid.32
Penda Merciorum tyrannus feliciter contra Chriſtianos pugnat. 68.28.34
Penynſei caſtelli obſidio. 166.22
Perfidiæ ſingulare exemplum. 69. 44. & 518.39
Perona oppidum. 368.26
Perticæ menſura. 159.42
Pertinax Imperator creatus. 42.46
Perthum oppidum. 6.21
Perthum, id eſt, Fanum Ioannis. 336.43
Perychinus rex fictitius. 588.46
Peſtis graſſatur. 61.14. & 162.44. & 258.23. & 301.28. & 348.29. & 377.26. & 385.9. & 398.28. & 482.9. & 609.40
Peti Cerealis exercitus à Britannis fuſus. 36.26
Petrus Ambianenſis eremita. 174. 30.46
Petrus Aragoniæ rex, Siciliæ rex cõ ſalutatur. 325.36. eius contra Siculos victoria. Ibid.43. cum Ioanne Palæologo fœdus icit, Siciliæq; regnum repetit. Ibid.24. interitus. 326.3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petri regis Castellæ tyrannis.386.31
fuga. 387.4. soboles. Ibid.9
Petrus regno restituitur. 383.7. & 389.17. à fratre rursus uictus occiditur. 388.16
Petri Castellæ regis progenies. 393. 40. & seq.
Petrus Capuanus pontificius ad reges Galliæ & Angliæ legatus. 260.4
Petri Druidum comitis filij res gestæ. 280.40
Petrus Duke primus Londini uicecomes. 274.43
Petrus Eremita uaticinio ualet. 279.8
Petrus Ganesto Edouardo quarto prauitatis incentor. 346.37. eius exilium. 347.6. obtruncatur. Ibid.19
Petrus Hyalæ Ferdinandi Hispaniæ regis in Angliam legatus. 603.20
Petrus Landosius Richemondianum precio prodere frustra tentat. 555.12
Petrus Lucemburgensis bello uictus, contra fidem facere cogitur. 490. 46
Petrus Malolacensis pro Repub. Christiana in Syria militat. 305.29
Petrus Sabaudiensis princeps. Ibid. 34. & 382.3. & seq.
Petri Rupifortensis factum. 483.28
Petrus Varbechus Perychinus Tornacensis rex fictitius. 588.44. eius in Cantio clades. 596.3. ad Scotum oratio. Ibid.30. Angliam cum Scotis crudeliter ingreditur. 597.38. Cornubiensibus se iungit. 604.39. fuga. 605.39. eius uxor capitur. 606.13. in regis potestatem se permittit. Ibid.26. elabitur. 608.22. suspenditur. 609.32
Petrus Alenconiensis dux pro Delphino obses. 384.37
Petrus Medices tradit Pisas Carolo octauo Francorum regi. 631.21
Petrus Nauarra Genuensibus subsidio uenit. 669.29. capitur. Ibid.45
¶ PHARAONIS aduersus Æthiopes bellum. 52.44
Philippa Edouardi V uxor. 360.16
Philippa regina moritur. 391.9
Philippus primus Rom. Imperatorũ Christianus. 95.42
Philippus Henrici quinti Imp. frater, de imperio cum Othone Saxone contendit. 260.28
Philippus Maximiliani filius. 570.33
Philippus rex Franciæ Gulielmi uictorias infirmare conatur. 158.42. eius in Gulielmum regem Angliæ scomma. 162.1. perfidiæ. 173.15. moritur. 185.10
Philippi regis & Henrici II odium. 236.43. & 238.31. Henrico secundo arma infert. 238.34. iustũ contra Henricũ gerit bellum. 239.30. eius cum Ricardo fœdus. 242.23 cõtra Saracenos expeditio. 245.15. cum Ricardo Anglo in Sicilia discordia. 246.35. quantũ ea mali rebus Christianis attulerit. 248.32. & 249.40. & 251.14. simulato morbo abitum ex Asiatico bello parat. 249.2. Normaniam hostiliter ingreditur. 251.17. & 255.36. cum Ricardo pax. 258.10. inducias in quinquennũ. 260.14. cum Ioãne rege fœdus et affinitas. 265.8 & 266.12. in Normaniam alia expeditio. 264.8. & 267.10. inducias uiolat. 264.14. nouas cum Ioanne pangit. Ibid.21. & 272.10. & 281.38. quibus artibus Arthuri ditiones sibi uendicauerit. 266.22. pontificis hortatu contra Ioãnem Angliæ regem excõmunicatum mouet. 276.14. & 277.27. singularis contra Flandros victoria. 281.9. moritur. 294.24
Philippus Ludouici regis Galliæ filius. 236.36. comes Bononiæ. 299. 26. interijt. 316.2
Philippi Ludouici filij ex Africa reditus. 319.26
Philippus Pulcher rex Franciæ creatur. 326.26. eius contra Anglos & bellum & iuris contentio. 330.14. in Angliã classe proficiscitur. 333.8 cũ Scotis societas & affinitas. 334. 3. & 335.7. in biennium cum Anglo induciæ. Ibid.10. renouatæ. 336.24. contra Flandros victoria. 336.13. moritur. 347.42. progenies. 360.30
Philippus Longus rex Franciæ. 360. 41. moritur. Ibid.43
Philippus Valesius rex Fraciæ. 334. 10. & 361.15. & 366.2. cum Scoto affinitas & fœdus. 377.16. Carolum Blesensem iuuat. 372.21. obitus. 377.39
Philippus Albanactus Anglorũ dux aduersus Saracenos. 298.23
Philippus comes Flandriæ 231.7. & 235.44. & 239.1
Philippus Burgundiæ dux Flandriã adipiscitur. 406.34. Gandauenses domat. Ibid.35
Philippi Burgundiæ ducis obitus. 436.38
Philippus Burgũdio pacẽ inter Fracum & Anglum cõponit. 454.34. regni Gallici administrator. 459. 24. cum Anglo affinitas. 462.4. quibus rationibus ab Anglis sit abalienatus. 470.31. & 481.7. cum Lucemburgensi familia affinitas. 481. 10. impia ipsius pietas. 484.22. & 485.33. cũ Fraco recõciliatur. Ibid. 6. Anglũ persequitur. 487.5. uxores & liberi. 485.32. moritur. 514.42
Philippus archidux Flandriæ. 591. 15. pacem fœdusq; per legatos ab Henrico septimo petit. 604.1. fœdus cõfirmat. 610.1. princeps Castellæ regnum dotis nomine assequitur. 613.22. obitus. 614.26. eius proles. Ibid.28
¶ PICTAVIA Galliæ pars. 209. (17
Pictlandia. 5.44
Picti populi eorumq; mores. 37.24. & 43.37
Picti deleti. 5.28. quando in Albionẽ uenerint. 51.13. in Hybernia nouas sedes quærunt. 38.9. sedes in Britannia firmãt. 38.29. corũ cum Britannis bellum. 38.1. unde dicti. Ibid.3
Picti reges ex fœminei sexus prosapia creantur. 38.38. uariis cladibus affecti. 48.20. 25.38. & 51.25. fœdus cũ Anglosaxonibus contra Britannos renouant. 59.3. à Britannis sine sanguine uicti. Ibid.36. cum Scotis contra Britannos fœdus. 51. 11. eorum genus ferè à Scotis deletũ. 92.6. funditus sublatum. Ibid.17
Pictones Ricardus mulctare parat. 261.6. ad Anglorũ regem deficiũt. 280.32. à Ludouico rege Francorum ad Henricum tertiũ deficiunt. 296.5. & seq. crebræ proditiones. 306.19. in Anglia insolentia. 313. 41. expelluntur. 314.12. & seq. in Henrici Lancastrij potestatem ueniũt. 376.7. ab Anglo deficiunt. 394.12. eos Lãcastrius populatur. 395.36
Pietas non uerborũ sed rerum põdere æstimanda. 290.20
Pike piscis. 14.32
Piliolus mons. 474.43
Pinquiniacum oppidum. 535.5
Pisanum concilium pessimi schismatis seminarium. 624.13. 632.13 rescinditur.
Piscium copia & nomina apud Anglos. 14.27
Piscium in sicco noctu congressus bellicus. 240.21
Pius Antoninus Imperator. 42.39
¶ PLACENTIAE cõcilium. 174.25
Pleuresis morbus in Anglia rarus. 611.42
Plimuthus portus. 381.31
Plinij locus. 10.20. & 26.38. & 248.
Plumbi copia in Cornubia. 9.26. (30 1. & seq. 553.18
¶ POLA portus. 250.33.
Pola à Pisanis capitur. Ibid.36 à Venetis diripitur.

Polychronicon de rebus Anglicis historia. 18.8
Polydorus Romani pontificis in Anglia quæstor. 90.3. Vuellensis archidiaconus. 89.24
Polydori Vergilij de rerum inuentoribus locus explicatus. 64.45. & 463.42. eiusdem Adagiorum liber. 378.19
Polygamia apud Scotos. 170.29
Ponderа & mensuræ in Anglia restituuntur. 298.6
Pontesij expugnatio. 331.24
Pons D. Clodoaldi. 437.23
Pons D. Dionysij. Ibid.7
Pontis Thamesis descriptio. 4.38. & 35.40
Pontis Londinensis ædificia incendio absumpta. 276.11
Pontifex Rom. omne ius in Anglia amittit. 396.17
Pontifracti situs. 34.7
Pontimiacum cœnobium. 214.17. & 305.11
Pontisaræ oppugnatio. 489.36
Pontiuum regio. 311.6
Pontiuensium defectio. 390.43
Populationis nouum genus excogitatum à Ioanne rege. 274.1
Populum quando reges consultare cœperint. 188.10
Porphyria muris nudata. 248.27
Porca puerum enixa. 186.19
Porrex rex à matre interfectus. 20.45
Porsenæ Hetrusci humanitas. 477.9
Portimuthus portus. 181.5
Portugallia unde dicta. 53.2
Portugallia olim Lusitania. 245.30
Possessiones syngrapha carentes rex sibi uendicat non sine publico fremitu. 322.33
¶ PRAEFECTI statarij in Anglia officium. 244.10
Prætudiciorũ usus in publicis quoq; administrationibus utilis. 583.23
Præsentes rerum status uulgo tædios esse, luculentissimum exemplum. 426.39
Prætor maior. 274.44
Prætoriæ apud Londinenses dignitatis officium. 244.9. 404.2
Præfuta gus Igenorum rex Neronem Cæsarem hæredem scribit. 35.42
Presbyteri seculares monachorum fraude loco moti. 119.30. & 159.24
de repetũdis contra monachos nequicquam agunt. 121.4.
Vide Sacerdotum uocabulum.
Principis Christiani exemplum. 79.
Principibus nusquam gentium tutus à periculo locus. 493.14
Principes quibus uelamentis fidem fallere soleant. 486.35
Princeps sese non omnibus Reipubli cæ periculis obijcere debet. 448.35
Princeps cæteros tam sapientia præstare debet, quàm præcellit potestate. 616.21
Principis boni officium. 37.16
Principes declarandorum episcoporum ius sibi uendicant. 181.28
Principum Anglorum contra Ioannem regẽ cõiuratio. 282.11. & seq.
Prodigia quædam planè prodigiosa. 36.4. & 127.1. & 186.15
Proditionem diu delitescere nõ posse, exemplum. 355.29
Prolocutoris officium populi causas in Parliamento agere. 188.27
Prosper Columnensis à Gallo capitur. 644.1. Genuam expugnat. 669.40

PROVERBIA.

Ab impio egressa est impietas. 44.45
Ab ouo. 365.35
Adulterinæ plantæ non dabunt radices altas. 196.38
Æthiopẽ priuscolorem mutare, &c. 481.5
A lasso rixam quæris. 384.10
Altera manu panem, altera lapidem ostentat. 227.33
Alius seminat, alius metet. 186.12
Anguis latet in herba. 203.13
Aperto pectore. 238.9
Arare boue & asino. 492.35
Argentum in scoriam uersum. 61.27
Asinus ad lyram. 107.14
Aureo hamo piscari. 234.1
Britanni nõ sunt in bello fortes, nec in pace fideles. 32.19
Canis caninam non est. 289.39
Cæcus parietem palpat. 347.32
Clauum clauo trudere. 623.23
Cogitationes posteriores sapientiores. 232.28
Contra stimulum calcitrare. 157.24
Corrumpunt bonos mores colloquia praua. 236.22
Culex circa ardentem candelam uolitans. 623.45
Currentem incitare. 216.45
Duos parietes ex eadem fidelia dealbare. 388.24
Duobus dominis seruire nemo potest. 335.15
Ensis uagina uacuus. 32.43
Equus Setanus. 87.11. & 483.23
Ex equo Troiano. 389.7
Factũ infectũ fieri non potest. 216.10
Festucam in alterius oculis uidere. 194.1
Filius non plecteretur propter iniquitatem patris. 289.20
Fœnum habet in cornu. 206.41
Fortem fortuna iuuat. 83.19
Fundum alienum arare. 336.13
Gloecestrenses calamitosi. 483.22
Homo bulla. 195.32
Homo homini deus. 536.35
Honores mutant mores. 439.16
Ideo nihil sequundi Ioanni succedit, quia neq; deo neq; hominibus recõciliatus. 281.22
Initium sapientiæ timor domini. 281.26
In qua mensura metimini, in eadem &c. 204.39
Intus & in cute. 263.42
Laborantem agricolam oportet primum de fructu percipere. 513.20
Leonina pellis quò non pertingat, uulpina assuenda est. 99.2
Lupo ouem committere. 194.18. & 535.46
Lupum auribus tenere. 125.2
Malum malo aptissimum esse. 380.22
Mendacem memorem esse oportet. 180.10
Multum interest inter os & offam. 376.43
Nihil opertum, quod non reuelabitur. 75.22
Nodum in scirpo quæris. 330.20
Non omnibus tuta inter Cyaneas petras contingit nauigatio. 409. 18.
Omne regnum aduersum se diuisum, &c. 485.20
Paxillus infractus. 357.22
Pares cum paribus facilimè congregantur. 275.23
Propheta nemo in patria acceptus. 272.45
Quomodo cantabimus canticum in terra aliena. 382.18
Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum. 179.38
Rete frustra iecit &c. 310.32
Sacerdos mundi spectaculum. 106.7
Sanctum dare canibus. 77.3
Sardonius risus. 267.36
Si ascendero in cœlum, &c. 353.43
Si iuxta claudum habitaueris, &c. 359.27
Suo gladio iugulare. 425.9
Taurum tollet qui uitulum sustulerit. 557.2
Terræ filius. 247.20
Thracium commentum. 378.19
Væ homini per quem scandalum uenit. 588.30
Væ terræ cuius rex puer est. 407.20
Vesper Siculus. 325.34
Vrsa pariens. 53.15
Vltra aras. 553.8
Vt matura satio sæpe decipit, sic sera semp. &c. 508.13

¶ PTOLEMAEI locus. 37.13

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ptolemais quæ & Acconis. 247.6. & 248.13. eius oppugnatio. Ibid.
Ptolemais capitur. 248.13
Puella fatidica. 470.40. capitur. 476.39. ueneficij accusatur. Ibid.44. crematur. 477.5
Puellarum castellum. 6.1. & 19.37. & 233.12
¶ PYRENAEVS mons. 315.6

Q

QVAESTORVM perfidiæ exemplum. 398.42
Quæstores repetundarum rei uariè multantur. 412.45
Quarterius mensuræ genus. 491.17
Quendredæ reginæ plusquam nephandum commentum. 69.13

R

RADEPONTEM oppidum Philippus Galliæ rex capit. 267.18
Raimundus Fani Aegydij comes. 212. 22. & seq. in Henrici secũdi fidem uenit. 214.2
Raimundus comes Prouinciæ Henrici tertij socer. 302.33
Raimundus Tolosatium comes dux aduersus Saracenos. 174.43
eius cum Ricardo affinitas. 259.4. & seq.
Raimundus Tripolitanus comes. 237.29
Rainaldus comes Cornubiæ. 227.22
Rainisiæ cœnobium. 129.9
Ranulphus comes Cestrensis. 225.41 Stephanum prælio superior capit. 204.44. post multas pugnas cum rege in gratiam redit. 206.37. perfidia capitur. Ibid.
Ranulphus Fulgerius Anglicæ classis in bello Hierosolymitano dux. 244.41. & 262.16
Ranulphus Henrici III in Asia legatus. 292.30. reuertitur. 293.30
Rauenisportus. 522.42
Redones Britannus capit. 372.9
Redones Lancastrio se dedunt. 382. 34
Redyngiense cœnobium. 196.30
Reginaldus Braius Margaritanæ coniurationis caput. 549.44. & 550.34. pater patriæ moritur. 612.24
Reginaldus Castrimartini comes. 259.3
Reginaldus comes Bononiæ. 299.26 propter sacrilegia impius iudicatur. 275.20. capitur. 281.13
Reginaldus Britannorum comes. 123.30
Reginaldus Bathonienſis episcopus. 256.5
Reginaldus monachus de pontificatu Cantuariensi contendit. 269.40. & 272.22
Regia urbs. 81.8.23
Regiæ uillæ incendium. 609.41
Regyd maris sinus. 328.1
Regem nõ sine decore Euangelij interpretem pro cõcione agere, exemplum notabile. 82.17
Regem quibus dotibus præditũ esse oporteat. 94.15
Regis officium magnum momentum ad regni statum affert. 294.15
Regni societas consortis impatiens. 46.22
Reges negotia ad populum referre usus quando inoleuerit. 188.10
Regum Angliæ hæreditaria uirtus aduersus strumas. 143.15
Regum apud Guinas congressus. 661.18
Regulorum dignitas. 566.26
Rex armorum, id est, Haraldus, siue caduceator. 378.45
Rex unus, summus nempe monarcha. 135.15
Repillus fluuius. 4.16
Reum esse, ignominiosum est. 611.6
¶ RHEMOS Delphinus recipit. 473.20
Rhenat⁹ dux Barri capitur. 478.40
Rhenati Siciliæ regis obitus & testamentum. 585.42
Rhenatus Claromontis regulus capitur. 618.8
Rhesus Amereducus à Vuallis princeps constituitur. 326.29. ab Anglis capitur. 327.13. secuci percutitur. Ibid.15
Rhombus piscis. 14.29
Roßia regia. 7.4
Ricardus Cæsar capitur. 316.45. eripitur. 317.43
Ricardus fictitius. 431.8
Ricardus Lee. 521.28
Ricardus rex apud Lud. regẽ Franc. pupillus duriter educatur. 116.7
Ludouico eripitur. Ibid.17
Pictones in suam potestatem redigit. 232.13. bellum contra patrẽ gerit. Ibid. & seq. patri reconciliatur. Ibid.30. à patre Henrico nuptam repetit. 239.21. dux Normaniæ consalutatur. 242.3. ad Hierosolymitanum bellum se parat. 242.43. & seq. ut regnum instituerit. 244.14. contrà Saracenos expeditio. 245.9. & seq. priuatæ rei causa publicam deserit. 251.15. & 255.18. in Austria capitur. 253.28. eius fœdiß. cum Saladino pax. 251.28. grandi mulcta redimitur. 255.6. dolet ob amissum triumphum Hierosolymitanum. 260.35. obitus. 261. 37. Cor Leonis appellatus. Ibid.46
Ricardus secundus nascitur. 385.21. nuptiæ. 407.6. Scotiam hostiliter ingressus. 410.9. cum Carolo sexto affinitas & pax. 410.11. capitur. 427.6. regno se abdicat. 428.7. moritur. Ibid.20
Ricardus Scruppus Eboracensis archiepiscopus. 415.16
Ricardus tertius Gloecstrius ad regnum aspirat. 540.2. regnum sibi uendicat. 546.2. rex creatur. Ibid.27. nepotibus exitium parat. 246.35. Edouardum comitẽ Varuici suum nepotem custodiendum mittit. 546.44. eius interitus. 563.44. & 564.30
Ricardus & Gaufredus fratres Hericum fratrem contra patrem sequuntur. 225.20
Ricardus ab Henrico fratre in Aquitaniam missus. 296.19
cũ fratre Henrico III dissidiũ. 297. 42. rem Christianã in Syria iuuat. 305.27. Romanorum Imperator eligitur. 312.4.22. & 314.18
Ricardus Edouardi sexti filius, à patruo neci traditur. 546.37. & seq.
Ricardus Gulielmi filius. 162.30
Ricardus abbas Elyensem episcopatum instituit. 186.2
Ricardus Burgundionum dux Rollonem persequitur. 102.39
Ricardus Cantabrigiæ comes. 412.9. contra Henricum quintum conspiratio. 442.6. interitus. Ibid.22
Ricardus Clarentiæ dominus. 391.35 eiusq; soboles. Ibid.38
Ricardus Henricum comitem Derbiensem contra Afros mittit. 419.15
Ricardus Eboracẽsiũ dux, & postea Ricardus quoq; eius filius regnum hæreditario iure affectat. 447.1. & 498.17. & 502.37. & 507.14. Galliæ regens. 486.19. nouarum rerum studiosus. 498.18. & seq. regi reconciliatur. 406.5. hostis patriæ declaratur. 508.5. se regem dicit. 509.19. interijt. 509.42
Ricardus dux Eboracensis Edouardi sexti filius. 539.14
Ricardi Graij interitus. 544.15.
Ricardus Hardel. 311.22. (& 546.23
Ricardi Harũdellij interitus. 423.9
Ricardus Hemsonus fiscalis iudex. 613.12. in carcerẽ conijcitur. 620. 30. eius oratio ad iudices. Ibid. securi percutitur. 621.4
Ricardus Lasceius. 227.23. eius res gestæ. 228.4. & 241.43
Ricardi Marescalli cõtra Henricum III coniuratio. 300.46. & 301.8
Ricardus Gulielmi Normanorũ principis filius. 112.37. & 115.21. & seq. Ricardus

Ricardus tertius Normanorum princeps. 123.32. & 138.20
Ricardi Neuylli Varuici comitis pater & filius. 503.11
Ricardus Northfolchius populi ad libertatem aspirantis dux. 340.24
Ricardus Fizruerius balliuus. 243.14
Ricardus Foxus Exonienſis, Bathonienſis, Vuellenſis, & Dunelmenſis episcopus. 602.29
Ricardi Rateclyffi interitus. 564.6
Ricardus Riuertus comes, Edouardi sexti socer. 513.43. eius interitus. 517.2
Ricardus Sarisberiensis iniuriam ulcisci parat. 506.35. pugna superior. 507.10. capitur. 109.46
Ricardi Simondi presbyteri seditio. 570.7. euentus. 274.42
Ricardus Suardus regi conciliatur. 302.13
Ricardus Plantageneta. 411.16
Ricardus Talbotus. 362.43. capitur. 364.15
Ricardus Thomas in Henrici septimi potestatem uenit. 560.35
Vualliæ præfectus fit. Ibid.36
Ricardus Tonſtallus eques regius legatus. 577.31
Ricardi Varuicensis cilium. 423.9. Normaniæ præses. 456.28. cum Francis congreditur. 478.23. eius obitus. 488.9
Ricardi Varuicensis periculũ. 506. 22. regem Henricum sextum prælio superat. 509.4. à regina fugatur. 510.7. simultas cum Edouardo quarto. 514.4. ipsum capit. 517.13. eius celebritas. 519.26. regni gubernator constituitur. 321.40. interitus. 527.26
Ricardus Vuelles contra fidem à rege necatur. 518.39
Ricardus Vuittyngtonus. 422.25
Richemondia uilla. 440.7. & 571.12 & 609.43
Richemondiæ comitatus populatio. 349.42
Rionensis pugna. 311.21
Rionis expugnatio. Ibid.29
Riponis pagi collegium. 80.46
¶ ROBERTVS Bylles. 545.34
Robertus rex Francorũ Ricardi opes insidias declinat. 123.21
Robertus Serle. 294.12
Robertus Albaniæ dux Scotici regni administrator. 419.2. & 457.5
Robertus Aquitaniæ dux deletus. 111.43
Robertus Atrebas Burdegalenses cõtra Anglos iuuat. 334.36. eius ad Anglum transitus. 365.34. eius genealogia. Ibid.36. eiusdem cũ Gallis pugna. 370.15. fugæ duæ. Ibid.19 contra Blesensem in Britanniam mittitur. 372.21.29. eius meritus. Ibid.39
Robertus Belyngton. 311.22
Roberti Brachyngburij interitus. 564.6
Robertus Brusius. 335.21. Anglicum regnum affectat. 338.40. ad Scoticum regnum aspirat. 343.34. eius cum Anglis pugna. 345.18. fuga. Ibid.23
Robertus Canolus. 380.3. Britanniam uastat. 416.33
Roberti Canoli res gestæ. 392.6 obitus. 435.41
Robertus Clyffordius ad fictitium regem deficit. 590.28. & 592.9. resipiscit. Ibid.11
Robertus Demochius capitur. 518. 46. morte mulctatur. Ibid.3
Roberti Ferrysi res feliciter gestæ. 230.23.27. & 241.43. & 315.22
Robertus Gaytonus eques. 404.39
Robertus comes Gloecstriæ. 196.23. sororis nomine exercitũ parat. 202. 40. eius cum Stephano pugna. 204.30. & seq. capitur. Ibid.37
Roberti Hulderni interitus. 516.17
Roberti Hungersfordij comitis interitus. 513.1
Robertus comes Leecestriæ Aquitaniæ præfectus. 241.40 & 244.27. & 262.25. bellum gerit. 227.21. & 228.9. capitur. 228.30.43. liberatur. 233.8. comitatui restituitur. 236.2
Robertus Landreus eques. 404.31
Roberti Melani comitis in Normania motus. 192.7. capitur. 192.14
Robertus Mulberiensis. 159.23. à Ruſo rege bello uictus. 243.7
Robertus Normanorum princeps. 123.28.34. & 138.20. Hierosolymã proficiscitur. 138.36. eius res gestæ. Ibid. obitus. 139.21
Robertus Gulielmo parenti Normaniæ imperium extorquere conatur. 158.39. patri Gulielmo in Normaniæ ducatu succedit. 164. 18. deliberat secum fratri Ruſo bellum inferre. 164.20. cum Ruſo fratre fœdus icit. 169.10. Ruſum fratrem periurij insimulat. 172.31. à fratre bello fatigatus, pacem petit. Ibid.17. dux contra Saracenos designatur. 174.44. & 179.11. & seq. Hierosolymitanum regnum repudiauit. 180.17. aduersus fratrem Henricum regem proficiscitur. 180.43. & seq. pacem cum eo facit. 181.12. à fratre rege capitur. 184.17. in carcere moritur. Ibid.31
Roberti Northumbrorum comitis contra Ruſum regem coniuratio. 173.34. & seq. capitur. Ibid.174.2
Robertus Offordius Suthfolchiæ comes. 365.28
Robertus Patillocus à Scoto Delphino auxilio missus. 464.27
Robertus Rateclyffius proditionis damnatur. 592.30
Robertus Sabeollus Anglorũ in bello Hierosolymitano dux. 244.42
Roberti Salopiæ comitis exilium. 181.21
Roberti Scoti annorum XIII inducia. 353.48
Robertus Senescallus Scotici regni administrator bellum cum Anglo redintegrat. 377.5
Roberti Tiptosti nauale prælium 329.36. & 330.42
Robertus Tryuilianus repetundarũ conuictus gratia elabitur. 413.8. à principibus popularibus captus trucidatur. Ibid.39
Robertus Torbiscus Vualliæ præfectus. 324.37
Robertus Verius Marchio Dublinensis. 411.25. eius res gestæ. 413.32. in exilio moritur. 414.5
Roberti Viromanduorũ comitis dolus. 112.8
Roberti Vuyllugby facta. 478.42. victoria. 490.10. regulus. 566. 26. regiæ domus præfectus. Ibid.42
Roceſtrensis diœcesis. 80.39
Roceſtrensis arx capitur. 284.27
Rodoricus Connaciæ regulus Henrico secundo resistit. 210.22
Rodoricus Pictorum dux. 38.9 pacis oratores ad Henricũ secundum mittit. 233.44
Rodulphus Aschenuye. 311.23
Rodulphus Ricardi Burgundiæ ducis filius rex Franciæ dicitur. 112.8
Rodulphus Fulgerius. 227.15. & 241.44
Rodulphus Habſpurgensis comes Romanus Imp. creatur. 312.6
Rodulphus Lotharingiæ dux. 367.42
Rodulphus Mortimerius. 165.21
Rodulphus Shaus corruptus pro cõcione non theologum, sed tragicum agit. 544.41. pœnitudine consumptus pœnas luit. 545.24
Rodulphus Staffordiæ comes dux factus. 378.26
Roffensis diœcesis. 62.10
Rogerius Alanus. 281.43
Rogerius & Boëmundus fratres de Apulia cõtendentes totam Italiam diuexant. 174.22
Rogerius Houedemus annalium scri

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptor. 19.42
Rogerio Siciliæ comiti Papa bellum facit. 194.29
Rogerius Siciliæ rex creatur. 195.7
Rogerius Actonus Vuytheliffianus supplicio afficitur. 441.35
Rogerius abbas Beccensis episcopatum Cantuar. recusat. 223.45
Rogerius Claryngtonus læsæ maiestatis reus plectitur. 432.30
Rogerij Clyffordij interitus. 554.18
Rogerij Herefordensis comitis contra Gulielmum regem coniuratio. 157.44. & seq.
Rogerius Lascius. 271.18.29
Rogerius comes Merchiæ. 429.20
Rogerij Mombraij res gestæ. 225.42. & 228.42. & 230.46. & 241.44
Rogerius Montigomericensis episcopus. 165.18
Rogerius Mortimerius Vuallorum præfectus. 313.38. & 315.34. exul. 355.2. Edouardi quinti tutor. 358.27. Vualliæ comes fit. 362.2. proditionis damnatur. Ibid.29
Rogerius comes Salopiæ. 165.22
Rogerius Vuagham insidias dum facit, insidijs perit. 531.31
Rogerius Vuynchestyr. 274.36
Rolandus Caroli Magni nepos. 60.18
Rollo dux Normaniæ. 189.25. & 269.10. & 315.2
Rollonis Daci hominis in Angliam aduentus. 101.37. Rothomagum ciuitatem capit. 102.19. Galliam uastat. Ibid.25 circa matrimonium eius autorum diuersitas. 103.31. baptizatus, Roberti nomen accepit. 103.40. Normanis ducibus originem præbuit. Ibid.46. cum Ludouico rege fœdus. 111.42
Roma ex Troianis reliquijs. 62.19
Romani originem suam ad deos referunt. 17.45
Roma à Gallis capta. 21.9. & seq. & 24.23
Romani imperij inclinatio quando cœperit. 50.44
Romani in agro Parisiorum ab Arthuro Britanniæ rege deleti. 60.20
Romanus pontifex se cõmunem omnium patrem appellat. 663.43
Romani in Britannia omnia immutarunt, melioraq; fecerunt. 26.28
Romanorum militum in Britannia tyrannis intolerabilis. 35.41
Romulus Arualium autor. 379.14
Rosa rubra albaq;, duæ regiæ Anglici sanguinis familiæ. 320.19
Rosimunda Henrici II scortum. 241.5. eius epitaphium. Ibid.13
Rossium oppidum. 222.10
Rotelandia Angliæ comitatus. 3. 27
Rothomagensis antistes. 255.8
Rothomagum Normaniæ caput. 374.23
Rothomagum ciuitas Galliæ à Rollone Daco capta. 103.19. eius ciuitatis ergà Ricardum fides. 117.10. & 231.25. & 261.37. obsidio. 231.5. & seq.
Rothomagenses deditionem Philippo regi faciunt. 269.2
Rothomagum Henr. V obsidet. 453.3. in eius potestatem uenit. Ibid.16. eo Gallus potitur. 495.26
Roxburgum castellum. 233.12. & 244.19. ab Anglo capitur. 336.8. Scoti eo potiuntur. 505.32
Roxburgense prælium. 363.41
¶ RVELLI arx ab Anglis obsidetur. 257.39. diruitur. Ibid.44
Rupellæ obsidio. 394.28. & 395.38. à Sauaro capitur. 296.15

S

SABRINA fluuius. 8.17. & 33.28. & 172.3. & 530.2
Sabrinensis pugna. 131.23
Sacerdos quidam excisa lingua loquebatur. 176.13
Sacerdotes in exercitum scribuntur. 376.46
Sacerdotum auaritia quantum pietatis nomini officiat. 120.2
Sacerdotum bona publicata. 337.43
Sacerdotum cõnubia quãdo in Anglia abrogata. 119.27
Sacerdotum immunitas. 206.14. & 337.30
Sacerdotibus mos uiuendi præscribitur. 158.36
Sacerdotibus quis honos publicè apud Anglos habeatur. 609.5
Sacerdotibus uenationibus interdictur. 234.8
Sacerdotalis redditus annuus censitus est. 396.28
Sacerdotalis ambitionis exemplum. 243.4
Sacerdotalis rasura. 379.12
Sacerdotium. 257.21
Sacerdotia. Ibid.24
Sacerdotia gentilia. 657.44
Sacrilegia temporis usu honestatis faciem induerunt. 168.36. & seq.
Sagittarum apud maiores usus. 375.44
Saladinus Ægypti rex Hierosolymitanum regem bello infestat. 236.28. Christianos in Syria affligit. 237.18. Ricardo prælio inferior. 250.11. eius interitus & funebris pompa. 255.28
Salopia oppidum. 8.28. & 33.35. eius situs. 191.41
Salopiensis Angliæ comitatus. 4.1 7.7
Salutis portus.
Sanctus monachus regius legatus. 577.29
Sanduicus portus. 10.13. & 140.28
Sanguinem pluit. 356.3. & 321.27
Sanguine fons triduo manauit. 176.30
Santones Angli infestant. 367.46. in Lancastri potestatem ueniunt. 376.7
Saraceni Hierosolymam premunt. & seq. 174.29. 248.21
Saracenorum clades.
Sarisberiæ situs. 33.35. & 120.31
Sarisberiensis Angliæ diœcesis. 4.10. & 88.29. & 158.19. 163.4
Sarisberiæ regio in ferarum lustra redacta. 160.16
Sauarus Britannorum dux capitur. 272.6
Sauari Malleonensis res gestæ. 284.31. & 290.45. & 295.19. & seq. & 296.13
Sauoia xenodochium. 582.3. & 617.25
Saxonum cum Pictis fœdus. 56.32. & 57.18
Saxones ab Ambrosio uicti. 57.41. & 58.12. à Britannis magna cæde uicti. 60.8
Saxonum Australium regni descriptio. 67.34. in nomen ditionemq; Occiduorum ueniunt. 67.38. & 89.12. Rom. pont. tributum pendunt. 89.39
Saxonum Orientalium regni descriptio. 71.21. & seq.
Saxones Orientales in Occiduorum potestatem ueniunt. 94.3
Saxonum Occiduorum regni descriptio. 87.24. & seq.
Saxonum Occidentalium regni incrementum. 92.33. & seq.
Saxones Angli in Britanniam accersiti. 55.10.18.
Vide Anglosaxones.
¶ SCHACARIVM. 407.40
Schaddæ pisces. 14.31
Schereshutton arx. 565.24
Schirburni arx conditur. 202.6
Sclaui Dacis rebellantes à Canuto rege domantur. 126.39
Scribarum collegium. 154.34
Scrophæ struma ferè laborant. 143.13
Scrophula morbus. 143.12
Scombri pisces. 14.30
Scoti arcem Vuerck obsident. 682.5
Scotus quando primum Cumbriam & Huntyngtonam comitatus sibi æquisiuerit. 198.19
Scotorum origo. 38.10. & 33.1. 5.26. & 7.14. & 51.11. & seq.
Scotia Britanniæ pars. 19.36. & 39.31
Scotia olim Britannia. 3.1
Scoti Britanniæ partem occupant. 3.7. & 52.26
Scoti episcopi duodecim sancti Andreæ primati subiecti. 522.28
Scoti Hyberniam aliquandiu tenuerunt, 221.19
Scotiæ regum stemma deficit. 328.2
Scotiæ oppida nullis cincta muris. 8.7. portus tuti. 7.14
Scotia meridionalis culta & humana. Ibid.39
Scotia septentrionalis montosa & aspera. Ibid.41
Scoti rei pecuariæ dediti. Ibid.46 quando lanitio studere cœperint. 13.21. natura ab Anglis diuersi. 575.41. ingenio ualent. 8.9. ab Anglis legibus differunt. 8.1. eorum natura & mores. 7.45. & seq.
Scotorũ pueri ad unum omnes exercitationi cuipiã addicũtur. 457.16
Scotia fidem Christianam amplectitur. 58.45
Scotorum religiosa pietas. 8.13
Scoti Eboracensem episcopum detrectant. 234.17. & seq.
ijs sacris interdicitur. 349.14
Scoticum regnum in Rom. pontificis potestatem permissum. 342.8. monarchia in oligarchiam trãsmutatur. 337.12
Scotia haud facilè debellari potest 7.17. cum insulis in Arthuri potestatem uenit. 60.20
Scoticum bellum. 109.12
Scoticæ iuuentutis in regem coniuratio. 170.11
Scotorum perpetua cum Gallis amicitia. 371.17. & 418.21. eorundem cum Pictis contra Britannos fœdus. 51.11. & 53.46. cum Carolo Magno fœdus. 91.36. cum Gallis. 334.11. & 315.7
Scoticum regnum Occiduo parêre cogitur. 115.3
Scotiam Gulielmus bello uexat. 157.16. & seq.
Scoti Anglicum iugum excutere conantur. 338.30. & seq. cũ Edouardo tertio induciæ. 342.15. rebellio. Ibid.23. Edouardus tertius ea denuò potitur. 343.7
Scotorum aliquot contra Anglos uictoriæ. 418.16. & c. cõtra ius gentium agros Anglicos prædantur. 417.42. contra Henricum quartum cum Eboracensibus conspirãt. 435.10. Angliã populantur. 598.2. & 602.20. eorum cum Anglis tumultus. 607.12
Scotorum fuga. 201.9. & 335.43
Scotorum aliquot clades. 51.25. & 336.3.38. & 343.3. & 377.3. & 580.7. & seq.
Scotorũ Syluestriũ rebellio. 457.17
¶ SEDANAE oppidi expugnatio. 461.30
Sedere, pro præesse, interesseq; rebus sacris, & administrare ecclesiam DEI. 64.45
Segontiaci se Cæsari dedunt. 30.9. & 37.20
Senonum Gallorum in Italiam transitus. 23.24
Senonum urbe Henricus V potitur. 456.5
Septoniæ oppidi cõditor quis, eiusq; situs. 19.46
Sequana fluuius. 102.19.25. & 461.32
Sequanæ ostium. 233.28
Sequani ijdem qui Burgundiones. 102.39
Seruanus Orchadũ apostolus. 58.46
S. Seruatoris cœnobium. 161.29
Seueritatem ex repub. esse. 492.45
Seuerus Imp. 43.5.11. eius in Britanniã profectio. 43.22. filios discordes in concordiã difficulter redigit. 43.17. eius obitus. Ibid.29. & 44.14
Sexburgæ reginæ præconiũ. 88.31
Sexus apud Britannos in imperijs nihil discernebatur. 36.22
¶ SHAFTESBVRIA pagus. 105.26
Shaftesburim opp. olim Septoniã uocitabant. 20.1
Shyreburnense collegium. 119.37
Sion cœnobium. 440.14
Sibertus Orientalium Saxonum rex ecclesiam infestatur. 65.26
Sibylla Hierosolymitani regis soror Gulielmo Montisferrati comiti nupsit. 237.22
Sibyllæ reginæ Siciliæ obitus. 250.1
Sicambrorum excidium. 35.20
Siccitas prodigiosa. 324.46
Sicilia Henricus Imperator potitus. 254.23
Siculorum cum Aragonibus bella 325.36. & seq. à Carolo rege defectio. Ibid.27
Sigismundus Rom. Imp. 448.8.34 eius cum Henrico quinto fœdus. 449.22
Sillum oppidum per Harundellium expugnatum. 482.41
Silurum gens. 6.30.32. & 33.46. eorum habitus. 16.4. eorundem rebellio contra Rom. 35.18
Silurus pisces. 14.32
Simon Beuerleius repetundarũ reus. 413.4.7
Simon Thuruaius magnus eruditionis iactator scientia priuatur. 288.14
Simon Monfordius proditionis damnatus. 592.30
Simonis Montisferrati comitis cum Henrico tertio affinitas. 303.11. eius sanctitas. 304.12. eiusdem de Albigensibus uictoria. Ibid.14. multitudinis contra Henricum III dux. 315.23. eius ad regem de pace epistola. 316.20. interitus. 317.30. filiorum post uictoriam arrogãtia. 317.5
Simon Simonis filius regi recõciliatur. 318.23. eius ad Francos trãsitus & honor. Ibid.36
Simonis Redyngij obitus. 357.18
Sinnæus flu. 221.40. & 222.6.15
Sithricus Northũbrorum princeps. 110.36. & 111.12. moritur. 113.14
Sixtus IIII Rom. pontifex. 522.21
¶ SLEFORDIA arx. 287.35
Slygarium oppidum. 222.16
¶ SMYTFILDVM forum equinũ Londini. 404.11
¶ SOLES duo uisi. 213.21
Solis & lunæ eclipsis insuetata. 195.35. & 306.3
Solidus Anglicus quantum ualeat. 159.37
Solueus amnis. 5.45
Somersetus Angliæ comitatus. 3.17
Somma fluuius. 311.7
Somnium Brithouoldi monachi. 136.2. Edginæ. 110.45. Emmæ. 140.13. Gulielmi regis. 148.28. Henrici regis. 194.19. monachi cuiusdam. 177.34. Aluredi. 104.20. Roberti ducis concubinæ. 138.33. Rollonis. 102.2. Ricardi tertij. 562.31
¶ SNOVNDENVS mõs. 323.37
¶ SPEA fluuius. 7.1
Spina lacus. Ibid.3
Spinarum insula. 41.45
¶ STAFFORDIENSIS Angliæ comitatus. 4.1
Statarium locus fisci. 154.32
Stella insuetæ magnitudinis apparet. 303.45
Stephanus rex contra Scotos bellum gerit. 199.14. cõtra ius fasq; regnum adeptus. Ibid.31. in suos seuities. 202.8. capitur. 204.44. liberatur. 205.8. eius cum Mathilde fœdus, fœderisq; cõditiones. 208.16. fuga. 205.15. turpis triũphus. 206.42. obitus. 209.33
Stephani Andegauensium præfecti captiuitas. 242.6
Stephanus Bausanus à Vuallis circũuentus interficitur. 333.28
Stephanus Blesensiũ comes rex Franciæ post Henricum. 161.36
Stephanus comes Bononiensis. 192.41

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stephani Hyri uictoria. 466.39
Stephanus Gardinerius fit Vuintoniensis episcopus. 686.12
Sterling denarij Anglici. 309.36
Sterlingum castellum. 233.13 & 244.19
Sterlyngius ager. 6.33
Sterlyngensis pons prælio insignis. 319.16
Steuartorũ familia Scotorum regnũ assequuta. 388.36
Stoke uiculus. 574.21
Stonyngstratfordia pagus. 540.30
Stranfordia oppidum. 222.2
Strategema Ludouici regis Galliæ. 226.41
Sultani. 294.33
Strodus uicus. 218.14
Struma morbus qualis. 143.12
Sturio piscis. 14.32
Sturnus auis insigne Anglicum. 309.40
¶ SVARDI Northumbri uirilis interitus. 143.42. & seq.
Successoris declarandi origo. 411.40
Sudoris Anglici origo. 567.38.
remedium optimum. 568.13
Suellis fluuius. 350.8
Sueno Daciæ rex. 138.10
Suenonis Dacorũ regis contra Anglos expeditio. 121.12.35 & 124.24.
Angliæ imperium adipiscitur. 125.18
Sueno Christianus factus. 125.40
Suetia. 134.6
Suetonij Paulini contra Britannos uictoria. 36.30. & 37.3.9
Suetonij Tranquilli locus. 10.20
Suinesbedum cœnobium. 287.43
Suirus fluuius. 221.39
Sultanus Ægypti rex quibus de causis in Christianos mouerit. 294.29
Superbiã pacis turbatricem esse, exẽplum appositissimum. 403.40
Superbiæ iuuenilis mirificum exemplum. 216.3. & seq.
Surra Angliæ comitatus. 3.13
Suth. 10.32
Suthantonensis Angliæ comitatus. 13.13
Suthantonus portus. 10.32
Suthantonum à Francis diripitur. 368.5
Suthfolchia comitatus. 3.23. & 68.2.
eius situs. 355.15
Suthsexia Angliæ comitatus. 3.16
Suthsexia arx ab Anglo capitur. 352.10
¶ SYLVANECTVM Franci recipiunt. 475.14
Sylueſtres Connaciæ populi. 222.22. & seq.
Sylueſtres Hyberni, Petri factioni adhærent. 594.43
Sylueſtres, Scotiæ septentrionalis populi. 7.41
Simeon Hierosolymitanus episcopus. 174.33
Synodorum Anglicarum habendi ratio. 188.10
Synodi Anglicæ. Cantuarienſis. 66.38. & 323.11. Caſſellitana. 221.1 Londinenſes. 158.15. & 182.30. & 193.41. & 303.5. & 318.42. & 352.2. & 361.9. Northantoni. 235.13. & 254.4. & 318.41. Othonis Cardinalis. 296.45. Vintonienſis.
T
TALIONIS memorãdum exemplum. 431.16
Tanetos Cantij insula. 63.34
Tancredus pacem à Ricardo emit. 246.28. & seq.
Tancredus rex Siciliæ. 245.43. & 254.24
Tantonia opp. 105.35. & 605.14
Tanus fluuius. 105.36
Tarbellorum ciuitas. 331.43
Trenta fluuius. 155.14
Taus fluuius & lacus. 6.20
¶ TEGVLARIA arx. diruta. 160.44. 161.3
Templa à Constantino constructa. 47.29. & seq.
Tenentes qui sint. 154.13
Terrauana oppidum. 390.31
Terræ caput promontorium. 6.29
Terræmotus in Anglia ferè nulli. 12. 25. & 309.3. & 404.34
Terræmotus horribilis. 160.23. & 195.34. & 309. & 321.26. & 404.33
Teuchisberia uicus. 530.2
Teuchisberiensis pugna. Ibid.7
¶ THAMESIS fluuius. 4.32
Thamesis non facilè imbribus crescit. 12.40
Thamesis fluuij pons mirabilis. 4. 38. & 25.41
Theobaldus Blesensis comes. 216.24. & 231.4
Theobaldus pontificius in Syria legatus. 319.23
Theobaldus Carnutum comes Lothario aduersus Ricardum inimicitiarum incentor. 117.13
Theobaldus Campanorũ comes belli Gallici origo. 188.42. & 297.22. & 298.22
Theodoricus Alsatiæ comes Flandriæ comitatum à Gulielmo armis repetit. 193.14. potitur. Ibid.16
Theodorus Triuultius Venetus Gallis auxilio uenit. 668.44. capitur. 669.12
Theodosius quãdo Imperator fuerit. 44.8. & 49.41
Theodosius filius Orientis Imperator. 49.42
Theodosius à Gratiano Imperij consors factus. Ibid.
Thomas Barcleiensis ob regiam cædem supplicio afficitur. 362.27
Thomæ Belfordij præconiũ. 435.46
Thomas Buchyngamiæ comes Gloceſtriæ dux. 399.14. & 411.24
Thomas Brogtonus coniurationis Hybernicæ princeps socius. 573.21. occiditur. 574.37
Thomas Burgensis capitur. 286.29
Thomas Burscherius. 561.42
Thomæ Cantuarienſis episcopi exilium. 213.37. & 215.38. martyrium. 218.23. & seq. translatio. 289.23
Thomæ Cantij comitis contra Henricum IIII conspiratio. 430.32. eius interitus. 431.28
Thomas Clarẽtiæ dux Henrici quarti regis filius. 391.44. eius res gestæ. 434.38. & 438.9. & seq. & 452.3. & 456.27. interitus. 457.28
Thomæ Cursoni strenuitas. 495.38
Thomas Demochius contra fidem à rege necatur. 518.39
Thomæ Deuoniæ comitis interitus. 530.14
Thomæ Dorceſtriæ comitis in Rothomagũ agrum excursiones. 447. 46. marchio factus. 491.28. metu tyrannidis se in asylum abdit. 540.39. rursum egreditur. 551. 44. ad Ricardum tertium deficit. 559.8. reuertitur. Ibid.14. primo loco restituitur. 576.43
Thomas Dorceſtriæ marchio. 626.30
Thomæ Egromondiæ reguli interitus. 509.7
Thomæ Englefildi integritas. 610.
Thomæ Facombrigij tumultus. 530.37. latrocinia. Ibid.40. luit pœnas. (40 531.22
Thomas Flammoebus Cornubiensis seditionis dux. 599.22. supplicio afficitur. 602.3
Thomas comes Flandriæ. 204.9
Thomæ Turbiuillæ fides. 332.43. & seq. proditionis pœnas soluit. 333.36
Thomas Edouardi V filius Galliam uastat. 401.9
Thomas Gerardinus Hybernorũ dux contra Henricum septimũ. 573.8. occiditur. 574.38
Thomæ Gloceſtrij popularitas. 412. 31 & seq. in Gallos odium. 420. 30. insidijs circumuentus. 421.44 strangulatus. 422.11. cædes ulta. 429.27
Thomas Graius. 442.9
Thomas Grynus. 614.40
Thomæ Harundellij res gestæ. 478. 13. interitus. 483.42
Thomas Hauardus comes Surræ factus. 548.3
fit Northfolchiæ dux. 642.31. Hyberniæ præfectꝰ designatur. 659.38
Thomas Holandius eques dux factus. 385.23. captus. 436.24
Thomæ Lancastrij comitis res gestæ. 350.31. capitur. 351.17
Thomæ Mombraij nefandũ facinus. 421.9. dux fit Northfolchiæ. 423. 15. eius exilium. 424.16. obitus. Ibid.18
Thomas monachus in Douerensi direptione interfectus. 333.27
Thomæ Montacuti præconium & res gestæ. 461.23. & 462.16. & 463.36. & 464.4. interitus. 469.25. & 303.24
Thomæ Morus eques. 676.35
Thomas Neuyllus. 509.43
Thomas Percius Pictonũ præfectus. 393.24. Vigorniæ comes fit. 411. 30. eius factum. 427.1. ab Henrico quarto in Aquitaniam missus. 430.24. contra regem tumultus. 432.32. eius interitus. 434.1
Thomæ Ranmeij interitus. 554.19
Thomæ Rossi interitus. 513.1
Thomæ Ruthal Dunelmensis episcopus designatur. 621.33
Thomas Stanleius comes Derbij creatur. 566.25. & 693.40
Thomas Surræ in Henrici Richemõdiæ victoris potestatem uenit. 564. 15. captus, libertate donatus, quæstor regius factus, cõtra Scotos mittitur. 600.33. & 602.34
Thomæ Terelli strenuitas. 476.25. facta. 496.1. casus. Ibid.7
Thomæ Triuetti interitus. 413.4
Tho. Volsæus sacerdos. 632.22. & seq. primus sacerdotum in Anglia sericum induit. 633.40. Vectigalia episcopatus Tornacensis recipit. 639.10. Edouardũ ducem Buchyngamiæ de proditione criminatur. 665.14. Henrici nomine fœdus cũ Carolo renouat. 667.14. A Francisco Galliæ rege perfidiæ accusatur. Ibid.38. Autor diuortij inter Henricum & Catharinam. 685.8. & seq. Omnibus fortunis spoliatur. 688.12. A rege mitram & pallium petit. Ibid.42. Eius interitus & sepultura. 689.7
Thomas Vuagham cubicularius Edouardi quarti. 540.14. capitur. Ibid.33. interitus. 544.15. & 546.23
Thomæ Vodestoci Gloceſtrij interitus. 495.19
Thule insula. 7.33
Thrugillus Dacus Orientalium Anglorum comes. 133.24. & 135.31
¶ TICINIANAE Academiæ origo. 91.46. & 106.28
Tina fluuius. 54.17. & 42.34
Tituli principatuum sine possessionibus dantur. 391.46
¶ TOLOSATII agri prædatio. 350.4
Thomuuorthus uicus. 562.10
Tonitrua in Anglia rara. 294.44
Tornaci obsidio. 370.26. In Franci potestatem uenit. 653.41
Tornacenses se Carolo dedunt. 668.
Tostonum oppidum. 222.12 (20
Tosto comes. 144.2
Tosto Goduini filius. 141.17
Tosto proscribitur. 146.6
Tothadus D. Andreæ episcopus. 156.22
Touton uiculus. 510.37
¶ TRAIANVS Getas Rom. finibus pellit. 95.19
Treanton oppidum. 37.17
Transtuedana regio. 42.32. ab Agricola domita. 34.31
Tranam Venetis oppigneratũ. 622.6
Trecæ urbs Campaniæ. 454.37. & 471.17. deditione facta, Delphino cessit. Ibid.18
Trenta fluuius. 3.20. & 5.11. per integrum diem non fluxit. 186.16
Tributum ex decimaquinta parte populo imponitur. 343.23
Tributum ærati legitimæ imperatũ. 402.16
Tributum bellorum causa populo imponendi mos quando inoleuerit. 180.6
Tributum regi populo imponere nisi principum consensu non licet. 340.35.40
Trinobantum sedes. 37.5.12. defectio. 36.23
Triplici corona imperator decorari solet. 662.21
Triportum spoliatur. 680.18
¶ TVCHA arx. capitur. 450.10. Ibid.11
Tueda fluuius. 443. & 5.29
Tumbrigij arx capitur. 166.18
Tumultus in Hispania ortus. 662.31
Turbottus piscis. 14.29
Turcæ Danos penè deleuere. 96.9
Rhodum capiunt. 674.37
Turones à Franco in potestatẽ redigũtur. 239.38
Turris carceris nomen. 22.21
Turberia pagus. 351.7
¶ TYNNA flu. 145.24. & 159.15
Tynby oppidum. 531.35
Tyrannidem sibi exitium parare, nobile exemplum. 151.31
Tyrannum nunquam non in periculo cõstitutum esse, exemplum lucu lentissimum. 285.36. & seq.
V
VALENS Imperator. 95.36
Valentinianus Imp. 49.28. metu profugus. Ibid.40. Cæsar & Augustus appellatus. 51.3. Britãnos per Gallionem Rauennatem in fide continet. Ibid.39
Vallisordiensis arcis situs & obsidio. 203.20
Valliregale cœnobium. 346.12
Vallo pontificius ad Philippum legatus. 285.26. & 292.5
Varanij comitis Surræ popularitas 322.45
Vuarinus Salopiæ comes, & eius fœcinora. 191.36
Varuicum oppidum. 317.43
Varuicensis Angliæ comitatus. 3.18
Vasconum cladες. 331.37
Vaymuthus portus. 528.5
Veius fluuius. 8.21. & 31.36
Vectis insulæ forma ouo similis. 11.13
Vectem insulam Vespasianus in ditionem Romanam redegit. 11.19. & 33. 14. propemodum ab Occiduis Saxonibus deleta. 88.42. à Tosto capitur. 145.8. à Stephano rege capitur. 198.46
Vectigalis nouũ in Anglia genus excogitatum. 292.37
Vuelliæ situs. 89.29
Vellera Angliæ multò tenuissima. 12.44
Vellocassinum Gisortiani agri pars. 256.45
Veneti Galliæ populi. 27.35
Venetorũ Britanniæ obsidio. 372.46
Veneti semper domi concordes. 622. 9. Brixiam recuperant. 625.13
Vuenelochi cœnobium. 191.39
Venti insuetata tempestas. 170.40
Verefredus Vigorniensis episcopus. 105.44
Verueces Angli in delitijs habent. 13.46
Vernolij situs & oppugnatio. 216. 23. à Gallis obsidetur. 256.33 per Alenconiũ capitur. 462.44 recipitur. 463.34
Vernolense prælium. ibid. 8
Vernonis obsidio. 258.33. & 494.41
Verulamium municipium. 45.6
Vespasianus Claud. Cæsaris in Britanniam legatus. 33.14. quibusdam prosperis utebatur. 300.35
Veterani Rom. in Britannia ad unũ omnes cæsi. 26.24
¶ VICECOMITES magistratus. 154.26
Vicecomitatus origo. 244.4
Vicennas Francus capit. 484.12
Vicentia in ditionẽ Venetorum re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit 622.3
Victona oppidum. 6.12
Victoniæ lacus. Ibid. 6.13
Victoria ignauos quoq; gloriabundos habet. 465.46
Victoriâ semper ad æquitatis partem inclinare. 440.38
Victoriæ simulacrum 34.10. & 36.5
Victor Maximi filius interficitur. 50.11
Vienna Delphinatiũ caput. 377.46
Vienna Austriæ princeps ciuitas. 253.15
Vigornienſis Angliæ epiſcopatus. 4.12. ſitus. 4.1
Vigornia obſidetur. 165.25. obſidione liberata. 166.9. ferè incendio abſumpta. 186.46
Vigorniæ ſitus. 166.9
Villafranca à Lancaſtrio capitur. 373.30. recipitur. Ibid.33
Villarium oppidum. 299.18
Villænouæ ſitus. 458.14. ab Anglo capitur. Ibid.15
Vincelſeium oppidum à Normanis diripitur. 384.19. & c.
Vincentianum nemus. 457.36
Vinceslaus Rom. Imp. 407.6
Vuincheleumbæ cœnobium. 75.13
Vinchelcumbia uicus. 4.33
Vindeſoriũ caſtrũ. 254.11. & 286.21
Vindeſora pagus. 29.39
Vintoniæ urbis ſitus. 20.1
Vintonienſe cœnobium. 105.25. & 119.34
Vintonienſis Angliæ diœceſis. 4.9. & 67.41. & 88.28
Viſis uici arx. 202.6
Vitæ Germaniæ populi in Britanniam tranſmigrant. 55.43
Vuitby pagi cœnobium. 84.33
¶ VOADICIA regina quantas à Romanis iniurias paſſa ſit. 35.45. & 36.20. ueneno ſibi mortẽ conſciſcit. 36.41
Volciorum oppidum. 297.10
Vota principum ex alienis facultatibus. 235.23
D. Vrſulæ hiſtoria. 50.24
¶ VSCA fluuius. 19.34
Vſipij à Romanis deficiunt. 40.35
¶ VTREDVS interficitur. 128.6
¶ VVAKEFILD pagi ſitus.
Vuallia quatuor diœceſes habet. (509.33 4.22. & 9.3
Vualliaſterilis. 8.46
Vualliam filijs regum natũ maioribus cedere. 311.28
Vualliæ & Vuallorũ nomen unde. 8.39.40. & 61.36.37. & 96.7. eius deſcriptio. 3.10. & 8,15
Vualliæ uates. 324.8
Vuallorũ principẽ potiturũ regno Anglico à natib. prædictum. 324.10
Vualli Occiduorum Saxonum regno iuncti. 92.40
Vualli quietis impatientes. nouarum rerum ſtudioſi. 306.1. 432.39
Vualli domiti. 171.45. & 211.53. & 306.1. & 321.38. & 434.18
Vuallorũ defectiones & rebelliones. 173.10. & 187.2. & 191.26. et 214. 22. & 308.15.40. et 313.23. et 326. 27. & 330.36. & 332.28. et 432.39
Vuallorum ſtrages. 308.44. & 324.15. & 327.12
Vualthami uici collegium. 235.26
Vualthamus pagus. 148.42
Vueda Pẽdæ Merciorum regis filius. 72.44
Vueſſẽſis epiſcopalis ſedes. 178.41
Vuenſdon fluuius. 134.26
Vuerke arx. 335.22
Vuermiſtrum pagus. 120.33
Vuerus fluuius. 105.17
Vueſthũbria Angliæ comitatus. 4.25
Vueſtmonaſterium. 41.38. inteſtina ſeditione diripitur. 403.39
Vuheruuellum cœnobium. 121.37
Vuilceria Angliæ comitatus. 3.17
Vuilferus Pendæ Merciorum regis filius. 72.44
Vuilfreda monacha Edgari regis ſcortum. 119.5
Vuiltoniæ cœnobium. 120.28
Vuitha fluuius. 126.32
Vulgus omnia utilitate probat. 224.2
Vulgi propriũ nihil ſapere. 188.16
Vulgo placere difficile. 224.1
Vulſtani ſingularis ſanctitas. 158.33
Vuytheliffus quando floruerit. 399. 44. idem apud Boëmos in honore habitus. 400.17
Vuytheliffiani dogma ſuũ armis defendere infeliciter conantur. 441. 20. & c.
Vuythyll mons. 107.27
Vuytyngus piſcis. 14.29
¶ VXORES à maritis hæredes ſcribi ex Repub. non eſſe. 243.25

X

XENODOCHIVM Eboracenſe. 509.12

QVO TIBI LECTOR QVAERENDI TABDIVM leuaremus, totam Angliæ Scotiæq; regũ, tum Cantuariẽſis, item & Eboracenſis archipræſulum, quorum perpetuã ſeriem auror obſeruauit, tum etiam cæterorũ Anglici regni antiſtitum anthropologiam, ſuis quanq; catalogis ſeorſum complexi ſumus.

BRVTVS Aſcanij nepos primus Britannorum rex. 17.26. & 19.21. & 21.16. & 26.3
Locrinus, 19.24. Camber. Ibid. Albanactus. Ibid.
Madan. 19.28. Mempriciut. Ibid. 19.35
Ebrancus. Rudubras. 19.43
Leylus. 19.39. Brito cognomento Viride ſcutum. 19.38
Badudus Magus. 20.5
Cordilla. 20.22
Morganus primus. 20.32
Conedagius. 20.32.42
Rinallo. 20.42
Gurguſtius, aliàs Gorguntius. Ibid.
Silius. Ibid. Iagus. Ibid.
Chinemarcus. Ibid.
Gorbodio. 20.43. Ferrex. Ibid.
Porrex primus. Ibid.
Dunuallo Molmicius. 21.9.15.22
Pentarchia interceſit. 21.8
Gintolinus. 21.2
Martia defuncto Gintelino marito regnum adminiſtrat. 21.42
Sicilius. Ibid.
Chimarius. 21.46. Danius. Ibid.
Moruidius. Ibid.
Conianus. 22.4
Archigallo. 22.6
Eliodorus Pius. 22.10
Reginus. 22.30
Morganus ſecundus. Ibid.
Ennanus. Ibid.
Iduuallo. 22.31 Rynio. Ibid.
Geruntius primus. Ibid.
Catellus. Ibid. Coyllus. Ibid.
Porrex ſecundus. Ibid.
Cherinus. Ibid.
Fulgentius. 22.32. Eldalus. Ibid.
Androgeus. Ibid.
Vrianus. Ibid. Eliud. Ibid.
Bellinus. 21.9. & ſeq. & 23.9. & 107.28
Brennus. 21.9. & 23.9
Gurguntius 11. 25.24. & 107.27
Merianus. 25.25 Bladanus. Ibid.
Capenus. Ibid. Ouinus. Ibid.
Silius. Ibid.
Bledgabredus. 25.26
Archemalus. Ibid.
Eldolus. Ibid.
Rodianus. Ibid.
Redargius. Ibid.
Samulius. Ibid.
Peniſellus. 25.27
Pyrrhus Ibid. Caporus. Ibid.
Dinellus. Ibid.
Helius. Ibid. Lud. Ibid. 25.44
Caßiuellaunus. 25.46. & 29.8
Theomantius. 32.22
Gumderius. 33.1. & 37.27
Aruiragus. 35.19
Cogidunus rex. 37.46. & 41.13
Marius. 41.13. & ſeq.
Coyllus. Lucius primus Chriſtianorum rex. 41.17

BRITANNIA IN ROmanorum ditionem redacta.
Seuerus Imp. 43.14. & ſeq.
Caraußius tyrannus. 44.19
Alectus tyrannus. 44.44
Diocletianus Imp. 45.4
Conſtantius Claudij nepos Cæſar. 45.14.
Conſtantinus. Ibid.41
Conſtantinus filius. 49.22
Conſtantius Conſtantini filius. 49.24
Maximus. 49.29
Conanus natione Britannus à Maximo ſubſtitutus. 50.14
Gratianus. 50.25
Conſtantinus homo nouus. 50.26
Honorius Imp. 50.41. & 51.1
ROMANORVM IMPEratorum in Britannia proconſules, ſiue legati.
Aulus Plautius. 33.22
Oſtorius Scapula. Ibid.
Aulus Didius. 35.25
Autus. Ibid.32
Verannius. 35.33
Suetonius Paulinus. 35.34
Petronius Turpilianus. 36.42
Trebellius Max. 36.43. & 38.43
Vettius Volanus. 38.44.
Petilius Cerealis. 38.45
Iulius Frontinus. 38.46
Iulius Agricola. 39.1
Cn. Trebellius. 41.10. & 42.20
Lollius Vrbicus. 42.39
Calphurnius Agricola legatus. 42. 42
Pertinax legatus. 42.45
Clodius Albinus. 43.1
Heraclius. 43.9
Iunius Seuerus. 43.3
Maximus à Conſtantino in Britannia relictus. 49.3
QVI DESPERATO ROmanorum auxilio domi nati ſunt.
Vortigerius. 54.45
Vortimerius. 57.17
Vtherius Pendraco. 58.21
Arthurus. 60.15. & ſeq.
Conſtantinus. 60.32
Aurelius Conanus. 60.42
Vortiporius. 60.43
Maglocunus. Ibid.
Carentius 60.43
Caduanus. Ibid.
Cadouallo. 60.43. & 66.45. & 81. 6. & ſeq.
Cadoualladrus. 61.4.18. & 81.35. & 566.12
BRITANNIÆ REGNO in Heptarchiã redacto, requirit ordo claſſes ſingulares. Primum igitur locum ſortiuntur CANTIANI Hengiſtus. 63.3. & 108.20. & 149.4
Oſca. 63.11
Otha. Ibid.
Himericus. 63.11
Ethelbertus. 63.11. & ſeq. & 85.32
Edbaldus. 65.15.44. & 78.7. & 80.29
Ercombertus. 66.4
Egbertus. 66.29
Lotharius. 66.34
Edricus. 66.42
Vihtredus. 67.9. Edbertus. 67.20
Ethelbertus. 67.20. & 76.41
Alricus. 67.20. & 76.41
Edbertus, aliàs Edelbertus. 67.24. 76.8
Cuthredus. 67.28
Baldredus. 67.28
Etheluolphus. 67.28. & 93.12
SAXONVM AVSTRALium reges.
Ella. 67.35
Siſca. 67.43
Ethelualchius. Ibid.
Berutius. 67.43
Aldinius. 67.43. & 89.10
ORIENTALIVM ANglorum reges.
Vffa. 68.3
Titullus. 68.4
Redoualdus. 68.4. & 77.24
Carpualdus. 68.11. & 80.1
Sigibertus literarum patronus. 68. 13. & 72.38. & 106.16
Egricus. 68.27. & 72.38
Annas. 68.34. & 72.38. & 88. 20
Ethelherius. 68.35
Ethelualdus. 68.35
Aldulphus. Ibid.
Eluoldus. Ibid.
Beornas. 68.36
Ethelredus. Ibid.
Ethelbertus. 69.36. & 74.13
Edmundus. 68.34. & ſeq. & 99.38
Guthormus Dacus. 71.9. & 99.39. & 104.43. & 110.14
Ericus Dacus. 71.12. & 99.40
ORIENTALIVM SAXOnum regum catalogus.
Erchenuinus. 71.22
Sladda. 71.30
Sibertus. 65.26. & 71.30
Serredius. 71.33. & 72.1
Sigibertus paruus. 72.1
Suthelmus. 72.5
Sigerius. Ibid.
Sigehardus. 72.5
Offa. 72.7. & 73.36
Colredus. 72.9
Sutthredus. 72.10. & 94.4
MERCIORVM REgum ſeries.
Crida Saxo. 72.14.24
Vibbas. 72.26
Cearlus. 72.28
Penda. 72.28. & 80.13. & 83.14. & 84.7. & 85.36. & 88.18
Peda. 72.44. & 73.3
Vuilferus. 72.44
Ethelredus. Ibid.
Chenredus. 72.44
Celredus. 72.39
Ethelbaldus. 72.40
Beruredus. 72.44
Offa. 69.3. & ſeq. 74.1. & 89.42. & 90.38. & 97.3
Egfridus. 75.1
Cenulphus. 74.20. & 75.7
Chenelmus. 75.15
Ceuolphus. 75.35
Bernulphus. 75.35. & 91.30
Ludicenus. 75.36. & 93.31
Vthlacus. 75.36. & 93.32
Bertulphus. 75.39. & 93.1. & 99.32
Burthredus. 76.3. & 99.34
Ceuolphus ſeruus. 76.12. & 99.35. & 105.2
NORTHVMBRIÆ reges.
Idas. 76. & 23. & ſeq.
Alla. 76.32
Addas. 76.39
Clappas. Ibid.
Theodulphus. 76.39
Freodulphus. 76.40
Theodoricus. 76.40
Ethelricus. 76.40
Ethelfredus. 76.41. & 81.9
Eduinus. 77.12. & 78.33. & ſeq. & 84.8. & 88.3
Oſualdus. 71.37. & 77.37. & 79. 43. & 81.30. & 82.31. & 83.19
Oſuuius. 71.41. & 73.3. & 77. 37. & 82.40. & 84.3. 6. 15. 19.31
Egfredus. 84.45. & 85.7
Alfredus. 86.15
Oſredus. Ibid.37
Chenredus. 86.37
Oſrichus. Ibid.
Ceoloulphus. 86.38
Egbertus. 86.42
Oſoulphus. 87.1
Altredus. 87.2
Ethelbertus. 87.3
Aſualdus. 87.4
Oſredus. 87.5
Ethelbertus, aliàs Adelredus. 87.7
OCCIDENTALIVM Saxonum reges.
Cerdicius. 87.25. & 149.11.20
Cenricus. 87.39
Ceaulinus. 87.42

Universidad de Deusto
Biblioteca

Celricus. 1bid.
Ceoloulphus, alias Quichelmus. 78. 16. & 87.41
Cynigillus. 88.5
Cenonalchius. 73.17. & 88.12
Elcuinus. 88.33.
Centuinus 1bid.
Cedonalla, qui & Petrus. 66.45. & 88.37.
Inas. 67.15. & 89.6. & 96.43
Ethelardus. 90.7
Cuthredus. 90.13
Sigibertus. 90.29
Cineuolphus. 90.36
Britrichus. 91.8

ANGLICI REGNI VIrilis ætas.

Egbertus. 91.10.27. & 92.36. & seq. & 108.27
Ethelwolphus. 94.42. & 97.8
Ethelbaldus. 97.11.24
Ethelbertus. 97.11.26
Ethelredus. 97.11.34
Aluredus. 87.20. & 98.7. & 99.28. & seq.
Edouardus primus. 71.18. & 92.22. & 104.44. & 107.40. & 108.1. 36. & 110.10.27. & seq.
Adelstanus. 87.23. & 110.44. & 112. 46. & 114.16. & 149.11
Edmundus. 111.13. & 114.26
Eldredus. 114.40
Eduinus. 114.39. & 117.38
Edouardus. 108.28. & 118.18. & 120.37. & 121.9

INGRAVESCENS ætas.

Etheldredus. 117.24. & 119.2. & 121.13. & 122.9. & 138.42
Edmundus. 127.14. & seq. & 129.15. & 132.21. & 237.42
Canutus Dacus. 133.9
Haraldus primus Canuti filius. 129. 21. & 133.33. & 135.42. & 136.21. & 137.8
Canutus. 135.23. & 136.28. & seq. & 137.12
Edouardus secundus. 125.11. & 137. 14. & 140.5. & seq. & 145.3. & 147.40
Haraldus secundus. 144.16. & 148. 40. & 149.1.22. & 235.34

NORMANI.

Gulielmus Normanus. 149.22. & 150.25. & seq. & 151.31. & seq. usq. ad decimum lib. & 240.10. & 242. 39. & 322.23
Gulielmus Rufus. 159.10. & 163.1. & 131.31. & 164.5. & seq. & 304. 44.
Henricus primus. 179.12.24
Stephanus. 196.39. & 197.3. & 211.25
Henricus secundus. 189.42. & 193. 1. & 197.28. & 207.22. & 208.11. & 210.37

REGES ANGLIÆ indigenæ.

Ricardus primus. 219.27. & 242. 23. & 391.35. & 407.31. & 415.10
Ioannes. 241.34. & 249.29. & 263. 14. per totum librum. 264.2
Henricus III. 273.7. & 288.3. & 289.6.14. & 382.4. & 497.18
Edouardus III. 303.43. & 320.14. & 321.3. ad finem lib. XVII. & 344.36. & 391.39
Verum aduerte nos in Edouardi nomenclatura non autorem sequutos esse: is enim hunc primum ponit in ordine, quem nos tertiũ ab Edouardo primo posuimus.
Edouardus IIII. secundum autorem secundus. 345.42. & 346.21. & per totum librum. & 359.34. & 439.45
Edouardus V. 355.21. & 357.40. & 358.7. & 359.19.36. per totum. & 398.45. & 440.26
Ricardus III. 385.21. & 399.15. & 400.27. ad calcem lib. XX. & 426.19. & 427.2. & 429.17. & 459.41. & 440.46. & 549.5
Henricus IIII. 426.11.36. & 427. 6.15. & 428.6. per totum librum. 438.22. & 531.20. & 549. 13.21.
Henricus quintus. 439.7. per totum librum. & 496.24
Henricus sextus. 397.21. & 460.40. ad finem libri. 469.19. & 526.5. & 532.1.7.15
Edouardus VI. 412.17. & 491.21. et 510.17. & 511.10. ad finẽ lib. 517. 3. & 526.1. ad finẽ libri XXIIII & 596.31
Ricardus III. 493.21. & per totum librum XXV. 571.18. & 591.31
Henricus VII. 488.8. & 504.6.37. & 522.7.15.19. & 532.30. & 535. 30. & 536.18. & 549.39. & 563. 2.7.20. & seq. & 564.13.54.
Henricus octauus. 412.24. & 587.2. & 611.39. & 616.14

SCOTIÆ REGES.

Gathelus. 52.43
Simon Brechus. 53.4
Reuda. 52.30
Fergusius primus. 52.31
Reutheres. 52.34
Eugenius primus. 53.40
Fergusius secundus. 1bid.
Eugenius secundus. 53.46
Dongardus. 54.2.26
Constantinus. 54.27
Congallus. 61.45
Conranus. 61.46. & 76.36
Eugenius tertius. 1bid.
Connallus. 61.46
Antillus. 1bid.
Aidanus. 61.46
Chennethus. 62.1
Eugenius quartus. 62.1. & 87.38
Ferquartus. 62.1
Donualdus. 1bid.
Malduinus. 62.1
Eugenius quintus. 62.1. & 86.10
Eugenius sextus. 1bid.
Amberceletus. 62.2. & 91.30
Eugenius septimus. 81.31
Mordacus. 91.32
Etfinus. 1bid.
Eugenius octauus. 91.33
Fergusius tertius. 91.34
Soluatius. 91.35
Achaius. 91.35. & 371.26
Connallus secundus. 91.46
Dungallus 92.1
Alpinus. 1bid.
Chennethus ecundus. 92.4
Donaldus primus. 92.24
Constantinus secundus. 92.18
Ethus. 92.19
Gregorius. 1bid.
Donaldus secundus. 92.21
Constantinus tertius. 92.21. & 109. 13. & 113.1.5. & 115.1
Malcolmus. 115.2
Indulphus. 1bid.
Duffus. 125.2.
Chennethus tertius. 115.3
Grimus. 115.5
Malcolmus secundus. 115.6
Ducanus. 115.7. & 162.15
Culenus. 1bid.
Edgarus. 150.31. & 172.25. & 185.7
Alexander. 151.19. & 172.25. & 185. 9. & 192.40
Dauid. 151.20. & 172.26. & 192.39. & 197.43. & 198.2. & 199.22. & 204.4. & 205.34. & 209.29. & 111.23
Malcolmus tertius. 151.18. & 156. 24. & 157.23. & 150.12. & 167.1. & 170.9
Dunaldus III. 172.14. & seq. 172.15
Duncanus.
Malcolmus quartus. 209.30. & 211. 25. & 215.32
Gulielmus. 214.34. & 215.15. & 225. 40. & 228.46. & seq. & 244.16. & 265.46
Alexander secundus. 273.31. & 286. 18. & 290.26. & 294.18. & 308. 24. & 309.45
Alexander III. 311.43. & 320.24. & 322.14. & 327.46. & 328.4
Ioannes Baliolus. 328.25.37. & 329.13. & 334.5. & 330. & 335. 13. & 341.35. & 361.31.39. & 362.33
Robertus. 343.34. & 344.26.31.46. & 345.
Thomas Bekettus. 213.9.14.23. & 215.38. & 216.39. & 217.4.7. & 220.6. & 241.16 (237.12
Ricardus. 224.44. & 235.14. & Balduinus 237.13. & 242.37. & 256. 2. & 262.10
Hubertus. 256.3. & 260.39. & 262. 11.35. & 263.17. & 269.19
Stephanus Card. D. Chrysogoni. 272. 26.28. & 273.34. & 274.9. & 275. 39. & 279.27.32. & 282.26.37. & 284.39. & 295.22
Ricardus Magnus. 298.26. & 299. 43. & 300.6
Edmundus. 300.9. & 302.21. & 303. 14. & 304.30. & 305.1
Bonifacius. 305.24. & 319.46. & 382.
Robertus. 320.2. & 322.5 (4
Ioannes. 322.6. & 323.30. & 329.25
Robertus Vyncelseius. 329.27. & 337.46. & 338.19. & 340.27. & 347.25.36
Gualterus. 347.40. & 352.2. & 358 24. & 361.41
Ioannes Stretfordius. 361.42. & 362. 9. & 366.32. & 377.27
Ioannes Offordius. 377.21
Thomas. 377.31
Simon Isleppus. 377.32. & 381.23. & 388.37
Simon Elyensis episcopus. 388.41
Gulielmus Vigornienſis. 388.44. & 396.35
Simon Londinensis episcopus. 396 36. & 403.7. & 405.19
Gulielmus Corteneius. 495.26
Thomas Harundellius. 405.21. & 412.38. & 414.29.34. & 423.10. & 415.46. & 416.9. & 441.44
Henricus Chicheleius Meneuensis episcopus. 441.46. & 459.34. & 491.41
Ioan. Staffordius. 492.5. & 501.12
Ioan. Chempius. 501.14. & 504.9
Thomas Burscherius. 504.10. & 512. 16. & 542.11. & 575.19
Ioan. Mortonus. 575.20. & 581.3. & 599.32. & 610.17. & 612.16
Henricus Deneus. 610.22. & 612.31
Gulielmus Varamus. 612.32

EBORACENSES.

Paulinus. 78.7. et 79.24.43. et 80.34
Lindisfarnenses episcopi tyrannidis tempore administrant. 80.39
Cedda. 80.41
Vuilfredus. 80.42. & 85.29
Bosa. 8.1. Ioannes. 1bid.
Vuilfredus secundus. 86.29
Egbertus. 86.30 Albertus. 86.32
Embaldus primus. 1bid.
Embaldus secundus. 86.32
Vuilsius. 1bid. Vimundus. 866.33
Vuilferus. 1bid.
Adelbaldus. 86.34
Lodeuardus. 86.35
Vulstanus. 86.35. & 114. 8. et 115.14
Oscitellus. 115.16
Adelualdus. 115.16
Osualdus. 115.16. & 116.22. & 120. 22. & 129.5
Adulphus. 129.10. Vulstanus. 120.10
Alfredus. 120.10
Chimsius. 129.10
Aldredus. 129.10. & 141.24. & 144.19. & 152.38
Thomas. 156.15. & 181.36
Gerardus. 181.37. & 182.13. & 185. 43
Thomas secundus. 185.44
Thrustinus. 186.38.43. & 187. 44. & 191.46. & 196.44. & 200.6. & seq. & 202.15. & 210.3
Henricus Murdacus. 202.16. & 210.9
Gulielmus. 202.19. & 210.8
Rogerius. 210.25. & 215.15. & 217. 217.37. & 234.18. & 237.14
Gausredus. 242.41. & 244.17. & 247.29. & 240.21. & 265.31. & 276.3. & 280.26. & 288.14
Gualterus Graius. 289.26. & 306. 38. & 311.34
Senallus. 311.36. & 314.28
Gothofredus. 314.22
Gualterus. 314.23. & 323.9
Gulielmus Vuikeuanus. 323.10. & 325.3
Ioannes Roman. 325.4. & 334.8
Henricus. 334.2. & 342.3
Thomas Corbrigius. 342.3. & 347. 28
Gulielmus Grimsildius. 343.29. & 347.41
Gulielmus Meltonus. 347.41. & 371.9
Gulielmus Zonchis. 371.377.34
Ioannes Toresbius. 377.34. & 397. 24
Alexander Neuyllus. 397.25
Thomas Harundellius. 397.26. & 405.21
Robertus Valdby. 450.23
Ricardus Scruppus. 405.23. & 435. 16. & seq. & 436.1
Henricus Bouettus. 436.2. & 484. 37. & 487.39
Ioannes Chempius. 487.40. & 501.14
Gulielmus Bothus. 501.16. & 514. 40
Georgius Neuyllus. 514.39.45. & 515.36. & 532.42
Laurentius Bothus. 532.44
Thomas Rotheramus. 532.452. & 543.5. & 5449. & 557.31. 610. 18
Thomas Sauagius. 610.19
Edouardus Lecus. 234.32

LONDINENSES
episcopi.
Miletus. 65.32
Ceddas. 65.39
Vuinas. 65.39.
Erchenualdus. 65.40. & 532.13
Dunstanus. 128.32
Robertus. 143.33
Mauritius. 179.22
Gulielmus 273.11. & 279.27
Simon. 396.36
Thomas Sauagius. 610.19
Guliel. Varamus. 610.21.32.
Gulielmus Baronsus. 612.34
Ricardus Fiziames. 612.35
ELYENSES.
Henricus. 186.10
Gaufredus. 241.36
Gulielmus Longeshampe. 244.25
Gulielmus. 243.25. & seq. 249.17
19.22. & 251.13. & 252. 10. 19.
& 260.41. & 262.13
Eustachius. 273.12. & 279.27
Hugo Balsamus. 320.37
Ioannes Borthonus. 358.6
Simon. 388.41
Thomas Harundellius. 397.26
Ioānes Mortonus. 543.6.32. & 649
31. & 551.25. & 552.29. & 555.
14. & 566.34.43. & 575.20
Ioannes Alcocus. 617.45
VINTONIENSES.
Firtheſtanus. 114.6
Birstanus. 114.7
Etheluoldus. 119.20. & 128.21
Elphegius. 128.28
Brithouoldus. 136.3
Aduinus. 140.17
Stigandus. 156.10
Gulielmus Gyffardius. 179.29.
181.42. & 182.14
Henricus comes Bleſenſis 192.3. &
197.8.18. & 204.9.25. & 210.5
Ricardus. 241.35
Petrus. 284.26. & 289.11. & 291.9.
& 300.30.37. & 301.2. & 305.21
Odomarus. 314.5
Gulielmus Vuykham. 388.46
Henricus Cardinalis. 466.25. &
474.14. & 495.31.
Gulielmus Vuanfletus. 493.36
Ricardus Foxus. 556.39. & 610.23.
& 615.45. & 618.7
Thomas Langtonus. 610.18
VIGORNIENSES.
Oſualdus. 119.22
Dunstanus. 118.13.44. & 119.24.
& 128.32
Vulstanus. 143.39. & 158.21. &
163.3. & 165.21. & 166.3. &
167.2.35. & 179.43
Balduinus. 237.17
Aldredus. 241.37
Mangerius. 273.12
Gualterus Graius. 280.26. & 283.30
Gulielmus. 388.44
LINCOLNIENSES.
Remigius. 171.13. & 178.22
Robertus. 171.26
Alexander. 202.4
Gaufredus Henrici ſecundi filius no
thus. 235.18
Hugo Carthuſianus. 237.4. & 240.
4. & 241.32. & 262.11. & 270.
10. & seq.
Hugo. 274.7. & seq. & 288.16. &
293.36
Thomas Rotheramus. 532.45
Ioannes Ruſellus. 543.9
Gulielmus Smythus. 610. 42. &
618.3
DVNELMENSES.
Gualterus. 159.18
Gulielmus. 159.24. & 165.19. &
167.4
Ranulphus. 179.31. & 180.35
Rodulphus. 200.32
Hugo. 243.2. & 244.22
Lud. Bellimontenſis. 349.38
Ricardus Fox. 366.32. & 602.26. &
603.32. & 607.24. & seq.
NORDOVICENSES.
Henricus. 178.25
Herbertus. 182.12
Ioannes. 270.4. & 272.23. & 274.
25. & 283.30
Pandulphus. 297.4
Henricus Spenſerius. 405.45
ROTHOMAGENSES.
Maugerius. 161.34
Gualterus Cōſtantius. 217.3. & 225.
19. & 237.9
EXONIENSES.
Gaufredus. 165.16
Petrus Corteneius. 552.21
Ricardus Foxus. 575.33. & 586.12.
& 602.29
SARISBERIENSES.
Hermannus. 163.4
Oſmundus. 163.6. & 504.13
Rogerius. 202.3
Ricardus. 163.15
Ioſcelinus. 215.40. & 217.34
Henricus Deneus. 610.22
VVELLENSES.
Vuilfemus, aliàs Vuilfelmus. 114.7.8
Ioannes. 178.38
Ioſcelinus. 289.11
BATHONIENSES.
Robertus. 241.36
Hadrianus. 581.2.9
Ricardus. 602.29
HEREFORDENSES.
Thomas. 322.15.
Adam. 356.12
Hadrianus. 581.2.8
Carolus Bothus. 610.42
CARLIOLENSES.
Arnulphus. 195.30
Nigellus. 202.8
ROFFENSES.
Martonus. 325.10
Ioannes Viſcerius. 617.40
LINDISFARNENSES.
Aidanus. 81.40
Cuthebertus. 85.1. & 86.13

INDICIS FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca